THEOLOGIA PATRUM DOGMATICA, SCHOLASTICO-POSITIVA, AUCTORE R.P. ANTONIO...

Antoine Boucat



THEOLOGIA
PATRUM
SCHOLASTICO-DOGMATICA,
TOMUS QUINTUS.



THEOLOGIA PATRUM
SCHOLASTICO-DOGMATICA, SED MAXIME POSITIVA,

AUCTORE R. P.
ANTONIO BOUCAT BITURICO,
Ordinis Sancti Francisci de Paula Religioso, Provinciæ Franciæ Professo atque Alumno, & veterano apud Parisios in sacra Theologia Professore.

TOMUS QUINTUS,
CONTINENS TRACTATUS

De Summo Pontifice,
De Conciliis,
De SS. Patribus, & Doctoribus,
De Incarnatione.

EDITIO PRIMA VENETA
accuratior & emendatior.



VENETIIS, MDCCXXXVI.
Apud PETRUM BASSALEAM
In Via S. Bartholomæi ſub Signo Salamandræ.
SUPERIORUM PERMISSU, ATQUE PRIVILEGIO.

SERIES DISSERTATIONUM,

Articulorum, Sectionum, Paragraphorum, Conclusionum, & Argumentorum quæ in hoc Quinto Tomo continentur.

Fit

DISSERTATIO UNICA.

Prima sententia.

DISSERTATIO ULTIMA.

Punctum I.

Punctum II.

Punctum III.

DISSERTATIO SECUNDA.

I. Ex

DISSERTATIO TERTIA.

Ex Epi-

DISSERTATIO QUARTA.

DISSERTATIO QUINTA.

DISSERTATIO SEXTA.

DISSERTATIO SEPTIMA.

Arti-



DE SUMMO PONTIFICE ECCLESIAM UNIVERSALEM GUBERNANTE.



SICUT in Synagoga Aaron constitutus est a Deo magnus & supremus Sacerdos, qui ceteris Levitis praemineret, ut causas fidei & Religionis discuteret, sic & in nova lege, Christus totius Ecclesiæ caput, simul & Legislator a Deo constitutus est Sacerdos. De priori habetur Exod. 28. 1. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio fungantur mihi.* Tum Deut. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris .... Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore.* De alio vero Ephes. 2. *Ipse est caput Ecclesiæ:* Sed inter utrumque discrimen illud est, quod Aaron habuit in Sacerdotio successores, Christus vero minime, juxta illud Apostoli de eo Hebræor. 7. 22. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum. In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Attamen antequam de hoc mundo exiret, & ascenderet ad Patrem, Petrum suum in terris constituit Vicarium, & summum visibilem, in iis quæ sunt ad Deum, Pontificem, ipse vero habuit, & ad consummationem usque sæculorum habebit in sua dignitate successores. Quinam sit igitur ille summus Pontifex Vicarius Christi, successor vero sancti Petri; quænam ejus dotes, quæ privilegia & prærogativæ, dicendum incumbit.

DISSERTATIO UNICA.

De Summi Pontificis Privilegiis & dotibus.

ACRIUS exardescunt Heterodoxi adversus summum Pontificem, quem Lutherus Libr. de capt. Babyl. antichristum appellare non erubuit: ceteri Protestantes post illum dignitatem Ecclesiæ Capitis & Primatus illi abjudicant, sed

sed contra est quod Christus Matth. 16. dicit Petro : *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Dogma de auctoritate & privilegiis Romani summi Pontificis variis probatur & explicatur argumentis.

PRIMO: Sanctus Petrus venit Romam, fuit Romæ Episcopus, ibi suam fixit sedem, & mortuus est.

Secundo : S. Petrus constitutus est a Christo Ecclesiæ Caput & Primas supra ceteros Apostolos.

Tertio: Pontifex Romanus canonice electus, est totius Ecclesia Primas supra ceteros Episcopos nedum ordine, sed dignitate & Jurisdictione.

Quarto : A beato Petro ad nos usque nullus Papa canonice electus ex cathedra loquens erravit in fide, hoc est nullam in Ecclesia proposuit hæresim de fide credendam.

Quinto: Est de fide summum Pontificem ex Cathedra loquentem esse infallibilem, si ejus definitioni accedat consensus Ecclesiæ.

Sexto : Ut definitio summi Pontificis circa fidem & religionem sit regula infallibilis fidei, sufficit, ut accedat ei major Pastorum seu Præsulum pars & numerus.

Septimo: In Conciliis vel ipse minor Episcoporum numerus prævalet majori a summo Pontifice divulso.

Octavo: Clamor populi non est fidei testimonium, hoc est ad definitionem fidei nihil auctoritative confert.

Nono : Ad summum Pontificem spectat adunare Concilia.

Decimo: Ad eumdem eis præsidere.

Undecimo: Ad eumdem illa confirmare.

Duodecimo: Ad eumdem congregationes pro rebus religionis & fidei discutiendis & qualificandis instituere.

ARTICULUS PRIMUS.

Num S. Petrus suam Romæ fixerit sedem?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quod ipse Petrus a Christo ordinatus Episcopus asserit, sic tenere & propugnare debemus : Atqui ex ipso sancto Petro habemus eum suam Pontificalem fixisse sedem : Et probatur. Qui Romæ existens & ex urbe Roma veluti ex domicilio & præelecta habitatione ad universos fideles suam priorem dirigit Epistolam, dubio-procul ibi suam fixerat sedem; cum enim esset Episcopus & Apostolorum Princeps, non alio motivo illuc appulerat, quam ut, ubi error præsidebat, ibi prædicatione sua dominaretur fides, juxta illud S. Leonis serm. in Nat. SS. Pet. & Paul. effatum : " Isti enim sunt „ viri, *Petrus & Paulus*, per quos tibi „ Evangelium Christi Roma resplenduit : „ & quæ eras magistra erroris, facta es „ discipula veritatis. „ Atqui B. Petrus Romæ commorans, suam priorem ad universam Ecclesiam direxit epistolam : sic enim loquitur capit. 5. 13. *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus*. Porro nomine Babylonis intelligit Romam, quam propter superstitionum multitudinem isto nuncupat nomine: sic docet Papias Apostolorum discipulus apud Eusebium Lib. 2. capit. 15. sic Hieronymus in Lib. de viris illustribus & alii. Ergo &c.

Secunda: Patrum primorum seculorum, qui Ecclesiæ historiam texerunt, Traditio innuit: Igitur ultro fatendum est S. Petrum suam Romæ fixisse sedem. Probatur Antecedens ab enumeratione Patrum.

Ex primo sæculo de Papia sic loquitur Eusebius mox laudatus : " Papias & hoc „ dicit, quod Petrus in prima epistola „ sua, quam de urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babyloniam nominavit, cum dicit: Salutat vos ea quæ in Babylone est „ collecta Ecclesia, & Marcus filius „ meus. „

Ex secundo sæculo Irenæus Lib. 2. hist. cap. 14. ubi de sancto Petro loquens, ait: " Salutaris prædicationis verbo primus in „ urbe Roma Evangelii sui Clavibus ja- „ nuam regni cælestis apperuit. "

Ex tertio sæculo Arnobius Lib. 2. contra Gentes ait, Romam ideo ad Christum fuisse conversam, quia viderat igneas Simonis Magi quadrigas oratione Petri difflatas.

Ex quarto sæculo Epiphanius Hær. 27.: " Primi, *inquit*, in Roma fuerunt Petrus „ & Paulus. „

Ex quinto sæculo S. Chrysostomus in Psal. 48. " Piscator Petrus quoniam civi- „ tatem maxime Regiam occupavit, et- „ iam post mortem resplendet sole cla- „ rius. „ Cui concinit illa S. Leonis verba Serm. 1. in Nat. SS. Apost. Pet. & Paul. " Cum Apostoli imbuendum Evangelio „ mundum, distributis sibi terrarum par- „ tibus, suscepissent, beatissimus Petrus „ princeps Apostolici ordinis, ad arcem „ Romani destinatur imperii. „

Tertia ratio: Quod perpetua Romanorum Pontificum a B. Petro ad hæc usque tempora successio probat, seclusa temeritate non potest negari. Atqui sine interruptione habetur ad hodiernum usque diem Romanorum Pontificum successio, ut ex professo demonstrat Tertullianus Lib. de Præsc. ubi exsufflat omnes hæreticorum Ecclesias, quæ non habent Pastorum successionem sicut Romana a B. Petro exhibet: pag. 243. sic loquitur: „ Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne „ conlocatum refert: sicut Romanorum, „ Clementem a Petro ordinatum itidem. „ Tum Optatus Milevitanus Lib. 2. contra Parmenianum: " Cathedra unica est, quæ „ est prima de dotibus. Sedit prior Pe- „ trus, cui successit Linus. „

Quarta: Festivitas S. Cathedræ, ubi Petrus Romæ sedit, celebratur die 18. Januarii: Sed non fit festum de aliquo falso, sin minus esset contra Religionem error, qui quidem contingere non potest propter Christi promissionem, Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Igitur dicendum est Petrum suam Romæ fixisse sedem.

Quinta: Non alii a B. Petro præter summos Pontifices Romanos probavere Concilia tum particularia, tum generalia: Sed non alio jure sedi Romanæ hæc tributur prærogativa, nisi quia Petrus prior sedit ibi, & sui Episcopatus dotes jure hereditario summis reliquit Pontificibus, qui ideo Summi, quia in sancta Petri Cathedra sedent. Ergo &c. Major patet; prima enim post Apostolorum Concilia Synodus, est ea quæ adunata est Cæsareæ in Palæstina adversus Quatuordecimanos, quæque a Victore I. confirmata, robur in tota Christi Ecclesia obtinuit: tum Antiochena contra Paulum Samosatenum, a summo Pontifice confirmata; deinde Alexandrina ann. 324. postea vero Nicæna prima Generalis utraque a S. Sylvestro approbata, & sic de subsequentibus. Minor utique patet. Ergo &c.

Sexta: Constat multos Christianos, immo & florentem Ecclesiam Romæ fuisse antequam Paulus vinctus, qui appellaverat Cæsarem, illuc veniret: hoc colligitur I. ex cap. 28. Act. ubi de Paulo hæc habentur: *Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. Mansit autem biennio toto in suo conducto: Et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum.* Non alii igitur quam Christiani Paulum incarceratum invisebant, & consolabantur: hoc etiam colligitur ex epistola ad Romanos, quam vel ipse S. Paulus ad illos Christianos direxit, priusquam veniret Romam: Sed illa illustris & augusta Ecclesia a solo Petro fundata erat; non enim ante ipsum juxta Annales Ecclesiasticos ullus Apostolorum illuc appulerat, quod non levius subindigitat congressus, quem primus habuit Petrus cum Simone Mago, qui Romanos ope dæmonum ementitis signis decipiebat. Ergo &c.

Septima: Nedum plebei, sed & docti & Imperatores quibus in materia Religionis non facile illuditur, agnoscunt Petrum suam Romæ fixisse sedem: Atqui res sic se habet: Et probatur. Inter sapientes Philosophi ut Justinus Martyr, Anaxagoras id docent, tum Tertul. & alii bene multi pro fide Sedis Apostolicæ Romanæ nunc scriptis & Apologiis, nunc etiam sanguinis effusione decertaverunt: Inter Imperatores vero unus sufficit Constantinus Magnus, qui sedem

Apostolicam in S. Sylvestro a Romano Pontifice Petri in sede successore agnovit, ut patet ex actibus Concilii primi Nicæni, tum ex Theodosio Imperatore, qui cap. de *summa Trinitate & fide Catholica* Lib. 1. cunctos populos, sic alloquitur: " Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam B. Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc insinuata declarat."

Octava: Ibi suam fixit sedem S. Petrus, ubi sanguine purpuratus pro fide obiit: Atqui S. Petrus ultimum Romæ clausit diem martyrio coronatus. Sic refert S. Ignatius Epist. ad Rom. sic Dionysius Corinthius, & Cajus qui 50. solum ann. fuit isto posterior, ambo apud Eusebium Lib. 2. hist. cap. 25. sic Egesippus Apostolorum temporibus suppar Lib. 3. de excidio Jerosolymæ: sic Chrysostomus Homil. 32. in Epist. ad Rom. Idem testantur inter Latinæ Ecclesiæ doctores Tertullianus Lib. de præscript. Lactantius Lib. 4. divin. instit. cap. 21. Ambrosius Lib. 5. epist. orat. contra Auxentium, Hieronymus Lib. de viris illust. Sulpitius Lib. 2. sacræ hist. Isidorus in vita S. Petri & alii. Ergo &c.

Respondetur objectionibus Protestantium.

OBJICIUNT I. Auctores propugnantes Petrum venisse Romam inter se dissident. Igitur non sunt fide digni. Probatur Antecedens: Orosius scribit venisse in Exordio regni Claudii Imperatoris, Hieronymus tenet hoc contigisse anno solum secundo Claudii. II. Si venit Romam, id factum est elapsis octo-decim annis a passione Domini; tunc autem Petrus erat in Judæa, ut constat Act. 15. sic refert S. Hieronymus in cap. 2. Epist. ad Gal. nam Paulus post annos tres a conversione sua venit in Jerusalem videre Petrum, Gal. 1. deinde post annos 14. rediit in Jerusalem ad Concilium, Gal. 2. quibus si addas unum annum, qui fluxit a passione Domini, usque ad conversionem Pauli, conficient annos 28. tum quia dicitur Petrus fuisse quinque annis in Judæa, deinde septem annis Antiochiæ, multis vero annis in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bythinia, hinc ann. saltem 28. fluxerunt antquam Romam veniret. Ex his concludunt Apostolum Romam non appulisse nisi post annum nonum Claudii, qui erat a passione Domini octodecimus. Tum Petrus sedit 25. ann. Romæ, ut propugnant Damasus, Eusebius, Hieronymus. Igitur supervixit ad ann. 43. a Passione Domini. Jamjam autem obierat Nero, quinimmo & Galba, Otho, & Vitellius, clavum autem imperii tenebat Vespasianus, qui alias mitissimus, a Christianorum sanguinis effusione abstinuit, ut colligitur ex Tertulliano Apol. cap. 5. III. Petrus non potuit venire Romam usque ad ann. Claudii IX. Sed neque postea venire potuit, quandoquidem Claudius qui jussit Judæos ex urbe pelli, jussit etiam dubio-procul in urbem non recipi. Igitur numquam venit. IV. Paulus ex Roma scripsit epist. ad Galatas, ad Ephesios, ad Coloss. & tamen ubique altum silentium de Petro, quod non levius argumentum est Petrum tunc non fuisse in urbe Roma. V. Ambrosius Serm. 67. scribit de BB. Apostolis Petro & Paulo: " Una die, uno in loco, unius tyranni toleravere sententiam." E contra vero S. Linus in Actibus de passione BB. Petri & Pauli ait, nec eodem tempore passos, nec eodem in loco, nec sub eodem tyranno cruciante. VI. Scriptura videtur innuere SS. Apostolos non a Romanis, sed a Pharisæis & Scribis fuisse trucidatos: sic enim ait Christus Matt. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis vestris*. In quem locum S. Chrysostomus intelligit: *Apostolos, & qui cum Apostolis fuerunt*. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens propter rationes in probationibus allatas. Ad instantias laudatas & similes dico, hujusmodi argumenta ex Chronologia petita parum urgere, cum sæpius auctores in hoc non conveniant, nec esse exquirendam in determinanda temporum epocha proportionem Arithmeticam, sed sufficere Geometricam. Neque vero modum eventus, sed potius factum esse attendendum, inquit Bellarminus hic Lib. 2. de Romano Pontifice cap. 5. cum igitur experientia probetur Romanorum Pontificum B. Petri

tri sine interruptione successio, & hoc ipsum astruant nedum primorum sæculorum Patres, sed & Apostolorum discipuli, supputatio ætatum huic Traditioni citra dubium debet cedere, quippe quæ ab ista superetur. Nec mirum: certum est & de fide v. g. Christum esse pro nobis mortuum, & tamen non sunt convenientia auctorum testimonia, qua ætate in ara crucis mactatus expiraverit; quidam enim ann. ejus ætatis trigesimo, alii trigesimotertio hoc contigisse putant. Jam ad singula facindum est satis.

Ad primum, quod Petrus venerit Romam primo vel secundo anno Claudii vix discrimen intercedit, cum sub finem prioris anni, inchoante posteriori potuerit illuc venire. Ceterum auctores omni exceptione majores, ut Hironymus Lib. de script. Eccles. Ado Trevirensis in Martyrologio propugnant Petrum venisse Romam ann. 2. Claudii. Ab his non dissidet Orosius Lib. 7.

Ad secundum vel sola historiæ relatio componit & concordat omnia, ait Bellarminus ibidem. Ergo Petrus I. Mansit quinque circiter annis in Judæa, quo tempore Paulus tribus a sua conversione elapsis annis, potuit Petrum Jerosolymis convenire, anno vero quinto a passione Domini Petrus Antiochiam venit, ut scribit Eusebius. II. Septem annis Ecclesiam rexit Antiochenam a se ipso fundatam: neque vero existimandum est ibi sine interruptione inhabitasse, sed his temporibus peragrasse Pontum, Asiam, Galatiam, Cappadociam & Bithyniam, ubi novas erexit Ecclesias; absoluto vero in sede Antiochena septennio, Evodium loco suo creavit civitatis Episcopum. Tum ann. a passione Christi undecimo, rediit Jerosolymam, ubi ab Herode conjectus in vincula, ut habetur Act. 12. sed paulo post ab Angelo e carcere solutus, petiit Romam, & ibi suam fixit sedem, quam & 25. annis tenuit. III. Neque etiam toto tempore Romæ commoratus est, sed elapsis septem circiter annis, expulsis ab urbe Judæis Act. 18. anno scilicet nono Claudii Petrus iterum reversus est Jerosolymam, quod incidit in annum decimum-octavum a passione Christi; jam vero Antiocheni certiores facti Petrum tunc Jerosolymis adesse, miserunt ad eum Paulum & Barnabam, & tunc celebratum est Concilium Jerosolymitanum, mortuo autem Claudio, Petrus rediit Romam, ubi & Martyrio ultimum clausit diem.

Ad tertium: Petrus non venit Romam ann. 9. Claudii, sed ab ea urbe discessit; mortuo vero Claudio, illuc rediit tempore scilicet Neronis, qui quidem ibi Judæos tolerabat, quod colligitur ex cap. 28. Actuum ubi legitur Paulum Romæ Judæis Christum annuntiasse.

Ad quartum: Res non postulabat Paulum in suis ad Galatas & Ephesios Epistolis loqui de Petro, cum Paulus esset Gentium Doctor, Petrus vero Judæorum, & unusquisque suam perfecte adimpleret Provinciam: igitur cum Apostolus Col. ult. ait: *Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei*: tum & 2. Tim. 4. *Lucas est mecum solus*, loquitur solum de domesticis suis, qui ei ministrare solebant: neque vero felicior est Calvinus opponendo ista 2. ad Tim. 4. verba: *Nemo mihi assitit, sed omnes me dereliquerunt*; & tamen cum eo erat Lucas, de quibus ergo conqueritur, nisi de quibusdam nobilibus Romanis, qui illum apud Cæsarem adjuvare poterant, sed timentes Principem, non fecerunt: Igitur de Petro sermonem non instituit, qui cum in eadem causa damnationis propter religionem esset apud Tyrannum, non poterat in hoc eum adjuvare. Ceterum ex argumento negativo nihil concluditur.

Ad quintum respondet Bellarminus hic Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 9. historiam Lini esse confictam & adhærendum esse Ambrosii sententiæ.

Ad sextum: Evangelium non dicit omnes Apostolos: sufficit igitur ad veritatem textus, Jacobum & Stephanum occisos, Petrum vero & Paulum in vincula Jerosolymis fuisse a Judæis conjectos.

SINOPSIS PROBATIONUM.

Petrus sedit Romæ & ibi mortuus est.

PRIMO: Prior sua epistola Romæ conscripta fuit, ut testatur Papias apud Eusebium Lib. 2. hist. cap. 15.

Secundo: Sic docent Irenæus Lib. 2. hist. cap. 14. Arnobius Lib. 2. contra Gentes: Epipha-

Epiphanius hær. 27. S. Leo ferm. 1. in natali BB. Apost. Petri & Pauli.

Tertio: Hoc ipsum irrefragabiliter ostendit perpetua & nusquam interrupta a B. Petro Romanorum Pontificum successio, quam refert Tertullianus libro de præscript. Optatus Milevitanus, Augustinus, & alii.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Discrepantia auctorum in determinanda adventus Petri Romæ epocha nihil ad rei substantiam facit, cum nequidem sit una omnium sententia, quo suæ ætatis anno Christus immolatus obierit, & tamen hæreticum foret negare Jerosolymis fuisse crucifixum.

Secundo: Petrus quinque annis in Judea commoratus a Paulo invisus est, tum abiit Antiochiam, ubi sedit septem annis, quo tempore Pontum, Asiam, Cappadociam & Bithyniam lustravit, ubi Ecclesias fundavit, deinde Romam appulit ann. 2. Claudii, anno vero nono cum reliquis Judæis expulsus, iterum venit Jerosolymam, & tunc præfuit Concilio Jerosolymitano: tandem, mortuo Claudio, iterum petiit Romam, ubi sub Nerone cruci affixus obiit coronatus in cœlo quibus distinctis evanescunt contra Chronologiam argumenta.

Tertio: Lini historia conficta creditur, & standum est Ambrosio dicenti ferm. 67. de BB. Apost. Petri & Pauli: " Una die, " uno in loco, unius tyranni toleravere " sententiam. "

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum S. Petrus constitutus sit a Christo totius Ecclesiæ caput & Primas?

PRÆNOTARE juvat Apostolatum significare Missum, & tres exigere conditiones, videlicet. I. Potestatem Ordinis; debent enim Apostoli esse Sacerdotes, ut solvant & ligent, ut aperiant cœlum pœnitentibus, & induratis claudant. II. Consecrationem Episcopalem, nam & ipsi Episcopos alios creare & consecrare, immo & Ecclesias particulares erigere possunt, & ubi exigit necessitas, debent: denique Jurisdictionem universalem, quippe qui mittantur in omnem terram, eo sane scopo ut doceant fidem omnes Gentes.

Certum est Apostolos habuisse a Christo Domino potestatem Ordinis, & consecrationem Episcopalem in die Cœnæ, nimirum quando Christus dixit eis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Sic docet Concilium Tridentinum sess. 22. capit. 2. Ab eodem quoque de via extraordinaria receperunt Jurisdictionem in mundum universum. Asserit S. Augustinus libro qq. novi & veteris Testamenti, & ex professo quæst. 97. quoad S. Matthæum, qui ordinatus est Episcopus ab Apostolis, sicut & Paulus, ut legitur Act. 13. hoc ipsum indigitat Scriptura Joannis 20. ubi Christus, sic loquitur: *Sicut misit me pater & ego mitto vos &c.* Quem locum pro Jurisdictione universali concessa explicant inter Patres Cyrillus Alex. Chrysostomus & alii, maxime vero S. Thom. in 4. dist. 18. 20. & 21. S. Thomas Apostolus, non quidem aderat quando Christus suam omnibus Apostolis contulit missionem: sed probabile est eam accepisse, cum Christus illi apparuit: Idem multi Theologi asserunt de S. Mathia, quandoquidem electus est ante Pentecosten: beatus vero Paulus ad Galatas. I. testatur hanc accepisse Jurisdictionem & missionem a Christo, cum illi in via Damasci apparuit.

Observandum est etiam Jurisdictionem duplicem esse, ordinariam unam, extraordinariam alteram. Prior ea dicitur, quæ alicui competit ex natura rei, vel propter Capitis dignitatem, vel propter naturam beneficii, talis est Jurisdictio Episcopalis: extraordinaria vero illa est, quæ datur, & est privilegium. Prima, data est Petro, ut infra probabitur, altera vero ceteris Apostolis. Rursus præter Jurisdictionem universalem, alia est etiam limitata, quæ quidem subdividitur in ordinariam & delegatam. Ordinaria convenit alicui ex ratione beneficii, delegata vero traditur ab ordinario, v. g. quando Episcopus permittit Sacerdoti particulari audire in sua Diœcesi fidelium confessiones, quibus suppositis fit.

CON-

CONCLUSIO.

Beatus Petrus a Christo constitutus est universalis Ecclesiæ caput; & supra Apostolos primus.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

PRIMO: Solemnis est Matth. 16. textus, ubi Christus sic alloquitur Petrum, qui ejus confessus fuerat divinitatem: *Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dixit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Eo loci multa observanda sunt, quæ non levius S. Petri indicant supra ceteros Apostolos primatum. Primoquidem, loquitur nomine totius Collegii Apostolici: *Vos autem*, ait Christus, *quem me esse dicitis. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filii Dei vivi.* Secundo, Christum modo speciali solum Petrum pro confessione suæ divinitatis compensat; non enim omnibus, sed soli Petro, ait: *Et ego dico tibi &c.* Tertio, ejus solius immutat nomen, & vocat Cepham; quæ vox hebræa significat Petram. Quarto, eumdem Apostolum præ ceteris exaltat: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Certe nihil peculiare super alios Apostolos intelligi potest præter capitis universalis Ecclesiæ & Primatis dignitatem.

Sic interpretantur istam Scripturam Patres: Epiphanius quidem in Anchorato: " Dominus, *ait*, constituit primum Apostolorum petram firmam, super quam „ Ecclesia Dei ædificata est. „ Tum Chrysostomus homil. 44. in cap. 6. Isa. " Quid „ autem Petrus Basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi. „ Expressius S. Augustinus Tract. ult. in Joan. ubi sic loquitur: " Ecclesiæ Petrus Apostolus, pro„ pter Apostolatus sui Primatum, gere„ bat figurata generalitate personam. „ Rursus in Psal. 108. " Cujus ille agnosci„ tur gesisse personam, *Christi*, propter „ Primatum, quem in discipulis habuit. „ Igitur supra ceteros Apostolos.

Secundo: Non minus splendidus est locus Joan. 21. ubi Christus Primatum, quem promiserat Petro, confert: probato iterum atque iterum ejus amore, ait: *Simon Joannis diligit me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei Pasce agnos meos.... pasce oves meas.* Eusebius Emissenus serm. de Nativ. S. Joan. hunc interpretans locum, ait: " Prius „ agnos, deinde oves Petro commisit, „ quia non solum Pastorem, sed Pastorum „ Pastorem eum constituit. „ Succinit D. Bernardus lib. 2. de consid. cap. 8. " Uni „ unus, *inquit de Petro*, nec modo ovium, „ sed & Pastorum tu unus omnium Pa„ stor. Unde id probem quæris, ex ver„ bo Domini. Cui enim non dico Epi„ scoporum, sed etiam Apostolorum, sic „ absolute & indiscrete totæ commissæ „ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce „ oves meas. Quas? illius aut illius po„ puli civitatis, aut religionis, aut certi „ regni? Oves meas, inquit. Cui non „ planum, non designasse aliquas, sed a„ signasse omnes? Nihil excipitur, ubi „ distinguitur nihil. „

Secundo, ex Traditione Patrum.

ILLE est caput & supra reliquos Apostolos Primas, qui est Petra super quam Christus suam fundavit Ecclesiam, quique constitutus est præ ceteris ejus fundamentum: Atqui ex SS. Patribus solus Petrus hanc habet specialem prærogativam, & supra alios isto donatus est privilegio: sin minus nihil ceteros haberet, quod & Scripturæ & Traditioni manifeste adversatur. Ergo &c. Probatur minor auctoritate utriusque Ecclesiæ, Orientalis scilicet & Occidentalis Patrum.

Patres Græci.

S. IRENÆUS Lib. 3. contra Hær. cap. 3. num. 2. sic loquitur de sede Petri : „ Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem, *alii potentiorem*, principalitatem, „ necesse est omnem convenire Ecclesiam , hoc est eos qui sunt undique „ Fideles . „

Tum Origenes Hom. 5. in Exod. „ Vi„ de magno illi Ecclesiæ fundamento, & „ Petræ solidissimæ, super quam Christus „ fundavit Ecclesiam . „ Rursus Homil. „ 2. de diversis vocat Petrum , *summum* „ *Apostolorum verticem*.

Atque vero Athanasius Epist. ad Felicem Papam , quam quidem nomine Synodi Alexandr. conscripsit : „ Tu es Petrus , *ait*, & super fundamentum , tum Eccle„ siæ columnæ , id est , Episcopi , sunt „ confirmatæ. „

Sequitur Eusebius Lib. 2. Hist. cap. 14. qui appellat Petrum: „ Fortissimum , & „ maximum inter Apostolos , & virtutis „ merito reliquorum omnium Principem „ ac Patronum . „

Concinit Cyrillus Hierosol. qui Catech. 2. & 11. Petrum nuncupat Apostolorum Principem supremum.

Suffragatur Basilius procemio de judicio „ Dei : Beatus , *ait* , ille Petrus omni„ bus discipulis Prælatus, cui soli majo„ ra data, quam aliis sunt testimonia, qui „ prædicatus est beatus, cui claves regni „ cœlorum concreditæ sunt . „

Eminet Cyrillus Alexand. Lib. 12. in Joan. his verbis: „ Præ aliis emicat ille ce„ terorum Caput ac Princeps, & ait, Tu „ es Christus Filius Dei . „

Agmen claudat S. Chrysostomus Hom. 55. in Matth. ubi sic loquitur : „ Eccle„ siæ Pastor & Caput est , homo piscator & ignobilis . „ Tum Hom. 87. in Joan. appellat Petrum: „ Os, Principem, „ & Verticem Apostolorum. „

Ex Irenæo sedes Petri ceteris principatum potiorem habet : ex Origene & Chrysostomo Petrus est Apostolorum Vertex ; ex Athanasio petra super quam ceteræ Ecclesiæ columnæ, videlicet Apostoli & Episcopi firmatæ sunt ; ex Eusebio inter Apostolos fortissimus & Princeps est Petrus ; ex Basilio omnium discipulorum Prælatus : Sed non aliis verbis potest exprimi supremus Ecclesiæ Principatus ; si enim S. Petrus foret ceteris Apostolis æqualis, neque Caput, neque illorum Princeps diceretur , cum voces istæ, *Caput*, *Princeps* Eminentiam, non nomine , non ordine & honoretenus , sed realem & jurisdictionis importent , cui jurisdictioni omnes , citra privilegium & exceptionem subditi sunt . Ergo &c.

Patres Latini.

TERTULLIANUS primus nobis occurrit. In Scorpiaco cap. 10." Si adhuc clausum putas cœlum , *inquit* , memento claves „ ejus hic Dominum Petro, & per eum „ Ecclesiæ reliquisse .

S. Cyprianus suffragatur Epist. ad Quintum , dicens: „ Petrum Dominus primum „ elegit, & super eum ædificavit Ecclesiam suam. „ Tum Lib. de unitate Ecclesiæ non longe ab initio : Primatus , *in„ quit* , Petro datur , ut una Ecclesia , „ & Cathedra una monstretur . „

Optatus Milevit. Lib. 2.contra Parmenianum pag. 28. non absimilia profert , his verbis: „ Negare non potes , *ait Parme„ niano* , scire te in urbe Roma Petro „ primo Cathedram Episcopalem esse col„ locatam, in qua sederit omnium Apo„ stolorum caput Petrus ... in qua una „ Cathedra , unitas ab omnibus servare„ tur: ne ceteri Apostoli singulas sibi de„ fenderent: ut jam schismaticus & pec„ cator esset, qui contra singularem Ca„ thedram , alteram collocaret. „

Non omittendus Hilarius , qui in cap 16. Matth. sic loquitur de S. Petro : „ „ In nuncupatione novi nominis Felix Ec„ clesiæ fundamentum, dignaque ædifica„ tione illius petra , quæ inferorum le„ ges dissolveret . „

Egregium est , quod ait Ambrosius in cad. ult. Lucæ, his verbis: „ Quia solus „ profitetur *Christi divinitatem* , omnibus antefertur . „ Rursus in cap. 12. Epist. 2. ad Cor." Primatum non accepit An„ dreas , sed Petrus. „

S. Hieronymus in tota sua ad Damasum epistola de nomine hypostaseon mira dicit, de Principatu S. Petri, & ejus Sedis: „ Super hanc petram, *inquit*, ædificatam „ Ecclesiam scio. „

Suf-

Suffragatur S. Augustinus multis in locis. In primis Psal. contra partem Donati, ait: " Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa „ Petri sede, ipsa est petra, quam non „ vincunt superbæ inferorum portæ. „ Rursus Lib. 2. de Bapt. cap. 1. " In quo, „ Petro, Primatus Apostolorum, tam ex- „ cellenti gratia præeminet. „

Demum audiendus est de hoc momento Sanctus Leo Serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum: " De toto mundo unus „ Petrus eligitur, qui & universarum „ gentium vocationi, & omnibus Apo- „ stolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præ- „ ponatur. Ut quamvis in populo Dei „ multi Sacerdotes sint, omnes tamen „ proprie regat Petrus, quos principali- „ ter regit & Christus. „

Ex Patribus unitas Ecclesiæ ab unitate Petri Cathedræ propter ejus Principalitatem desumitur: nec fas est, ait Optatus, alteram æqualem erigi a ceteris Apostolis & Prælatis Cathedram; in ea quippe Petrus sedit ut caput ceterorum: ex Ambrosio primatum non accepit Andreas, non Joannes & alii, sed solus Petrus, solus, ait Augustinus, habuit Primatum: ex S. Leone Petrus regit omnes, ne uno quidem excepto Fideles: Igitur a Christo constitutus est ordine, dignitate, auctoritate & Jurisdictione totius Ecclesiæ caput, & super ceteros Apostolos Primas: namque si solo nomine & ordine foret primus, dubio-procul jure, & veritate Primatum non haberet. Ergo &c.

Tertio, rationibus Theologicis.

PRIMA: Illud est verum, immo & verissimum quod citra errorem negari non potest: Atqui citra errorem nemo negare potest Petrum universæ Ecclesiæ Caput, & supra ceteros Apostolos a Christo Primatem fuisse constitutum: Ergo &c. Probatur minor. I. Ex Innocentio X. qui ann. 1647. die 24. Januarii opinionem quorumdam, qui ceteros Apostolos in dignitate pares cum Petro faciebant, abjecit: *Propositionem hanc*, ait Decretum, *Sanctus Petrus & Sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt; vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi duces, summa inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus Ecclesiæ universalis vertex, qui in unum divinissime coaluerunt; vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores ac Præsides, qui unicum caput constituunt*. His duobus modis anno 1645. sententiam expresserant duo libri Gallico idiomate scripti, unde summus Pontifex ait: *Ita explicatam ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione & subjectione Sancti Pauli ad Sanctum Petrum in potestate suprema & regimine universalis Ecclesiæ, sanctissimus Pontifex hæreticam censuit & declaravit*.

Sacra Facultas Parisiensis concinit, quippe quæ ann. 1617. die 15. Decemb. quatuor libros Marci-Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis & apostatæ perstrinxerit, hæreseos vero notam inusserit isti ex illis libris excerptæ propositioni: *Disparitas potestatis inter Apostolos, humanum est inventum, in sacris Evangeliis & divinis novi Testamenti Scripturis minime subsistens*. Censura. *Hæc propositio est hæretica & schismatica de Jurisdictione Apostolica ordinaria, quæ in solo divo Petro subsistebat intellecta*.

Subscribit Gonetus Disput. 4. de summo Pontifice Art. 2. §. 1. his verbis: " Dico „ primo, soli singulari personæ Petri a „ Christo fuisse concessum Primatum, & „ supremam potestatem regendi universalem Ecclesiam, non vero aliis Apostolis. „ Conclusio est certa de fide. „

Altera: Regimen Ecclesiæ est precipue Monarchicum, tametsi Aristocratico nonnihil temperatum, quod probat Gonetus ibidem §. 11. quia I. Sicut in veteri lege Deut. 7. erat unus supremus Sacerdos, sic & in nova unus Christus, qui unicum supremum habet in terris Vicarium. II. Quia in Ecclesia triumphante præter Deum & Christum præsidet ex ordinatione Dei primus Angelus, qui illuminatus immediate a Deo, ceteros inferioris angelos illuminat. III. Quia citra dubium Christus in sua Ecclesia Regimen omnium perfectissimum instituit, quod teste divo Thoma Monarchicum est, unde subdit Gonetus: " Inter propositio- „ nes desumptas ex quatuor libris Anto- „ nii de Dominis, Archiepiscopi Spalatensis, de republica Ecclesiastica, & a „ Sacra Facultate Theologiæ Parisiensis „ damnatas, hæc fuit sexta: *Monarchia forma non fuit immediate in Ecclesia a Christo insti-*

„ *instituta*. Quam propositionem hac censura notavit: *Hac propositio est heretica*, „ *schismatica*, *ordinis Hierarchici subversiva*, *& pacis Ecclesiæ perturbativa*. Et „ rursus de ista ejusdem pseudo-Archiepiscopi propositione: *Si quid incommodi* „ *habet Aristocratia*, *cui Monarchia facile* „ *possit obviare*: *Ecclesiam spiritu Christi in-* „ *structam*, *propterea & in singulis Ecclesiis* „ *voluisse Monarchiam*, *& se tota Aristocratiam*. „ Eadem Sacra Facultas, hoc perstrinxit; „ *Hac propositio est haretica*, ait, *& schismatica*, *quatenus vult*, *Ecclesiam universalem*, „ *secundum se totam esse Aristocraticam*. „ Sed eo ipso quo Regimen Ecclesiæ est Monarchicum, datur unus supremus Sacerdos qui sit Caput ceterorum, nedum ordine & honore, sed Jurisdictione Primas: Igitur S. Petrus a Christo habuit Ecclesiæ universalis supra ceteros Apostolos Primatum.

Tertia: S. Petrus constitutus est supremus & universalis Christi Vicarius, quandoquidem dedit illi Christus potestatem pascendi agnos & oves, populos & Prælatos, aiunt Eusebius Emissenus & D. Bernardus supra laudati. Sed hujusmodi Vicarius est vi suæ institutionis Primas. Et probatur: Habet plenitudinem Sacerdotii Christi; sic propugnat S. Thomas 2.2. quest. 88. art. 12. ad 3. " Summus Pontifex, *in-* „ *quit*, gerit plenarie vicem Christi in tota „ Ecclesia, ipse habet plenitudinem po- „ testatis dispensandi in omnibus dispen- „ salibus votis. „ Rursus ibidem quæst. 89. art. 9. ad 3. specialiter in 4. dist. 20. art. 4. qu. 3. his verbis: " Ad tertiam „ quæstionem dicendum quod Papa habet „ plenitudinem potestatis Pontificalis .... „ sed Episcopi assumuntur in partem so- „ licitudinis quasi judices singulis civitatibus præpositi. „ Ergo &c.

Fit satis Heterodoxorum objectionibus, ex Scriptura excerptis.

OBJICIUNT I. Sicut Christus dixit Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram*, *erit solutum & in cælis*; sic & Joan. 20. 23. omnibus Apostolis sine discrimine ait: *Accipite Spiritum sanctum*, *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*. Igitur pares sunt cum Petro in potestate. II. Ephes. 2. 20. similiter omnes citra differentiam dicuntur Ecclesiæ fundamenta, his verbis: *Jam non estis hospites & advenæ*, *sed estis cives Sanctorum & domestici Dei*, *superædificati supra fundamentum Apostolorum*. III. Vel ipse Christus ab Apostolis omnem eliminavit primatum & principatum Luc. 22. maxime cum de hoc inter se disceptarent, quod argumentum est nequaquam eum passurum fuisse unum inter eos dominari; hinc ibi Dominus Jesus non propugnat prærogativam Primatus, quam diximus dedisse Petro. Matth. 16. quod tamen res postulabat, si revera hanc Petro concessisset, sed animos placat, dicendo, neminem inter eos præminere; omnes ut fratres & comministros habendos esse, sic refertur controversia: *Facta autem est contentio inter eos*, *quis eorum videretur esse major*. Non igitur Petrus constitutus fuerat Matth. 16. Primas; sin minus non suborta fuisset lis ista: ibi sic loquitur Christus: *Dixit autem eis*: *Reges Gentium dominantur eorum*: *& qui potestatem habent super eos*, *benefici vocantur*. *Vos autem non sic*, *sed qui major est in vobis*, *fiat sicut minor*: *& qui precessor est*, *sicut ministrator*. *Nam quis major est*, *qui recumbit*, *an qui ministrat*? *nonne qui recumbit*? *Ego autem in medio vestrum sum*, *sicut qui ministrat* .... *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum*. IV. Vel ipse Petrus indicare videtur non habuisse supra confratres Primatum, cum in sua prima Epistola, non quasi ex imperio, & ut superior, sed illos ut collegas & æquales Episcopos alloquitur cap. 5. sic habetur: *Seniores ergo*, *qui in vobis sunt*, *obsecro*, *consenior & testis Christi passionum*: *qui & ejus*, *qua in futuro revelanda est gloria* .... *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, *providentes non coacte*, *sed spontanee*, *secundum Deum*: *neque turpis lucri gratia*, *sed voluntarie*: *neque ut dominantes in cleris*. Audis Apostolum omnem abjudicare in Ecclesia dominationem & Principatum. Ergo &c.

Respondeo I. in genere: Et hæc omnia dicuntur, salvo Petri privilegio, & solum per exclusionem supercilii Pharisæorum, qui Ecclesiæ Dignitates non ad Dei honorem, sed pro gloria propria & vana inhiabant, concedo: secus, nego. Solutio est ipsius Christi, qui de illis super-

perbis sermonem instituens, ait: amant salutationes in foro, & vocari Rabbi; hinc sicut Deus superbis resistit, sic & Christus Pharisæis & Scribis resistebat; quia vero humilibus dat gratiam Deus, ideo consulit Apostolis ut omnes indiscriminatim sese humiliando Ecclesiæ famulentur, & ipsi Prælati, non ut elati, sed ut Ministri & Patres ceteris dominentur. Jam ad singula respondere juvat.

Ad primum distinguo: Omnes Apostoli habuerunt illimitatam remittendi peccata potestatem de via extraordinaria, quippe qui in omnem terram ad fidem prædicandam & propagandam missi fuerant, juxta illud Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes, &c.* concedo: ordinariam, nego. Hæc solutio ex duobus potissimum liquet. Primo quidem soli Petro Christus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. tum Joan. 21. *Pasce agnos meos* .... *Pasce oves meas*. Secundo, Episcopi tametsi aliorum Apostolorum successores, nullam tamen ex propriæ Sedis prærogativa habent in omnem Ecclesiam, sed solum in propria Diœcesi jurisdictionem; hinc Joannes Apoc. 1. quot Asiæ erant Ecclesiæ, tot pro eis numerat Episcopos: *Quod vides, scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ, &c.*

Ad secundum similiter distinguo: Apostoli omnes ratione fidei & prædicationis suæ sunt fundamenta Ecclesiæ, quatenus missi in omnem terram ubique Ecclesias fundaverunt, concedo: fundamenta ratione æqualitatis cum Petro potestatis, nego. Fundamentum primarium Ecclesiæ solus est Christus, ministeriale primum post ipsum Petrus ut ejus Vicarius, ceteri Apostoli fundamenta etiam ministerialia, sed secundaria, & ut assumpti ad partem solicitudinis universalis Ecclesiæ commissæ Petro, & salva ejus prærogativa: „ *Habuerunt*, ait Bellarminus lib. „ 1. de SS. Pont. cap. 11. *omnes plenitudi-* „ *nem potestatis, ita tamen ut Petrus esset ca-* „ *put eorum, & ab illo penderent*. Fuerunt in ratione Apostolatus pares; *Paris honoris et potestatis consortio præditi*, inquit Cyprianus lib. de unit. Eccl. *Petra*, ait Ambrosius serm. 47. *dicitur Petrus, eo quod tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat*: Hieronymus lib. 1. contra Jovin. sic explicat laudata Apostoli verba, *superædificati supra fundamentum Apostolorum*: " Licet „ super omnes Apostolos ex æquo Ec- „ clesiæ fortitudo solidetur, tamen pro- „ pterea inter duodecim unus eligitur, „ ut capite constituto, schismatis tolle- „ retur occasio. „

Ad tertium, solutio patet ex dictis: Christus eo loci non vult discipulos ex prærogativis concessis inflari; omnes quippe ex electione privilegiata per ipsum ut fundamenta Ecclesiæ assumpti sunt, sed unus solum ut ceterorum Caput constitutus est: Non abrogat sua ad humilitatem exhortatione Principatum datum Petro, cum expresse dicat: *Qui major est in vobis fiat sicut minor*: Immo hunc sensum ipse prodit Christus. Tametsi enim ab omnibus ut Dominus acceptus esset, ait tamen: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*. Ceterum contentio erat de Primatu in regno Christi, quod satis innuunt illa verba Christi subsequentia, quibus omnium sedavit animos: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*. Ecce humilitatis præmium. Eadem interpretatio habetur Matth. 20. 21. ubi mater filiorum Zebedæi Christum sic alloquitur: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo*: Sed hanc repellit filiorum elationem, hortatur eos ad crucem ferendam, eis vero promittit regnum: *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*.

Ad quartum distinguo: Et sic scripsit Petrus præ humilitate, concedo: suum abjudicando Principatum, nego. Suis successoribus a Christo edoctus Princeps Apostolorum, reliquit humilitatis exempla, cum Prælati fide, amore & virtute magis, quam auctoritate ceteris præesse debeant: Hinc solemne est & semper fuit summos Pontifices se servorum Dei nominare servos, tum Episcopos, maxime Cardinales appellare fratres & collegas.

Opponunt II. Ille non habuit super ceteros Primatum, qui in dignitate & au-

ctoritate solummodo cum ceteris æqualis est: Atqui videtur quod beatus Petrus non nisi nominis habuerit excellentiam, & fuerit ceteris æqualis: Ergo &c. Probatur minor multipliciter. Primo quidem Act. 8. B. Petrus simul cum Joanne mittitur ab aliis Apostolis in Samariam: II. ibidem cap. 13. Jacobus Major in Concilio Jerosolymitano pronuntiat nomine totius Concilii sententiam & definitionem, minime vero S. Petrus: III. Gal. 2. Paulus reprehendit Petrum eo quod Gentiles de novo conversos, ad quasdam cæremonias Judaicas observandas compellere voluisset: IV. 2. Corinthiorum 11. asserit Apostolus ad ipsum pertinere omnium Ecclesiarum solicitudinem: Ergo &c.

Respondeo negando minorem, & ad probationes distinguo: Et hæc omnia solummodo probant ceteros Apostolos de via extraordinaria habuisse jurisdictionem in universa Ecclesia, concedo: habuisse ex jure innato electionis, nego. Dictum est solum Petrum fuisse constitutum totius Ecclesiæ Caput & Primatem: certe in ratione capitis nullum habuit etiam de via extraordinaria socium: sed tantummodo in jurisdictione, quæ ceteris solum de via extraordinaria competebat. Nam constat solum Ecclesiæ fuisse constitutum Primatem: sicut ergo superior suam committens alteri potestatem, non inde pro se amittit Primatum: sic licet Christus potestatem Capitis Petro ex jure innato dederit, non sequitur ab eodem illam sustulisse, quando ad tempus ceteris Apostolis etiam in tota sua Ecclesia concesserit jurisdictionem.

Jam respondeo ad singula: Ad primum quidem distinguendo: Petrus missus est in Samariam directive per modum consilii, concedo: auctoritative, nego. Sic Rex & Monarcha a Medico potest ratione sanitatis restaurandæ mitti ad balnea. Porro inter Apostolos cunta charitative fiebant, nec superior de præeminentia propter humilitatem efferebatur: maxime vero cum Christus ante Passionem suam præceperat eis, ne dignitates ambirent, sed qui esset inter eos major, velut ministrator sese gereret.

Ad secundum distinguo etiam: Jacobus protulit sententiam nomine Petri, & ut ejus interpres, concedo: Sic Cancellarius nomine Regis regium profert edictum; protulit ut in auctoritate æqualis, nego. Sic solvit difficultatem Hieronymus Epist. ad S. Augustinum; & Theodoretus in Epist. ad S. Leonem. Revera quidem, nam Act. 15. habetur quod Petrus esset Concilii Præses: Sic enim scribit sanctus Lucas. *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere .... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Audis quomodo B. Petrus loquitur ut totius Ecclesiæ Princeps & Caput ad dirimendam Religionis controversiam? Idem & præfuit in Concilio adunato pro electione S. Mathiæ loco Judæ Iscariotis substituendi; ibidem enim cap. 1. scriptum est: *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit .... viri fratres oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda.*

Ad tertium, D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 4. dicit non nihil Petrum eatenus fuisse reprehensibilem, quatenus Lex Mosaica non obligabat amplius, quocirca neque ejus cæremoniæ tolerandæ erant, inferior autem, inquit, modeste potest reprehendere superiorem pro majori assequenda perfectione, non tamen S. Petrus in hoc peccavit, cum lex nondum crederetur mortifera, Synagoga vero cum honore esset sepelienda.

Respondet Tertullianus Lib. de præscript. reprehensionem a B. Paulo factam fuisse conversationis, non delicti ac auctoritatis argumentum, cum ipse, inquit, postea circumciderit Timotheum.

Respondeo III. Theologos omni exceptione majores Cepham a Paulo reprehensum, Petrum non fuisse, sed unum discipulum qui simul cum Cleopha adibat Emmaus: Sic propugnat Clemens Alex. sic Hieronymus. Prior apud Eusebium Lib. 1. Hist. cap. 11. ait: Cepham a Paulo reprehensum unum, fuisse ex 70. discipulis Petri Apostoli nomine. „ Posterior vero comment. in epist. ad Galat. scribit: "
„ Esse qui Cepham, cui in faciem Pau-
„ lus restitisse se scribit, non puten Apo-
stolum

„ folum Petrum, fed aliquem de 70. „ difcipulis, ifto vocabulo nuncupatum. „

Ad quartum diftinguo: Solicitudo omnium Ecclefiarum, & B. Paulum & ceteros Apoftolos fpectabat ratione jurifdictionis extraordinariæ, concedo: ratione ordinariæ, nego. Solus Petrus erat Caput: quia tamen Chriftus, exigente Ecclefiæ utilitate, ceteris contulit jurifdictionem extraordinariam, idcirco nonnumquam a SS. Patribus dicuntur Petro fimiles; maxime vero fanctus Paulus, qui etiam pro Ecclefia Romana ut Diœcefi particulari cum beato Petro multum laboravit & infudavit; hinc & ejus effigies fimul cum beati Petri imagine depingitur. Ifta ratione ait Apoftolus Spiritum fanctum pofuiffe Apoftolos regere Ecclefiam Dei, & effe Ecclefiæ fundamenta.

Quod autem B. Paulus Petrum veluti totius Ecclefiæ Caput habuerit, non unum eft argumentum; ipfum enim adiit ut Evangelium, quod prædicabat, cum ipfo conferret, Gal. 2. 2. *Ne forte*, ait, *in vacuum currerem, aut cucurriffem*. Ceterum ubique & paffim de B. Petro tamquam de Chrifti Vicario, & totius Ecclefiæ Principe loquitur.

Objectiones ex Patribus proponuntur, & folvuntur.

OPPONUNT: Ex Patribus pares erant Apoftoli: Ergo &c. Probatur Ant. I. ex S. Cypriano Lib. de unitate Ecclefiæ pag. 180. " Hoc erant utique ceteri Apoftoli, „ quod fuit Petrus, pari confortio præ-„ diti & honoris & poteftatis. „ Rurfus ibidem pag. 180. " Epifcopatus unus „ eft, cujus pars a fingulis in folidum „ tenetur. „ II. Ex Ambrofio Lib. 2. de Spiritu fancto cap. ultimo pag. 664. " „ Nec Paulus, *ait*, inferior Petro .... „ Cum primo quoque facile conferendus, „ & nulli fecundus. Nam qui fe imparem nefcit, facit æqualem. „ Rurfus Serm. 12. pag. 142. BB. Petrus & Paulus eminent inter univerfos Apoftolos, „ .. verum inter illos cui præponatur, „ incertum eft. „ III. Ex Gregorio Magno Lib. 1. dial. cap. 12. pag. 205. „ Paulus Apoftolus Petro Apoftolorum primo in principatu Apoftolico frater eft. „ Hinc in tabellis pinguntur æquales, una quandoque ad dexteram, quandoque ad finiftram, & viciffim: tum & a Paulo Gal. 2. Petrus reprehenditur, quod arguit æqualitatem. Ergo &c. Ceterum Paulus per Anthonomafiam dicitur Apoftolus, qui loquendi modus implicaret, fi foret dignitate Petro inferior. Ergo &c.

Refpondeo univerfim ad omnia diftinguendo: Apoftoli pares erant ratione vocationis, miffionis, Epifcopatus & Apoftolatus, concedo: ratione primatus & auctoritatis quæ ab unitate profluit, nego. In Apoftolico Collegio duo diftinguenda funt, id quod eft Apoftolatui effentiale, & eft vocatio, miffio & confecratio: deinde vero id quod eft centrum unitatis & auctoritatis in gubernatione: primum omnibus æqualiter convenit, immo & jurifdictionis auctoritas, aliter tamen & aliter; Petro ut ceterorum Principi & unitatis centro, ceteris ex privilegio & miffione extraordinaria. Solutio eft Cardinalis Perronii cap. 56. Refp. ad Regem Angliæ: vocatio, miffio & confecratio eft quid effentiale Apoftolatui, ita ut aliquo ex his deficiente aliquis foret folum pfeudo-Apoftolus, confectaneum & accidentale eft unitas in centro, qua deficiente, ait, jam Epifcopus foret Schifmaticus. In priori fenfu eft æqualitas, nufquam vero in fecundo. Non diffentit Cyprianus; ibidem enim, ait: *Exordium ab unitate proficifcitur .... Super unum Petrum ædificatam effe Ecclefiam*. Hinc & eft unus Epifcopatus myftice, quatenus omnes in centro adunantur. Non Ambrofius, qui ibidem pag. 711. ait: " Hic eft „ ergo Petrus, qui refpondet pro ceteris „ Apoftolis, immo præ ceteris; & ideo „ fundamentum dicitur. „ Non Gregorius, qui Lib. 2. fuper Ezech. hom. 6. ait de Paulo refpectu Petri: " Frater quidem erat, fed auctoritate minor. „

Ad id vero quod dicitur Paulum in tabellis ad æqualitatem cum Petro delineari, hæc eft ratio, quia in fundanda, fovenda & nutrienda Ecclefia Romana multum infudavit & fuit cum Petro in laboribus, folicitudine & paffione æqualis; hinc & iftius Ecclefiæ Patris nomine, & fratris Petri celebratur.

Ad

Ad ultimum, distinguo: Paulus per Antonomasiam vocatur Apostolus, ratione laborum, doctrinæ, peregrinationum & passionum, concedo: plus enim ceteris, ut ipse Spiritus sancti afflatu enarrat, laboravit, plura subiit tormenta: *Virgis cæsus sum*, ait, 1. Cor. 11. *semel lapidatus sum &c.* Ratione auctoritatis, nego. Solutio est S. Augustini Lib. 3. ad Bonifacium cap. 3." Apostolus cum dicitur, si non „ exprimatur quis Apostolus, non intel„ ligitur nisi Paulus, quia pluribus est „ Epistolis notior, & plus omnibus la„ boravit. „

Instant: Jacobus erat Petro major: Igitur ipse & non Petrus primatum habuit. Probatur Ant. I. Christus fuit Episcopus non Romæ, sed Jerusalem, & post ipsum S. Jacobus. II. Civitas Jerosolymitana eminet quoque supra Romam, juxta illud Isa. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* III. Hoc ipsum confirmat Clemens, hoc Chrysostomus; prior L. 6. const. apud Eusebium Lib. 2. hist. cap. 1. ait: " Petrus, Jacobus & Joan„ nes post assumptionem Salvatoris, quam„ vis ab ipso fuerint omnibus pene præ„ lati, tamen non sibi vindicabant pri„ matus gloriam, sed Jacobum, qui dice„ batur justus, Apostolorum Episcopum „ statuunt. „ Posterior vero Homil. 3. in Acta: " Vide Iacobi modestiam. Is ac„ ceperat Jerosolymis Episcopi munus, „ & tamen hic nihil loquitur. Conside„ ra & aliorum discipulorum singularem „ modestiam, quo pacto concedunt ei „ solium, nec amplius ambigunt disce„ ptantes inter se. „ Ergo &c.

Respondeo ut supra; unde nego Antecedens. Ad primum locum: " Respondeo, „ *ait Bellarminus Lib. 1. de SS. Pont. cap.* „ 26. *pag.* 706. Locum Eusebii sine dubio „ esse corruptum. Nam & si in Basileen„ si codice, versionis Ruffini habeantur „ verba, quæ supra citavimus, tamen in „ codice Coloniensi, ab homine Catholi„ co verso edito, non habetur nomen „ primatus, & pro illis verbis: *Aposto„ lorum Episcopum*, habetur, *Hierosolymorum* „ *Episcopum*. „

Ad alterum locum subdit ibidem Bellarminus: " Dico loqui Chrysostomum de „ solio particularis Episcopatus, cum ait: „ *Apostolos concessisse Jacobo solium*. „ Immo Chrysostomus ait Hom. in Joan. " „ Quod si quis percunctaretur, quomodo „ Jacobus sedem Hierosolymis acceperit? „ Responderem, hunc, Petrum totius „ orbis Magistrum constituisse. „ Ultro quidem fatemur civitatem Jerusalem esse omnibus potiorem ratione redemptionis in ipsa operatæ, quod innuit Isaias laudatus; Christus enim ibi legem dedit, & sanguine proprio consignavit, sed non ratione primatus, qui fuit personalis, cujus rei argumentum est, quod in Concilio Nicæno Patriarcha Jerosolymitanus quarto solum sederet loco, & hoc honoris causa, eo quod ratione redemptionis Jerosolymis consummatæ, ista Ecclesia quasi ceterarum Ecclesiarum mater appellaretur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

S. Petrus constitutus est a Christo totius Ecclesiæ Primas.

PRIMO: Hoc ex Scriptura patet, Match. scilicet 16. *Tu es Petrus &c.* Et Joan. 12. *Pasce agnos meos ... Pasce oves meas*, quæ quidem verba Eusebius Emiss. & S. Bernardus aliique Patres intelligunt de primatu supra ceteros Apostolos.

Secundo: Sic propugnant Patres Græci & Latini: Græci quidem, ut Irenæus Lib. 3. contr. hær. cap. 3. Athanasius Epist. ad Felicem Papam: Cyrillus Hier. Cathe. 2. Chrysostomus Hom. 55. in Joan. Latini vero, videlicet Tertullianus in Scorpiaco cap. 10. Optatus Milev. Lib. 2. contra Parm. pag. 28. Augustinus in Psal. contra partem Donati.

Tertio: Non una est pro ista veritate ratio. Prima, regimen Ecclesiæ est principaliter Monarchicum, hinc unus super omnes debet habere auctoritatem. Secunda, est Hierarchicum: Igitur in Ecclesia adesse debet Hierarcha. Tertia, Christus dedit aliquod speciale præmium S. Petro, tum pro sua fide, tum pro suo erga eum amore, quem ter probavit: Et hoc clare innuit Scriptura: Sed sola Primatus dignitate a ceteris distinguitur; si enim eis foret æqualis, nulla prærogativa donaretur: Ergo &c.

SY-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ultro concedimus omnes Apostolos esse Ecclesiæ fundamenta, sed primum & præcipuum est S. Petrus.

Secundo: Neque vero negamus Paulum quandoque dici Petro æqualem, sed hoc intelligendum est in laboribus, & non in Primatu.

Tertio: Apostoli omnes, esto, habuerunt jurisdictionem universalem, sed de via extraordinaria; hinc Episcopi illorum successores non nisi limitatam, & intra propriam diœcesim conclusam habent.

ARTICULUS TERTIUS.

Num Romanus Pontifex sit supra ceteros Episcopos Primus?

CONTRARIUM per fas & nefas propugnant Protestantes; in primis Angli, qui Regem suum pro capite Ecclesiæ suæ habere non dubitant. Quidam alii etiam inter Catholicos, sed Novatores non sentiunt in bonitate & veritate de auctoritate Patris communis, existimantes summum Pontificem esse quidem totius Ecclesiæ Caput, sed quemlibet particularem Episcopum in sua vicissim Diœcesi ita in auctoritate cum Papa consociari, ut iste sit solummodo primus inter pares: quæ quidem opinio videtur manifestam implicare contradictionem; quomodo enim fieri posset summum Pontificem esse totius Ecclesiæ Caput, si solum primus inter pares existeret. Sit igitur contra illos omnes

CONCLUSIO PRIMA.

Summus Pontifex canonice electus, dignitati Capitis & Primatus Petri succedit.

Probatio primo, ex Scriptura sacra.

I. CHRISTUS Matth. 16. alloquens Petrum, ait: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Sed hæc collata Primatus prærogativa ad Petri successores se extendit: & probatur: quia alias portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam; defectu enim successionis non servaretur membrorum unitas, & inde schisma perpetuum illam exagitaret, quod in ea infinitas prope moveret tragœdias, juxta illud Cypr. Epist. 55. ad S. Cornelium: " Neque enim aliunde hære- „ ses obortæ sunt, aut nata schismata, „ quam inde, quod Sacerdoti Dei non „ obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad „ tempus Sacerdos, & ad tempus judex „ vice Christi cogitatur. „ Rursus Epist. 40. " Deus unus est, & Christus unus, „ & una Ecclesia supra Petrum Domini „ voce fundata. „ Audis quod requiratur ad schisma impediendum, ut unus Sacerdos vice Christi regat Ecclesiam; quod sicut soli Aaroni in veteri lege, sic & in nova soli summo Pontifici convenit. Rursus ex unitate Dei, Christi, Cathedræ Petri concluditur summi Pontificis Primatum; sin minus non una, sed diversa a Petri Cathedra haberetur, tum comparatio unitatis Ecclesiæ cum unitate unius Dei, & unius Christi quam instituit, prorsus inanis foret.

II. *Idem* Dominus Joan. 21. suæ Ecclesiæ Petro contulit primatum, his verbis: *Pasce agnos meos .... Pasce oves meas.* Sed hic primatus absolute ad successores Petri extendi debet: non enim pejoris conditionis est Sacerdotium Christi, quam sacerdotium Aaron, immo perfectius & sublimius est: Aaron autem ad Christum usque habuit in primatu sui supremi Sacerdotii successores; a fortiori Petrus in suo habere debet; sin minus non satis clareret Christi Sacerdotium esse æternum, si ejus Vicarii deficerent; tametsi enim in se non possit habere successorem, eo quod Sacerdos maneat in æternum, secus vero Petrus ejus Vicarius, quippequi, morte intercedente, non poterit permanere.

Sic interpretatur Scripturam S. Chrysostomus Lib. 2. de Sacerdotio non longe a principio: " Quanam, *inquit*, de causa il- „ le sanguinem effudit suum? Certe ut „ pecudes eas acquireret, quarum curam, „ tum Petro, tum Petri successoribus „ committebat. „ Sic S. Leo. Serm. 2. de

de anniversf. assumpt. suæ ad Pontif. his verbis : „ Manet dispositio veritatis ; & „ B. Petrus in accepta fortitudine Petræ „ perseverans, suscepta Ecclesiæ guberna- „ cula non reliquit , perseverat videlicet „ Petrus , & vivit in successoribus suis. „ Sic B. Petrus Ravennæ Episcopus epist. ad Eutychen, ubi sic loquitur : „ B. Petrus qui in propria sede vivit & præsi- „ det , præstat quærentibus fidei verita- „ tem. „

Probatio altera , ex Conciliis.

QUOD Ecclesia in Conciliis Oecumenicis adunata definit, non licet revocari in dubium : Atqui Ecclesia in Conciliis adunata nedum agnoscit Romani Pontificis Primatum , sed & in re & executione vult coli: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Concilium I. Generale can. 6. juxta Theodoretum qui 20. solum Nicæni Conc. canones admittit, habetur : *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum , Lybiam & Pentapolim , ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem , quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est.*

Inter viginti quatuor canones ejusdem Concilii, qui habentur in Epistola secunda Julii primi Romani Pontificis , quam quidem Epistolam, ut genuinam agnoscit Concilium Sardicense, S. Athanasius Apol. 2. Theodoretus Lib. 2. hist. cap. 8. & alii, tertius hic est : *Dum iterato judicat Apostolicæ sedis Pontifex causam Episcopi , nullus alius in ejus loco ponatur , ut ordinetur Episcopus . Quoniam quamquam a Con-Provincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat , non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est , cum B. Petro Apostolo , non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino : quæcumque ligaveris super terram , erunt ligata & in cœlis : & quæcumque solveris super terram erunt soluta & in cœlis .*

Canon Arabicus 39. juxta Pisani editionem , sic refertur : *Veneramur secundum Scripturas, & canonum definitionem , sanctissimum Romanæ , antiquæque Ecclesiæ Episcopum , primum esse & maximum omnium Episcoporum.*

In canone sexto definitur in gratiam Episcopi Alexandrini contra Meletium superioris Thebaidis , qui jurisdictionem Patriarchæ Alex. per fas & nefas declinaverat , quod iste haberet Jurisdictionem Primatus in Ægyptum , Lybiam & Pentapolim , sicut Episcopus Romanus ceterorum Patriarcharum forma habet in sua ditione : Summus enim Pontifex est simul Papa , Patriarcha & Episcopus : ut Papa est totius Ecclesiæ Caput & Primas ; ut Patriarcha jurisdictionem specialem habet in totum Occidentem , cujus est Patriarcha ; ut Episcopus diœcesim habet , intra quosdam limites contentam.

In canone Juliano apparet sui primatus jurisdictio, quatenus Episcopi causa, utpote inter majores causas una, ad metam , nisi accedente ejus judicio perduceretur ; quæ quidem explicatio est Concilii Sardicensis , quod can. 4. ait : *Addendum , si placet ... ut quum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio , qui in vicinis locis commorantur , & proclamaverint ad agendum sibi negotium in urbe Roma , alter Episcopus in ejus cathedra , post appellationem ejus , qui videtur esse depositus , omnino non ordinetur , nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata .* Ecce Primatus jurisdictio conclamata , & prout necessitas expostulaverit , exercenda.

In Arabico , Papa dicitur nedum inter Episcopos primus , sed omnium maximus, adeoque Primas Primatu jurisdictionis & potestatis ; sin minus , non foret maximus , sed solummodo inter pares prior.

Subscribit Conc. Ephesinum, quod juxta epistolam decretalem Cœlestini Papæ Act. 1. lectam & acceptam , Nestorium contumacem damnat : *Coacti* , inquiunt Patres, *per sacros canones , & epistolam sanctissimi Patris nostri & Comministri Cœlestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi , lacrymis subinde perfusi , ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus* . Unde sententiam ferre compelluntur ? *nisi quia tenentur* obedire mandato Primatis supremi .

His accedit Concilium Chalcedonense Act. 2. Lecta epistola sancti Leonis , qua injungebat Patribus fidem Dominicæ Incarnationis tractari , nec ultra quæ præcipiebat , progredi , respondent : *Anathema ei qui non ita credit . Petrus per Leonem ita locutus est* . Tum Act. 16. absoluta lectione canonis sexti primæ Synodi genera-

neralis dixerunt Patres: *Ex his, quæ gesta sunt, & ab unoquoque deposita, perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.*

Splendida est pro isto momento auctoritas Concilii Constantiensis ann. 1414. pag. 47. quod istam Vvicleffi proscribit propositionem: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias*. Item & pag. 130. istum novum articulum Joannis Hus: *Papalis dignitas a Cæsare inolevit, & Papæ præfectio & institutio a Cæsaris potentia emanavit*. Rursus suo perstringit stylo censorio articulum decimum & vigesimum-septimum Primatui SS. Pontificis adversantem, unde Martinus V. in Bulla contra Vvicleffum & Joan. Hus suspectum interrogari jubet: *Utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.*

His omnibus adde Concilium Florentinum, quod astantibus Græcis a Schismatis tempore Primatum Papæ tentantibus, sic definit, ipsis annuentibus & consentientibus. *Definimus Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro, pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*: Observes velim unam e conditionibus reunionis fuisse, ut Græci summi Pontificis agnoscerent Primatum.

Neque vero omittenda est Synodus Tridentina, quæ Sess. 14. de Pœn. cap. 7. sic loquitur: *Unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.*

Probatio tertia ex summis Pontificibus.

QUOTIES accedit consensus Ecclesiæ expressus vel tacitus, summorum Pontificum in materia Religionis decretis, toties habentur eorum diplomata ut fidei regulæ: sed ex decretis hujusmodi liquet Papam habere in totam Ecclesiam, ut Petri successorem Primatum: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primo: Id constat ex Epistolis quas SS. Pontifices ad Concilia Oecumenica direxerunt, ut dogmata fidei, sicut dictabant, sic & isto & non alio modo definirent: Hoc ipsum patet ex Epistola Cœlestini Papæ ad Concilium Ephesinum, quod sententiæ a Papa contra Nestorium latæ adhærentes, eum abjecerunt, eo quod abjiciendum definiret Cœlestinus: hoc ex Epistola magni sancti Leonis ad Concilium Chalcedonense, quam Patres Synodici habuerunt uti Petrum in ea loquentem pro absolutione Flaviani, condemnatione vero Eutychetis & Dioscori, ac tandem pro definitione fidei duarum in Christo naturarum adinvicem distinctarum: hoc ex Epistola Agathonis ad Synodum sextam generalem, quæ tanto applausu suscepta est, ut Patres Sess. 17. testentur se proscribere Monothelitas, quia nominatim eos ipse damnaverat: idem repetunt in Epistola Synodica ad ipsum missa, dicentes se ea potissimum ratione abjicere, quod prius per sententiam a se latam fuissent damnati: *Anathematibus interfecimus, ex sententia, per sacras vestras Litteras, de iis prius lata*: Hoc ex Epistola Adriani I. ad septimum Concilium generale, quod juxta præscriptas ab ipso regulas cultum SS. Imaginum reddi propugnat, Iconomachos vero perstringit.

Secundo: Idem probat usus & possessio, cum summi Pontifices non semel in Oriente & aliis terrarum partibus Episcopos & Patriarchas modo in Sedem restituerint, modo etiam propter crimina probata ab eadem deturbaverint. Julius non semel restituit S. Athanasium molitione Arianorum a sua propulsum. S. Leo Flavianum utique a Dioscoro & Latrocinio Ephesino propulsum defendit. Pelagius II. Concilii CP. in quo Oecumenici nomen Episcopo hujus urbis tribuebant, acta

acta dissolvit. Hinc S. Gregorius Lib. 7. Indic. 2. Epist. 12. ad Joannem Episcopum Syracusanum ait: " De Constantinopolitana Ecclesia, quod dicant, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam? Quod & piissimus Dominus Imperator, & frater noster ejusdem civitatis Episcopus assidue profitetur. " Adrianus II. Photium Sedis CP. invasorem excommunicavit, & Ignatium a Photio expulsum. Adrianus II. ejusdem Photii acta proscripsit. Joannes VIII. eumdem incaute in communionem receptum, rejecta ejus pseudo-Synodo, exauctoravit, & sic de aliis bene multis.

Tertio: Splendide affulget SS. Pontificis primatus ex eo, quod nullum Concilium etiam œcumenicum quidquam roboris fortitum fuerit, nisi ante omnia S.P. muniretur calculo: Hinc Damasus Papa in sua ad Episcopos Illyrici Epistola, qui ex errore Patrum Ariminensium non nihil commovebantur, ait, nec quidquam in hoc turbari debere, cum ista Synodus nullius esset ponderis, eo quod nec Liberius summus Pontifex, nec Vincentius Capuanus ejus in Concilio Legatus consensissent errori Patrum.

Quarto: Ex sententiis SS. Pontificum eadem veritas astruitur.

Julius I. in sua ad Orientales Epistola, quæ extat in Apologia 2. S. Athanasii, eos sic alloquitur: " An ignari estis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit. "

Syricius Epist. ad Himericum Episcopum Tarraconensem, quam etiam Calvinus ut genuinam habet, ait: " Explicavimus, ut arbitror, frater charissime, universa quæ digesta sunt in querelam, & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Basilianum Presbyterum ad Romanam Ecclesiam, utpote ad caput tui corporis retulisti. "

Innocentius I. Epist. ad Patres Concilii Carth. apud Augustinum 181. alias 91. Conc. Labb. Tom. 2. pag. 1283. sic loquitur: " Petrum sequentes, tam mala condemnare novimus, quam probare laudanda; vel id vero, quod Patrum instituta sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda, quæ illi, non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid in disjunctis, remotisque Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ubi tota ejus auctoritate, justa quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur. " Hinc Augustinus Serm. 2. de verb. Apost. loquens de decretis Zosimi ad Episcopos Africæ missis, ait: " Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt: " causa finita est.

Infinitus essem si omnes SS. PP. decretales hic texere satagerem. Idem enim de Primatu suo defendendo & agnoscendo docent S. Leo Serm. 2. de Assumpt. sua ad Pontif. Simplicius Epist. 4. ad Zenonem Imperatorem, Conc. Labb. Tom. 4. pag. 1070. Gelasius I. Epist. 8. ad Anastasium Imp. Conc. Labb. Tom. 4. 1181. Hormisdas in professione fidei quam exigit referente, approbante, & subscribente Joanne CP. Conc. Labb. Tom. 4. pag. 486. Pelag. II. Conc. Labb. Tom. 5. pag. 941. Gregorius Magnus Lib. 4. Epist. 52. Conc. Labb. Tom. 5. pag. 1206. Agatho Epist. ad Imperat. quæ Act. 4. Synodi sextæ generalis lecta, tum Act. 8. unanimiter a Patribus suscepta: " Apostolica, *inquit*, Petri Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter complectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam doctrinam amplexi. " Mitto Adrianum I. Epist. ad Tarasium Patriarcham CP. approbata a secunda Synodo Nicæna Act. 2. Conc. Labb. Tom. 7. pag. 126. Leonem IX. Epist. 1. ad Michaelem Patriarch. CP. cap. 7. Conc. Labb. Tom. 9. pag. 949. Gregorium VII. Lib. 3. Epist. 18. ad Simeonem Episc. Tom. 10. Conc. Labb. pag. 144. Pium IV. in prof.

Probatio quarta ex Traditione Patrum.

Patres Græci.

S. IRENÆUS non semel laudatus in hoc eminent. Lib. 3. adversus hær. cap. 3. n. 2. " Ad hanc enim Ecclesiam Roma-

„ *Romanam* propter potiorem Principa-„ tum necesse est omnem convenire Ec-„ clesiam. „

Origenes apud Eusebium Lib. 6. Hist. Eccl. cap. 19. " Petrus , super quem „ Christi Ecclesia , contra quam infero-„ rum portæ non prævalebunt , ædifica-„ ta est. „

Epiphanius Hær. 68. idem docet ; in primis S. Athanasius Epist. ad Felicem Papam : " Ob id vos *inquit*, prædecesso-„ resque vestros Apostolicos videlicet Præ-„ sules , in summitatis arce constituit , „ omniumque Ecclesiarum curam habere „ præcepit, ut nobis succurratis. „

S. Basilius de hoc momento splendide loquitur Epist. 52. ad Athanasium : " Visum „ est contentaneum scribere ad Episcopum „ Romanum , ut videat res nostras , & „ judicii sui decretum interponat. „

Cyrillus Alex. in Thesauris apud Allatium Lib. 1. de consens. Cap. 21. n. 4. " Oportet nos , tamquam membra , in-„ hærere Capiti nostro , Romano Pon-„ tifici , & throno Apostolico : Ex quo „ nostrum est quærere , quid creden-„ dum , quid sentiendum , & quid te-„ nendum sit ; solius enim illius est , „ reprehendere , corrigere , increpare , „ determinare , disponere , solvere & „ ligare. „

S. Chrysostomus Homil. 6. adversus Judæos : " Petrus itaque post illam nefa-„ riam abjurationem , quoniam celeriter „ suum ipsius peccatum recordatus est , „ nulloque accusante , dixit peccatum , „ flevitque amare , adeo abluit illam ab-„ negationem , ut etiam primus Aposto-„ lorum fuerit factus , eique totius ter-„ rarum orbis commissus. „ Idem dicit Homil. in SS. Petrum & Heliam.

Nilus Monachus S. Chrysostomi discipulus , Epistola nondum edita ad Losam Ascetem , non absimili modo de eadem loquitur materia : " Nudus , *ait*, itaque „ cum esset beatus Petrus , in Christum „ pei tunica accingitur , seque in mare „ divinarum misericordiarum projiciens , „ accessit ad Jesum , amore , veluti cate-„ na quadam attractus : & , cum nimis „ negationis tempore defatigatus fuisset , „ magnos labores expertus , lacrymis tristi-„ tiaque afflictus, quod Domino privare-„ tur, eum sibi Dominus propius recon-„ ciliavit, admirando pane , & pisce ino-„ pinato ; & post prandium , beatæ vocis „ audiendæ desiderio gestientem alloquitur, „ & tranquillat , e pro modulo dolorum „ cordis solatur , sicque educatum totius „ orbis terrarum Pastorem constituit. „

Tum S. Joannes Damascenus oratione de Transfiguratione Domini, sic habet : " Cur Petrum , & Jacobum & Joannem „ assumpsit ? Petrum , ut testimonium , „ quod ille ex patre testatum vere tulisse „ ostenderet, propriamque sententiam sta-„ biliens , Patrem cælestem id ipsi reve-„ lasse, & ut primarium Antistitem, & „ universæ Ecclesiæ habenas habiturum. „ Ergo &c.

Theophilactus suffragatur in caput 21. Joannis his verbis : " Totius orbis omnium „ præfecturam Petro committit ; non au-„ tem alii , sed huic tradidit . Primum „ quidem , quia omnes præcellebat , & „ totius cœtus os erat. „

Maximus Abbas Epistola ad Marinum suum addit calculum , & ait : " Omnes „ termini terræ , & quicumque ubique „ terrarum Christum Dominum pura men-„ te , & orthodoxa fide confitentur, quasi „ ad solem æterni luminis , ad sanctissi-„ mam Romanorum Ecclesiam , & ejus „ confessionem & fidem , intenti respi-„ ciunt . Ex ipsa rutilantem splendorem „ recipientes spiritualium & sanctorum „ dogmatum , quemadmodum sex illæ „ sanctæ Synodi disertis verbis , & magna „ cum religione exposuerunt. „

Non prætereundus Michael Anchiali , qui in Dialogo cum Emanuele Imperatore , sic scribit : " Hoc vero habuit non Pe-„ tri aut Pauli gratia , quemadmodum „ ipsi sibi plaudunt : neque enim Petrus „ Romæ magis, quam universi terrarum „ orbis præceptor est. „

Id Maximus Planudes Orat. in Apostolorum Principes Petrum & Paulum , egregie Primatum Eccl. Rom. commendat : " Omnium , *inquit*, curationem ad-„ ministrationem , gubernationem , Petrus „ vero cum sciret , sibi omnium præfe-„ cturam & gubernationem fuisse comis-„ sam , supplendum sibi esse , quod de-„ erat : Ratus.... eum paulo ante ceci-„ derat , pro seipso constituere , & omnium „ administrationem illi concredere , ante „ nos & alii exposuerunt. „

Ex his Patribus beatus Petrus ejusque in Pontificatu successores Christi habent Principatum: Sed Christus non solum ordine, sed & auctoritate erat totius Ecclesiæ Primas & Caput: Igitur & est summus Pontifex, qui ideo Christi Vicarius appellatur.

Ex iisdem S. Petrus habet Apostolatus super ceteros præcellentiam; adeoque non par in dignitate, sed superior: Igitur & summus Pontifex est ceteris Præsulibus Caput, & totius Ecclesiæ Pastor.

Ex illis sanctis Doctoribus B. Petrus eamdem habet auctoritatem in Ecclesiam universalem, quantam habet unusquisque Episcopus in propria Diœcesi, eamdemque habent ejus in Pontificatu successores: Sed Episcopus non solum ordine & auctoritate ceteros Presbyteros suæ Diœcesis præcellit: Igitur & summus Pontifex alios auctoritate superat Præsules.

Quocirca Allatius eruditissimus Græcus Lib. 1. de Consensione Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali cap. 20. num. 7. pag. 290. sic revincit contradicentem: " Solius Christi est Apostolos facere; id solus " Petrus a Christo habuit: & tu eum parem cum aliis Apostolis facis? Post " Christum Christus est, ita Christo diponente, in Ecclesia Petrus: & tu illius præcellentiam mutilas, & oves surripis, & inter Apostolatus dignitatem " coarctas? Solus Petrus, id a Christo " habuit, ut aliorum Apostolorum Princeps esset, illiusque locum inter alios " conservaret: & tu dignitatem mutilas, " & aliis Apostolis exæquas? Petrus est " aliis Apostolis Christus, ab ipso Christo constitutus: & tu merum Apostolum, nihilque præterea agnoscis? Petrus " non tantum Pastor sed & Magister Gentium, ubicumque sunt terrarum, omnium, a Christo electus est: & tu in " partes divulsam Ecclesiam, hanc Petro, " hanc Paulo, hanc aliis Apostolis tribuis; & suburbicaria nescio quæ loca ex " arbitrio fingis, & Petro donas? Facessant hinc Reges, facessant Imperatores; " Christo pareant, Christum audiant, Christi doctrinam ductumque sequantur; Petri " scilicet, qui, illis Christus ut esset, a " Christo ipse electus est: quam dignitatem " nunquam amisit, sed continua possessione rebus in omnibus conservavit, "

Patres Latini.

S. CYPRIANUS Epist. ad S. Cornelium: " Nos enim, *ait*, singulis navigantibus, " ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos " esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem " & matricem agnoscerent & tenerent. " .. ut te universi Collegæ nostri & " communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter & " charitatem probarent, firmiter ac tenerent. "

Atque vero Tertullianus Lib. de præscript. cap. 36. " Habes Romam, unde " nobis quoque auctoritate præsto est. Ista " quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. "

Suum addit calculum Optatus Milev. Lib. 2. contra Parmen. n. 2. " Cathedra " unica, quæ est prima de dotibus, sedit " prior Petrus, cui successit Linus, &c. " Tum Hieronymus Epist. 16. alias 58. ad Damasum: " Hinc præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres " partes scissa Ecclesia ad se rapere me " festinat, Monachorum circa manentium " antiqua in me surgit auctoritas. Ergo " interim clamito: si quis Cathedræ Petri injungitur, meus est. " Sanctus Augustinus passim in pluribus locis idem lato calamo docet, videlicet Psal. contra Partem Donati, Serm. 2. de verb. Apost. Lib. 1. ad Bonifacium cap. ult. tum Lib. 2. cap. 3. Rursus Lib. 4. cap. ult. ait: " Quid est ergo quod dicunt, simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est .... aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi congregatione Synodi damnata sit; cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit &c. " Rursus Lib. 3. contra Julianum cap. 1. loquens de decretis SS. Pontificum contra Pelagianos satis: " Dedit vobis Ecclesia Catholica judicium quale debuit: ubi causa vestra finita, est. " Suffragantur S. Prosper in carmine De ingratis cap. 2. num. 40. Fulgentius Lib. de In-

Incarn. & grat. cap. 11. Vincentius Lirinensis Comm. 1. cap. 5. D. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium Papam.

Ex illis enumeratis Patribus sedes Apostolica est inter omnes potentior, Roma auctoritate omnibus præsto est ad auxilium: Cathedra Petri unica est, & Petro successit Linus. Absque Conciliis sedes Romana potest dirimere fidei controversias, & ad metam perducere: Sed secluso Primatu non posset, nec istis fulgeret dotibus. Ergo &c.

Probatio quinta, ex rationibus D. Thomæ.

Variis in locis S. Doctor summi Pontificis defendit Primatum, maxime Opusc. 1. ex professo contra Græcos schismaticos illum impugnantes, quam quidem prærogativam rationibus Theologicis angelice astruit.

Prima, ex cap. 32. sic proponitur: Ille est Caput & totius Ecclesiæ Primas, qui est primus & maximus inter omnes Episcopos: Atqui talis est summus Pontifex. Ergo &c. Sic loquitur S. Doctor: " Similis autem error est dicentium Christi Vicarium Romanæ Ecclesiæ Pontificem, non habere universalis Ecclesiæ Primatum, errori dicentium, Spiritum sanctum a Filio non procedere. Ipse enim Christus Dei filius suam Ecclesiam consecrat, & sibi consignat Spiritu sancto quasi suo charactere & sygillo, ut ex supra positis auctoritatibus manifeste habetur. Et similiter Christi Vicarius suo Primatu ac providentia universam Ecclesiam, tamquam Fidelis minister Christo subjectam conservat; ostendendum est ergo ex auctoritatibus Græcorum Doctorum, prædictum Christi Vicarium in totam Ecclesiam Christi potestatis plenitudinem obtinere. Quod enim Romanus Pontifex successor Petri & Christi Vicarius, sit primus & maximus omnium Episcoporum, Canon Concilii expresse ostendit, sic dicens: Veneramur secundum Scripturas, & Canonum definitionem sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, primum esse & maximum omnium Episcoporum. Hoc autem auctoritati consonat sacræ Scripturæ, quæ inter Apostolos Petro attribuit primum locum tam in Evangeliis, quam in Actibus Apostolorum. Unde dicit Chrysostomus in Matthæum super illud, accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, quis major est in regno cœlorum? Quia quoddam humanum scandalum conceperunt, quod & in se occultare jam non poterant & tumorem cordis non sustinebant, in eo quod videbant Petrum sibi præferri & præhonorari. "

Secunda: Qui habet in totam Ecclesiam prælationem, ille profecto & citra dubium censendus est Caput & Primas totius Ecclesiæ: Atqui summus Pontifex universalem habet in totam Ecclesiam prælationem. Ergo &c. Sic propugnat divus Thomas ibidem cap. 22. & ait: " Ostenditur etiam, quod prædictus Christi Vicarius in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem obtineat. Legitur enim in Chalcedonensi Concilio, quod tota Synodus clamavit Leoni Papæ: Leo sanctissimus Apostolicus, & Icumeraycos, id est, universalis Patriarcha per multos annos vivat. Et Chrysostomus super Matthæum: Filius, quæ patris est & ipsius filii, potestatem Petro ubique terrarum concessit .... Item super Actus Apostolorum, Petrus a Filio super omnes qui filii sunt, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe. Hoc etiam trahitur ex auctoritate sacræ Scripturæ. Nam Petro indistincte oves suas Christus commisit, dicens, Joannis ultimo: Pasce oves meas. Et Joan. 10. Ut sit unum ovile, & unus Pastor. "

Tertia: Summus Pontifex habet in Ecclesia potestatis Christi plenitudinem: Sed hæc plenitudo soli Capiti & Primati convenit, ut omnes fatentur: Ergo &c. Major in qua est difficultas ibidem cap. 32. a S. Thoma, sic probatur: " Habetur etiam ex prædictorum Doctorum auctoritatibus, quod Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Thesaurorum, sicut Christus accepit a Patre dux & sceptrum Ecclesiæ Gentium, ex Israel egrediens, super omnem primatum, & potestatem, super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam

„ mam potestatem, sic & Petro & ejus „ successoribus plenissime commisit ... Et „ Chrysostomus dicit ad consulta Bulgarorum, ex persona Christi loquens: Ter „ te interrogo, an ames, an diligas, quia „ ter me trepidus, & timidus negasti. „ Nunc autem reductus, ne credant fratres gratiam & clavium auctoritatem „ amisisse, quia amas, coram ipsis id „ tibi jam confirmo quod meum est „ plenum. Hoc etiam trahitur ex auctoritate Scripturæ, nam Dominus „ Matthæi 16. universaliter Petro dixit, „ Quodcumque solveris super terram, „ erit solutum & in cœlis. „

Quarta: Beatus Petrus a Christo constitutus est Caput simul & Primas totius Ecclesiæ: Atqui eadem potestas ad suos pertransivit in Pontificatu successores. Et probatur ex D. Thoma, qui ibidem cap. 32. sic ait: " Ostenditur etiam quod „ Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petri successor, in eadem potestate ei a Christo collata. „ Dicit enim Canon Concilii Chalcedonensis. Si quis Episcopus prædicatur „ infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum Patrem refugii, & ipsi soli libera potestate loco „ Dei sit jus discernendi Episcopi criminati infamiam secundum claves a Domino sibi datas. Et infra. Et omnia ab eo „ definita, ab eo teneantur tamquam a „ Vicario Apostolici Throni. Item Cyrillus Jerosolymitanus Patriarcha dicit ex „ persona Christi loquens: Tu cum fine, „ & ego sine fine, cum omnibus quos loco tui ponam, plene & perfecte Sacramento & auctoritate cum eis ero, sicut sum & tecum. Et Cyrillus in Libro Thesaurorum dicit, quod Apostoli „ in Evangeliis & Epistolis affirmaverunt „ in omni doctrina Patrum esse loco „ Dei, & ejus Ecclesiam, eisdem dantes „ locum in omni capitulo & Synagoga, „ in omni electione & affirmatione. Et „ infra. Cui scilicet Petro, omnes jure „ divino caput inclinant & primates „ mundi, tamquam Domino Jesu obediunt. Et Chrysostomus dicit ex persona filii loquens: Pasce oves meas, „ id est, loco mei præpositus esto fratrum. „

Quinta: Ad Caput & Primatem spectat determinare credenda; namque solus supremus controversiarum Judex habet jus determinandi quæ sunt fidei: Atqui hæc potestas summo competit Pontifici. Et probatur ex sancto Thoma, qui ibidem cap. 32. sic loquitur: " Ostenditur etiam „ quod ad dictum Pontificem pertineat „ quæ fidei sunt, determinare. Dicit „ enim Cyrillus in libro Thesaurorum: „ Ut membra maneamus in Capite nostro Apostolico Throno Romanorum „ Pontificum, a quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debemus. Item Maximus in Epistola Orientalibus directa dicit: Omnes fines orbis „ qui Dominum sincere receperunt, & „ ubique terrarum catholici veram fidem „ confitentes in Ecclesiam Romanorum, „ tamquam in solam respiciunt, & ex „ ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipient, nec immerito. Nam „ Petrus legitur primo perfectam fidem „ esse confessus, Domino revelante, cum „ dixit Matthæi 16. Tu es Christus Filius Dei vivi; unde & eidem Dominus dicit: Ego pro te Petre rogavi, „ ut non deficiat fides tua. „)

S. Doctor, idem probat momentum multis in aliis locis; ibidem cap. 32. ait de summo Pontifice: " Patet etiam quod „ ipse Patriarchis prælatus existat, ex eo „ quod Cyrillus dicit, quod ipsius, scilicet Apostolici Throni Romanorum „ Pontificum solius est reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, & „ loco illius ligare, qui ipsum ædificavit. „ Et Chrysostomus super Acta Apostolorum, dicit quod Petrus est Vertex „ sanctissimus beati Apostolici Throni, „ Pastor bonus. Item etiam hoc patet ex „ auctoritate Domini dicentis, Luc. 22. „ Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. „

Ibidem pergit: " Ostenditur etiam, „ quod subesse Romano Pontifici sit de „ necessitate salutis; dicit enim Cyrillus in Libro Thesaurorum: Itaque fratres, sic Christum imitamur, ut ipsius „ oves vocem ejus audiamus, manentes „ in Ecclesia Petri, & non inflemur „ vento superbiæ, ne forte tortuosus „ serpens propter nostram contentionem, „ nos ejiciat ut Evam olim de paradiso. „

Idem

Idem momentum probat sanctus Doctor 2. 2. quæst. 11. art. 10. ubi ex professo docet ad summum Pontificem pertinere condere & ordinare Symbolum, & quæ sunt fidei determinare, quod probat auctoritate verborum Christi ad Petrum directorum : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*. Deinde subdit : „ Hujus ratio est, quia una fides debet „ esse totius Ecclesiæ, secundum illud „ 1. ad Corinth. 1. *id ipsum dicatis omnes*, „ *& non sint in vobis schismata*; quod ser- „ vari non posset nisi quæstio fidei de „ fide exorta determinetur per eum qui „ toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sen- „ tentia a tota Ecclesia firmiter te- „ neatur; & ideo ad solam auctorita- „ tem summi Pontificis pertinet nova „ editio Symboli, sicut & omnia alia „ quæ pertinent ad totam Ecclesiam, „ ut congregare Synodum generalem. „

His rationibus D. Thomæ, tres aliæ validissimæ subjiciuntur; igitur

Sexta sic procedit : Qui habet potestatem in ceteros Episcopos, sive ad confirmandum eorum electiones, sive etiam ad eos propter crimina exauctorandum, vel etiam in sedem restituendum, donatur auctoritate & Capitis, & Primatus in tota Ecclesia : Atqui tale est jus, talisque summi Pontificis dignitas & auctoritas : Ergo &c. Minor patet ex Canon. 3. 4. Concilii Sardicensis, & ex Epistola 82. S. Leonis, ex quibus momentis colligitur Episcopum Thessalonicensem solitum fuisse vice Romani Pontificis aliorum Episcoporum confirmare electiones : pari & consimili jure electionem Maximi Episcopi Antiochiæ confirmavit sanctus Leo, ut patet ex Concilio Chalcedonensi Act. 7. Idem Epist. 84. Anastasio Thessalonicensi Episcopo jubet sua auctoritate confirmare electionem Metropolitani. Nicolaus I. in sua ad Michaelem Imperatorem Epistola octo recenset Patriarchas CP. quos ipse a sede deturbaverat; e contra vero Julius I. in suam restituit Athanasium.

Septima : Ad summum Pontificem spectat condere leges, in tota Ecclesia obligantes : Ergo &c. Probatur antecedens. Primo quidem, ex variis Extravagantibus & Clementinis in corpore juris insertis. II. Idem patet ex dispensatione Canonum, cum hoc expostulat Ecclesia, & Fidelium utilitas : sic Gelasius Epist. 1. dispensavit de observatione multorum, & Tridentinum declarat hoc esse jus Papale, quinimmo idem patet in Gallia experimento quotidiano, ubi multi sola dispensatione S. Pontificis muniti, plura simul, adversantibus antiquis Canonibus, possident beneficia.

CONCLUSIO SECUNDA.

Primatus in Ecclesiam universalem, competit jure divino SS. Pontifici.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMO : Quod habet originem & institutionem a Christo, est de jure divino : Atqui Primatus de quo nunc quæstio movetur, suam a Christo trahit originem, scilicet quum Petro dixit Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Sic SS. Pontifices laudati, sic allata Concilia, sic utriusque Ecclesiæ Patres, hanc interpretantur Scripturam; quippequi dum de Primatu Papæ loquuntur, istam Christi sententiam in probationem afferunt. Nec mirum, eo ipso quo Ecclesia ædificata est super Petrum, cum sit indefectibilis, debet habere immobile fundamentum; si enim in sola humana potestate innixa foret, cum ista sit defectibilis, Ecclesia foret utique defectibilis; hinc portæ inferi adversus eam prævalerent. Ergo &c.

Altera : Primatus Petri est de jure divino, cum pro fidei & amoris præmio supra ceteros Apostolos, hoc donatus sit munere : Sed Petrus ex Conciliis & Patribus jam jam nominatis vivit in successoribus, juxta illud S. Petri Chrysologi Epist. ad Eutychetem, relata 1. part. Conc. Chalcedon. num. 15. ubi hortatur hunc hæreticum ut Romano Pontifici pareat : " Quia, *inquit*, B. Petrus in „ ejus sede vivit, & præsidet, & præ- „ stat quærentibus fidei veritatem, „ Ergo &c.

Tertia : Quod ex natura dignitatis a Deo institutæ, ab ipso sicut ipsa dignitas profluit. Sed Christus suam fundans Ecclesiam instituit Caput, quod ad con-

summationem usque sæculi illam regeret; Caput autem fuit Petrus, & quilibet ejus successor est, sin minus Ecclesia foret corpus acephalum & monstruosum : de ratione vero capitis est, ut ceteris dominetur membris : Ergo &c.

Quarta : Summi Pontifices Petro successerunt, ut unitas Ecclesiæ jugi & perenni fluxu & refluxu a Christo per Petrum, & a Petro per ejus successores servaretur : Sed illa Ecclesiæ unitas est divina, justa illud Joan. 10. *Fiet unum ovile & unus Pastor* : Sed illa successio non ab hominibus, sed a Christo per Petrum incepit, ut docent Tertullianus, Optatus & Augustinus citati : Ergo &c. Ceterum juxta regulam S. Augustini, quod initium non habet, suam a Christo per Apostolos ducit originem, teste autem Optato Milevit. Lib. 2. contra Parmenianum n. 3. Pontificis Romani non invenitur inter statuta humana initium, namque ait : " Cathedra unica est . . . „ sedit prior Petrus, cui successit Li- „ nus, Lino successit Clemens &c. Ergo „ &c. „

Quinta : Illa dignitas & prærogativa est de jure divino, si illam negantes habeantur ut Hæretici; illi enim soli uti tales ventilantur, qui aliquod Scripturæ contrarium propugnant : Atqui negantes Primatum summi Pontificis declarantur Hæretici : Et probatur. Hoc liquet ex censura lata ab Innocentio X. ann. 1647. die 24. Januarii contra quosdam qui Paulum in dignitate cum Petro parem faciebant. Suffragatur Clerus Gallicanus, qui in comitiis habitis mensibus Martio & Majo anni 1681. dicit, *Romanus Pontifex* : " Caput est „ Ecclesiæ, centrum unitatis: obtinet ille „ in nos Primatum auctoritatis, & ju- „ risdictionis sibi a Christo Jesu in persona „ sancti Petri collocatum : Qui ab hac ve- „ ritate dissentiret, Schismaticus, immo „ & Hæreticus esset. „ Rursus in declaratione facta in comitiis anni 1682. sic loquitur idem Clerus : " In fidei quæstionibus „ præcipuæ S. Pontificis partes sunt, ejus- „ que decreta ad omnes & singulas Eccle- „ sias pertinent. „

Idem expresse propugnat sacra Facultas Parisiensis ann. 1542. in sua censura contra articulum 23. Lutheri. *Nec minus certum est*, ait, *unum esse jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur*. Tum anno 1617. in censura contra Spalatensem dicit : *Propositionem qua ille asseruerat Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere, hæreticam esse & schismaticam*.

Sexta : Illa suprema auctoritas non est de jure humano : Igitur de jure divino. Probatur antecedns : Vel ipsi Imperatores hoc ultro fatentur : In primis Aurelianus, ut refert Eusebius Lib. 7. Hist. cap. 30. Valentinianus Epist. ad Theodosium. Justinianus Novella 131. titulo 14. cap. 2. Suffragatur Senatus Parisiensis in sua declaratione de libertatibus Gallic. facta Ludovico XI. ann. 1461. ubi sic loquitur ore clarissimi DD. Lofelier : *Protestatur Curia vestra Majestati se nullo modo propter quæcumque inferius dicenda, Excellentiæ, Sanctitati, dignitati, honori, & auctoritati nostri sancti Patris Papæ, sanctæque Sedi Apostolicæ derogare; sed e contra ei honorem, reverentiam & obedientiam, quam omnes boni fideles Catholici supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur*.

Allatius Lib. 1. de consensione Ecclesiæ Græcæ cum Latina cap. 20. argumentis omni exceptione majoribus probat adversus Schismaticos summum Pontificem esse de jure divino auctoritative totius Ecclesiæ Primatem : num. 16. post multas probationes, sic concludit : " Habes, Papam „ esse Romanum Episcopum, & Oecu- „ menicum Papam, non ordine & se- „ dendi loco, sed potestate & aucto- „ ritate. „ Rursus num. 19. iterum refri- „ cando schismaticos ait : " Quæ cum ita „ sint, & Romani Pontificis, non in alias „ modo, sed in Byzantinam etiam Eccle- „ siam auctoritas, tam plane pateat, nescio „ qua fronte recentiores quidam ex schi- „ smate asseruerint, Pontificem Roma- „ num numquam Patriarchas creasse. „

Ex his iterum sic argumentari licet : Ille est totius Ecclesiæ Primas auctoritate & potestate, cui totam & universam Ecclesiam regere, & custodire tamquam omnium Patri & Capiti incumbit: namque ad Patrem spectat auctoritative filios regere, sicut & ad caput gubernare membra : Sed ex auctoritatibus supra laudatis hæc provincia a Christo sic demandata est summo Pontifici, ut quidquid reclament schismatici Græci

Græci, parem non habuerint alii in tota Ecclesia potestatem, cum Patriarchæ potestas intra Patriarchatus limites semper fuerit conclusa: Ergo &c.

Fit satis objectionibus contra 1. conclusionem.

OBJICIES: Ille non habet supra ceteros orbis terrarum Episcopos Primatum, cujus auctoritas extra suum Patriarchatum non extenditur: Atqui auctoritas summi Pontificis non se extendit ultra sui Patriarchatus fines: Et probatur ex Concilio Nicæno, quod can. 6. sic loquitur: *Mos antiquus perduret in Ægypto, & Lybia & Pentapoli, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Igitur ut valeat comparatio, Episcopus Romanus habet solum in suo Patriarchatu auctoritatem; sin minus Patriarcha Alexandrinus, qui ei assimilatur, universalem sicut Papa haberet.

Respondeo I. Canonem Concilii Nicæni, vel minimum quidem non detrahere a primatu summi Pontificis; omissa quippe sunt verba præcedentia: *Ecclesia Romana semper habuit primatum &c. Mos antiquus perduret &c.* Sic legitur in prima collectione Romana, quam agnoverunt Alanus Copus in 1. Dialogo sic habet idem canon Græcus, qualis lectus & approbatus fuit in Concilio Chalcedonensi Actione 16.

Respondeo II. negando minorem: Ad probationem distinguo: Episcopus Alexandrinus parem habet cum Episcopo Romano potestatem dependenter a Papa, concedo: independenter ab eo, nego. Tria distinguenda sunt in summo Pontifice, nimirum dignitas Episcopalis, dignitas Patriarchalis, & dignitas Papalis. Patriarcha Alexandrinus ex privilegio habet quantum ad aliquid similem in Patriarchatu suo potestatem, sicut habet Romanus Pontifex in suo. Videlicet, ut possit creare Episcopos, erigere Diœceses, Concilia in provinciis sui Patriarchatus adunare: ita Cabassutius in notis ad canonem prædictum pagina 112. editionis Lugdunensis 1690. ubi ita loquitur: " Sic " intelligenda sunt ut idcirco præfata in " Ægyptum, Lybiam & Pentapolim potestas Alexandrino Episcopo competat, " quia illud ei jus tribuere solet Romanus Episcopus. "

Eodem prope modo illum explicat canonem Emmanuel Aschelstrates in Tom. de antiquitate Ecclesiæ, editionis Romanæ anno 1697. Dissertatione 2. pag. 421. his verbis: " Apostolorum princeps Petrus in totius Regni Ægyptiaci metropoli Alexandria sedem majorem constituendam duxit: unde ut latius supra ostendimus, sanctus Marcus divi Petri discipulus ex ejusdem auctoritate Alexandriam pergens ad instar sedis Patriarchalis Romanæ Patriarchatum instituit, idque Nicænum Concilium canone 6. his verbis exprimit: " *Antiqua* consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ *Episcopo parilis mos est*. Idem quia est ac si diceret, sedes Patriarchalis Alexandrina Apostolorum tempore sita est instar sedis Patriarchalis Romanæ. Sed sedes Romana habet potestatem super omnes Provincias totius Occidentis juri suo Patriarchico subjectas. Itaque & Alexandrina potestatem habere debet supra Provincias Ægypti, Lybiæ & Pentapolis suo juri Patriarchico subditas. "

Sequitur igitur solummodo Patriarcham Alexandrinum ex vi suæ institutionis, & consentiente beato Petro, assimilari summo Pontifici quantum ad Patriarchatum, nusquam vero quantum ad dignitatem supremam Capitis & Primatus universalis Ecclesiæ; quia vero Meletium Thebaidis superioris Metropolitam fuisse refert sanctus Epiphanius Hæresi 69. quique sibi arrogaverat potestatem creandi Episcopos independenter a Patriarcha Alexandrino, iste de hoc in Concilio Nicæno conquestus est: quocirca Patres statuerunt canone 6. ut plenam & integram haberet jurisdictionem, videlicet & in Episcopos, & in Metropolitanos sicut antiquitus; nec deinceps alius sui Patriarchatus Præsul talem auderet usurpare potestatem; cujus quidem rei hanc affert rationem & probationem, quia Patriarcha antiquæ Romæ omnium Patriarcharum forma solus habebat pro

more

more solito & jure avito plenam & perfectam jurisdictionem & primariam respectu sui patriarchatus Præsulum, & sic redditur genuinus canonis Nicæni sensus.

Solutio est Binii in notis ad Concilium Nicænum pagin. 318. " Initium hujus & " canonis, quod tale est: *Ecclesia Romana* " *semper habuit Primatum*; in Libris vulgatis deest: ita enim citatur a Concilii " Chalcedonensis Patribus Act. 16. cum " hoc eodem initio extat idem canon a " Dionysio Abbate e Græco in Latinum " translatus, ut refert Alanus Copus in " 1. Dialogo: intelligitur & explicatur, " his verbis: *Perpendimus omnem primatum* " *& honorem præcipuum secundum canones* " *antiquæ Romæ Deo amantissimo Episcopo conservari*: Quasi diceret, sicut Petrus ejusque successor Romanus Episcopus ac " Pontifex, ex institutione Christi divino " jure Primatum consecutus, & semper " habuit, ac legitime usurpavit, ita Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus omnium " Ecclesiarum dumtaxat, quæ sunt in tota Ægypto, Primatum & auctoritatem, " quam Meletius schismaticus impugnaverat, juste usurpet: & non ex institutione Christi; sed ex concessione, ordinatione & institutione Petri, ejusque " successoris Romani Pontificis, qui omnes Ægypti provincias per Marcum Petri discipulum & Marci successores, " huc usque regere & gubernare consuevit. "

Ad hujus controversiæ elucidationem subnotare juvat quinque fuisse Patriarchas in Ecclesia; videlicet Romanum Pontificem pro Occidente, immo Ecclesia Africana erat de Patriarchatu Romano, ut observat Cabasutius ibidem pagin. 112. his verbis: " Jus Patriarchicum Romani Episcopi adæquare queant, quod Italiam, " Galliam, Hispaniam, Britanniam & " magnam Africæ partem complectebatur. " Quatuor vero erant pro Oriente, nimirum Jerosolymitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Constantinopolitanus, quibus omnibus in multis erant subditi Episcopi & Metropolitani suæ obedientiæ.

Instabis: Rufinus sic reddit canonem Nicænum: " Et apud Alexandriam in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, " ut vel illic Ægypti, vel hic suburbicarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. "

Igitur inquiunt Romanæ Ecclesiæ æmuli summus Pontifex non nisi in quasdam urbes suæ Diœcesis habet potestatem, adeoque est tantum æqualis inter pares.

Respondeo I. canonem istum verbis Rufini contextum non reperiri in vulgari textu Græco, neque in exemplaribus Gelasii, neque in iis quæ ad Patres Concilii Carthaginensis transmissa leguntur: quocirca Rufinus proprio suo marte vocem suburbicarum Ecclesiarum intrusit in canonem, adeoque nullius esse auctoritatis constat.

Respondeo II. distinguendo antecedens: Et nomine suburbicarum Ecclesiarum intelligit Rufinus non solum quamlibet Diœcesim, sed & urbes Metropolitanas atque Provincias Ecclesiasticas Patriarchæ subditas, concedo: & intelligit vel prædia, vel oratoria intra paucos ab urbis mœnibus lapides sita, vel etiam urbis unius tantum Diœcesis, nego. Impossibile est Rufinum conclusisse ditionem Patriarchæ inter aliquas villas, vel urbes unius solum Diœcesis, hoc enim aperte pugnat contra Nicænum, quod determinat & extendit jurisdictionem Patriarchæ Alexandrini ad Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, in quibus quidem regionibus & multi Episcopi, immo & Metropolitani consistebant, cum ipse Meletius, ut dictum est, esset Ptolemaidis Thebaidis Metropolitanus: Igitur in altero sensu intelligit Rufinus canonem Nicænum: sic censet doctissimus Valesius cap. 7. his verbis: " Per " suburbicarias enim Ecclesias intelligit " Rufinus eas, quæ sunt sub Episcopo " urbis Romæ; nam suburbicariæ Ecclesiæ eodem modo dicuntur quo suburbicariæ Provinciæ. Ut ergo suburbicariæ Provinciæ appellantur, quæ erant " sub Vicario urbis Romæ; sic suburbicariæ Ecclesiæ dicuntur a Rufino quæcumque subjacebant sub Episcopo urbis " Romæ: Et quemadmodum Provinciæ " suburbicariæ peculiarem constituebant " Diœcesim Vicariæ urbis Romæ, ita Ecclesiæ suburbicariæ Diœcesim constituunt " Episcopi Romani. "

Eodem modo interpretantur Rufinum Cardinalis Perronius Resp. contra Angliæ Regem cap. 33. Nicolaus Coeffeteau parte secunda contra Spalatensem Lib. cap. 2.

Sir-

Sirmundus Dissertatione 2. de Suburbicariis cap. 4. Denique percelebris Lupus parte prima ad hunc canonem his verbis: " Non vacat de suburbicariis Romani Imperii Provinciis disputare, atque ex illis quærere naturam suburbicariarum Ecclesiarum, eam jam audivimus non esse aliud quam eos qui Romæ subditi, idest, qui subditi sunt juri patriarchico Ecclesiæ Romanæ, nempe totum Occidentem, Septemtrionem, Africam atque Illyricum."

Urgent: S. Gregorius Magnus Lib. 9. Epistola 32. non vult Episcopum universalem appellari: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: Non vult Episcopum universalem appellari in eo sensu, quod non sint præter Papam, alii Episcopi, aliique Patriarchæ, concedo: Ita ut a summo Pontifice explodat Primatum, qui convenit illi ut est Papa, & ratione dignitatis summi Pontificis, nego. Eo sese explicat modo in Epistola laudata, quocirca in Epist. 99. scribens ad Mauricium Imperatorem graviter reprehendit Joannem Patriarcham CP. eo quod se diceret Episcopum universalem, quæ quidem prærogativa soli convenit Episcopo Romano ut est Papa, & totius Ecclesiæ Caput: Nec magis proficiunt adversus Primatiam Papæ debacchantes, cum dicunt S. Cyprianum Lib. de unit. Eccl. pagin. 180. asserere omnes Episcopos esse pares, hoc quippe intelligitur ratione consecrationis Episcopalis, nusquam vero ratione jurisdictionis, Primatus, & totius Ecclesiæ Capitis.

Diluuntur objecta contra 2. Conclusionem.

OPPONES: Quod est de jure humano, non est de jure divino dicendum: Atqui Primatus S. Pontificis est de jure humano: Et probatur. I. Est de institutione S. Petri Primatus Romani Pontificis, quatenus Romæ potius, quam alibi sedere voluit Apostolus. II. Romanus Pontifex quandoque non Romæ, sed Avenione sedit, videlicet tempore schismatis. III. Eodem proportionali modo ratiocinandum est de sede Romani Pontificis, ac de aula regia, quæ ad nutum principis nunc in uno loco, nunc etiam in alio adest, & ubi Princeps residet; sic sedes Papæ, ubi adest, ibi sedes Apostolica existit: Igitur sedes Romana Primatus prærogativam non habet, nisi ex arbitrio Petri successoris. IV. Eadem dotis dignitas non semel a Canonibus, a Conciliis, immo vel ab ipsis Imperatoribus Catholicis concessa S. Pontifici legitur: Et probatur in Concilio Chalcedonensi can. 28. habetur: *Antiquæ Romæ Throno, quod urbs illa imperet, jure Patres privilegia tribuerunt.* Tum & Justinianus Novella 100. ait: *Decernimus secundum sacrarum Synodorum Decreta, sanctissimum veteris Romæ Episcopum primum esse omnium Sacerdotem.* V. Vel ipse S. Paulus qui Eph. 4. 11. & 1. Cor. 12. 28. omnes Hierarchiæ ordines, ad Doctores usque nominat, silet tamen S. Pontificis Primatum, quod non est levius argumentum Primatum Papæ non esse de jure divino.

Respondeo I. Hæc & similia argumenta unum tantummodo probare, videlicet Primatum localem S. Pontificis non esse de jure divino, bene vero personalem, ita ut, ubi adest Papa, ibi citra dubium sit caput Ecclesiæ, Primas totius orbis Christiani, sedes Apostolica. Solutio est Bellarmini Lib. 2. de S. Pont. cap. 12. pag. 243. " Successio, *inquit*, Romani Pontificis in Pontificatum Petri, ex instituto Christi est: Ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius quam Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit, successio ergo ipsa ex Christi instituto, & jure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi, & proinde quicumque Petro succedit, a Christo accipit Pontificatum: At vero quod Episcopus Romanus, quia Episcopus Romanus est, sit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi umquam eligere, sicut fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset: Potuisset quoque semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset. Quia vero Romæ sedem fixit, & tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Romanus Pontifex succedat."

Re-

Respondeo II. negando minorem. Ad primam probationem distinguo: Primatus localis ex institutione Petri Ecclesiæ Romanæ convenit, concedo: Personalis, nego. Petro siquidem Christus dixit, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* Non homines sed ipse Christus Joan. 21. eidem dixit: *Pasce agnos meos... Pasce oves meas.*

Ad 2. probationem, distinguo: Et mutatio localis S. Pontificis arguit Primatum Romanæ Ecclesiæ a S. Petro affixum fuisse, concedo: & ab institutione, aliquid detrahit, nego: solus quippe Christus universalis Ecclesiæ Primatem instituit Petrum.

Ad 3. eadem est responsio: Ubi est Papa, ibi est Ecclesiæ Caput & Primas, concedo: Ibi variatur ab hominibus institutio Primatus, nego. Igitur juxta Bellarminum duo sunt distinguenda, nimirum institutio, & successio Primatis, tum ejus habitatio: primum manet de jure divino, & est immobiliter S. Pontifici canonice electo affixum, secus secundum.

Ad 4. utique distinguo: Dignitas Primatus a canonibus & Imperatorum Christianorum edictis tributur S. Pontifici, hoc est agnoscitur & colitur, concedo: datur & confertur, nego. Responsio ex probationibus claret.

Ad 5. & postremam non absimili modo distinguimus: Apostolus inter Hierarchiæ gradus silet Primatum S. Pontificis quia supponebat sufficienter a Christo omnibus discipulis, Matth. 16. & Joan. 21. annuntiatum, concedo: nam & ipse eum agnoverat, dum suum cum Petro contulit Evangelium, *Ne*, ait Gal. 2. 2. *in vacuum currerem, aut cucurrissem*, concedo: secus nego. Ceterum eo loci omnes Hierarchiæ gradus enumerare non intendit S. Paulus; non enim prophetia, gratia sanitatum & genera linguarum, ut aliquid permanens Ecclesiæ sicut Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum ordines collata sunt; a longo tempore cessavit prophetia, & raro admodum ceteræ gratiæ gratis datæ conferuntur.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Primo: Primatus auctoritate & jurisdictione super omnem Ecclesiam competit S. Pontifici. II. Et hoc de jure divino.

PRIMUM patet, I. Ex Scriptura Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Prævalerent autem si loco Petri deficeret Pastor universalis, qui totius Ecclesiæ curam susciperet. II. Sic propugnant Patres Græci, ut lato calamo probat Allatius Libr. 1. de cons. Eccles. capit. 20. quod & definivit Concilium Florentinum contra Græcos obstrepentes, Tom. 13. Conc. pag. 515. III. Sic Patres Latini, quia ex Cypriano Lib. de unit. Eccl. hoc exigit unitas corporis mystici, ne sint Schismata: Tum Augustinus qui Serm. 2. de verbis Apost. ait causam Pelagianorum in multis, tum Palæstina, tum Africa & Romæ habitis Conciliis discussam, tandem decretis SS. PP. Innocentii I. & Zosimi ad metam fuisse perductam.

Secunda pars, non minus claret. I. Quia per solum Christum primatiam Petri universalem constat fuisse stabilitam; non enim ab Apostolis ortum habuit, cum par in parem non habeat jurisdictionem; & hoc non legatur factum: a fortiori nec ab Imperatoribus qui nullam habent spiritualem in Ecclesiam potestatem. II. Hoc ipsum confirmat usus & possessio. III. Non aliter intellexere Patres, qui sola innixi Christi auctoritate Matth. 16. & Joan. 21. Petrum ejusque in Pontificatu successorem totius Ecclesiæ Primatem esse concludunt.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Canon sextus Concilii Nicæni dicit solum Episcopum Alexandrinum habere jurisdictionem primatialem supra omnes sui Patriarchatus Præsules, quia Episcopus Romanus ut Patriarcha, qui est forma ceterorum, habet supra sui vicissim Patriarchatus Episcopos & Metropolitanos, sed non adæquat canon Patriarcham Alexandriæ S. Pontifici, ut

ut est totius Ecclesiæ Caput & Primas: Neque vero controversia erat de hoc mota, sed solum de Meletio Metropolitano Thebaidis, qui absque fundamento declinaverat Patriarchæ Alexandrini dependentiam.

Secundo: S. Gregorius humilitatis motivo abnuit Episcopi Oecumenici titulum, maxime ne quis crederet unicum esse pro tota Ecclesia Episcopum, scilicet Romanum.

Tertio: Primatia localis est de jure Ecclesiastico solum, minime vero personalis: hoc est S. Petrus a Christo totius Ecclesiæ institutus Primas, pro ut libuit & voluit suam fixit sedem, unde Roma habet ab ipso quod sedem Apostolicam contineat.

ARTICULUS QUARTUS.

Num compertum sit aliquem Pontificem Romanorum ex cathedra loquentem & pronuntiantem in materia fidei & religionis errasse, & hæresim de fide credendam proposuisse?

AD elucidationem quæstionis ante omnia explicare necesse est; quibus modis summus Pontifex super aliquod dubium consultatus potest respondere: unde sit

SECTIO PRIMA.

Quid sit summum Pontificem ex cathedra loqui?

PRÆNOTARE juvat S. Pontificem dupliciter modo spectari posse, primo ut doctorem particularem, qui sua tum scriptis, tum viva voce ad erudiendos auditores loquitur; ut si quis Papa doctissimus in scholis publicis sacras litteras interpretaretur: vel etiam inter ambulandum cum amicis per modum conversationis & familiari disputatione sua placita proponeret: Alio modo cum delata ipsi ut supremo controversiarum judici aliqua causa expostulatur sententia juridica, ita ut illam auditis prius in sacra Theologia magistris & consultoribus, maxime vero Prælatis & eminentissimis Cardinalibus, qui ad sollicitudinem pro Ecclesiæ regimine adsciti cum summo Pontifice se habent simul omnes ut quoddam Concilium, aut saltem supplent illud quod pro more antiquo solebant adunare SS. Pontifices, antequam causæ ad Concilium generale deferrentur; sic Agatho unum Romæ adunavit, quasi præambulum ad Sextum generale, in quo proscripti sunt Monothelitæ, vel etiam ut secluso Concilio generali, saltem ritu solemniori proscribantur Hæreses, tum fusis multis diebus ad Deum precibus, præviis sacrificiis repetitis oblationibus, adhibitis jejuniis & frequentioribus Sacramenti sanctissimi altaris expositionibus, servatis de jure & consuetudine servandis, Deum unice præ oculis habens, sedens in justitiæ Throno pronuntiat. Priori modo non loquitur ut Judex, sed solum posteriori.

Iterum prænotare juvat quæstionem moveri posse vel de temporalibus, vel de disciplina, vel tandem de religione & fide. Nullam hic movemus de temporalibus & disciplina quæstionem, cum ne quidem Concilia Oecumenica in his sint infallibilia, sed solum de quæstione Religionem spectante.

Observandum est etiam ut dicatur Papa ex Cathedra loqui, non esse necesse illum alicui medio, aut consultationi alligare definitionem, frustra enim, inquit vel ipse Cardinalis Sfondratus Lib. 3. de regali Sacerdotio §. 1. foret in Papa talis auctoritas; nam cujus error damnatus esset, prætendere semper posset, illegitime damnatum; sic Pelagiani proscripti in Concilio Carthaginensi, appellarunt ad S. Melchiadem: damnati ab ipso provocaverunt, ait Optatus Milevitanus, ad Arelatensem Synodum, contendentes causam nondum satis fuisse discussam: Idem dixere Lutherani de Concilio Tridentino, ad quod tamen a sententia Leonis X. contra eos lata appellaverunt; quocirca Romani Pontificis prudentiæ & discretioni committitur in Concilio Tridentino Sessione 25. de reformatione cap. ultimo industriæ modus, quem in rebus ambiguis definiendis adhibere poterit.

Sic loquitur sacra Synodus *De recipiendis & observandis Concilij decretis*. " Quod si

„ si in his recipiendis difficultas aliqua oriatur, aut aliqua inciderint quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant, præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire: vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria & Ecclesiæ tranquillitate consulatur. „

His prælibatis quæritur, num modus loquendi ex Cathedra sit diversus ab eo, quo aliquis ut persona privata loquitur? pro cujus resolutione sit:

CONCLUSIO.

Summus Pontifex ut Caput & Primas Ecclesiæ, loquitur ex Cathedra ut Judex, adeoque modo diverso ab eo quo utitur persona privata.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA est: Eadem prærogativa donandus est summus Pontifex novæ Legis, qua donabatur veteris Legis magnus Sacerdos: Sed iste loquebatur ex Cathedra indutus *Ephod*, dum aliquod pro Religione, aut prædicabat, aut definiebat momentum: Igitur & iste loquendi modus secernendus est in summo Pontifice, quique sit prorsus distinctus a modo quo loquitur, ut persona privata.

Cardinalis Sfondratus ibidem de modo loquendi ex Cathedra in veteri Lege sic discurrit: " Ea distinctio qua Pontificem Romanum consideramus, vel ut privatam personam, vel ut publicam & solemniter, auctoritative, ex Pontificia potestate, ac e Cathedra docentem, non est nova, sed antiquissima; nam in veteri Lege celebre illud oraculum *Urim & Tummim*, quod in ambiguis obscurisque rebus summum Sacerdotum edocebat, atque ab eodem ad pectus gestabatur, non privatæ & domesticæ vesti, sed Pontificali erat inscriptum Exod. 28. Deo hac ratione ostendente munus Ecclesiam instruendi & in causis ambiguis judicandi, ad summum quidem Sacerdotem pertinere; non tamen semper & ubique, sed cum Pontificem agit; tunc enim & non alius, eum certius, ne fallat, aut fallatur, illustrari. Hæc causa fuit ab eo qui responsum acciperent, nisi prius Ephod induant, ut patet I. Reg. 23. & III. quæ vestis erat auro texta, variisque ex serico coloribus distincta, & cui oraculum insertum erat. „

Hunc modum ipse Christus agnoscit & distinxit Matthæi 23. dum jubet Scribas ac Pharisæos tametsi hypocritas audiri, eorumque doctrinam observari, eo quod super Moysis Cathedram sederent, cujus obedientiæ præclarum dedit ipse exemplum in passione, cum interrogatus a Caipha pessimo homine, num esset filius Dei? quamquam ad multa falsa testimonia nihil respondisset, huic tamen interrogationi fecit satis, eo quod Pontifex ex Cathedra loquens sciscitatus fuisset ab eo, num vere filius Dei esset.

Secunda: Quod Concilia, quod Patres & ipsa Ecclesia celebrant, profecto agnoscendum est in summo Pontifice: atqui res ita se habet: Ergo &c. Probatur minor. Concilium Chalcedonense Act. 2. facta lectione Epistolæ B. Leonis ex Cathedra, & ut supremi controversiarum judicis loquentis, exclamavit, *Petrus per Leonem ita locutus est*: idem dicit sextum Concilium de epistola Agathonis Sessione 8. & 18. sanctus Aug. Epist. 165. contra Donatistas disputans, ubi Cathedram a persona, hoc est, errorem personalem a Cathedrali distinguit; Cathedralem negat in Petri Successores cadere, alterum vero cadere posse concedit. Denique ipsa Ecclesia non semel in anno celebrat Cathedram B. Petri, ut fidelibus indigitet, quanti facere debent oracula, quæ ex tali Cathedra promanant.

Tertia ceteris adjungitur, quæque est fundata in jure canonico & civili. Summistæ docent judicia vacua esse nisi accedat juris solemnitas: hoc est, nisi judex pro tribunali sedens, veste indutus, & ut plurimum infulatus, auditis partibus & consiliariis pronuntiet: Sed idem proportionali modo, & a fortiori dicendum est de

de summo Pontifice, qui in spiritualibus, ut totius Ecclesiæ Caput & Primas ac supremus controversiarum judex loquitur, alias nisi accederet hujusce juris solemnitas, dubio-procul non ut Caput Ecclesiæ & persona publica loqueretur, sed tantummodo ut privata, cujus sancita non obligarent. Ergo &c.

Dices: Summus Pontifex idem est sive ex Cathedra loquatur, sive privatim & ut Doctor particularis: Igitur incassum distinguitur in illo duplex loquendi modus.

Respondeo distinguendo: Idem est physice & entitative, concedo: formaliter, & juridice, nego. Duo igitur in quolibet judice distinguendum est, videlicet id quod physicum & naturale: deinde vero id quod est morale. Primum competit ratione naturæ, quæ semper eadem est: alterum vero ratione potestatis, qua judex relationem habet ad Deum supremum omnium judicem, & ad jus, quo quasdam statuit conditiones solemnes ad ferenda judicia: hoc ipsum compertum præ oculis quotidie habemus in Judicibus laicis; quidquid enim in domo & in particularibus colloquiis dicunt, non facit regulam & judicium, sed tantummodo cum pronuntiant in Throno justitiæ sedentes: idem dicendum de supremo Controversiarum judice.

SYNOPSIS SECTIONIS.

PRIMO: Duplex est modus pronuntiandi circa controversiam motam, nimirum in secreto, deinde vero publice, & adhibitis juris solemnitatibus: Priori modo judex loquens non facit Legem, sed solum quando posteriori modo se gerit.

Secundo: Competit summo Pontifici ex Cathedra loqui, cum sit controversiarum religionis judex supremus: hoc & competebat Aaron & ejus successoribus, quidni & in nova Lege antiqua longe perfectiori S. Pontifici hoc congrueret?

Tertio: Hoc ipsum non levius subindigitat Christus, cum Matth. 23. velit statuta & decreta Pharisæorum audiri, eo quod super Cathedram Moysis sederent: Ipse vero Caiphæ, tempore suæ passionis summo Synagogæ Pontifici, ipsum interroganti si filius Dei esset, respondit, Matth. 26. 64. *Tu dixisti:* Ergo &c.

SECTIO SECUNDA.

Num fides summorum Pontificum a Petro ad nostra usque tempora fuerit ab omni labe pura?

HÆC quæstio non nisi de errore circa fidem & religionem movetur: Rursus de summo Pontifice non ut persona privata loquens, sed ex cathedra, ita ut tamquam Caput Ecclesiæ hæresim aliquam ut fidei articulum credendam proponeret. Ceterum distinguendum est inter infallibilitatem in fide & impeccabilitatem; certum est, nec dissentit Bellarminus hic Lib. 4. de SS. Pontif. cap. 2. Papam posse peccare; num vero habeat infallibilitatem pronuntiando circa fidem & religionem, est quæstio juris quam non attingimus: at occurrit quæstio facti, num de facto aliquis SS. Pontifex sic erraverit, ut hæresim a fidelibus credendam proposuerit: De ista impræsentiarum agimus: Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO.

Nullus ab ævo D. Petri summus Pontifex ex cathedra loquens erravit in fide.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Quotiescumque agitur de aliquo facto, audiendi sunt viri omni exceptione majores: Sed ex hoc momento liquet, nullum ex summis Pontificibus a S. Petro ad nos usque ex cathedra loquentem errasse: Ergo &c. Probatur minor primo ex Theodoreto, qui Epist. 116. ad Renatum Presbyterum Romanum tom. 3. pag. 989. sic loquitur: „ Habet sanctissima illa Sedes Ecclesiarum quæ in toto sunt orbe Principatum multis nominibus; atque hoc ante omnia, quod ab hæretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed apostolicam gratiam integram servavit. „

Magnificum & insigne est Agathonis Papæ testimonium, qui in sua ad Imperatores

tores Constantinum, Heraclium & Tiberium epistola, quæ Act. 4. sextæ Synodi lecta est, & Act. 8. ejusdem Synodi a Patribus unanimiter recepta & sic approbata, ut iam possit dici totius Concilii doctrina. Ibi probat Ecclesiæ infallibilitatem ex tribus potissimum capitibus. I. Ex Scriptura, II. ex Traditione, III. ex eo quod nullus e suis prædecessoribus ad suam usque ætatem erraverit in fide. Hæc sunt verba: " Apostolica Petri Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est.... Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit ac defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ Traditionis numquam errasse probabitur, nec Hereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianæ percepit ab auctoribus Apostolorum Christi Principibus, illibata fide textus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quæ suorum discipulorum Principi, in sacris Evangeliis facta est: Petre, Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis cognitum est: quorum pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. "

Observes velim hoc testimonium proferri septimo Sæculo ann. 680. post tempora quorumdam Pontificum, qui juxta aliquos in suspicionem erroris venerant, quos tamen ab omni novitatis labe purgat Agatho, & cum eo, omnes Synodici Patres ejus epistolæ per omnia consentientes. Neque vero quemquam ex aliis SS. Pontificibus subsequentibus sæculis loquendo ex cathedra errasse in fide constat: Ergo &c.

Altera hæc ratio proponitur: Factum malum ex bono sibi opposito perfecte loquitur: Sed quod nullus a B. Petro S. Pontifex loquens ex cathedra usquam in fide erraverit, argumentum irrefragabile illud est, quod quoties aliqua apparuit hæresis, ne una quidem omissa, nullus Pontifex qui tunc temporis clavum Ecclesiæ universalis tenebat, eam damnare prætermiserit: Et probatur juxta chronologiam Binii, qui in suis Conciliis fideli calamo recenset cunctas decursu sæculorum a SS. Pontificibus proscriptas hæreses.

Primo: Omnes hæreses ab Apostolorum tempore usque ad Concilium Nicænum primum a SS. Pontificibus incunctanter proscriptæ sunt, videlicet primo sæculo Ebionitæ. Ex secundo Sæculo Manes, Marcion, Novatus, & Novatianus abjecti sunt. Anno 158. S. Hyginus Cerdonem excommunicavit, Zephirinus, Marcionem, & Cataphrigas ejecit ab Ecclesia. Victor I. proscripsit Quatuordecimanos; Rebaptizantes vero a S. Stephano I. Paulus Samosatenus a Dionysio in utroque Concilio Antiocheno, quod suo munivit calculo; Arius a S. Sylvestro in utroque Alexandrino ab ipso approbato: Donatistæ a S. Melchiade in Concilio Romano: Rursus in Arelatensi anno 314. a S. Sylvestro, qui per suos Legatos præfuit, damnati sunt.

Secundo: Hæreses famosæ in Conciliis damnatæ simul a SS. Pontificibus, qui eorum acta confirmarunt abjectæ leguntur. Ergo S. Sylvester damnavit Arianos; Damasus, Macedonium; Celestinus I. Nestorium: S. Leo, Eutychetem; Vigilius, tria Capitula; Agatho, Monothelitas; Adrianus I. Iconomachos; in Concilio VII. generali, tum & Felicem & Elipandum in Francofurtensi; Adrianus II. Photium in octavo generali, Martinus V. Hussitas in Concilio Constantiensi: Diversi Pontifices, durante Tridentino, Lutheranos & Calvinistas anathemate percusserunt.

Tertio: Ab Urbano ad Benedictum usque XIII. Ecclesiam feliciter regentem varii Pontifices varios errores, qui in moralem, tum etiam in dogmata irrepserant, proscripsere.

Quarto: Ut primum aliquos nævos in Con-

Conciliorum acta irrepsisse SS. Pontifices animadverterunt, esse vacua suam abnegando approbationem, voluerunt; hinc inter Concilia Oecumenica sex partim approbata, partim reprobata, quædam vero particularia prorsus abjecta sunt, ut omnia ab Arianis, & Donatistis adunata, latrocinium Ephesinum, & quædam alia.

Tertia ratio sic proponitur: Quotiescumque aliqui SS. Pontifices erroris alicujus insimulati sunt, toties sese a calumniis purgavere, vel ab aliis, Deo sic providente, purgati sunt. Igitur ne quidem unus loquens ex Cathedra sic erravit, ut errorem tamquam fidei articulum propugnaverit. Probatur minor: Symmachus Papa innocentiæ suæ conscius voluit proprio motu se in Concilio Romano a quibusdam nævis purgare, tum & Leo III. coram Carolo Magno eadem de causa, quod uterque felici comprobante exitu, fecerunt.

Neque vero usquam defecerunt Apologiæ pro SS. Pontificibus injuste de aliquo nævo accusatis. Sanctus Augustinus Libr. de unico Bapt. capit. 16. contendit lapsum Marcellini Papæ a Donatistis fuisse confictum. Omnes cordati Theologi, vel ipse D. Vvitas Doctor Sorbonicus & Professor Regius in suis scriptis Tractat. de Trinitate Liberium ab Arianæ hæreseos labe immunem esse argumentis irrefragabilibus demonstrat. Donus Papa, Theodorus, Joannes IV. S. Maximus Abbas in diversis Apologiis luce pomeridiana clarius ostendunt Honorium non fuisse Monothelitam.

Quarta: Ecclesia loquens ab omni decore immunis esse debet: Sed ipsa quandoque loquitur per SS. Pontifices, qui si errarent proponendo errorem ut fidei articulum credendum, hoc ipsum vitio verteretur Ecclesiæ, quippe quæ fundata sit supra Petrum & summum Pontificem, deficiente autem fundamento, ruit & subvertitur totum ædificium: capite subverso corpus languescit & emoritur: Igitur fatendum est nullum Pontificem ad hæc usque tempora errasse in fide, & inter Hæreticos fuisse annumeratum, immo confidentes in Deo Optimo Maximo speramus, quod sicut nullus defecit, ita in posterum nemo deficiet & errabit in fide.

Postrema ratio est: Synodus particularis tametsi Generali in Patrum numero multo inferior, si tamen sit cum summo Pontifice conjuncta, se habet veluti Oecumenica, & quasi generalis juxta sancti Athanasii sententiam; adeo verum est suffragium summi Pontificis robur omni exceptione majus addere omni Episcoporum conventui, quicumque sit: Igitur Præsules cum Papa consociati prævalent majori Episcoporum numero a SS. Pontifice divulsorum: Et vicissim Caput super alia membra ab ipso separata. Probatur antecedens ex Binio, qui in notis ad Concilium II. Alexandrinum, pagin. 285. sic loquitur: " Concilium Alexandri" num. " *Hoc Concilium anno Domini 319. qui est Sylvestri VI. & Constantini Imperatoris 14. annus Alexandria in Ægypto habitum est, cui omnes Episcopi, qui Alexandrino Primati parebant, una cum Osio Cordubensi Episcopo, qui Legationis Pontificia munere fungebatur, atque ideo huic Synodo præsidebat interfuere. Ob quam causam Athanasius Apologia 2. hanc Synodum generale Concilium appellavit; quod nimirum per Legatum Pontifex una cum prad. numero Episcoporum interfuerit.*

Quinta: Fides adhibenda est Theologis pro factis quæ spectant Religionem, cum id muneris habeant ut cuncta scrutentur & discutiant, ut illam contra Hæreticorum molitiones defendant: Sed omnes ferme sic propugnant. Primo quidem Academiæ Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Belgii, Germaniæ, Divus Thomas, gravissimi Sorbonæ Doctores, qui tenent summum Pontificem ex cathedra loquentem pro punctis fidem & religionem spectantibus esse infallibilem; immo & ceteri qui hanc prærogativam non nisi accedente Ecclesiæ consensu agnoscunt, candide tamen fatentur nullum Pontificem sic errasse, ut hæresim tamquam dogma catholicum defenderit: ab hac opinione non dissentit inter recentiores Theologos Dom. Tournely Quæst. quinta, de capit. Eccles. articul. secundo, pagin. sexagesima sexta, qui probat Sedem Romanam hoc habere supra ceteras, quia, teste Theodoreto: *Nec ullus contraria sententiis in illa sedit*. Revera quidem omnes sedes

sedes Patriarchales Orientales a fide non semel defecerunt, nusquam vero Sedes Apostolica.

Fit satis objectionibus Heterodoxorum.

OBJICIUNT Protestantes: Ab actu ad posse valet consequentia: Sed de facto multi Pontifices erraverunt in fide: Et probatur multis momentis: I. Liberius subscripsit formulæ Arianæ Sirmiensi. II. Honorius proscriptus est propter Monothelitarum hæresim a sexta Synodo generali. III. Joannes XXII. adhæsit Millenariis: Ergo &c.

Respondeo I. Dato & non concesso laudatos SS. Pontifices errasse, dubio-procul non ut loquentibus ex cathedra, sed eis ut personis particularibus hoc contigisse constat. Et vero Liberius non subscripsit formulæ nisi prius in sensu catholico explanatæ, & tantum abest ut Arianismum proposuerit de fide credendum, quin potius noluit suum addere calculum formulæ ei oblatæ, ann. 359. ab Imperatore, donec Basilius Ancyranus & alii præsentes Semi-Ariani simul cum Imperatore subscriberent formulæ alteri quam ipse obtulit, in qua Verbum substantialiter Patri simile, & ipsi coæternum dicebatur. Quid plura, nec ipse, nec Vincentius Capuanus ejus Legatus in Concilio Ariminensi approbare voluerunt Synodum, & ei consentire. Si de Honorio loquamur, certum est non nisi secreto, & ad Sergium personam privatam suas direxisse epistolas, nusquam vero ad Ecclesiam universalem, quasi ad Monothelitarum errorem, ut quid bonum & fidei consonum suscipiendum esse invitaret. Constat etiam Joannem XXII. nusquam proposuisse hæresim Millenariorum credendam, sed solum licentiam fecisse de hoc momento in Scholis disputare in utramque partem, ut re elucidata, propter primorum sæculorum Patres illorum sententiæ pro deliciis spiritualibus in regno Millenario degustandis adhærentes, Ecclesia declararet quid præcise de hoc momento dicendum esset, vel non, & quid abjiciendum.

Respondeo II. Momentum de illis tribus Pontificibus ex professo nos tractasse: Et quidem pro Joanne in Tractatu de visione beatifica: pro Liberio Tract. de SS. Trinitate, pro Honorio Tract. de Incarnatione, ad quos Lectorem benevolum remittimus.

Respondeo III. Liberium subscripsisse primæ formulæ Sirmiensi, quæ sensum obvium catholicum subibat: Litteras Honorii esse catholicas, & neminem præter Heterodoxos hæresis eum insimulare, sed ad summum quosdam abjectum a Concilio putare, eo quod satis strenue fidem non defenderit, multos vero propugnare solum ex detestatione Concilii damnatum legi: tandem Joannem XXII. ante obitum clare admodum viva voce & scriptis coram Tabellionibus fidem suam explicasse, & ab omni suspicione hæreseos se purgasse liquet.

Mitto alios Pontifices, quibus quidam nævi modo circa disciplinam, modo etiam circa mores tribuuntur, ut videre est apud Bellarminum Lib. 4. de SS. Pontifice cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. quandoquidem ista momenta præsentem non spectant controversiam, quippe quæ solum moveatur de fide, & de SS. Pontifice ex cathedra loquente.

Dices: Zosimus credidit & declaravit Cœlestium Pelagii asseclam catholicum: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Declaravit errore facti deceptus, concedo: adhærendo errori, nego. Cœlestius illuserat Zosimo præsentando fidei professionem specie-tenus catholicam, sed fraude detecta, illum damnavit.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

A B. Petro ad nostra usque tempora nullus SS. Pontifex ex cathedra loquens de materia religionis erravit in fide.

PRIMO: Sic propugnat Theodoretus Epist. 116. Sic Agatho in sua ad sextam Synodum directa epistola.

Secundo: Omnes hæreses decurrentes incunctanter damnavere SS. Pontifices, nec ullum reperies, qui contra hæreticam pravitatem, adunato Concilio, suum non addiderit calculum; e contra vero si qui Episcoporum conventus errori faverint, eos vacuos & inanes dimisere.

Tertio: Nullus ad hæc usque tempora inter

inter Hæreticos aliquem expresse annumeravit Pontificem: Neque vero credibile est nonnumquam contigisse aliquem SS. Pontificem loquentem ex cathedra in errorem fuisse prolapsum, cum hoc in Ecclesiæ dedecus vergeret, cui ex promissione Christi, portæ inferi nusquam prævalebunt.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Quæ objiciuntur contra intemeratam SS. Pontificum fidem sunt dubia & non probata, ac mere æquivoca, quandoquidem adversantes contundunt SS. Pontificem ut personam particularem cum publica: Ceterum non defuerunt Apologistæ, qui SS. Pontifices injuste accusatos defenderent, & eorum vindicarent innocentiam.

Secundo: Alii etiam potentiam ab actu non satis distinxerunt: Propugnando SS. Pontifices non esse in fide determinanda infallibiles, & hoc ex falsis errorum factis concludunt: non est quidem de fide esse indefectibiles, & de hoc in utramque partem, teste Bellarmino, disputatur in Scholis Catholicis, sed dato quod non sint nisi accedente Ecclesiæ consensu infallibiles, non inde sequitur aliquos de facto errasse; hinc opinio illorum non isto dubio inniti debet fundamento, sin minus isto concusso, & vacuo præceps ruet ædificium.

Tertio: Gratis dicitur multos Pontifices errasse in fide, cum contrarium affulgeat: Si quid tamen aliqui pro fide aut tacuerint, aut dissimulaverint, hoc ipsum loquentes ex cathedra nusquam fecere.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum sit de fide diploma summi Pontificis ex cathedra loquentis de rebus dogmaticis & Religionem spectantibus esse infallibile quando accedit Ecclesiæ consensus?

CONVENIUNT omnes Catholici, *ait Bellarminus hic lib. 4. de summo Pontifice cap. 2. pag. 960. & 961.* & Hæreti„ci in duobus. Primo, posse Pontificem „etiam ut Pontificem, & cum suo cœ„tu Consiliariorum, vel cum generali „Concilio errare in controversiis facti „particularibus, quæ ex informatione „testimonisque hominum præcipue pen„dent. Secundo, posse Pontificem, ut „privatum Doctorem errare, etiam in „quæstionibus juris universalibus tam fi„dei, quam morum, idque ex ignoran„tia, ut aliis Doctoribus interdum acci„dit.„

Pergit: " Deinde Catholici omnes in a„liis duobus conveniunt, non quidem „cum Hæreticis sed solum inter se. Pri„mo, Pontificem cum generali Concilio „non posse errare in condendis fidei de„cretis, vel generalibus præceptis mo„rum. Secundo, Pontificem solum, vel „cum suo particulari Concilio aliquid in „re dubia statuentem sive errare possit, „sive non, esse ab omnibus Fidelibus obe„dienter audiendum.

Tum ait: " Quibus ita constitutis, qua„tuor tantum remanent diversæ senten„tiæ. Prima est, Pontificem etiam ut „Pontificem, etiamsi cum generali Con„cilio definiret aliquid, posse esse Here„ticum in se, & edocere alios hæresim. „Hæc est Hæreticorum omnium. Se„cunda sententia est Pontificem etiam ut „Pontificem, posse esse Hæreticum & „docere hæresim, si absque generali Con„cilio definiat... Hanc opinionem sequi„tur, & tuetur Nilus &c.... Tertia sen„tentia est in alio extremo, Pontificem „non posse ullo modo esse Hæreticum, „nec docere publice hæresim, etiamsi „solus rem aliquam definiat. Ita Alber„tus Pighius... Quarta sententia est quod„ammodo in medio, Pontificem, sive „Hæreticus esse possit, sive non, non „posse ullo modo definire aliquid Hære„ticum, a tota Ecclesia credendum: „Hæc est communissima opinio fere om„nium Catholicorum, ut B. Thomæ 2. 2. „q. 1. art. 10. Thomæ Waldensis... viden„tur quidem hi auctores aliquo modo in„ter se dissentire quia quidam eorum „dicunt Pontificem non posse errare si „mature procedat, & consilium audiat „aliorum Pastorum.„

Quæritur igitur num summus Pontifex sit infallibilis ex cathedra loquens & defi-

niens aliquid circa religionem & fidem? Juxta Bellarminum de hoc disputatur inter Catholicos, quamvis affirmativa videatur probabilior, & eam ex professo multis in locis doceat sanctus Thomas, scilicet Quodlibeto, art. 19. Lib. 3. de regim. Eccles. capit. 19. 2. 2. quæst. 1. art. 10. a quo discedere erubescere mus; quia tamen ab aliquibus annis non permittitur in Galliis, saltem secluso strepitu, eo quod ex illa opinione multi putant Libertates Gallicanas in periculum venire, quocirca adhærentes consilio Apostoli 2. Cor. 6. 3. *Nemini dantes ullam offensionem ut non vituperetur ministerium nostrum*; de hoc momento silere juvat; & ad alteram sententiam, in qua omnes Scholæ consociantur, convertitur oratio, maxime cum scopus noster in hoc Theologico Tractatu sit debellare hæreses, quæ tanto efficacius compescuntur, quanto magis Theologi simul adunati illas impugnare aggrediuntur: Igitur ut conclusio nostra sit terribilis ut castrorum acies ordinata, sicut Israel exercitus quasi unus homo adversus Philisthæos progrediebatur, sic omnium Theologorum Catholicorum innixi manu cum Hæreticis & Novatoribus S. Sedis Petri infensissimis adversariis descendimus in prælium in nomine Domini cum tota Ecclesia. Unde sit

CONCLUSIO.

Diploma S. Pontificis dogmaticum est infallibilis regula fidei, accedente Ecclesiæ consensu.

Probatur multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

CHRISTUS suam fundans Ecclesiam ait Petro Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Rursus Joan. 21. eidem Petro ait: *Pasce agnos meos ..... Pasce oves meas.* Rursus Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Citra dubium est I. Christum in primo & secundo loco prærogativam Petro tribuere. II. Ecclesiam commemorare, ut Caput sit cum ea. III. Promittere expresse portas inferi non prævalituras adversus Ecclesiam super petram, seu Petrum fundatam. IV. Ulterius suam circa indefectibilitatem aperire mentem: *Ecce ego, &c.* quo oraculo omne tollitur dubium de infallibilitate Petri cum Ecclesia conjuncti, adeoque & ceterorum in suo Pontificatu successorum. Igitur diploma Pontificium cui accedit Ecclesiæ consensus est infallibilis fidei regula: Ergo &c.

Secundo, ex sanctis Patribus.

INNOCENTIUS I. Epist. ad Patres Carthaginenses 181. alias 91. eos sic alloquitur: "Non censetis esse calcanda, quæ „ illi, non humana, sed divina decre- „ vere sententia. „ Zosimus Epistol. 10. ad Aurelium. "Quamvis Patrum Traditio „ Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam „ tribuerit, ut de ejus judicio disceptare „ nullus auderet ... tantam enim huic A- „ postolo *Petro* canonica antiquitas super „ sententias omnium voluit esse poten- „ tiam, & ipsa quoque Christi promissio, „ ut & ligata solveret, & soluta vinciret, „ &c. „ Rursus sanctus Leo Serm. 2. in die Assumpt. ad Pont. " Soliditas illius fi- „ dei, *ait*, quæ in Apostolorum Principe „ laudata est, perpetua est, & sicut per- „ manet quod in Christo Petrus credi- „ dit: ita permanet quod in Petro Chri- „ stus instituit. „ Rursus Simplicius Epist. 4. ad Zenonem Imperatorem: " Perstat „ in successionibus suis hæc & eadem „ Apostolicæ norma doctrinæ, cui Domi- „ nus totius curam ovilis injunxit, cui se „ usque ad finem sæculi minime defutu- „ rum, cui portas inferi numquam præ- „ valituras esse promisit; cujus sententia, „ quæ ligarentur in terris, & solvi testa- „ tus est non posse nec in cœlo. Similia proferunt Gelasius I. Epist. 8. Pelagius II. Epist. 5. ad Episcopos Istriæ. Adrianus I. Epist. ad Tarasium Patriarcham CP. & alii: Porro ex Innocentio Patres qui SS. Pontificibus ex cathedra loquentibus adhæserant, sententia non humana, sed divina id fecere: Ex Zosimo auctoritas SS. Pontificis in pronunciando fundatur in institutione Christi & Traditione: Ex Simplicio eadem auctoritas Petro a Christo collata perseverat: decretis vero SS. Pontificum accessit Ecclesiæ consensus expres-

expressus Africanorum Conciliorum pro statutis ab Innocentio I. & Zosimo contra Pelagianorum proterviam; Concilii Chalcedonensis pro sententia B. Leonis contra Eutychianos; totius Orientis pro iis quæ Simplicius scripsit ad Imperatorem: tacitus vero pro aliis, qui quidem consensus nec defuit, nec ut speramus unquam deficiet: Sed non aliud requiritur pro regula fidei infallibili: Ergo &c.

Tertio, ex Conciliis.

SUFFICIT ad hanc probationem revocare in memoriam summos Pontifices solitos fuisse ad Concilia adunata scribere, eisque credenda determinanda annumerare, Concilia vero adamussim Epistolis illis adhæsisse; sic Cœlestinus ad Patres Ephesinos scripsit, S. Leo ad Chalcedonenses, Agatho ad Constantinopolitanos, Adrianus primus ad Synodum secundam Nicænam pro cultu SS. Imaginum definiendo, ex quibus mira semper apparuit pro definitionibus fidei inter summos Pontifices & Concilia consociatio, ita ut nulli præter Heterodoxos definitionibus ab eis emanatis restiterint. Secundo neque oblivioni tradendum Concilia Oecumenica in definitionibus fidei esse infallibilia, ut primum accessit eis summi Pontificis assensus: Igitur idem vicissim asserendum de diplomatibus dogmaticis a SS. PP. emanatis, cum nihil ultra ad juris solemnitatem requiratur. III. Ut primum non contradicit Ecclesia diplomati, jam adest consensus saltem tacitus Ecclesiæ, juxta illud tritum axioma, *qui tacet, consentire videtur*. Igitur diploma Pontificium accedente consensu Ecclesiæ est regula fidei infallibilis.

Quarto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA: Ecclesia est infallibilis, & hoc est de fide, ut supra ostensum est: Sed quando accedit ejus consensus diplomati Pontificio dogmatico, jam est ipsa quæ loquitur per SS. Pontificem. Ergo &c.

Secunda: Qui resistit summi Pontificis decreto Ecclesiæ consensu munito, habendus est ut Ethnicus & Publicanus, & in Gallia ut hæreticus & extraneus habetur: Sed hoc non esset, si hujusmodi decretum tanta solemnitate vestitum & adornatum non foret regula infallibilis fidei. Ergo &c.

Tertia: Ipso non diffitente Quesnello in sua ad D. Vitte Epistola, *Bulla Vineam Domini Sabaoth*, est regula fidei, eo quod accesserit ei consensus saltem tacitus Ecclesiæ: idem ultro confessus est de illa DD. Daguesseau Galliæ Cancellarius in sua dum erat Procurator Regius & generalis ad Senatum Parisiensem oratione; idem & candide confessus est de constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. contra Jansenium, Innocentii XI. contra spuriam Molinos doctrinam, cum & Clementis XI. pro Bulla laudata *Vineam Domini* Emin. Card. de Noailles, in suis vel ipse mandatis, & hoc ultro non semel admisere Novatores. Igitur nullo præter Calvinistas diffitente, diploma Pontificium assensu expresso vel tacito Ecclesiæ munitum, est regula infallibilis fidei.

Quarta: Si aliquid ultra requireretur, duo sequerentur absurda: Primo quidem, daretur processus in infinitum, & deficeret ad obstrepentes compescendos remedium, quod dubio-procul ubique in Ecclesia Dei perpetua pararet incendia. Secundo, cum non sine magna difficultate adunentur Concilia, licitum foret novitates promiscue adinvenire & disseminare, ita ut dictu horrendum, qui hæresim manifestam propugnaret, nihilominus foret Catholicus & membrum Ecclesiæ unitum, cum expectanda foret ad definitionem litis Concilii adunatio.

Quinta: Probatum est summum Pontificem esse Caput, & omnium Christianorum Patrem, universalis Ecclesiæ nedum nomine & honore, sed dignitate & auctoritate Primatem, ad ipsum pertinere totius Ecclesiæ curam: Sed posito quod ejus diplomata dogmatica, vel ipsius Ecclesiæ consensu munita, non essent infallibiles fidei regulæ, ita ut unicuique licitum foret eis obedire, vel non, jam nutaret fides, jam deficeret in Ecclesia Caput, cum nihil influxus certi pro religione haberet; jam exsufflaretur Primatus auctoritas quæ est penes religionem & fidem: Jam portæ inferi adversus ipsam Eccle-

siam prævalerent, cum tunc temporis unusquisque non aliam haberet fidei regulam præter spiritum privatum, ita ut quot capita, tot & religiones monstruosæ adessent. Ergo &c.

Supervacaneum est hic texere objectiones, & eis respondere; omnes quippe Catholici in hoc adunantur, soli vero hæretici propugnant Ecclesiam cum S. Pontifice consociatam, & SS. Pontificem cum ipsa per consensum Pastorum conjunctum esse fallibilem, quorum objectionibus levioribus non semel fecimus satis. Ceterum omnes Theologi conveniunt ad majorem solemnitatem & cautelam requiri Ecclesiæ consensum tacitum vel expressum; vel ipse Bellarminus fatetur multos Catholicos summo Pontifici adhærentes hoc exigere :- *Quidam eorum dicunt*, ait, *Pontificem non posse errare si mature procedat & consilium audiat Pastorum*. Quidquid sit, est extra dubitationis aleam summi Pontificis diploma dogmaticum esse infallibilem fidei regulam, quando accedit ei consensus expressus, vel tacitus Ecclesiæ. Ergo &c.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Diploma Pontificium dogmaticum cui accedit consensus Ecclesiæ, est regula infallibilis fidei.

PRIMO: Est ipsa Ecclesia loquens per summum Pontificem; est autem de fide Ecclesiam dogmatice loquentem esse infallibilem. Ergo a pari.

Secundo: Qui resistit S. Pontifici sic loquenti non audit Ecclesiam, adeoque habendus est ut Ethnicus & Publicanus. Ergo &c.

Tertio: Probabilissimum est juxta opinionem D. Thomæ S. Pontificis ex cathedra loquentis diploma dogmaticum esse infallibilem fidei regulam, sed de hoc disceptatur in scholis, ait Bellarminus; minime vero quando diplomati accedit consensus Ecclesiæ expressus, vel saltem tacitus: Ergo &c.

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum diploma Pontificium, dogmaticum sit infallibilis fidei regula, accedente majoris Pastorum numeri consensu, aliis paucioribus renitentibus.

CONTRARIUM propugnat Quesnellius in Libro qui inscribitur *disciplina Ecclesiæ* Tom. 1. non agimus impræsentiarum de Libro reflexionum ejusdem auctoris, ex quo 101. Propositiones excerptæ, quæ a Clemente XI. felicis recordationis Papa proscriptæ sunt, cui damnationi accessit expressus in Epist. & mandatis Episc. consensus, tum & Conc. Later. sub beatissimo & sanctissimo Papa Benedicto XIII. ann. 1725. adunati definitio, hinc causa finita est. Quæstio igitur præsens solum movetur de majori, vel minori numero eorum qui adhærent diplomati Pontificio. Novator contendit majorem copiam Præsulum, tametsi capiti adunatorum non semper prævalere, quod quidem ex professo docet in Libro disciplinæ Ecclesiæ mox laudato pag. 224. 225. 227. 228. 229. Ei subscribit anonymus quidam in Libro cujus titulus, *Veritatis testimonium*. Opposita sententia communis est apud Theologos. Sic propugnat ex professo inter recentiores D. Tournely hic Tom. 1. art. 3. in primis vero Eminentissimus Cardinalis de Bissy Opusculo inscripto: *Memoriale ann. 1717. ubi demonstratur vacuitas, non propugnabilis appellationis a Bulla Unigenitus*: pag. 5. 6. & 7.

Ad hanc quæstionem perfecte eliquandam tria potissimum contra obstrepentes discutienda sunt. Primo quidem, num diploma Pontificium dogmaticum evadat regula infallibilis fidei ut primum accedit majoris partis Præsulum consensus. II. Num paucior numerus SS. Pontifici adhærens præponderet majori numero a SS. Pontifice divulso. III. Utrum clamor populi aliquid auctoritative valeat pro veritatis fidei testimonio?

SE-

SECTIO PRIMA.

Utrum sufficiat major Præsulum numerus adhærentium Papæ, ut diploma Pontificium dogmaticum evadat infallibilis fidei regula?

CONCLUSIO.

Major pars Pastorum cum SS. Pontifice definitionem fidei emittunt.

Probatur multis momentis.

Primum argumentum desumitur ex dictis.

PRIMO QUIDEM, constat secundum graviſſimos auctores ſedem Apoſtolicam eſſe in iis quæ ſpectant fidem & religionem infallibilem; huic autem opinioni nequidem Galli Theologi recentiores refragantur: quid autem ſit ſedes Apoſtolica, eſt juxta Eminentiſſimum Cardinalem de Biſſy in opere mox laudato, ſummus Pontifex cum Cardinalium Collegio, Prælatis Romanæ Diœceſeos, & Conſultoribus. Non minus conſtat ſecundum mentem Cleri Gallicani etiam anno 1682. ſufficere conſenſum explicitum, vel implicitum majoris partis Præſulum, & hoc ſolius regni ubi nata & orta eſt controverſia, ceterorum vero tacitum. Audiendus eſt de hoc momento D. Tournely propoſitionum Cleri Gallicani tenaciſſimus.

Sic loquitur, Tom. 2. de Eccl. art. 3. pag. 163. citato: "Reſpondeo III. *ait*, ſatis „ eſſe ut tuta habeatur & firma Pontifi„ cis Romani ſententia, quod plures ha„ beat expreſſe ac formaliter ſuffragantes „ ac conſentientes inſignium Eccleſiarum „ Epiſcopos; eos præſertim quorum in „ Provinciis error exortus fuit: aliorum „ enim tacitum conſenſum ſufficere jam „ diximus. Hac ratione S. Auguſtinus „ Serm. 131. alias 2. de verbis Apoſtoli, „ Pelagianis dicebat: *De hac cauſa jam „ duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtoli„ cam: inde reſcripta venerunt..... Cauſa „ finita eſt: utinam aliquando & finiatur er„ ror.* En expreſſus & formalis Epiſcoporum Africæ conſenſus, ſeu ſententia „ quæ ab Apoſtolica ſede confirmata fuit. „ Et Lib. 4. ad Bonifacium capite ultimo, „ Pelagianis generalem Synodum poſtu„ lantibus, jure denegatam fuiſſe, utpo„ te minime neceſſariam, inde merito „ probat, quod eorum hæreſis expreſſo „ Epiſcoporum Africæ, ubi nata illa fue„ rat, judicio, cui & Romanæ ſedis ac„ ceſſerat auctoritas, aliorum vero per „ orbem diſperſorum Epiſcoporum tacito „ ſaltem conſenſu proſcripta fuiſſet.

Tum ſic concludit pag. 163. & 164. "Si „ ergo contingeret in aliqua fidei contro„ verſia diviſos eſſe Epiſcopos, atque plu„ res ex una parte cum Pontifice Roma„ no, plures ex altera ſine Pontifice ſta„ re, haud dubie ei parti adhærendum „ foret, quæ capiti conjuncta eſſet: iſta „ etenim melior ac ſanior pars cenſeri „ deberet, & Eccleſiam ſufficienter re„ ferre: Eccleſia ſiquidem corpus eſt vi„ ſibile Capiti ſuo Romano Pontifici adu„ natum, & ipſe Pontifex Romanus eſt „ centrum unitatis & communionis Ec„ cleſiaſticæ. *Eccleſia*, inquit S. Cypria„ nus Epiſtol. 69. ad Pupianum: *Eſt plebs „ Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex ad„ hærens..... Atque Eccleſia eſt in Epiſcopo, „ & Epiſcopus in Eccleſia.* Inde eſt quod „ Patres Chalcedonenſes in Epiſtola, ſeu „ relatione ad S. Leonem, ſub finem i„ pſum rogant, ut ſuum velit a Concilio „ definitis accommodare conſenſum. *Ro„ gamus*, inquiunt, *& tuis decretis noſtrum „ honora judicium; & ſicut nos capiti in bo„ ni adſcivimus conſonantiam, ſic & ſummi„ tas tua filiis, quod decet adimpleat.* Duo, „ quod adverte, hic junguntur, & ſum„ mitas ſeu Primatus Romani Pontificis, „ & conſonantia ſeu conſenſio doctrinæ, „ tum capitis, tum membrorum, ex qua „ naſcitur firmitas, & robur communis „ ſententiæ. Qui ergo a capite ſuo divi„ ſi forent Epiſcopi, etſi forte numero „ vincerent, auctoritate tamen non vin„ cerent, ac major pars ſaniori cedere „ tunc deberet; quamquam certiſſime „ confidimus, nunquam, Deo ita provi„ dente, talem futuram de fide diſcor„ diam, ut major Epiſcoporum numerus „ errori conſentiat. „

Secundum argumentum, ex SS. Athanasio & Basilio eruitur.

MAJOR pars adhærentium definitioni prævalet, si sancti Patres isto usi sint argumento uti omni acceptione digno ad subvertenda Arianorum molimina: Atqui res sic se habet, & probatur.

S. Athanasius ab Arianis exagitatus suas Apol. 2. agit partes, ostendendo numerum Episcoporum fidei Nicænæ, & S. Sylvestro adhærentium longe superare Arianorum cœtum: " In magno, *inquit*, Sardico Concilio ad edictum religiosissimorum Principum Constantii & Constantis, in quo judicio ita ceciderunt adversarii, ut habiti pro calumniatoribus depositionem, exauctorationemque ordinis sui retulerint: nostram vero innocentiam plures quam trecenti Episcopi suis calculis comprobarent, qui ex multis Provinciis..... Eo se ad Concilium contulerant, adeo ut Ursacius & Valens cum antea se pro calumniatoribus gessissent; pœnitere se sui facti protestarentur. "

Rursus: Ibidem refert Arianorum conquestum, qui majori numero se superatos esse dolent: " Quicquid, *inquiunt*, terrarum est, scriptis suis quibus nos impetit, adimplevit Athanasius, & plurimi quidem cum eo communionem habent, eorum autem qui videntur nobiscum esse, hi quidem adjunxerunt se illi, ceteri idem facturi sunt, nos autem remansimus soli. " Et tamen plures & fortassis ducenti erant Ariani Episcopi, sed Orthodoxorum superabat simul & vincebat numerus.

S. basilius Epist. 75. eodem argumento urget Arianos, his verbis: " Fuerat justius res nostras æstimare, non ex uno aut altero eorum, qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, sed ex multitudine totius orbis Episcoporum, qui gratia Christi conjuncti sunt nobis; requirantur vero Pisidæ, Lycaones &c. "

Tertium argumentum, ex factis & possessione Ecclesiæ.

EODEM prope modo ratiocinandum est de Ecclesia dispersa loquente per summum Pontificem, ac de ea quum in Conciliis adunata loquitur: Atqui in Conciliis major Præsulum pars pro fidei definitione ab Ecclesia in Spiritu sancto congregata prævalet: Igitur & quando dispersa loquitur per SS. Pontificem, cujus diplomati dogmatico accedit majoris numeri Prælatorum consensus: sin minus portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam, quod Christi adversatur promissioni. Major quæ posset in dubium venire, probatur ex factis.

Primum, est resistentia septem Episcoporum, qui in Concilio primo Nicæno noluerunt, nec Arium, nec ejus Thaliam a Synodo damnatam abjicere: Sed prævaluit Patrum definitio; tum exauctorati rebelles exularunt, consentiente Magno Constantino, nec in pristinam sedem restituti sunt, donec utriusque capitis subscriberent damnationi. Ergo &c.

Alterum factum contigit in Concilio Ephesino: quadraginta circiter Episcopi, præside Joanne Antiocheno in eadem urbe pseudo Concilium oppofuerunt legitimo, & Nestorium a Cœlestino I. Papa & Patribus Synodicis proscriptum absolvebant; sed ipsi abjecti & propulsi, ad meliorem frugem redeuntes, majori numero consenserunt, tum & dolentes subscripserunt Nestorii, & aliorum illi adhærentium exauctorationi: namque Patres Ephes. Act. 5. Tom. 3. Conc. pag. 658. dicebant: " Perabsurdum est, ducentorum & decem sanctorum Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta tantum numero se opponere. "

Tertium: legitur in Conc. Chalced. ubi lecta est S. Leonis de fide Incarnationis epistola, cui Episcopi Ægypti nolebant subscribere: Sed major ex alia parte Episcoporum numerus sic prævaluit, ut rebellibus anathema interminatus sit, nisi cito-citius & absque mora epistolæ S. Leonis per quem, inquiebant Synodici Patres,

Petrus

Petrus locutus est, consentirent. Istos sic alloquuntur Patres Act. 4. pag. 90. Conc. Binii col. 2. " Universalis hæc Synodus, „ Ægyptiaca regione major est, & fide „ dignior. Et non est justum, decem hæ- „ reticos audiri, & prætermitti mille „ ducentos Episcopos. „ Et sic de aliis controversiis.

Quartum argumentum, ex variis rationibus coalescit,

SENTENTIA quæ innititur rationibus auctoritate Patrum, juris & usu suffultis, ceteris aliis opinionibus prævalere debet: Atqui sententia quam hic exponimus, talis est: Et probatur, varias & luculentissimas afferendo rationes.

Prima: Est de fide Ecclesiam esse visibilem, ut supra probatum est: Sed si pauciori numero comprehendatur, non constabit ubi erit: cum hæc sanior pars fit obscura, & incerta, maxime cum Quesnellus simul cum Protestantibus eam reponat in numero non Ecclesiæ Præsulum & Primatum, cum in loco citato expresse dicat non Petro, cui major pars Ecclesiæ & ejus insignes adhærebant, sed ipso relicto, uni Paulo adhærendum esse, ex quo concludit quandoque contingere, majorem Prælatorum partem etiam Capiti adhærentium derelinquendam esse, & aliquibus Prælatis tametsi exagitatis obediendum esse: sed contra quod ait Hieronymus, qui Dial. contra Luciferianos, Tom. 4. part. 2. pag. 298. ostendit illis hæreticis veram propter membrorum suorum paucitatem non habere Ecclesiam: " Allocutio Patris „ adimpleta est, postula a me & dabo tibi „ gentes in hæreditatem tuam... Et ubi „ isti sunt nimium religiosi, immo nimium „ profani, qui plures Synagogas asserunt „ esse, quam Ecclesias... Si Ecclesiam non „ habet Christus, aut si in Sardinia tan- „ tum habet, nimium pauper factus est. „ Concinit S. Augustinus qui eodem universitatis argumento debellat Donatistas, qui Ecclesiam apud se solum existere effutiebant. Tract. 3. in Epist. Joan. Tom. 3. part. 2. pag. 846. illis sic respondet: " Te- „ nemus hæreditatem Christi: Illi eam „ non tenent, non communicant orbi „ terrarum, non communicant universi- „ tati redemptæ sanguine Christi. „

Altera hæc est: Juxta regulam a SS. Patribus non semel assignatam, ordo salutis & sapientia expostulat, ut servetur quod traditum est, quod usus & possessio Ecclesiæ obtinuit: Atqui talis est usus & regula, ut in negotio salutis adhæreamus legi in Ecclesia universaliori, usui consuetudine majorum firmato: Ergo &c. Hæc ratio est Vincentii Lirinensis in Comment. cap. 3. his verbis: " In ipsa „ Catholica Ecclesia, magnopere curan- „ dum est, ut id teneamus, quod ubique, „ quod semper, quod ab omnibus credi- „ tum est: hoc est etenim vere, proprie- „ que catholicum, quod ipsa vis nomi- „ nis ratioque declarat, quæ omnia fere „ universaliter comprehendit. Sed hoc ita „ demum fiet, si sequamur universitatem, „ antiquitatem, consensionem. „

Tertia: Quod leges Ecclesiasticæ & civiles prohibent, id in praxi vitandum & in theoria abhorrendum est: Atqui pauciorem numerum Præsulum relicto majori Pastorum adhærentium Capiti, sicut vitandum, sic & abhorrendum est: Ergo &c. Probatur minor. Clerus Gallicanus ann. 1715. hanc censura confixit propositionem ex Libro, cujus titulus, *Testimonium veritatis* deprompiam, in qua Anonymus: *Episcopatum unum esse constetur, & eumdem indivisum: quem tamen quandoque constare ait paucorum Episcoporum numero, etiam a suo legitimo capite, seu a Cathedra principali, unde unitas Sacerdotalis exorta est, dissidentium, & absque perfecta illa totius fraternitatis & unanimitatis Episcoporum cohærente concordia; quibus in solidum & regendam suam Ecclesiam, & servandum fidei depositum Christus commisit.*

Accedit Carolus Magnus, qui in sua ad Elipandum, & ceteros Hispaniarum Episcopos Epist. Labb. Tom. 7. Conc. pag. 1049. ait: *Cum his sanctissimis prædictorum Patrum decretis, & Catholicis statutis consensum subnexui ... Ne pasteorum subdolis assertionibus consentirem: sed plurimorum testimoniis roboratam fidem tenerem .... Horum me sanctissimæ multitudini & probatissimæ auctoritati in vera fidei professione firmiter associans, nec vestræ me paucitati in confessione hujus novæ assertionis socium admitto .... Vos igitur qui pauci estis, unde putatis vos aliquid verius* inve-

nvenire potuisse, quam quod sancta universalis toto orbe diffusa tenet Ecclesia?

Quarta: Jura statuunt in judiciis ferendis, juxta pluralitatem suffragiorum concludendum esse: Sed in controversia fidei & religionis agitur de sententia circa propositiones dogmaticas ferenda: Igitur diploma a S. Pontifice majori Pastorum parte sibi adhærente, est vera & certa infallibilis fidei regula.

Quinta: Unitas debet in omni fidei regula servari, sin minus nutaret religio, ut dictum est de unitate Ecclesiæ: Sed si S. Pontifex, cui accedit major Præsulum numerus non ponderat, dum ex Cathedra loquens profert de materia Religionis sententiam, violatur unitas Ecclesiæ, cum teste Cypriano, S. Petri Vicarius sit unitatis centrum. Ergo &c.

Diluuntur objecta Novatorum.

Objiciunt I. Exod. 23. legitur: *Non sequeris turbam*. II. Cyprianus cum tribus Conciliis simul & Firmilianus cum duobus Baptismum ab hæreticis tametsi verbis Evangelicis collatum abjiciebant; solus vero Stephanus I. restitit & prævaluit, ait S. Augustinus Lib. de unico Baptismo Cap. 14. num. 23. hinc Lib. 3. de Bapt. Cap. 4. num. 6. ait in quæstione obscura veritatem ab unodumtaxt, vel paucis teneri & cognosci. III. S. Athanasius Tract. adversus eos qui ex sola multitudine veritatem dijudicant, Tom. 2. pag. 161. ait: " Quomodo igitur non „ miserandi illi, qui vim auctoritatemque „ doctrinæ sola multitudine metiuntur; „ nec considerant Dominum nostrum Jesum Christum duodecim discipulos, „ simplices, illiteratos, pauperes, ignaros, fiducia adversus mundum totum „ gratis munivisse? Sic illos instruens, „ non ut duodecim illi, Myriades sequerentur, sed Myriades duodecim illos sequi vellent? Ista semper vincit „ veritas, quantumvis apud paucos inveniatur. „ IV. Concinit Melchior Canus. Lib. 5. de auctoritate Conciliorum pag. 263. ubi docet res Religionis non numero, sed pondere auctoritatis judicandas esse: " Non itaque, *ait*, quod in humanis confessionibus fit, plurimum apud „ nos sententia prævalet. „ Igitur falsum est majorem numerum in definitionibus fidei præponderare pauciori.

Respondeo I. retorquendo argumentum. Novatores appellant ad Concilium generale a diplomate Pontificio, immo & exigunt ut ne unius quidem Præsulis deficiat suffragium, ut definitio evadat infallibilis fidei regula: Igitur iniquitas mentitur sibi, dum definitionem fidei inter pauciores sæpius concludi autument, quandoquidem majorem arithmetice Episcoporum numerum in Conciliis pro Canone de fide condendo exigunt.

Respondeo II. Omnes allatas auctoritates unum dumtaxat probare, scilicet majorem numerum pro virtutum operibus statuendis, & hominum exempla non esse exquirenda, cum lata sit via quæ, teste Christo, ducit ad perditionem; hinc pauci electi; citra dubium est enim in malo faciendo multitudinem præponderare, infinitus quippe est Idololatrarum, Paganorum, Hæreticorum, & Schismaticorum numerus, qui velut arena maris in immensum superat Catholicorum Romanorum copiam: innuunt etiam argumenta ex auctoritate petita non populum bardum & ignarum, cujus immensus est numerus, audiendum esse in judiciis de fidei quæstionibus; sed electum & parvum Episcoporum numerum ad quos solos spectat regere Ecclesiam Dei. Jam ad singula respondendum est.

Ad primum: Scriptura loquitur de impiis, quorum exemplis nemo inhærere debet; sed potius imitandos esse justos, numero quidem pauciores, sed virtute majores; sic enim subditur: *Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.*

Ad secundum, merito dicit S. Augustinus Stephanum prævaluisse Rebaptizantibus, & illi potius quam Conciliorum particularium multitudini adhærendum fuisse, quippequi haberet pro se Traditionem Apostolicam, cui unusquisque credere debet, quia juxta Vicentinum Lirinensem supra laudatum: " In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum „ est, ut id teneamus, quod ubique, quod „ semper, quod, ab omnibus credi„ ditum est. „

Ad tertium, S. Athanasius loquitur de mul-

multitudine impiorum, quorum nullus debet imitari exempla: subdit enim immediate post verba in objectione allata: " Multitudo sua auctoritate sine demonstrationibus comprobans, est ista quidem idonea ad incutiendum metum; sed ad persuadendum nullo modo .... Quis igitur sana mente præditus non malit in paucorum esse numero, per angustam portam ad salutem ingredientium, quam multorum per latam ad interitum ruentium sequi. " Sic Mahumetani sua multitudine probare non possunt suam religionem esse veram, & Deo gratam.

Ad quartum: Unum contendit Canus, nimirum, res fidei non esse definiendas secundum humanas conjecturas, sed supernaturales in Scriptura & Traditione fundatas: sic enim pergit ibidem, post verba objecta: " Quod si semel fidei causam ad humanas conjecturas prudentiamque deducimus, verendum est sane, ne Ecclesiæ negotium, ex divino humanum faciamus. "

Instant: A regula fidei infallibili non datur appellatio: Sed non semel data est a diplomate Pontificio dogmatico, cui accesserat major Pastorum numerus, ut liquet ex appellationibus Donatistarum a sententia S. Melchiadis, & aliis pluribus: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Non datur justa appellatio & efficaciam habens, concedo: & jure ac merito provocatur a regula fidei infallibili, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Injusta appellatio non impedit, immo nec suspendit legis effectum, ait D. Bernardus Lib. 3. de consid. cap. 1. & Ivo Carnotensis, inter summistas Galliarum celeberrimus Epist. 219. ad Paschalem II. sic docet Illust. D. de Marca Lib. 4. de Concor. Sacerd. cum imperio cap. 17. ubi docet appellationes ab diplomatibus receptis & acceptatis esse in jure antiquo inauditas; hinc respondet appellationem Donatistarum fuisse vacuam, nec appellationis nomine celebrari, quia judex a cujus sententia provocatur, ipse quasi judicatur, dum ejus restauratur judicium, quod dubioprocul non contigit, inquit, pro appellatione Pelagianorum ad Concilium Arelatense, cum ibi, subdit, S. Sylvester per suos legatos sesserit ut Judex, & iterato judicio hæreticam damnaverit pravitatem. Isto innixus principio demonstrat Eminentissimus Cardinalis de Bissy, in suo Memoriali ann. 1717. provocationem a Bulla *Unigenitus* esse inanem, & hoc ab enumeratione omnium appellationum, quæ circa dogma Religionis nusquam habuere effectum: sin minus diploma Pontificium dogmaticum, cui accessit Ecclesiæ consensus, nullum esset, & tunc portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam, quod quidem admitti non potest. D. Tournely Tom. 1. de Eccles. Art. 3. multa de qualitate consensus requisiti subnotat.

Primo: Non expressum exigit, nec putat Episcopos acceptantes suo subjicere judicio judicium SS. Pontificis, & bene. Tom. 2. pag. 160. & 161. sic loquitur: " Quocumque autem modo recipiant Episcopi Pontificia de fide decreta, sive rem ipsam examinent, suamque sententiam singuli dicant: sive, ut ajunt Episcopi Galli in Epistola ad Innocentium X. in causa Jansenii, *suam in actis relationis sententiam ponant*, sive omittant, prout illis collibuerit, suo semper jure & auctoritate a Christo accepta judicandi de causis fidei, utuntur .... Cum vero pronuntiavit Pontifex, & Episcopi postea pro jure suo de re jam judicata etiam judicant, cave putes particulares Episcopos suo judicio subjicere judicium summi Pontificis. "

Secundo: Ad illum consensum requisitum, ait sufficere neminem resistere. Ibidem pag. 161. " Respondeo II. proinde quoque esse, sive sit expressus, sive tacitus & interpretativus Episcoporum consensus: ubi enim publica est Pontificis constitutio, & ad omnium notitiam pervenit, qui non contradicunt, procul-dubio consentire præsumuntur. Hoc modo ubique terrarum proscripta fuit Pelagiana hæresis. " Hoc ipsum probat pag. 346. ex facto rescriptorum contra Pelag. Innoc. I. & Zosimi, quibus teste Aug. causa Pelagianorum finita fuit; vix enim ad notitiam pervenerant decreta, quod causa habita sit ut finita: Namque Innocentius suum dedit ann. 317. & mortuus est; Zozimus vero illi successit anno circiter 318. & suum vicissim ad Patres Carthaginenses dedit, obiitque ann. 319.

certe

certe intra istius temporis angustias vix rescripta potuerunt publicari, & tamen ut primum Africanis dantur, ait Augustinus Serm. 2. de verbis Apostoli: *Rescripta venerunt; causa finita est.*

Tertio: Ibidem ait causam quandoque sic esse diffamatam & notam, ut non requiratur ulterius rei examen, & quod Episcopi suum addant scriptis calculum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Sufficit consensus majoris partis Episcoporum, ut omni seclusa disputatione & controversia diploma Pontificium dogmaticum sit regula infallibilis fidei.

PRIMO: Hoc ipse innuit Christus Matth. 18. 20. *Ubi enim sunt*, ait, *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quod dubio-procul intelligendum est de associatione plurium Pastorum cum summo Pontifice.

Secundo: Hoc quoque liquet ex Conciliis; major quippe Episcoporum numerus prævaluit in Concilio Nicæno, in Ephesino & Chalcedonensi contra pauciores.

Tertio: S. Athanasius Epistola Synodica ad Jovianum Imperatorem debellat Arianos Episcopos ex eorum paucitate: sic loquitur apud Theodoretum Lib. 4. Hist. cap. 3. " Scito religiosissime Auguste, " hanc *fidem* omnibus sæculis fuisse prædicatam, hanc professi sunt Patres qui " Nicææ convenerunt. Cum hac consentiunt omnes ubique gentium Ecclesiæ. " Eodem argumento S. Basilius " Epist. 75. ad Cæsarienses eos perstringit. Ratio est, quia hoc exigit Ecclesiæ " visibilitas; hoc ejusdem unitas: Non etiam satis claret ubi esset Ecclesia, si ad pauciores a Capite divulsos attendendum foret, neque ullo modo affulgeret unitas, cum SS. Pontifex sit unitatis centrum.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Ne minimum facessit negotium, cum Scriptura sacra & Patres dicunt post multitudinem non esse abeundum; tunc enim loquuntur de infidelibus, de hæreticis, vel etiam de malis & impiis Christianis, quorum omnium infinitus est prope numerus, qui latam viam, quæ ducit ad perditionem, tenent & sequuntur.

Secundo: Neque vero in judiciis fidei adhærendum est populi multitudini, numero Episcoporum prævalenti, cum ad eum non spectet judicium, nec causæ fidei sicut civiles & humanæ definiendæ sint.

Tertio: Non sine fundamento ait Augustinus quandoque contingere, vel in ipsis rebus religionis standum esse Capiti & pauciori Præsulum numero, quando quæstio est obscura, & nondum in aliquo Concilio eliquata, ut in negotio rebaptizantium. Prævaluit enim supra multitudinem unus Stephanus; quippe qui habere pro sua sententia Traditionem, ut patet ex ejus verbis: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.*

SECTIO SECUNDA.

Num paucior numerus Præsulum Capiti consociatorum in definitione fidei prævaleat super majorem a SS. Pontifice divulsorum?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur argumentis Theologicis.

PRIMUM ARGUMENTUM ex Scriptura sacra eruitur. Portæ inferi non debent prævalere super Ecclesiam: Sed si relinqueretur SS. Pontifex, cui justi & sancti Præsules adhærent, jam prævalerent portæ inferi. Et probatur: Primo quidem, non servaretur unitas, cum ab ejus centro, scilicet summo Pontifice fieret discessus. II. Petra super quam Christus ædificavit Ecclesiam nutaret; concusso autem fundamento, ruit ædificium. III. Multitudo Acephala prævaleret, & in eis foret corpus Ecclesiæ monstruosum; requiritur autem, ut aliquis in Ecclesia tamquam judex loquatur, quod sit Capiti consociatum, corpus enim Acephalum non est Ecclesia, sin minus hæretici Acephali veram habere Ecclesiam gloriarentur: Sed hæc & similia implicaut. Ergo &c.

Alte-

Alterum argumentum : Non licet refragari usui legitimo, & possessioni: Sed usus obtinuit Episcopos tametsi pauciores, ut primum cum SS. Pontifice consociantur, prævalere super majorem numerum a Capite divulsorum. Et probatur I. Ex Patribus Ariminensibus, qui propter fidem exularunt; licet enim numero pauciores aliis, qui formulæ Arianæ subscripserant, attamen adhærentes summo Pontifici prævaluerunt; sic & S. Hilarius & aliqui pauciores cum eo in Concilio Seleuciæ Arianos & Semi-Arianos superarunt. Sic in Concilio Chalcedonensi S. Leo per suos Legatos & aliquos Orientales restitere Asclepiadi & majori numero, & utique prævaluerunt. Sic Julius I. cum aliquibus Episcopis omnes Arianorum pseudo-Synodos exsufflavit, Athanasium, obstrepente Arianorum multitudine, in propriam restituit sedem, & fidem Nicænam immaculatam defendit.

Tertium argumentum petitur ex confirmatione Conciliorum. Ab ipsa vagente Ecclesia nullum Concilium sive particulare, sive etiam Generale robur habuit, donec accederet ei SS. Pontificis calculus; hinc quædam Concilia reprobata, quædam etiam ex parte solum approbata, & secundum partem, cui pondus addidit SS. Pontifex: Sic Concilium secundum generale pro primo dumtaxat fidei canone a Damaso SS. Pontifice approbato obligat: Sic Chalcedonense pro sex tantum prioribus sessionibus S. Leonis calculo munitis vim habet. Igitur major pars Præsulum a Capite divulsorum non prævalet super numerum pauciorum SS. Pontifici conjunctorum, cum nihil ratum pro fide habeatur in Ecclesia, donec accedat SS. Pontificis consensus.

Quartum argumentum est: Quod SS. Patres prædicant, ut quid verum suscipiendum est. Sed SS. Doctores docent S. Pontificem cum aliquibus Episcopis, & vicissim pauciores Præsules SS. Pontifici consociatos prævalere super majorem Acephalorum numerum: Et probatur: Primo quidem, ex eo quod nullus Pater ad hæc usque tempora ratam habuerit ullam fidei definitionem a summo Pontifice aut reprobatam, aut nondum approbatam. Secundo, S. Augustinus multis in locis docet S. Stephanum prævaluisse contra Rebaptizantes & eorum Concilia. Tum S. Athanasius ex professo docet Tractatu adversus eos qui volunt semper ad multitudinem attendere, quandoque pauciori numero esse cedendum: hinc ipse non semel, spretis Arianorum Conciliis, ad unum solum confugiebat SS. Pontificem, qui, adunatis aliquibus Episcopis, cuncta subvertebat in gratiam tanti Episcopi hæreticorum sævientium molimina: Ergo &c.

Quintum argumentum : Sic propugnant Theologi omni exceptione majores, ut S. Thomas jam jam citatus, qui ubique docet sententiam SS. Pontificis in omnibus, quæ fidem & religionem spectant esse sequendam, maxime cum ex prævia Episcoporum consultatione & requisitione ex cathedra loquitur. Duorum testimonia instar omnium sint, videlicet Melchioris Cani, & D. Tournely. Iste Tom. 1. de Eccl. art. 4. pag. 454. sic loquitur & sententiam Cani unam objectionem solvendo refert: " Respondeo mirum videri non debere, quod existimet Canus res fidei non numero Episcoporum, sed pondere & auctoritate Romani Pontificis definiri, a quo vim omnem & auctoritatem Conciliorum derivari arbitratur; atque ubi discordes sunt inter se Episcopi, ei parti semper adhærendum, pro qua stat Romanus Pontifex. " *Pondus Concilii dat summi Pontificis gravitas & auctoritas*. Pergit Canus L. 5. de auct. Concil. pag. 263. *Qui si adsit, centum Patres satis sunt, si desit, nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi. Nec si major pars Patrum vere sentiat, summus Ecclesia Pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Christi procurationem pertinet, semperque pertinuit, ne Ecclesia in factiones duas dividatur: nec Romanus unquam Episcopus contra Patres Concilii vere sentientes dixit*.

Tum D. Tournely Tom. 2. de Eccl. art. 3. pag. 163. & 164. loquitur in propria sententia, his verbis: " Si ergo contingeret in aliqua fidei controversia divisos esse Episcopos, atque plures ex una parte cum Pontifice Romano, plures ex altera sine Pontifice stare, haud dubie ei parti adhærendum foret, quæ Capiti conjuncta esset: ista etenim melior ac sanior pars censeri deberet, & Ecclesiam sufficienter referre; Ecclesia ti-

„ quidem corpus est visibile, Capiti suo „ Romano Pontifici adunatum; & ipse „ Pontifex Romanus est centrum unitatis & communionis Ecclesiasticæ: *Ecclesia*, inquit Cyprianus Epist. 69. ad „ Pupianum, *est plebs Sacerdoti adunata*, „ *& pastori suo Grex adhærens*..... *atque* „ *Ecclesia est in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia*..... Qui ergo a Capite suo divisi forent Episcopi, etsi forte numero „ vincerent, auctoritate tamen non vincerent, ac major pars saniori cedere „ tunc deberet; quamquam certissime „ confidimus, nusquam, Deo ita providente, talem futuram de fide discordiam, ut major Episcoporum numerus „ errori consentiat. „

Postrema ratio est: Synodus particularis tametsi Generali in Patrum numero multo inferior, si tamen sit cum summo Pontifice conjuncta, se habet veluti Oecumenica & quasi generalis, juxta sancti Athanasii sententiam; adeo verum est suffragium summi Pontificis robur omni exceptione majus addere Episcoporum conventui, quicumque sit: Igitur Præsules cum Papa consociati prævalent majori Episcoporum numero a SS. Pontifice divulsorum: Et vicissim Caput super alia membra ab ipso separata. Probatur antecedens ex Binio, qui in notis ad Concilium II. Alexandrinum pag. 285. sic loquitur: " Concilium Alexandrinum.„ *Hoc Concilium anno Domini 319. qui est Sylvestri VI. & Constantini Imperatoris 14. annus, Alexandriæ in Ægypto habitum est, cui omnes Episcopi, qui Alexandrino Primati parebant, una cum Osio Cordubensi Episcopo, qui Legationis Pontificiæ munere fungebatur, atque ideo huic Synodo præsidebat, interfuere. Ob quam causam Athanasius Apolog. 2. hanc Synodum generale Concilium appellavit; quod nimirum per Legatum Pontifex una cum præd. numero Episcoporum interfuerit.*

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES: Omnia argumenta in penultimo articulo allata probant majoris numeri Episcoporum consensum debere accedere definitioni Pontificiæ dogmaticæ, ut evadat infallibilis fidei regula: Igitur implicat contradictionem dicere pauciori numero quandoque cedendum esse; videlicet in casu quo pauciores Episcopi SS. Pontifici conjuncti forent, ceteri vero ab eodem divulsi.

Respondeo I. Conclusionem prioris articuli non evacuari. Certissimum est, etiam Novatoribus non diffitentibus, diploma Pontificium, cui accedit majoris numeri Pastorum consensus, esse infallibilem fidei regulam, & de hoc inter Catholicos, aut qui tales esse profitentur & credunt, non disceptatur. Et vero dum assertio communis proponitur, non excluditur altera quæ primam confirmat. Igitur asserimus sententiam dogmaticam SS. Pontificis prævalere etiam ubi adsunt pauciores Episcopi ei consentientes; a fortiori dominari, dum major pars consentiens accedit, & assulget.

Respondeo II. distinguendo: Argumenta prioris articuli probant majorem numerum Pastorum SS. Pontifici adhærentium requiri ad majorem solemnitatem: & judicii certitudinem, ne fidei hostes obstrepere audeant, & os loquentium iniqua obturetur, concedo: per exclusionem validitatis subsequentis conclusionis, nego. Constat enim solos SS. Pontifices, tribus prioribus sæculis varias pestilentes hæreses, quorum definitionibus nusquam restitit Ecclesia; a fortiori nusquam resistet, dum in definiendo, quibusdam electis Præsulibus sibi consociatis aliquid de fide definit summus Pontifex; tunc enim in Capite & Pastoribus illi adjunctis exhibetur & repræsentatur Ecclesia.

Instabis: Patres in probationem pro conclusione prima allati, dicunt non standum esse pauciori numero; hoc & Justinianus Imperator in edicto adversus tria Capitula, quod legitur in actibus Concilii V. generalis Tom. 5. Conc. pag. 711. *Nemo autem*, inquit, *attendit ad ea, quæ ab omnibus communi consensu definiuntur*. Ergo, &c.

Respondeo distinguendo: Non standum est pauciori numero a summo Pontifice divulso, concedo; secus, nego. Ad auctoritatem Justiniani similiter, distinguo: quisque debet attendere ad ea quæ communi consensu definiuntur cum SS. Pontifice, concedo; secluso ejus calculo, nego. Hinc curavit Imperator & integre ut Vigilius approbaret Concilium, cujus definitiones.

tiones in Ecclesia non habuerunt effectum, donec accederet illius suffragium.

Reponet: Lex universalis nedum pro civilibus, sed & pro negotiis Ecclesiæ ab omnibus recepta illa est, quod judicium juxta pluralitatem suffragiorum fiat: Sed posito quod pauciores Episcopi SS. Pontifici adunati prævaleant majori numero, subvertitur Lex ista communis. Ergo &c.

Respondeo I. Hoc esse verum pro civilibus; cum enim judices non sint infallibiles, sancitum est judicium esse ferendum juxta suffragiorum pluralitatem; sed non sic pro rebus fidei definiendis; cum enim Ecclesia sit in judicando infallibilis, & sufficienter repræsentetur per summum Pontificem & Episcopos illi adhærentes, judicium evadit infallibile, quia est Ecclesiæ judicium.

Respondeo II. distinguendo majorem: Lex judicii est, quod juxta pluralitatem suffragiorum pronuntietur, in civilibus, transeat: in rebus religionis, subdistinguo: si omnes Præsules SS. Pontifici adunentur, concedo: in hypothesi quod quidam solum illi adhærerent, nego. Dixi transeat pro civilibus, quandoquidem Rex Monarcha, auditis paucioribus consilii secreti consiliariis, sæpius refricat judicia a Senatibus lata. Porro a fortiori hoc concedendum & agnoscendum est pro diplomatibus dogmaticis Pontificiis; cum enim regimen Ecclesiæ sit principaliter Monarchicum, juxta S. Thomam & ipsum Gersonem, eo ipso quo aliqui Præsules in partem solicitudinis adsciti suum adhibent consensum expressum, vel tacitum, jam ipsa Ecclesia loquitur per supremum Pastorem, ceteri vero Episcopi tametsi numero superantes, non repræsentant Ecclesiam, utpote Acephali; hinc ait D. Tournely: " Qui ergo a Capite suo „ divisi forent, *Episcopi*, non vicerent, „ ac major pars saniori cedere tum de- „ beret. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Judicium dogmaticum SS. Pontificis, cui adhærent multi Episcopi, prævalet, tametsi multo plures resistant.

PRIMO: Hoc judicium censetur Ecclesiæ judicium, quæ repræsentatur per SS. Pontificem & Præsules ipsi adhærentes, nusquam vero per Acephalos, qui defectu unitatis illam non exhibent, cum ipsa sit essentialiter una.

Secundo: Hoc patet ex multis exemplis; non enim PP. Ariminenses qui formulæ Arianæ subscripserant, prævaluerunt, sed qui in exilium acti, pro fide Nicæna steterunt.

Tertio: Hoc quoque annuntiat confirmatio Conciliorum; Concilium enim Bagajense Donatistarum ubi aderant 308. Episcopi abjectum est, e contra vero Arausicanum II. quatuordecim dumtaxat Episcoporum vim in tota habuit Ecclesia, eo ipso quo ei accessit SS. Pontificis suffragium: hinc ejus canones veluti infallibiles fide regulæ pro necessitate gratiæ habentur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Ad majorem quidem solemnitatem & judicii certitudinem exigitur major pars Præsulum SS. Pontifici adhærentium, sed non inde evacuatur judicium cum pauciores adhærent Capiti, & alii ab eo discedunt.

Secundo: Patres asserunt majori numero, relicto pauciori, adhærendum esse; ast modo major pars SS. Pontifici totius unitatis Ecclesiæ centro consocietur; quasi vero Acephali & Schismatici possent prævalere.

Tertio: Lex pro judiciis juxta suffragiorum pluralitatem emittendis pro civilibus potissimum valet; dicam & pro judiciis de fide & religione ferendis, sed ea conditione, ut omnes adhæreant Capiti, sin minus vacuum maneret Concilium, quia ut primum esset Acephalum, non repræsentaret Ecclesiam. Immo vel ipsa Concilia in Spiritu sancto adunata, sibi Prælatos discordes abjecerunt. Sic Patres Ephesini Joannem Antiochenum & alios in rebellione sibi consociatos perstrinxerunt: sic Chalcedonense Episcopos Ægypti contumaces arguerunt, & sub anathematis interminatione definitioni fidei a S. Leone datæ, seu ejus Epistolæ de fide dominicæ Incarnationis subscribere compulerunt.

SECTIO TERTIA.

Utrum clamor populi Christiani auctoritative ponderet pro fidei definitione & determinatione?

SIC propugnat ex professo Anonymus in Libro cujus titulus: *Testimonium veritatis*. Status quæstionis non est, fidem populorum non esse aliquod veritatis signum: cum enim multi moribus bene instituti, & sicut charitate sic & fide conjuncti religionem Christi ab omni vitiorum fæce immunem fervent & profiteantur, in eis adest pro Paganis credibilitatis motivum; hinc teste Plinio juniore Trajanus cessare voluit sævientem adversus Christianos persecutionem, eo quod certior factus esset Christianos immaculatam vitam ducere, inimicis alacri animo parcere, temperare a spurcitiis carnis, vel etiam sæpe ab ipsius matrimonii deliciis carnalibus; sed quæritur, num populus in rebus fidei & religionis definiendis habeat auctoritatem?

CONCLUSIO.

Clamor populi, seu ipse populus nullam habet in fide definienda auctoritatem.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Omnis potestas in Ecclesia, teste Apostolo, est in ædificationem & non in destructionem: Sed supposito quod clamor populi ponderaret auctoritative in fidei definitionibus, illa potestas foret in destructionem: Et probatur: Subverteret ordinem Hierarchicum, qui ab institutione Christi promanat; non enim promiscue omnibus indiscriminatim dedit regere Ecclesiam, quam suo emit sanguine, sed solis Episcopis, ut habetur Act. 15. sin minus confusa Babyloni veluti assimilis, Ecclesia foret domus, cum quod statuerunt Præsules, sæpius a Laicis, qui terrena sapiunt & sæculi desideriis aguntur, evacuaretur. Ergo &c.

Altera sic procedit: Ecclesia est corpus ex Capite & membris constans, ita ut soli Capiti membra regere conveniat, ipsa vero membra Capiti subjici, ut habetur Rom. 12. 5. Rursus membra non eumdem actum habent: quædam assumuntur ad regiminis solicitudinem, quædam verò in famulando & obediendo solum incumbunt: Sed dubio-procul non populus, sed soli præcellentes & supra populum eminentes ad hoc a Christo assumpti sunt: Et probatur primo ex ipso Christo, qui Matth. 16. solum Petrum Caput elegit, ut probatum est supra: tum duodecim Apostolos, quibus succedunt Episcopi: sic enim habetur Luc. 6. *Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*. Qui quidem Ephes. 2. dicuntur Ecclesiæ fundamenta; sic enim scriptum est: *Jam non estis hospites & advenæ: Sed estis cives sanctorum & domestici Dei, Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Rursus 1. Cor. 12. 28. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores... Numquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ?* Ubique altum silentium de populo. Ergo &c. Petro non populo dicitur, Joan. 21. *Pasce agnos meos ... Pasce oves meas*: Apostolis non populo, Matth. 28. *Euntes, docete omnes, &c.* Episcopis, non populo 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est, gregem Dei*. Et 1. Tim. 6. *Timothee depositum custodi*, scilicet fidei: de solis Sacerdotibus 2. Cor. 5. loquitur Paulus dicens: *Pro Christo legatione fungimur*. Jam si Episcopi soli Pastores, populi solum debent audire, & in Ecclesia non imperare: Ergo &c.

Tertia: Implicat contradictionem oves regere Pastorem, subditos imperare Principi, plebem dominari Episcopis: Sed si semel populus habeat in definitionibus fidei auctoritatem, jam ovis alternata vice Pastori leges imponet: jam subditi Principibus imperabunt; si enim in hypothesi suffragia populorum auctoritatem habeant, ubi erit pluralitas, ipsos Ecclesiæ Principes obedire necesse erit, & populi dominabuntur Episcopis: Ergo &c.

Quarta: Ecclesia essentialiter ab hæreticorum ementitis Ecclesiis secernitur: Sed in hypothesi quod clamor populi ponderet, jam Ecclesia cum Synagogis satanæ confunderetur: sic in Anglia Rex laicus est caput Ecclesiæ, & missionem dat Episcopis, quos ad nutum a sede deturbat, vel restituit: sic apud Calvinistas tota religio penes seniores populi

populi est : Sed hæc omnia horrenda sunt : Ergo &c.

Quinta : Est hæresis non semel damnata, maxime a Concilio Tridentino, aliquem in rebus dogmaticis sequi posse spiritum privatum : Sed ut primum concederetur populi suffragium in definitionibus fidei ponderare, jam ubi esset impetus spiritus privati plebis, illuc gradiri omnes compellerentur, si ejus prævalerent in definiendo suffragia : Ergo &c.

Sexta : De fide est portas inferorum non posse in Ecclesia prævalere : Sed citra dubium prævalerent, si populi in definiendis fidei articulis cum pastoribus consociarentur : Et probatur. Primo quidem definivit Ecclesia in Concilio Tridentino ut laici audiant & Ecclesiam non regant. II. Usus obtinuit ut soli Episcopi gubernent Ecclesiam. III. Laici qui ministeria altaris usurparent, ipso facto excommunicarentur : vel ipse Saul tametsi rex, a Deo abjectus est, eo quod Sacerdotii munere fungi ausus fuisset : eamdem propter rationem Ozias utique lepra horrenda percussus est. Demum sacrificium, consecratio Presbyterorum, Confirmatio, Pœnitentia & alia Sacramenta, uno excepto propter necessitatem Baptismo, a laicis confecta, sunt ipso facto vacua & inania : Ergo &c.

Septima : Grande scelus est omnem Ecclesiæ potestatem pessundare : Sed hæc sequerentur incommoda, si populi testimonium, vel ponderet in Ecclesia; & probatur I. Inde schismata. II. Inde hæreses. III. Inde regnorum subversio : Atqui tamen si populus & plebs auctoritatem habeat in Ecclesia, jam Pastores sine titulis evadent : jam schisma & confirmata rebellio : jam hæresis, sicut cancer serpere incipiet : immo ipsi populi exacerbati euntes in adinventionibus suis Ecclesiam infulsis infectarentur injuriis & calumniis : Ergo &c. Probantur istæ omnes sequelæ: S. Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium : " Neque enim aliunde hæreses obortæ „ sunt & nata schismata, quam inde quod „ Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec „ unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos „ vice Christi cogitatur, „ Quomodo vero Ecclesiam insulsis dicteriis dilacerarent, videre est in Luthero, qui in toto libro de captivitate Babylonica summum Pontificem ut antichristum habet. Ceteri vero, hujus sursuris homines, veros fideles & Catholicos nunc Iconomachos appellant, nunc homines superstitionibus deditos asserere non dubitant, & sic cæcutiunt, ut religionem ab omni labe putam, veluti malam & a vero Dei cultu spiritali alienam ventilent.

Octava : Quod vel ipsi Imperatores tametsi potentissimi, & ceteris præpollentes sibi arrogare non audent, a fortiori denegandum est populo : Sed Imperatores ultro fatentur nullam in Ecclesia se habere auctoritatem : Igitur nec clamor populi & testimonium, quidquam juris in punctis & controversiis fidei dirimendis habet. Probatur minor : S. Augustinus testatur Epist. 43. novæ edit. Constantinum magnum Donatistas ad se contra Episcopos provocantes, propulisse : " Neque enim ausus „ est Christianus Imperator sic eorum ... „ querelas suscipere, ut de judicio Episco„ porum qui Romæ sederant, ipse judi„ caret, sed alios, ut dixi, Episcopos de„ dit. „ De eodem momento scribens Optatus Lib. 1. contra Parm. Constantinum heterodoxos sic alloquentem inducit: " O rabida furoris audacia? sicut in cau„ sis Gentilium .... appellationem inter„ posuerunt. „ Paganismum igitur sapit ipso teste Constantino, laicis causas fidei committere.

Quid plura pro his momentis adjiciam? Imperator Theodosius, tum & Valentinianus nobilem quemdam, qui vice sua fungens, eos repræsentaret ad Concilium Ephesinum misere, sed ea conditione, ut pro rebus religionis quid commune se habere non jactitaret. Sic enim habetur Tom. 3. Conc. Labb. pag. 441. " Igi„ tur Candidianum ... Ad sacram ve„ stram Synodum abire jussimus, sed ea „ lege & conditione, ut cum quæstioni„ bus & controversiis quæ circa fidei „ dogmata incidunt, nihil quidquam com„ mune habeat. „

Rursus : Basilius Imperator in Concilio octavo generali præsens, Tom. 8. Conc. Labb. pag. 1378. eodem modo loquitur : " Laicorum, *ait*, cuicumque nulla ratio„ ne de Ecclesiasticis causis disputandi.. „ fas esse dico. Nam laicus etsi omni „ pietatis & sapientiæ laude præstet, ta„ men laicus est ovis non pastor. „

Nona: Eo ipso quo admitteretur clamor populi tamquam auctoritatem habens in definitionibus rerum quæ religionem spectant, jam rueret præscriptio qua hæreticorum vana molimina subvertimus, quæque teste Tertulliano in successione Pastorum fundatur, qua carent heterodoxi, cum non ab hoc sed a populo indiscriminatim fides repetenda esset. Jam incassum jurant in sua consecratione Episcopi, ut habetur in Pontificali se fidei depositum fideliter servaturos, ne oves astutia hominum in errorem circumferantur, cum id muneris uniuscujusque erit de sua fide judicare, & ejus depositum servare: quæ & similia prorsus implicant; hinc concludendum est ad solos Episcopos summo Pontifici conjunctos spectare, regere independenter a populo Ecclesiam Dei, cum teste Cypriano Epist. 69. ad Dupianum, Ecclesia sit Episcopo adunata, & vicissim, Ecclesia in Episcopo.

Decima: Clamoris populi vim habentis in rebus Ecclesiasticis systema, reddit omnium Conciliorum auctoritatem prorsus inanem. Et vero ad hæc usque tempora quidquid pro religione statuit Concilium Oecumenicum, est ita fidei regula, ut resistentes habeantur ut schismatici & hæretici: Sed in systemate mox laudato, populus ipse quasi foret a Deo inspiratus, & ex promissione Christi assistentia Spiritus sancti donatus, jus haberet pronuntiandi in fidei definitionibus, canones ab Ecclesia in Conciliis jam factos refricandi; si enim clamor plebis tantæ sit efficaciæ, & ponderis, poterunt ad ejus nutum variari, vel etiam evacuari canones; quin immo ad ipsum utique spectabit adunare Concilia, & ea ipsa vel confirmare, vel abjicere & rescindere; eo enim ipso quo clamor populi est testimonium infallibile fidei, hæc munia ab eo dependere constabit: Sed ista & similia totius Ecclesiæ unitatem abolent, & ipsam funditus subvertunt Ecclesiam. Ergo &c.

Confirmatur: Episcopi in Conciliis adunati judicant a judicio comparativo & per Traditionem de dogmatibus falsis & veris, & tamquam superiores quibus omnes fideles debent humiliter obedire: *Visum est*, inquiunt Apostoli, *Spiritui sancto & nobis*, *&c.* Et post ipsos Præsules, non populus, sed soli Prælati subscribunt ut Episcopi: *Ego Episcopus subscripsi*. Tom. 4. Conc. Labb. pag. 210. Sed si populus accedat ut auctoritatem habens, jam Patres Synodici in Concilii, adunati jubendo sic sese exprimere non valent, cum populus in hypothesi, non foret illis subditus, sed potius ipsis æqualis, ea præsertim ratione, quod quia Episcopi in definitionibus fidei tamquam judices pronunciant, sunt uno excepto SS. Pontifice, æquales, eodem quoque principio citra injuriam plebs dici posset Prælatis adæquata & æqualis, quandoquidem ejus testimonium non minus ponderaret in definitionibus, quam ipsum Præsulum suffragium: Ergo &c.

Undecima: Posito & admisso clamoris populi pro fidei definitionibus systamate, dabitur processus in infinitum in disputationibus; quandoquidem clamor populi confusus est ratione & diversarum passionum quibus movetur, & ignorantiæ, cùm nihil de legibus, nihil de Theologia, nihil de Patribus plebs sciat, tum & propter defectum vocationis & missionis; namque Deut. 17. Deus vult solos Sacerdotes audiri pro rebus religionis, & populum sub mortis interminatione silere: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris .... venie]que ad Sacerdotes Levitici generis ... quæresque ab eis, qui judicabunt tibi veritatem. Et facies quodcumque dixerint ... qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio ... morietur homo ille*. A fortiori sic fieri debet in nova lege: maxime cum Christus dicat eum, qui non audit Ecclesiam habendum esse, ut Ethnicum & Publicanum. Ceterum nihil certi habet populus pro religione; cæcutit, dum ut magister loqui aggreditur, vix ipse scit palmaria religionis capita: Igitur non audiendus pro definitionibus fidei, nec usquam consultatus legitur.

Duodecima: Istud systema restaurat omnes hæreticorum & satanæ Synagogas, & omnium favet erroribus. Et vero non steterunt in veritate, ut constat I. Ex Protestantium variationibus. II. Ex inertia populi senioris, qui ad libitum de religione judicat, & juxta quod passio, vel temporalium dictat amor. III. Ex infinita prope hæresum inter se oppositarum multitudine: neque vero veritati adhæ-

adhærebunt lubentius, si plebi licitum sit prout a Spiritu sancto inspiratam se credit, pronuntiare ex Cathedra in definitionibus fidei, quæ juxta ejus testimonium fieri necesse erit: Sed hæc inaudita sunt, & hoc admisso, quot capita, tot erunt & religiones; falsum enim censebitur judicium claudi sententia & Concilii & summi Pontificis, ut centies dicit Augustinus, maxime Serm. 2. de verbis Apostoli: Clamor Donatistarum, Arianorum, & Pelagianorum in suis vicissim Conciliis ex Episcopis conflatis vehementior erat clamore populi, & tamen non exauditus est, igitur nec audiendus plebis stupidæ clamor.

Decima-tertia: Systema clamoris populi subvertit Principum regimen, & subditos invitat ad rebellionem: Sed hoc est contra præceptum, omnes enim tenentur obedire Principi, cum omnis potestas sit a Deo: Ergo &c. Probatur major in quo solum est difficultas. Si definitiones fidei dependeant ab acceptatione & testimonio plebis, a fortiori & Regum edicta pendere dicendum est: Sed hoc posito, non nisi ad nutum obediret populus; & ut primum aliqua lex facta ei non placeret, cito-citius rebellaret, & ad arma præceps & ex cæco impetu curreret: Ergo &c.

Postrema: Christus Matth. 24. prohibet audire populum & omnes indiscriminatim: *Videte*, ait, *ne quis vos seducat: Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent . . . . Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ.* Ergo &c.

Respondetur objectionibus Novatorum.

OBJICIUNT: Fides est immediate in Laicis, ejusque impressionem omnis populus Christianus habet, quæ quidem impressio est testimonium veritatis fidei, juxta illud B. Pauli, Rom. 8. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei.* Igitur testimonium veritatis repeti debet etiam immediate a populo fideli.

Respondeo distinguendo, ut supra: Fides prius proposita & accepta inest omnibus Ecclesiæ membris, concedo: non prius proposita per articulorum fidei determinationem, nego. Non negamus fidem populi Christiani esse veritatis Legis Evangelicæ testimonium, immo & pro Gentilibus credibilitatis motivum, sed non est judicium fidei, maxime propter quinque.

Primo quidem: Regula proponens fidem, debet esse infallibilis, infallibilitatem autem Christus soli Ecclesiæ alligavit, his verbis Matthæi 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Non populo, sed soli Petro promisit, dicens Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Secundo: Cum aliqua de fide controversia oritur, populus quæstionis definitionem ab Ecclesia petit, ea potissimum intentione ut simpliciter & pure obediat, ita ut facta definitione, grande scelus esset eam in statera proprii judicii appendere: Quinimmo sub anathemate præcipitur ut definitio fidei absque ulla tergiversatione suscipiatur & credatur. Hanc regulam ipsi Calvinistæ in Synodo Dordecacena secuti sunt; mota quippe circa prædestinationem controversia inter Gomarem & Ariminium apud Batavos in Theologia Professores, priori propugnante prædestinationem necessitantem ante prævisa merita, altero vero e contra, & in sensu Semipelagianorum, sub magnis prohibitum est pœnis ne quis adversus prædestinationem necessitantem recrudesceret, eo quod eam sic esse Synodus definivisset.

Tertio: Judicium populi supervacaneum censendum est in definitione fidei, sive tale judicium consideretur ante definitionem, sive concomitanter, sive etiam consequenter: Et vero si antecedenter, nullum est; nam populus petit & expostulat ab Ecclesia definitionem; unde nihil adhuc determinat judicium populi: si concomitanter, ipsum populi judicium, ut pote inter se diversum, est materia judicii, minime vero judicium definiens: sed neque prodest magis consequenter spectatum; quandoquidem, facta vel a summo Pontifice, vel a Concilio œcumenico definitione, nulli sub interminatione anathematis licitum est revocare in dubium quod semel & juridice tamquam de fide definitum est.

Quarto: Si vox populi audienda sit pro veritate fidei, vel astruenda, vel declaranda,

da, cui populo credimus? Omnes quippe sectæ suum tantummodo laudant populum; hinc Lutherani volunt solos Lutheranos audiendos esse: idem prorsus judicium de Calvinistis, de Anabaptistis, & de aliis circumfertur.

Quinto: Denique supponamus nomine Fidelium eos solum intelligendos esse, qui sunt in Ecclesia Romana, quod certe verum est. Supponamus etiam inter fideles istos de plebe, aliquam emergere, v. g. circa punctum gratiæ efficacis, controversiam: aliis per se efficacem illam propugnantibus, aliis vero e contra. Quis ex officio dirimet quæstionem, cum nedum in populo, verum etiam apud multos Theologos de hoc magna sit disceptatio? Omnes profecto ad Ecclesiam recurrendum esse conclamabunt: omnes ejus judicium tamquam solam fidei regulam autumabunt; quod si aliter se haberet, daretur processus in infinitum. Igitur non ad populum & spiritum privatum, ut definivit sacra Synodus Tridentina contra Protestantes, pro definitione fidei recurrendum est, sed tantummodo vel ad summum Pontificem, vel ad Concilium Oecumenicum, quorum decreta pure & simpliciter recipienda sunt.

Ad id vero quod dicit Apostolus: *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filii Dei*: Respondeo Apostolum ibi loqui de bona conscientia, de certitudine morali status gratiæ, ne aliquis spiritu timoris, sicut in veteri lege, moveatur, & conturbetur: unde ibidem Rom. 8. immediate ante illa verba habetur: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*. Igitur Novatores in pravos deducunt sensus Scripturam sacram, ut decipiant incautos, & si fieri potest, etiam inducant in errorem; non enim negamus per fidem populi reddi testimonium veritati Religionis, sed negamus istud testimonium esse fidei tenendæ & sequendæ judicium.

Instant: Fides est una & indivisibilis, adeoque tota in quolibet fideli, etiam laico: igitur si fides summi Pontificis & Episcoporum congregatorum est regula fidei tenendæ, idem ferendum est judicium de fide populi.

Respondeo negando consequentiam & paritatem, Dictum est enim supra ad solum summum Pontificem & Concilium Oecumenicum pertinere proponere credenda; namque Petrus fidem habuit immediate a Christo, & pro se & pro aliis: populus vero ad propriam sanctificationem, nusquam vero ut prædicet & doceat in Ecclesia, quod exprese ab Apostolo prohibitum est mulieribus, quæ certe sunt de populo. Præterea esset confusio, horror & perpetua contradictio. Confusio quidem, populus enim ignarus persæpe in credendis aliud sentiret. Horror, unum tamquam fidei punctum haberet, quod ab Episcopis error judicaretur. Contradictio, quia esset Ecclesia, & non esset: esset quidem ut supponitur, non esset vero, quia ibi non adesset caput. Sicut enim Sacerdos, sic & populus tamquam coæqualis, fidei dogmata definire præsumeret: vera autem Ecclesiæ definitio hæc est: Cœtus omnium Fidelium sub uno Capite ac legitimis Pastoribus inseparabiliter congregatorum. Ceterum hæc doctrina totam potestatem Ecclesiasticam penitus evertit, quatenus juxta ejus principia inutiles essent Doctores, inutiles Pastores; omnes quippe scirent quid sentiendum esset, quæ pascua eligenda, quæve respuenda.

Urgent: Apostolus 2. Cor. 3. sic loquitur: *Epistola nostra vos estis*. Igitur populus fidelis etiam est regula fidei, & Episcopi in suis definitionibus dependent ab ejus testimonio.

Respondeo, nihil inferri posse ex hoc Apostoli loco quod favere possit Novatoribus; Apostolus enim nullo modo intendit demonstrare per hæc verba in objectione allata, populum esse regulam fidei, sed tantummodo ponere discrimen inter bonos & malos Ministros: inter bonos, quia non indigeat commendatione; inter malos vero, quia indigebant. *Epistola nostra vos estis*, id est, vos mihi tenetis locum Epistolæ, ita ut aliis Epistolis mihi opus non sit, gloria nostra vos estis; eodem prope modo quo filius sapiens dicitur gloria Patris. Doctor Gentium est sui ipsius interpres; quippe qui si inchoet caput tertium, ex quo desumpta est objectio: *Incipimus iterum nos ipsos commendare? aut numquid egemus, sicut quidam,* com-

commendatiis Epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quod Epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi. Falsa est igitur consequentia, quid dico? Pessima, immo & Spiritui sancto contraria; Spiritus enim sanctus, dicente D. Petro, cum Episcopis unitis Capiti Ecclesiæ, est regula fidei & non populus. *Visum est . . . nobis*, inquit S. Petrus Act. 15. hoc est, Ecclesiæ Præsulibus, quos Apostoli repræsentabant, id est, summo Pontifici qui est & Vicarius Christi, & petra super quam ædificata est Ecclesia, cui omnis potestas tradita est.

Reponunt: Fideles sunt Epistola scripta in cordibus nostris ex eodem sancto Apostolo: sed quare scripta? Nisi quia populus est regula fidei, & ab ipso sicut ab Episcopis indiscriminatim testimonium circa res fidei repetendum sit: Ergo &c.

Respondeo, tantum abesse ut hæc Apostoli verba prosint Novatoribus, quinimmo sunt illis omnino contraria; si enim Apostolus vocat populum fidelem Epistolam scriptam in cordibus, est ad manifestam curam, quam Pastores semper habere debent de ovibus suis; quam curam & dilectionem se habere dicit B. Paulus, dum dicit Corinthiis: *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris*; id est, semper memoria retinemus vestra erga nos officia, vestram fidem quam accepistis a nobis, acceptam vero servastis puram: vocat eosdem Corinthios filiolos, quos iterum parturit. Quomodo? nisi his omnibus officiis Pastoralibus, id est, vigilantia, mansuetudine, charitate, institutione, conversatione; denique hæc Epistola scitur & legitur ab omnibus hominibus. Scitur, inquam, id est, per nos Episcopos fideles omnes debere esse instituti & edocti. Idem prorsus ferendum judicium de his B. Apostoli verbis ibidem: *Manifestati quod Epistola estis Christi*. Certe quidem, quia omnes boni Christiani sunt a Christo informati & edocti, intellige principaliter & auctoritative, & in hoc sensu vocantur Epistola Christi.

Jam quoad consequens: Fides repetitur etiam a populo, distinguo: Fides repetitur ab omnibus Fidelibus, illative, concedo: facta scilicet ejusdem fidei per Ecclesiam propositione; supposita enim institutione Fidelium ab Episcopis, bene infertur dari Christi fidem: & infertur judicialiter, ita ut populus judicet de credendis, nego. Igitur solum sequitur ex hoc quod fides sit in populo, dari religionem Christianam transmissam per Episcopos ad populum; sed minime fidem repeti a fidelibus Laicis, sic fides Catholica venit per Apostolos eorumque successores, usque ad nos. Paucis ut cuncta complectar: rectitudo cordis populi est testimonium fidei & motivum credibilitatis. In hoc sensu Tertullianus dicit, sanguinem Martyrum esse semen Christianorum, id est, tanta erat in Christum Martyrum fides, ut plures Gentiles etiam converterentur ad fidem.

Concinunt Patres primorum sæculorum, dum dicunt cuncta in primis Christianis locuta fuisse pro Christo: qua de causa Trajanus, referente Plinio juniore, audiens Christianorum pietatem, probitatem, tum erga proprios suos inimicos charitatem, finem persecutioni imposuit.

Ista omnes Apostoli interpretationes desumuntur ex D. Thoma lect. 1. in caput 3. Epist. 2. ad Cor. his verbis: " Dicit „ ergo, dico quod non incipimus com„ mendare nosmetipsos, quia non indige„ mus commendatione. Et hoc est quod „ dicit, *aut numquid egemus nos*, veri Mi„ nistri, *sicut quidam*, scilicet, pseudo, „ *commendatiis Epistolis*, id est, laudibus „ missis, *ad vos*, ab aliis, *aut ex nobis*, „ aliis missis .... Apostolus vero ita iam „ erat notus & commendatus apud istos „ per opera sua, quod non indigebat lit„ teris commendatiis. Et ideo statim cau„ sam hujus assignans, subdit: *Epistola no„ stra vos estis*. Quasi dicat, ego habeo „ bonas litteras, non indigeo aliis .... „ Dicit ergo sic: *Epistola nostra vos estis*; „ id est, Epistola per quam manifestatur „ dignitas nostra, qua nos commendamur, „ ita ut Epistolis aliis non indigeamus: „ supra 2. *Gloria nostra vos estis*. Galat. 4. „ *Filioli mei quos iterum parturio*, &c. „ Sed hæc Epistola estne sufficiens? Ita, „ quia scripta .... Et quantum ad hoc „ dicit: *Scripta in cordibus nostris*: quia „ sem-

„ semper vos habemus in memoria, habentes de vobis specialem curam .... Et quantum ad hoc dicit: *Quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus*. Scitur inquam, quia per nos instituti estis & conversi. Legitur autem, quia exemplo nostri etiam alii imitantur vos ... Cujus autem sit hæc Epistola, sic ostendit, quia Christi. Et ideo dicit, *Manifestati quoniam estis Christi*, id est, a Christo informati & inducti, scilicet principaliter & auctoritative. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Clamor populi nihil auctoritatis habet in definitionibus fidei.

PRIMO: Ubicumque Scriptura loquitur de Ministris Ecclesiæ, solos commemorat Pastores & Episcopos: Sic Act. 20. 28. ait: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ubique silet Laicos, immo & ipsos Reges qui absque missione thymiamata obtulerunt, Deus abjecit, ut legitur de Saule 1. Reg. 13. & de Ozia 2. Paralip. 26.

Secundo: Laici auctoritas si qua foret in rebus fidei determinandis, subverteretur ordo hierarchicus Ecclesiæ, cum tunc promiscue & sine ordinum gradu, sicut Sacerdos doctus & unctione olei sacratus, sic & stupidus & bardus populus imperaret & ex cathedra pronuntiaret.

Tertio: Usus & possessio invaluit ut ministerium solos spectet Sacerdotes & Episcopos; hinc vacua sunt, si Baptismum excipias, a Laico confecta Sacramenta; & ipse, istis vacue confectis, manet excommunicatus.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Non negamus fidem & devotionem populi esse aliquod veræ religionis signum, quod ad motiva credibilitatis reducitur, sed contendimus nihil auctoritatis pro definiendis rebus fidei habere.

Secundo: Ultro etiam concedimus eamdem entitative fidem quæ inest Pastoribus, in Laicis reperiri, sed soli Præsules loquuntur de articulis fidei tamquam auctoritatem habentes, ad Laicos vero spectat audire & edoceri.

Tertio: Fideles primorum temporum erant quidem eatenus quasi Pauli Epistola, quatenus reddebant de ejus sanctitate, illius prædicatione & bonis exemplis instituti testimonium; minime vero ut oracula auctoritatem in rebus religionis definiendis præhabentia.

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum ad summum Pontificem spectet adunare Concilia Oecumenica?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur quinque potissimum argumentis.

Primum argumentum ex Scriptura sacra depromptum.

QUOD vel ipsa declarat sacra Scriptura, hoc ipsum independenter ab hominibus cujuscumque generis independens est, quippe quod divino innitatur jure: Atqui adunare Concilia summo competit Pontifici ex jure divino in sacris textibus manifestato: Igitur ex jure avito Papæ convenit congregare Concilia. Probatur minor multis momentis.

Primo quidem ex primo Apostolorum Concilio, quod a S. Petro adunatum est, ut loco Judæ proditoris alter collocaretur: Sic enim scriptum est Act. 1. *In diebus illis exurgens Petrus, in medio fratrum, dixit: (erat autem turba hominum simul fere centum viginti) viri fratres, oportem impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum ..... Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus ... testem resurrectionis ejus nobiscum fieri .... unum ex istis ... & dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Audis S. Petrum Apostolorum Caput adunasse primum Ecclesiæ Concilium

cilium pro electione S. Mathiæ, qui in locum Judæ suffectus est. Ergo &c.

Secundo : Altera Synodus, Act. 6. adunata est ab Apostolis, quibus præerat Petrus; & ibi elegerunt septem viros Spiritu sancto plenos, qui invigilarent mensis tum sacris, tum profanis. Sic enim habetur : *In diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim, multitudinem discipulorum... dixerunt, Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.... & elegerunt Stephanum.... Hos a multitudine electos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & ipsi Apostoli orantes, imposuerunt eis manus, &c.* Ergo &c.

Tertio : Celeberrimum est pro eodem momento Concilium tertia vice ab Apostolis adunatum ad dirimendam controversiam a Judæis ad fidem de novo conversis adversus Gentiles recens fideles, quos circumcidi volebant. Tunc Petrus auctoritate sibi a Christo collata Synodum adunavit, nec sine Spiritus sancti afflatu quæstio in gratiam Gentilium ad metam perducta est. Audiendus est de hoc momento quid S. Lucas Act. 15. scripserit : *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis... nunc ergo quid tentatis.... Tacuit autem omnis multitudo, consentiens Petro, &c.* Ergo &c.

Secundum argumentum in Traditione fundatum.

TRADITIO est infallibilis fidei regula; hinc ipsi refragari non licet : Sed ex Traditione habemus ad summum Pontificem spectare adunare Concilia : Ergo &c. Probatur minor discurrendo per singula sæcula.

Ex secundo Sæculo, Historici referunt Concilium adunatum fuisse Palæstinæ Jussu Victoris I. summi Pontificis, ubi Theophilus Cæsareæ in Palæstina Episcopus ejus nomine præfuit ad perstringendos Quatuor-decimanos.

Ex tertio Sæculo, S. Melchiades alterum Romæ convocavit adversus Donatistas obstrepentes. Tum alia adunata sunt contra Novatianos, & in causa lapsorum tempore Cornelii; nonnulla contra Paulum Samosatenum; alia ad regulandam Ecclesiasticam disciplinam, &c. In iis autem Synodis convocandis nullam partem habuere Principes, sed hoc totum fuit penes summos Pontifices, aut Metropolitanos & Patriarchas ex eorum consensu : Ergo &c.

Ex quarto Sæculo, Nicænum primum dubio-procul ex consensione S. Sylvestri convocatum est. Suffragatur Rufinus Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 1. ubi de hæresi Arianæ ortu & condemnatione agit : " Sermo, *ait*, usque ad aures religiosi Principis, quippe qui omni studio & diligentia curaret quæ nostra sunt, pervenit. Tum ille ex Sacerdotum sententia apud urbem Nicæam, Episcopale Concilium convocat : ibique Arium, trecentis decem & octo Episcopis residentibus adesse jubet, ac de ejus propositionibus, & quæstionibus judicari. " Jam vero Constantinus ex sententia Sacerdotum adunavit Nicænam Synodum, maxime summi Sacerdotis, scilicet Pontificis. Huic adde Constantinopolitanam anno 381. adversus Macedonium auctoritate Damasi Papæ adunatam fuisse, ut Spiritus sancti contra negantes astrueretur divinitas. Ita refert Theodoretus Lib. 5. Hist. Eccl. cap. 9. Ita Binius in suis ad hoc Concilium notis : ita Baronius his verbis : " Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii, Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est. " Ita Photius Lib. de 7. Synodis. Sic demum colligitur ex ipsa Synodica Epistola ad Damasum apud Theodoretum : En verba : " Postquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna charitate erga nos vestra, tamquam membra propria per religiosissimi Imperatoris litteras evocastis.... convenerамus apud Constantinopolim ad litteras a reverentia vestra superiori anno post Concilium Aquilejense, religiosissimum Imperatorem Theodosium missas. "

Ex quinto Sæculo, primo occurrit Ephesinum occasione hæresis Nestorianæ perstringendæ congregatum a Cœlestino I. Papa. In ejus Vicarii officio persolven-

do aderat non sine magnis efferendus encomiis sanctus Cyrillus Alexandrinus, qui Nestorii fregit audaciam. Tum Chalcedonense quod auctoritate sancti Magni Leonis contra Eutychianos celebratum est, & quæ ibi decernenda forent in sua ad Patres Epistola præfixerat S. ille Pontifex.

Ex sexto Sæculo, habemus quintum Oecumenicum a Justiniano quidem anno 553. invito Papa Vigilio convocatum pro trium Capitulorum discussione; at, ut viri eruditi norunt, nec quicquam roboris habuit ista Synodus donec ei accesserit summi Pontificis approbatio; quod argumentum est, non Laicis quantumvis potestate super subditos præpolleant, sed summis Sacerdotibus, maxime vero Papæ ex jure competere adunare Concilia.

Ex septimo Sæculo, exurgit sextum Oecumenicum, cujus quidem auctoritas apparuit primum in definitionibus Concilii Lateranensis a S. Martino, deinde Romani ab Agathone adunatorum, tum præsentia Paschasini, Lucentii & Bonifacii Legatorum summi Pontificis; hinc Patres sess. 17. & in Epistola Synodica ad summum Pontificem ultro fatentur ex sententia prius ab Agathone lata se proscribere Monothelitas.

Ex octavo Sæculo, celeberrimum est Nicænum secundum jussu Adriani I. anno 787. ad conterendam Iconomachorum hæresim congregatum.

Ex nono Sæculo, affulget octavum Oecumenicum Constantinopoli, ordinante Adriano II. anno 869. adversus Photium Schismaticum adunatum.

Jam si de ceteris Conciliis generalibus in Occidente celebratis, sermonem instituamus, a summis Pontificibus ea adunata fuisse nemo non novit: Igitur non ad Principes sæculares, sed ad summos Sacerdotes, & potissimum summos Pontifices spectat generalia convocare Concilia.

Eadem Traditio firmatur testimoniis summorum Pontificum, Conciliorum, Historiographorum; Ecclesiæ Gallicanæ, & Theologorum.

Primo quidem ex summis Pontificibus.

AGMEN ducet S. Damasus Papa, qui in vita S. Sylvestri hæc eloquitur: " Hujus temporibus factum est Concilium cum ejus consensu in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt Episcopi, in urbe Roma congregavit ipse cum Consilio Augusti Episcopos.

Isti accedit Julius I. namque apud Athanasium Apol. 2. ad Eusebianos scribens, ait: " Siquidem Legati vestri . . . rogaverunt nos, Concilium ut congregaremus, scriberemusque ad Athanasium & Eusebianos, ut in præsentia omnium justo judicio de causa cognosceretur, „

Suffragatur Magnus sanctus Leo, quippe post Ephesinam prædatoriam Synodum tunc Oecumenico Concilio opus fuit; hinc incunctanter ejus colligendi auctor fuit; unde Epist. 12. ad Theodosium sic loquitur: " Si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere justis Episcopale Concilium, scito, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari. „ Expressius de eodem momento loquitur in suo ad Patres Chalcedonenses rescripto.

Pelagius II. idem defendit pro Romanis Pontificibus privilegium Epist. 8. ad Episcopos, qui ad Synodum Constantinopol. celebrandam convenerant a Joanne prius qui se Patriarcham Oecumenicum ventilabat, convocati: " Relatum est, *inquit*, Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, votque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare generalem: cum generalium Synodorum convocandarum auctoritas Apostolicæ Sedi beati Petri sit tradita. „ Rursus ibidem: " Multis, *ait*, Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.

Non prætereundus Magnus sanctus Gregorius,

gorius, qui ad Leonem Isaurum Imperatorem Iconomachum sic scribit: " Concilium Christi amantium Imperatorum & piorum Pontificum virtus est una, quando cum pace atque charitate res administrantur. Scripsisti ut Concilium universale cogeretur. Et nobis inutilis ea res visa est. Tu persecutor es imaginum, & hostis contumeliosus, & eversor. Cessa. Nobis hoc largire ut taceas; tum mundus pace perfruetur, & scandala tacebunt. Finge nos te audisse, & ex universo terrarum orbe Pontifices congregatos esse, Senatumque ac consilium sedisse. Ubi est Christi amator ac pius Imperator, qui de more in Senatu sedere debet, &c. „

Inter ceteros pro tuendis Pontificiis in adunanda Synodo juribus eminet Nicolaus I. Epist. 8. ad Michaelem Imperatorem, in qua sic se explicat: " Attendat, *inquit*, clementia vestra, quanta fuerit erga Sedis Apostolicæ reverentia Antecessorum vestrorum amor & studium. Qualiter legibus suis pro adunandis ei Ecclesiis promulgaverint. Pro colligendis Conciliis ac proferendis sententiis non imperaverint, sed precati & solum extiterint, & quæ illi decreverunt, ipsi consenserint: & quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint. „ Rursus Epist. 38. " Generale Concilium sine Apostolicæ Sedis præcepto nulli fas est vocandi. „ Audis ad summos spectare Pontifices modo adunare Concilia, modo adunata frangere. Ergo &c.

Secundo, ex Conciliis.

Concilium II. generale hanc materiam celebrat Epistola Synodica ad Damasum apud Theodoretum Lib. 5. Hist. Eccles. cap. 9. his verbis: " Conveneramus Constantinopoli ad litteras a Reverentia vestra superiore anno, post Concilium Aquilejense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hoc solum iter Constantinopolim usque instructi, & de hac tantum Synodo Episcoporum, qui in Provinciis remanserunt, consensum afferentes, cum de longioris profectionis onere, nec suspicati essemus, nec quidquam ante audissemus quam Constantinopolim pervenimus. „

Majora proferunt de hoc momento Patres sextæ Synodi generalis Actor. 16. in Prosphonetico ad Imperatorem Constantinum. Eo quippe loci ita effantur: " Arius divisor Trinitatis insurgebat, & continuo Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis, magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.... Macedonius Spiritus denegabat deitatem, sed Maximus Imperator Theodosius, & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt.... Gregorius & Nectarius in hac regia urbe conventum congregabant... Iterum Nestorius, & iterum Cœlestinus & Cyrillus: ille quidem Christum dividebat, illi vero cum sceptrorum Domino divisorem dejiciebant, ut Ephesus & ibidem gestorum tabulæ hortati loquuntur.... Deinde Eutychetis insania.... Leonis tuba tamquam leonis rugitus vehementer vociferans ex Roma Archimandritam bestiam perterruit... Marcianus Imperator & Anatholius Constantinopol. Antistes cum omni Chalcedonensi a Christo congregata collectione..... Sicut & Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonavit, & quintum Concilium constitutum est. „

Quid plura referam? Vel ipsi Græci Schismatici in Concilio Florentino hanc agnoscunt summi Pontificis dotem, qua possit ad nutum propria auctoritate colligere Concilia; Marcus enim Ephesinus Metropolita canonum inter Græcos scientissimus, ait: " Secutum se œcumenicum Patriarcham, & divinitus datum Imperatorem ad Synodum. „ Tum Act. 25. hæc proferunt Græci: " Admisimus privilegia Papæ, præter quam duo, ne convocet Synodum œcumenicam absque Imperatore, & Patriarchis, si veniant: quod si advocentur & non veniant, ne propterea impedimento sint, quominus Synodus fiat. „ Verum Pontifex respondit: " Auctoritatem sibi esse ac facultatem convocandi Synodum œcumenicam, cum opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati. „ Videas velim per omnia affulgere privilegium summorum Pontificum adunandi Concilia: Illud agnoscunt obstrepentes Græci, dum ajunt Synodum a summo Pontifice convocatam omne ro-

bur

bur obtinere si Patriarchæ & Imperator vocati non veniant. Quinimmo summus Pontifex contendit hoc pollere jure, nec refragantur Orientales: Ergo &c.

Tertio, ex Historiographis.

EUMDEM disciplinæ tramitem Ecclesia ab initio trivit. Namque apud Eusebium Lib. 5. capit. 16. adversus Montanistas: " Cum Fideles, *ait*, qui in Asia erant, sæpius & in plurimis Asiæ locis ejus rei causa convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, & profanam atque impiam judicassent damnata hæresi, isti ab Ecclesia & Fidelium communione expulsi sunt. " Rursus ibidem Cap. 23. de Controversia Paschæ: " Synodi ob id cœtusque Episcoporum convenere. " Nempe ut subdit, in Palæstina, Romæ, in Ponto, in Galliis, in Osroena, Corinthi. Rursus ibidem Cap. 24. Polycrates Ephesi Episcopus ad Victorem Papam scribit: " Possem Episcoporum qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis ut convocarem, sicut & feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi cum pusillum hominem invisissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt. " Et adhuc Lib. 6. cap. 43. adversus Novatum: " Cum Romæ Synodus congregata esset, in qua sexaginta quidem Episcopi:... Cumque in Provinciis seorsum Antistites quid agendum esset, consultassent, hujusmodi decretum promulgatum est. " Et iterum Capit. 46. " Scribit Dionysius ad Cornelium Romanæ urbis Episcopum... se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo, & a ceteris qui cum illo convenerant, Firmiliano scilicet Cappadociæ, & Theoctisto Palæstinæ Provinciæ Episcopis invitatum fuisse, ut ad Synodum Antiochenam occurreret; in qua quidam Novati schisma confirmare tentabant. " Mitto varia a Cypriano & Firmiliano adunata pro rebaptizatione Concilia. Idem Eusebius Lib. 7. capit. 27. adversus Paulum Samosatenum commemorat Synodos: " Dionysius Alexandrinus Ecclesiæ Episcopus rogatus ut ad Concilium veniret, adventum suum distulit.... Quid sentiret, per epistolas indicavit.... Ac reliqui Ecclesiarum Pastores undique exciti, simul omnes Antiochiam convenerunt, tamquam adversus gregis Domini vastatorem. "

Ex his luce pomeridiana clarius patet Episcopis, maxime vero summis Pontificibus ex jure competere congregare Concilia adversus hæreticam pravitatem.

Eamdem Ecclesiæ auctoritatem prædicat sanctus Maximus Martyr in collatione cum Theodosio Cæsareæ Episcopo: " Si Synodos, *inquit*, quæ tactæ sunt jussiones Imperatorum firmant, & non pia fides, recipe Synodos quæ contra *homousion* factæ sunt. Nam jussione Principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Cypro sub Eudoxio Ariano; quintam in Nicæa, sextam in Sirmio: Et post hæc multo post, septimam in Epheso secundam, cui Dioscorus præfuit. Omnes enim has Imperatorum jussio aggregavit. Quare autem non abjicitis eam, quæ deposuit Paulum Samosatenum, sub sanctis & beatis Dionysio Papa Romano & Dionysio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum patratore, qui eidem præfuit Synodo, quoniam non est jussione facta Imperatoris? Qui præterea promulgat, solas illas approbandas Synodos, quæ Imperatoris jussione sunt congregatæ? " Quibus verbis sanctus ille dilucide ostendit non ad Imperatores, sed ad Ecclesiam, & summos Pontifices spectare adunare Concilia.

Harmenopolus in præfatione Epitom. Canonum loquens de adunatione Concilii Sardicensis, ait: " Ex ipsorum *Imperatorum* & Romani Episcopi sententia 341. Episcopi in hac Synodo Sardicæ convenerunt. "

Quarto, ex sententia Ecclesiæ Gallicanæ.

HINCMARUS disciplinæ Ecclesiasticæ tenacissimus Opusc. 55. cap. 20. istud momentum celebrat, his verbis: " Septima apud Græcos vocata universalis pseudo-Synodus de imaginibus, sine auctoritate Apostolicæ Sedis Constantinopoli est habita:... Unde tempore Caroli Magni Imperatoris jussione Apostolicæ Sedis generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, cele-

„ brata. „ Rursus ibidem: "Claret uni-„ versales ac generales Synodos nomina-„ ri, cum plures Episcopi fuerint congre-„ gati Apostolicæ Sedis jussione, & impe-„ riali convocatione, sicut Sardicensis Syn-„ odus. „ Et iterum: "Sic igitur univer-„ sales Synodi specialiter Apostolicæ Sedis „ auctoritate convocantur. „ Vides ex Hincmaro auctoritatem & jussionem Sedis Apostolicæ præire debere convocationem, tum executionem ab Imperatore eatenus expectari, quatenus subditi Regis, prætermisso ejus mandato, ad alias transire regiones non possunt, neque etiam in unum congregari, ut suis ipse invigilet privilegiis & bonis.

Non abs re erit hic texere Capitularia Christianissimorum Regum & Imperatorum, quæ hanc eamdem spectant materiam. Lib. 6. cap. 287. habetur: " Aucto-„ ritas Ecclesiastica atque Canonica do-„ cet, non debere absque sententia Ro-„ mani Pontificis Concilia celebrari. „ Rursus Lib. 4. cap. 12. " Legitima Synodo „ suo tempore Apostolica auctoritate con-„ vocata, cujus jussione Domini, & me-„ ritis B. Petri Apostoli, singularis con-„ gregandorum Conciliorum auctoritas, „ & sanctorum Canonum, & venerando-„ rum Patrum decretis multipliciter pri-„ vata tradita est potestas. „ Ergo &c.

Quinto, ex Theologis.

S. THOMAS omnium facile Princeps hanc congregandi Concilia potestatem in SS. Pontificibus passim agnoscit in suis operibus, maxime in Libris de regimine Ecclesiæ Opusc. 20. l. 3. cap. 19. ubi ait ad Papam spectare adunare Concilia, Ecclesiam Christi gubernare, omnes Fideles ei ut Christo obedire debere pro spiritualibus, eo quod sit Christi Vicarius, Ecclesiæ Caput, & Sacerdotis Christi habeat plenitudinem: quod variis probat momentis: in primis vero auctoritate Concilii Nicæni & Chalcedonensis: tum exemplis Constantini & Caroli Magni, qui eorum decretis ea qua pars est erga summum Pontificem reverentia obedierunt: Igitur ex sancto Thoma ad SS. Pontificem ex jure avito competit convocare Concilia, cum hujuscemodi actus Ecclesiæ regimen potissimum spectent.

Cusanus Lib. 2. de concordia cap. 2. ait: " Habet quisque Præsidens in suo „ gradu unitos congregare, sine quo aut „ ejus vices gerente Concilium nec ple-„ num, nec rite adunatum censetur. Un-„ de cum Romanus Pontifex supremus „ Capitaneus militantis hujus Ecclesiæ, „ & Princeps in Episcopatu fidei existat; „ universalia Concilia sine eo rite, ejusve „ auctoritate regulariter non celebrantur: „ sicut nec sine Metropolitano Provin-„ cialis, aut sine Patriarcha universa-„ lis Patriarchalis, aut sine Episcopo Dice-„ cesano. „

In eamdem collimat sententiam Almainus Lib. de Dominio nat. civ. & Eccl. his verbis: " Dico primo quod jure divi-„ no summo Pontifici competit auctori-„ tas ordinaria & regularis Concilium ge-„ nerale convocandi, & nulli alteri; sum-„ mo enim Pontifici jure divino obligatur „ quilibet Fidelis obtemperare, & nulli „ alteri. Ergo jure divino soli summo „ Pontifici regulariter & ordinarie sub-„ jiciuntur ceteri Prælati, ut ad ejus „ præceptum teneantur pro utilitate Ec-„ clesiæ ad certum convenire locum. „ Idem docet Lib. de auctoritate Ecclesiæ cap. ult.

Succinit Gersonius libello de Auferib. Papæ: " Fateantur prius, *inquit*, quod „ regulariter Concilium generale non est „ celebrandum, de jure etiam divino, „ non vocante vel approbante Papa, si est „ unicus, nec adversus eum allegatio le-„ gitima. „ Ergo &c.

Tertium argumentum, ex rationibus Theologicis conglobatis.

QUOD vel ipsa comprobat ratio, illud ipsum admittendum est: Atqui non una probat ratio ad summum pertinere Pontificem adunare Concilia generalia. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Prima ratio: Ad illum spectat congregare Concilia, ad quem spectat universalem gubernare Ecclesiam: Atqui ad summum Pontificem spectat universalem Ecclesiam gubernare. Ergo &c. hanc explanat rationem S. Thomas Opusc. 20. cap. 19. ubi ait summum Pontificem esse totius Ecclesiæ caput, inesse ei totam po-

testa-

testatis Christi plenitudinem, omnes Fideles ei ut vel ipsi Christo obedire debere: his & similibus probat ad ipsum spectare universalem gubernare Ecclesiam.

Altera ratio: Congregare Concilium universale est actus jurisdictionis ad omnem se se extendentis Ecclesiam: Sed nullus Princeps laicus aliquid jurisdictionis in Ecclesia habet: nullus vero Episcopus, etiam Patriarcha habet universalem, sed hoc solum competit summo Pontifici ratione ejus in tota Ecclesia Primatus. Ergo &c.

Tertia: Id habet auctoritatis summus Pontifex pro universali Ecclesia, quod Metropolitani & Patriarchæ habent in Ecclesias sibi vicissim subditas: Sed ex jure competit Metropolitano Provinciale Concilium, Patriarchæ vero ex Provinciis ejus ditioni adjectis, a fortiori Romano Pontifici ex universali Ecclesia, adunare. Ergo &c.

Quarta, eaque validissima: Ante ipsum Constantinum Ecclesia non semel congregavit Concilia: Igitur hoc munus non ex jure Imperatori, sed summo Pontifici pro tota Ecclesia, Metropolitanis pro Diœcesibus, & Patriarchis pro Provinciis suæ jurisdictioni adscitis convenit: quinimmo cum Imperatores inconsulto summo Pontifice Synodos adunarunt, multa inde incommoda Ecclesiæ contigerunt, ut liquet de Synodis modo ab Arianis, modo a Donatistis ex concessione Imperatorum adunatis. Hæc omnia momenta fuso & erudito calamo explanat R. P. Thomassinus Dissert. 3. in Concilia.

Sic effatur pag. 64. & 65. " Nam 1. penes Christi verba & exempla Apostolorum, satius est regulam juris Ecclesiastici, quam penes Imperatoris facta residere. II. Et post Apostolos trecentorum pene annorum intervallo, quo antiquior & simplicior, eo venerabilior optatiorque forma convocandorum Synodorum, quia Christo & Apostolis propior, quia simplicitatis fonti & veritati citimior: & mere Ecclesiastica. III. Dignior, sanctior, liberiorque ratio ea est, ut sua sponte, vel mutua invitatione, sive Metropolitanorum, aut Primatum convocatione, congregentur Episcopi, quam ut Imperialibus tantum jussis. IV. Imperatores Ethnici Episcopos fere patiebantur potestate sua frui, & Synodos cogere numerosissimas quamplurimas ubique terrarum, nec nisi paucissimi, isque lymphatissimi, ne quid a nostris conventionibus respublica caperet detrimenti, reformidabant. An ergo Christiano principi Constantio Arianorum fautori quadrabat jura & libertatem Ecclesiæ certius premere & angustare, quam ab Ethnicis Principibus tactum esset? An tot saltem annorum, tot sæculorum præscriptio contemni poterat? V. Et quidem ante Constantinum non locales tantum, sed generales etiam Synodi habitæ sunt, Carthagine de Baptismo, Antiochiæ adversus Novatum, & ibidem rursus adversus Samosatenum, & alibi plures, quo invitabantur majorum gentium Episcopi, Alexandrinus, Antiochenus, Cæsariensis, Hierosolymitanus. Et ex supra relatis Eusebii testimoniis liquet, harum Synodorum decreta, maxime Antiochenæ utriusque adversus Novatum & Samosatenum, totius orbis consensu ita roborata fuisse: & aliarum denique Synodorum Provincialium consensu, ita totam sibi Ecclesiam conspirasse; ut hec instar haberent Synodi Oecumenicæ, & peræque fidei, aut disciplinæ periclitanti succurrerent. "

Rursus pagin. 72. & 73. ait ex jure soli competere Ecclesiæ adunare Concilia. Tum enarrat Concilia auctoritate Principis ab Arianis adunata fuisse in perniciem Ecclesiæ, postea sic concludit: " In re Ecclesiastica & Apostolicæ propria potestatis, etsi verbo tenus primæ partes honoris videantur Imperatoribus concedi; reapse tamen principatus juris & potestatis penes Episcopos esse interpretandus est, quorum est & modestia & auctoritas Apostolica. Itaque & si Episcopi petant, Imperator jubeat; etsi Imperator ultro præcipiat, Episcopi assentiantur Synodum convocari, vel tunc tamen convocatio principalius reapse fit ab Episcopis, quia eorum jus & Apostolicum privilegium est, Ecclesiæ fideique consulere, vel per Synodos, vel sine Synodis. " Audis ex Thomassino Ecclesiæ Proceribus maxime Papæ & ex jure, & non Imperatoribus competere congregare Concilia?

Fit satis objectionibus.

Objicies: Solemne est apud Historiographos scribere multos Imperatores, maxime Orientis, vel ipso inconsulto summo Pontifice convocasse Concilia, quod quidem nedum de Principibus haereticorum fautoribus, sed & de multis fidei plurimum addictis referunt. Quinimmo Synodos ab istis collectas robur in Ecclesia obtinuisse. Constat ex Eusebio, qui Lib. 10. cap. 5. Hist. Lib. 1. cap. 44. Lib. 3. cap. 4. Lib. 4. cap. 42. de vita Constantini recenset multa Concilia ab illo pio Imperatore congregata: Igitur non ad solos spectat summos Pontifices, aliosve Episcopos, aut Metropolitanos, aut Patriarchas congregare Concilia.

Respondeo I. distinguendo antecedens: Et id fecerunt Imperatores ex consensu summi Pontificis, concedo: & non fecerunt, subdistinguo: & nec quidquam roboris habuere hujusmodi Concilia donec eis accesserit Papae calculus, concedo: secus, nego. Ex probationibus liquet Imperatores Christianos, inconsulto summo Pontifice nusquam adunasse Concilia: vel si hoc egere, nec quidquam virium habuerunt hujusmodi cetus, donec accesserit Vicarii Christi approbatio: quod non est levius argumentum, ad solos Ecclesiae Praesules, ex jure pertinere adunare Concilia.

Respondeo II. aliter distinguendo: Imperatores auctoritate propria Synodos convocarunt, & haec sunt facta, sed non jura, concedo: & sunt jura, nego. Nullam quippe habent in Ecclesiam jurisdictionem. Sic solvit difficultatem R. P. Thomassinus Dissert. 5. in Concilia pagin. 67. ubi ait: " Ergo secernenda sunt facta & „ jura: & ubi sexenties legis etiam in „ ipsa Conciliorum fronte, in Patrumque „ monumentis identidem audis, convo- „ catas ab Imperatore Synodos, haec fa- „ cta quidem, sed non statim jura inter- „ pretare: aut si jura, non stricta & pri- „ maeva, sed indulgentiae & economiae „ plurimae accommodata. Quamquam „ enim optime meritus de Ecclesia fuerit „ Constantinus, nemo tamen inficias ire „ potest, *aliquanto plus illum sibi in negotiis* „ *Ecclesiasticis vindicasse, quam laico Principi* „ *conveniret*, ut advertit doctissimus Valesius in cap. 51. Lib. 3. vitae ejus. „ Idem respondet R. P. Alexander Dissert. 11. quarti saeculi.

Instabis: Atqui competit ex jure Principibus adunare Concilia: Ergo &c. Probatur subsumptum. In octavo Concilio Oecumenico Act. 5. Vicarii Orientalium sedium, ita loquuntur: " Scitis quia in „ praeteritis temporibus Imperatores e- „ rant, qui congregabant Synodos, & ex „ toto terrarum orbe Vicarios ad dispo- „ sitionem hujusmodi causarum colligebant: „ quorum more & Dei cultor Imperator „ noster universalem hanc Synodum non „ in abstruso, neque in clandestino, sed „ evidenter ac manifeste fecit, videlicet „ sanctissimorum Vicariorum Senioris Ro- „ mae nostrumque Collegium. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem eadem est responsio ac supra. Vel etiam, distinguo: Imperatores colligebant Synodos ex consensu Ecclesiae & indulgentia, concedo: ex jure, nego. Habemus vel ipsos Principes hanc confitentes veritatem. Sozomenus Lib. 6. Hist. Eccles. cap. 7. de Imperatore Valentiniano haec refert: " Ubi vero decessit Con- „ stantinopoli Valentinianus, perque „ Thraciam Romam versus iter fecit: „ Episcopi Helespont & Bythiniae, & alii „ omnes qui Filium Patri consubstantia- „ lem asserendum putabant, mittunt ad „ eum pro se Legatum Hypatianum He- „ racleae Episcopum oratum, ut sibi de „ doctrina fidei rite constituenda in u- „ num conveniendi potestas permittere- „ tur. Qui cum venisset ad Valentinia- „ num, & Episcoporum postulata ei ex- „ posuisset: respondit ille: sibi qui unus „ e laicorum numero erat, non licere se „ ejusmodi negotiis interponere: & ideo „ Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus „ haec curae sunt, seorsum per se ubicum- „ que eis libitum fuerit, in unum con- „ veniant. „ Concinit factum Regis Theodorici & Synodi Romanae tertiae in causa Symmachi Pontificis Maximi ann. 501. qui cum a schismaticis multorum criminum infamaretur, eum ut e sede Pontificia deturbarent, Episcopi qui Regis mandato convenerant, suggesserunt:

" Ipsum

" Ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare; scientes quia „ ejus sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus: deinde secuta „ jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis „ tradidit potestatem. Nec antedictæ sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio in propositione simili, forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps, ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit: unde a mansuetudine ejus paginæ postulatæ sunt, quas „ ab eo directas constabat. „.

Contra: Illi habent ex jure adunare Concilia, & non summi Pontifices, si isti ab illis ea congregandi facultatem expostulent: Atqui res ita se habet. Et probatur. Ex Epistola Liberii ad Constantium Imperatorem, qua testatur, ab ipso petiisse Synodum ad componendam Ecclesiæ pacem: " Ego, *inquit*, Religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, „ quæ non sit verbis composita interna „ dispositione fallaciæ, sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata: „ non Athanasii tantum negotium, sed „ multa alia in medium venerant; propter quæ Concilium fieri, mansuetudinem tuam fueram deprecatus, ut ante „ omnia, quod specialiter optat mentis „ tuæ erga Deum sincera devotio, cum „ fidei causa, in qua prima nobis spes est „ ad Deum, diligenter fuisset tractata. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo: Liberius expostulavit a Constantio adunari Concilium ad redimendam vexationem, concedo: expostulavit agnoscens in Principe potestatem independenter a se illud adunandi, nego. Congregare Concilia ad solam ex jure spectat Ecclesiam, executionem vero dependet a Principibus, qui violentia possunt præpedire Episcopos ne ad locum pro Concilio assignatum pergant. Ergo Liberius convocabat Concilium; quia vero ab Imperatore hæreticorum fautore ipse oppressus erat, necessitate compulsus ab eo exoravit executionem. Non diffitemur tamen motu proprio Constantium in gratiam Arianorum & assignasse & convocasse Concilia, sed quantæ hinc inde clades Ecclesiæ obortæ sint ex Thomassino retulimus. Non abs re erit hic texere quid Osius apud sanctum Athanasium Epist. ad Solitarios, de hoc momento dicat; sic eumdem alloquitur Imperatorem: " Nec te misceas Ecclesiasticis, neque „ nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea, a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum „ qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita „ & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad „ te trahere magno crimini obnoxius fias. „ Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris „ Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Neque „ igitur fas est nobis in terris Imperium „ tenere, neque tu thymiamatum, & „ sacrorum potestatem habes, Imperator. „.

Instes: Si summo Pontifici ex jure avito contingeret adunare Concilia Oecumenica, hoc ipsum pro prima vice factum fuisset in primo Generali: Atqui altum est de hoc momento silentium vel in ipso Diurno Romano, ubi nulla fit de sancto Sylvestro mentio, cum de priore Nicæna Synodo sermo instituitur. Ergo &c. Probatur minor; sic habetur in illo Libro: " Hujus Apostolicæ traditionis normam inviolabiliter custodiens venerandum sanctorum Patrum trecentorum „ decem & octo Concilium, quod in Nicæna sub Magno principe Constantino „ convenit: Dei gratia revelante rede„ git in Symbolum, & consubstantialem Patri Filium prædicavit. „ Ergo &c.

Hanc difficultatem P. Alexander Dissert. 11. 4. Sæc. sic solvit: " Respondeo nego „ minorem. Cum enim dicitur Synodus „ sub aliquo Imperatore aut Rege convenisse, non significatur quod illam convocaverit ille Princeps, sed solum quod „ tunc moderaretur Imperium, quando „ convocata est: alioqui sequeretur Tridentinam Synodum fuisse a Carolo-Quinto & Ferdinando convocatam, quia sub „ his Imperatoribus vere dicitur celebrata; deinde etsi Constantinum convocasse Nicænam Synodum probent illa Romani Diurni verba, non tamen Sylvestrum excludunt. Tertio, Diurnus ille „ editus est post sextam Synodum, quæ

„ Syl-

„ Sylvestrum adjungit Constantino in con-
„ vocatione Concilii Nicæni. „

Dices : Cardinales, renitente summo Pontifice, generale possunt convocare Concilium; sic propugnat Gersonius Tom. 4. pag. 105. 106. Duvallius Part. 4. quæst. 2. Thomassinus Dissert. 3. in Concilia pag. 88. Petrus de Alliaco Libr. de Eccles. auctor. cap. 3. Igitur congregare Concilia Oecumenica, non est penes summum Pontificem.

Respondeo distinguendo antecedens: Cardinales generale Concilium adunare possunt, renitente summo Pontifice, qui manifeste in heresim prolaberetur, concedo: secus, nego. Nisi Papa aliquo gravi corriperetur morbo, quo vel non esset sui compos, vel negotiis Ecclesiasticis nullo modo invigilare posset id fieri non debet. Quidquid sit, ultro fatentur auctores ex jure avito soli competere Papæ adunare Concilia Oecumenica, nec nisi in ejus defectum Cardinalibus hanc committi Provinciam, scilicet in casibus a nobis modo assignatis, quod satis innuit Petrus de Alliaco in loco laudato, his verbis : " Ubi „ necessitas aut utilitas emineret, pro „ conservanda fide, vel bono regimine „ Ecclesiæ ad Papam, vel in ejus defectu „ ad Cardinales pertinet generale Concilium convocare. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ad summum Pontificem spectat adunare Concilia Generalia.

PRIMO : Hoc constat ex Scriptura; Act. enim 1. S. Petrus Ecclesiæ Caput adunavit Concilium Jerosolymæ pro electione S. Mathiæ in locum Judæ Iscariotis. Tum Act. 6. alterum pro electione septem Diaconorum qui præessent mensis. Rursus Act. 13. tertium pro abrogatione legalium.

Secundo : Idem ex Traditione liquet. Victor I. unum adunavit particulare Cæsareæ in Palestina contra Quatuor-decimanos. Tum & Melchiades alterum Romæ adversus Donatistas : S. Sylvester primum Generale pro defendenda Verbi cum Patre consubstantialitate : Cœlestinus I. Ephesinum primum pro astruenda ejusdem Verbi incarnatione. S. Leo Chalcedonense, contra Eutychetem &c.

Tertio : Sic docent Patres, sic Concilia, sic usus & possessio. Ratio est, quia ad illum spectat congregare Concilia, ad quem pertinet universalis Ecclesiæ cura : Atqui summum Pontificem spectat universalis Ecclesiæ cura, dictum est enim Petro Joan. 21. *Pasce agnos meos... Pasce oves meas*. S. autem Petrus, teste Concilio Chalcedonensi in suis vivit successoribus. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Non desunt gravissimi auctores qui propugnent, Imperatores Orientis Concilia Oecumenica, insciis SS. Pontificibus, vel etiam invitis, ut legitur Justinianum, adunasse: sed hoc dato & non concesso, hęc sunt facta, & non jura; ad solum quippe SS. Pontificem hoc spectat.

Secundo : Vicarii generales Orientis asseruerunt quidem in Concilio octavo generali, Imperatores quondam adunasse Synodos, sed non dixerunt hoc ex jure fecisse : ceterum hoc ut plurimum, non nisi prævio SS. Pontificis consensu, satagebant.

Tertio : Legitur quidem Præsules non semel a Constantio Imperatore Ariano expostulasse, ut licentiam faceret congregandi Concilia, sed hoc ad redimendam vexationem : Rogabant Episcopi Imperatores, ut non impedirent Episcopos simul pro celebratione Concilii convenire, sed non inde in eis agnoscebant jura convocandi Synodos.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum ex jure soli competat summo Pontifici præsidere Conciliis Oecumenicis.

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus auctoritate omni exceptione majori suffultis.

PRIMA est : Ex jure soli competit supremo controversiarum fidei judici, totius Ecclesiæ Capiti, & Primati oecumenicis præsidere Conciliis, quandoquidem

dem hujusmodi præsidentia soli convenit superiori; maxime si nedum ordine, sed & Jurisdictione ceteris præemineat: Sed Summus Pontifex totius Ecclesiæ est Primas & Caput, immo & supremus controversiarum Judex: Igitur ex jure avito illi competit Conciliis Oecumenicis præsidere. Summum Pontificem laudatas habere dotes suo loco omni argumentorum genere probavimus: nec ejus Primatum ad hoc munus prærequisitum tacet Iustinianus, Novella 131. ut refert Theodorus Lector in Synopsi; ibi enim statuit Imperator: " Ut secundum quatuor sancta Concilia " Papa Antiquæ Romæ sit omnium Epi- " scoporum primus. " Juxta Thomassinum Dissert. 10. in Conc. Ephes. " Prædictarum " quatuor Synodorum dogmata, sicut san- " ctas Scripturas accipimus, & regulas " sicut leges observamus. Ideo sancimus " secundum eorum definitiones sanctissi- " mum Senioris Romæ Papam, primum " esse omnium Sacerdotum. " Sic Romanæ sedis Primatum ex quatuor Conciliis generalibus probatum profitetur.

Altera: Non licet refragari veritati quæ Traditione roboratur: Sed summum Pontificem eumque solum ex jure innato ecumenicis præesse Conciliis conclamat traditio: & probatur ab enumeratione partium.

Primum Concilium generale est Nicænum, primum cui præfuisse S. Sylvestrum Papam per suos Legatos, videlicet Osium Cordubensem Episcopum, Vitum & Vincentium Presbyteros, non unum probat momentum. Primo quidem, certum est Osium ibi præfuisse; hoc testatur S. Athanasius in Apologia de sua fuga: rursus in Epistola ad Solitarios, ubi vel ab ipsis Arianis *Princeps Synodorum* appellatur. Socrates Lib. 1. capit. 9. suo vicissim ordine ante Nicænos Patres illum recenset, his verbis: " Aderat in hoc Concilio Osius " Episcopus Cordubæ; Vitus & Vincen- " tius. " Idem dicit Theodoretus Lib. 1. Epist. cap. 6. hoc ipsum colligitur ex Epitome Canonum quam Adrianus Papa Carolo Magno obtulit anno 773. sic loquitur in Præfatione Canonum Sardicensium: " Sciendum est hunc Osium inter 318. Pa- " tres Nicæni Concilii honorabilem fuis- " se, atque ab Apostolica sede cum Vi- " ctore & Vincentio Presbyteris destina- " tum. " Quis autem æquus rerum æstimator excogitet Osium simplicem Episcopum ante Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, ante Cæcilianum totius Africæ Ecclesiæ Primatem, & ante ceteros Orientis Metropolitanos primum habuisse in Synodo locum, nisi nomine S. Sylvestri præfuisset? Mitto alias pro eodem momento rationes quæ in Hystoriographis & P. Alexandro Dissert. 12. quarti sæculi videri possunt.

Juvat tamen hic texere aliquorum veterum auctorum pro isto momento placita. Gelasius Cysicenus Lib. 2. capit. 5. ita scribit: " Ipse etiam Osius ex Hispaniis, " nominis & famæ celebritate insignis, " qui Sylvestri Episcopi maximæ Romæ, " locum obtinebat, una cum Romanis " Presbyteris Vitone & Vincentio ade- " rat. " Photius Lib. de Synodis Vito & Vincentio Osium consociat. Hincmarus quoque Lib. 55. cap. 20. hæc de isto capite commemorat: " Sylvestri tempore cele- " brata est sacra Nicæna Synodus, cui ad " vicem Sylvestri præcederunt Osius Cor- " dubensis Episcopus, Victor & Vincen- " tius Presbyteri Urbis Romæ. " Ergo &c.

II. *Concilium* secundum generale sub S. Damaso Papa Constantinopoli adunatum hanc præsidendi Conciliis Oecumenicis summo Pontifici assertam & debitam agnoscit potestatem; quippe quod decreverit Regiæ Urbis Episcopo alterum ab Episcopo Romano locum, quod argumentum est sicut Nicæno, sic & in ceteris Synodis generalibus præesse, summo competere Pontifici; quocirca licet nulli Occidentales Concilio adversus Macedonium celebrato adfuerint, revera tamen ibi præfuit Damasus per Episcopum Orientalem qui ejus vices gerebat: præfuit auctoritate, præfuit consensu & confirmatione. Hoc colligi potest. I. Ex sexta Synodo generali quæ Act. 18. sic loquitur: " Macedonius " Spiritus denegabat deitatem, eumque " conservum prædicabat: Sed maximus " Theodosius Imperator, & Damasus fi- " dei adamas confirmari præcepit, quo- " rum solidam mentem aggressiones at- " que conflictus nullatenus sauciarunt. " II. Ex veteribus Romanæ Ecclesiæ monumentis. Namque in codice pervetusto Vaticanæ Bibliothecæ, nec non in alio san-

ctæ

ctæ Mariæ Majoris hæc leguntur: " Sententiam de damnatione Macedonii, Eunomii Damasus confirmari præcepit, etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est. " III. Ex eo quod vel ipse Damasus in sua ad Illiricos Epistola apud Theodoretum Lib. Hist. Eccl. cap. 22. dicat nullum Concilium ponderare, nisi ei accedat summi Pontificis consensus, cujus defectu propellit Ariminense.

III. *Concilio* Ephesino, tertio generali præfuit Cœlestinus primus per B. Cyrillum Alexandrinum, quem ad suam vicem subeundam elegerat. Sic propugnat Thomassinus Diss. 10. in 1. Conc. Ephes. pagin. 134. & seq. hæc satis innuunt quæ lectis Cœlestini Epistolis protulit verba ipsa Synodus Actor. 2. " Hoc, *inquit*, justum judicium. Novo Paulo Celestino, Novo Paulo Cyrillo, Cœlestino custodi fidei, Cœlestino cum Synodo concordi, Cœlestino universa Synodus gratias agit. Unus Cœlestinus, unus Cyrillus. Una fides Synodi, una fides orbis terrarum. " Audis B. Cyrillum nomine Celestini Synodo Ephesinæ præfuisse. Idem patet ex Libello quem Apocrisarii Ecclesiæ Alexandrinæ dederunt Legatis ex urbe Roma missis ab Anastasio Papa. Revera quidem, ibi concordiam inter Ecclesiam Romanam & Alexandrinam repetunt ex eo quod: " Ab uno fuerit in utriusque jactum fidei fundamentum. Petrum memoramus beatum Apostolum, cujus per omnia sanctus Evangelista Marcus extitit imitator. Ita ut si quando contigerit in rebus ambiguis quædam Episcoporum Concilia celebrari, sanctissimus is qui Romanæ præsiderat Ecclesiæ Reverendissimum Alexandrinæ civitatis Archiepiscopum deligeret, ut sui curam susciperet. "

Concinit Concilium Sextum generale in Prosphonetico ad Constantinum Pogonatum Imperatorem Actor. 18. " Iterum, *inquit*, Nestorius, & iterum Cœlestinus & Cyrillus, ille quidem Christum dividebat, hi vero divisorem dejiciebant. " Hi, scilicet Cœlestinus qui per Cyrillum Synodo præsidebat. Non omittendus de hoc momento Nicolaus I. sic scribens Epist. 9. " Cyrillus idcirco in præfata Synodo ante omnes sedit, quia & ipse locum jam memorati Papæ ibidem, sicut gesta ejusdem Synodi testantur, obtinuit. " Hoc ipsum repetit Synodus Florentina Act. 5.

IV. *Nunc* vero ordo rerum postulat ut breviter ostendamus Magnum S. Leonem præfuisse Concilio Chalcedonensi per suos Legatos, qui primum Actor. 1. graviter conquesti sunt, quod Dioscorus non sine ausu temerario, inscio summo Pontifice, & Concilium adunasset, & illi præfuisset: quod quidem nefas judicio discuti volunt: " Judicii sui, *inquiunt*, necesse est eum dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, præripuit: & Synodum ausus est facere sine permissione sedis Apostolicæ, quod numquam factum est, nec fieri licet. " Quibus dictis non solum Synodus non contradixit, sed Dioscorum pro istis & aliis momentis pœnas luere statuit; quo quidem facto, non obscure agnoscunt Patres Synodici ad solum summum Pontificem ex jure sibi avito competere Oecumenicis præsidere Conciliis. Tum Paschasinus primus Legatus sic loquitur: " Beatissimi atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus &c. " Et S. Leo Epistola ad Concilii Patres: " In his fratribus Paschasino.... Qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo fraternitas vestra existimat præsidere. " Demum vel ipsa Synodus in suo ad S. Leonem rescripto ait: " Quibus tu quidem sicut membris Caput præeras: in his qui tuas vices obibant. "

V. *Nec* dubitandum est non defuisse Vigilio jus quinto Concilio generali præsidendi, tametsi ei non adfuerit; cum vel ipsi Patres ut adesset, eum invitaverint. Collatione 2. Eutychius ait: " Ideo petimus præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate & Sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu, eadem Capitula in medio proponenda. " Collatione 5. ad eumdem Vigilium invitandum delegati sunt tres Patriarchæ, Constantinopolitanus scilicet, Alexandrinus, & Antiochenus cum septemdecim Metropolitanis, namque de Synodo Mopsuestena agens Con-

cilium universale, ait: " Facta est vero „ suggestio ad sanctissimum Papam antiquioris Romæ Vigilium ab iisdem Episcopis, ita habens: Decebat vere, cum „ primam inter Sacerdotes dignitatem sortiti estis, sanctissimi; ea quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, „ manifesta vestræ divinitus honoratæ beatitudini fieri. „

I. *Pauca* libabo ex Prosphonetico sermone Synodi sextæ ad Imperatorem, ut effulgeat Agathonem per suos Oratores præfuisse ibi Concilio: " Vestris divalibus „ præceptis acquiescentes tam Antiquæ „ Romæ & Apostolicæ Summitatis summum Pontificum Antistes, quam nos „ humiles, Christi tamen Sacerdotes atque ministri.... Proinde inspiratione S. „ Spiritus conspirantes & advincem omnes consonantes, atque consentientes, „ & Agathonis sanctissimi Patris nostri, „ & summi Papæ dogmaticis litteris ad „ vestram fortitudinem missis, nec non & „ suggestioni sanctæ quæ sub eo est Synodi 125. Patrum concordantes, prædicamus Christum...... Summus nobiscum „ concertabat Apostolorum Princeps, illius enim imitatorem & sedis successorem habuimus fautorem, & divini Sacramenti mysterium illustrantem per „ litteras..... Per Agathonem Petrus loquebatur, & cum omni conregnatore „ Pius Imperator tu simul decernebas. „ Baronius & alii Historiographi scribunt Agathonem sexto per suos Legatos præfuisse Concilio.

VII. *Otiosum* foret de septima Synodo Oecumenica sermonem instituere, cum ab ipso Concilii tempore in more positum esset ut summus Pontifex Conciliis Oecumenicis, ubi negotia quæ universalem spectant Ecclesiam, prærogativa suffragii, sed quod idem est jure præsidendi gauderet, juxta illud Socratis Lib. 2. Hist. Eccles. capit. 13. " Quippe cum canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque „ sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur. „ Hunc ipsum canonem moremque dubio-procul septima Synodus Actione 6. animadvertit ubi prædatoriam Synodum 328. Episcoporum qui Constantino Copronymo clavum Imperii tenente ad Iconomachiam propugnandam convenerant, nomine Concilii generalis non posse celebrari ostendit, quod ipse Papa, nec per se, nec per suos Legatos, nec per Epistolam circularem, ut fert Conciliorum lex interfuisset: " Non habuit, *inquiunt* „ *Patres*, adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum „ sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus: neque per Encyclicam Epistolam, quemadmodum lex edicit Conciliorum. „

VIII. *Octavum* Concilium Oecumenicum adunavit Adrianus II. Papa anno 868. cui præfuit per suos Legatos. Sic scribit Baronius ad eumdem annum: neque vero de hoc quisquam dubitaverit, si attendat ea potissimum de causa adunatam fuisse Synodum ad revincendum Photium sinistra manu, impio Bardas adjuvante in locum Pii Ignatii a sede Constantinopolitana deturbati suffectum: qui & Joanni octavo illuserat: Igitur hanc ipse Adrianus provinciam adunando Concilium Oecumenicum adimplere debuit, tum ut sedem Apostolicam delusam vindicaret, tum ut Innocentis partes ageret. Ecquid de ceteris Conciliis generalibus loqui; cum enim in Occidente celebrata sint a summis Pontificibus juxta Ecclesiæ exigentiam, & ipsis adunatis per suos Legatos, sæpius per seipsos præfuere, ut ex Historiographis claret. Non abs re erit hic in confirmationem texere ea quæ Legati Apostolici Act. 4. suo munere fungentes responderunt, cum ageretur de Photianis Episcopis, in quos jam censura Nicolai I. sævierat: " Nobis non licet re„ scindere judicium SS. Rom. Pontificum. „ Hoc enim contrarium est canonicis in„ stitutis. „

Tertia, quæ pro eodem modo ratio afferri potest, sic proponitur: Ad illum spectat Oecumenico præsidere Concilio, cui ex jure avito competit illud ipsum convocare: hoc quippe munus solum spectat Ecclesiæ universalis Primatem: Atqui ex dictis claret summum spectare Pontificem generalia convocare Concilia, ut supra ostensum est. Ergo &c.

Quarta: Ille præesse debet Conciliis Oecumenicis, qui est totius Catholicæ communionis centrum & cardo: Hæc quippe prærogativa clare admodum subindigitat Præsulem, cui ceteri consociari debent: Atqui summus Pontifex est totius commu-

munionis Catholicæ centrum & cardo : Et probatur multis momentis. I. Ex Gelasio Papa qui Epistol. 1. Euphemium Constantinopol. Episcopum alias Catholicum arguit, quod cum Acacio communicaret: " Quisnam hoc in Ecclesia Dei possit au-„ dire? Cum utique pastorem sequi grex „ debeat ad Pascua salutaria revocantem. „ II. Ex Episcopis Dardaniæ, qui in suo ad Gelasium rescripto non Acacium, sed Gelasium ut Communionis Cardinem sequi profitentur: " Si qui forte prava in-„ tentione, quod neque arbitramur, ne-„ que optamus, a sede Apostolica se cre-„ diderint segregandos, ab eorum nos „ alienos esse contortio profitemur: quo-„ niam Patrum in omnibus custodientes „ præcepta, & inviolabilia Sacro-sancto-„ rum canonum instituta sectantes, Apo-„ stolicæ & singulari illi sedi vestræ, „ communi fide & devotione parere con-„ tendimus. „ III. Ex Epistola 1. Felicis III. Ex Epistola 7. Symmachi ad Anastasium Imperatorem, & ex aliis SS. PP. quæ idem spirant. IV. Ex rescripto Orientalium Episcoporum ad Symmachum, qui ipsi & non Acacio adhærere gloriantur: " Si unus, *inquiunt*, homo peccavit, „ quare toti Synagogæ, aut magis toti „ habitabili mundo per anathema divinus „ furor incumbit? ..... Quare nos a vo-„ bis estimamur heretici ..... nec perdas „ justum cum impio, nec æquiter judi-„ centur a te Orthodoxi & heretici. „ V. Ex Ecclesia Gallicana. Instar omnium Episcoporum de hoc momento respondentium sit Avitus Viennensium Episcopus, qui in sua ad Hormisdam S. Pontificem Epistola 87. sic eloquitur: " Quæsu-„ mus ergo servitio meo cuncti, ut quid „ filiis vestris, fratribus meis, id est, „ Gallicanis, si consular, respondere de-„ beam, instruatis. Et quia securus, non „ dicam de Viennensi, sed de totius Gal-„ liæ devotione polliceor, omnes super „ statu fidei vestram captare sententiam. „ Fusior forem si de re indubitata proferrem consensionem Afrorum, ut scribit Liberatus in Breviario cap. 18. venerationem Ecclesiæ Hispaniarum in sedem Apostolicam, ut vel ipse testatur Hormisdas Papa Epistol. 51. ad Episcopos hujusce regionis directa. Quid Hieronymus Epistola ad Damasum: Augustinus Epistola 162. Prosper Libr. de Dimidio temporis cap. 5. Optatus Milevitanus Lib. 2. Lanfrancus Cantuariensis Episcopus in Concilio anno 1072. de hoc puncto dicunt & scribunt. Hoc ipsum fuso calamo enarrat Thomassinus Dissert. 16. in Synodos CP. & Romanam anno Christi 518. 520.

Quinta: Ratio quę nonnullas alias complectitur, illa est: Ideo Synodi adunantur ut hereses refricentur, refricatę conterentur, contritę longe propellantur: Sed summo Pontifici ex officio ita incumbit hereses perstringere, ut multo plures per summos Pontifices quam per Concilia obtritę sint: quin immo si accedat ejus calculus Concilio Provinciali, jam ipsum in definiendis dogmatibus & proscribendis Heterodoxis infallibilitatem habet: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo quidem: Quod ipsa vagiente Ecclesia prioribus sęculis multo plures hęreses per SS. Pontifices quam per Concilia proscriptę sint, testes habemus omni exceptione majores, videlicet Eusebium Lib. 3. cap. 26. 27. 28. 29. & Lib. 4. capit. 7. 11. 29. & Lib. 5. cap. 16. ubi commemorat Basilidem, Saturninum, Valentinum, Cerdonem, Montanistas, & alios permultos hereticos, qui omissis Conciliis a summis Pontificibus propulsi sunt. Hoc ipsum scribit Optatus Milevitanus Lib. 1. & 2. hoc S. Hieronymus Libr. adversus Vigilantium, rursus in Apologia adversus Rufinum. Hoc fuso calamo & expresse S. Augustinus Lib. 4. ad Bonifacium cap. ult. " Aut vero, *inquit*, Congrega-„ tione Synodi opus erat, ut aperta „ pernicies damnaretur; quasi nulla hæ-„ resis aliquando sine Synodi congregatio-„ ne damnata sit. Cum potius rarissime „ inveniantur propter quas damnandas ne-„ cessitas talis extiterit: multoque sint „ atque incomparabiliter plures, quæ ubi „ extiterunt, illic improbari, damnari-„ que meruerunt, atque inde per ceteras „ terras devitandæ innotescere potue-„ runt. „

Secundo: Probare juvat vel ipsa Concilia ex calculo summi Pontificis eorum definitionibus accedente induere infallibilitatem, ex eo potissimum quod Summus Pontifex in definiendo dogmate nunquam

E 2 erra-

erraverit; plenitudo potestatis sit in ipso, ut in capite, hinc ejus consensus se habet, ut ipsiusmet Ecclesiæ consensus: & ne aliquid novi nos dicere oblatrent Sedis Apostolicæ æmuli, eam esse celeberrimorum Theologorum mentem ex eorum sententiis demonstratur.

Melchior Canus Dominicanus Lib. 5. de locis Theol. capit. 4. pagin. 303. sic loquitur: " Nec expedit, nec tolerabile est, „ singulis hæreticis condemnandis singu„ las generales Synodos cogere. Cum er„ go Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in „ necessariis, nimirum ad hæreses priva„ tas in Provinciis, refutandas, Conci„ lia Provincialia satis erunt, si erunt „ modo summi Pontificis auctoritate ro„ borata. Præterea quoscumque ejusmo„ di Concilia damnavere, Ecclesia eos „ semper explosit, errare igitur illa in „ fine nequeunt. „ Rursus ibidem pagin. 305. " Atque certe nisi sint peculiariter „ reprobata, communi Ecclesiæ, vel si„ lentio, vel etiam implicito consensu „ commendantur, si ad Ecclesiæ commu„ nem notitiam pervenerint. Non enim „ fit aliquo pacto verosimile, ut Concilii „ Provincialis toto orbe Vulgati hæreses „ in Ecclesia diu dissimulaverit. Error „ enim, cui non resistitur, approbatur. „

Accedat & doctissimus Duvallius, Part. 2. q. 2. " Plurimi Pontifices varios erro„ res absque ullo generali Concilio con„ demnarunt, quorum condemnatio a to„ ta Ecclesia acceptata fuit, ut patet ex „ primis trecentis annis, quibus nulla „ umquam Concilia generalia propter in„ gruentes persecutiones coacta leguntur: „ cum tamen multæ in fide quæstiones „ toto hoc tempore feliciter sopitæ & „ determinatæ fuerint per Pontificum de„ finitiones. Nec dicant adversarii hos er„ rores pro hæresibus habitos non fuisse, „ donec his definitionibus Conciliorum ge„ neralium calculus accederet. Falsum „ enim est, omnibus quotquot fuerunt er„ roribus a sede Apostolica damnatis, & „ qui jam pro hæresibus in Ecclesia haben„ tur, semper accessisse Concilii cujusdam „ generalis condemnationem. Quod enim „ quæso Concilium generale Pelagianos „ damnavit... diligentissime itaque obser„ vandum est, ut aliquod dogma tamquam „ hæreticum habeatur, non esse necessa„ riam Concilii generalis celebrationem, „ sed sufficere summi Pontificis condem„ nationem, una cum acceptatione totius „ Ecclesiæ per orbem diffusæ... Est enim „ de fide, Ecclesiam non tantum ut con„ gregatam in Oecumenico Concilio, sed „ ut diffusam per orbem, errare non pos„ se. „

Insigne est quod R. P. Thomassinus Dissert. 4. in Concil. Gangrense pro isto profert momento pagin. 122. & 123. nec hic texere pigebit, ut lector intelligat in fide definienda Principem & Ducem omnibus semper Synodis & Ecclesiis Romanam sedem præivisse: " Quod autem, „ *ait*, semel iterumque juniores Theolo„ gi monuere, tum demum universalem „ & infallibilem adsequi auctoritatem „ Provinciales Episcoporum Synodos, Syn„ odicasque definitiones, cum Romani „ Pontificis calculo fuerint approbatæ, „ id perinde est, ac si dicerent, cum Ec„ clesiæ universalis approbatio eis fuerit „ accumulata. A Romano enim Pontifice „ & ab Ecclesia universali auctorari, u„ num idemque est: unus corporis & Ca„ pitis nutus, unus assensus est. Annuen„ te Capite, annuisse universa corporis „ compago existimatur. Quod ne leviter „ & perfunctorie dictum videri queat, „ ad vetustiores rursus Theologos devolvi „ non pœnitebit, & Ecclesiæ adolescentis „ primævam quasi juventutem explora„ re. „

Tum exorditur a decreto Victoris Papæ adversus Asiaticos pro celebratione Paschatis juxta ritum Romanum agenda, deinde definitione Stephani I. vincente & superante non sine Ecclesiæ universalis applausu statuta Cypriani & Firmiliani in variis vicissim Synodis, hæreticorum Baptismum absque discrimine explodentia. Aliud his peractis suppeditat Origenis exemplum, qui referente Eusebio Lib. 6. capit. 14. Ecclesiæ clavum tenente Zephirino, Romam venit ut de suis scriptis ea qua par est reverentia & animi obsequio rationem redderet, ut quæ aut corrigenda, aut prorsus delenda & rescindenda, seu etiam damnanda intelligeret. Eadem de causa, ut ibidem habetur cap. 36. scripsit de sua fide ad S. Fabianum Papam.

Non omittenda ea quæ prius adjicit celeberrimus ille Theologus pag. 123. " Vi„ ctori

„ ctori suffectus est Zephirinus. Is de „ Moechis pandenda pœnitentiæ & reconciliationis janua sanxit. Reclamatum „ est a Tertulliano & aliis delirantibus. „ Sed tandem omnis Ecclesia obsecuta est „ Romano Antistiti, seu Zephirino, seu „ Victori, sive etiam Eutherio; alternant enim eruditorum ea in re sententiæ, ut vertici fidei se approbare præ „ ceteris studuerant Montanistæ, quasi „ universæ Ecclesiæ ab eo individuæ pa„ ce simul potitur. Ideo Tertullianus adv. „ Praxeam de Praxea ipso conqueritur, „ quod *Episcopum Romanum agnoscentem jam* „ *Prophetias Montani, & ex ea agnitione pa-* „ *cem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem*, „ *coegit litteras pacis revocare jam emissas*. „ Et ante Marcion, ut ait Epiphanius „ Hær. 42. a Patre suo Episcopo ejectus „ ex Ecclesia, ut communionem suffura„ retur: *Romam post Hygini Papæ obitum se* „ *contulit, qui a Petro Pauloque Apostolis no-* „ *nus Ecclesiæ præfuerat. Eo statim atque* „ *Marcion pervenit, ad Seniores abiens, qui* „ *ab Apostolorum discipulis edocti superant;* „ *ut in communionem admitteretur, ab eis* „ *frustra petiit.* „

Pergit Pagin. 124. & in medium profert factum Dionysii Alexandrini, quem Sabellio insultantem in adversum errorem titubasse nonnulli criminabantur. Ille, ut scribit S. Athanasius Epistola de Dionysii sententia, confugit ad Dionysium summum Pontificem, ut ipsi suam in fide puritatem vindicaret: " Porro, *ait S. Athanasius*, ex Dionysii Romani voluminibus contra eos qui Filium Dei opus, „ vel creaturam asseverant, scriptis clare „ ostenditur, hæresim Christo rebellium „ Arianorum non nunc primum, sed olim „ jam ab omnibus damnatam fuisse. „ His absolutis enarrat ille Pater quomodo purgatus sit, & quid pro fide defendenda egerit Dionysius Papa: Tum ex his momentis pag. 125. ita concludit Thomassinus: " Quis hic non videt Romanum „ Præsulem in Episcopatu fidei Principem „ sedere; quoslibet vel Pontificia dignita„ te, vel eruditionis fama præclariores „ apud illum accusari, apud illum defen„ di: in ejus communionem adrepere, „ qui paci Ecclesiarum restitui se cupiunt: „ Romanam Ecclesiam ut in vertice, & „ summa luce fidei radiantem, spectaculo „ esse & miraculo omnibus Christianis. „ Jam vero si conclamantibus priorum sæculorum & Conciliis & Patribus summus Pontifex est totius Ecclesiæ Princeps, Primas & Caput, non relinquitur dubitandi locus, præsidentiam in Conciliis Oecumenicis omni jure ipsi esse assertam.

Diluuntur objecta.

OPPONES: Imperatores non semel præfuere Conciliis Oecumenicis. Igitur illud præsidendi munus non penes solum Papam existit; quoticumque enim aliqua prærogativa multis communis est, uni soli contingere non dicitur. Probatur Antecedens: Constantinus Magnus præfuit primo Concilio Nicæno, ut in ejus vita scribit Eusebius: Præfuit Chalcedonensi Marcianus, Quinto generali, Justinianus; Sexto, Constantinus Pogonatus: sic refert Baronius istorum Conciliorum referens historiam. Sic Thomassinus Dissert. 10. in Conc. Ephesinum: De Constantino Pogonato sess. 11. Concilii sexti legitur dixisse se a Concilio recedere, quia præcipua capita jam actitata erant. Ecce verba: " Constantinus piissimus Im„ perator dixit: Sufficientia sunt etiam, „ quæ hodierna die sunt gesta. Quia ve„ ro in Christo amabilis nostræ reipu„ blicæ causis occupamur, jubemus Con„ stantinum & Anastasium gloriosissimos „ patritios, Polyeuctum quoque & Pe„ trum gloriosos exconsules, ex persona „ nostræ pietatis cum sancto & universali „ vestro Concilio in reliquis conventibus „ inveniri, postquam præsentis causæ „ plurima & præcipua Capitula coram „ nostra pietate jam peracta sunt. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: Imperatores præfuere Conciliis ut fidei protectores, concedo: ut suffragii privilegium haberent, nego. Norunt omnes, Reges terræ nullam in res Ecclesiasticas, easque dogmaticas habere jurisdictionem. Absit ergo dicere illos præfuisse Conciliis, cum ista prærogativa non nisi universali Ecclesiæ Capiti & Primati ex jure conveniat. Quomodo igitur præfuere Principes? intellige, ut obstrepentes hæreticos compescerent, ut suo exemplo fidei dogmata teneri satagerent: sic inquit S. Tho-

Thomas Lib. 3. de Regimine Ecclesiæ cap. 19. Constantinus & Carolus uterque Magnus, & Imperator, fidei obedientes & subsignantes decretis Conciliorum, ille Nicæni, iste Francofurtensis in obediendo vexillum elevavere.

Revera quidem Eusebius Lib. 3. de vita Constantini, enarrat tanta cum humilitate istum Imperatorem adsuisse Synodo Nicænæ, ut non nisi post Episcopos, sedere voluerit: " Postquam Imperator, *inquit*, " ad Caput subselliorum venit, primus " medius sedit; posteaque ante eum humili sella, ex auro fabre-facta, non " prius assedit, quam Episcopi ei annuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere. " Sic Marcianus ad ordinem & pacem componendam adfuit Concilio Chalcedonensi, ut ipse testatur Act. 4. " Nos " enim, *ait alloquendo Patres Synodicos*, ad " fidem confirmandam, non ad potentiam " ostendendam, exemplo religiosissimi " principis Constantini, interesse Synodo " voluimus. " Et iterum: " Ut nostra " pietate præsente decernantur, quæ omnem discordiam, quæstionemque submoveant. "

Atque vero ipsi Patres Chalcedon. genuinum produnt solutionis datæ sensum, hanc instituendo inter SS. Pontificem S. Leonem, & Imperatorem discrepantiam, quod ille ut Caput Ecclesiæ & jurisdictionem atque definiendi auctoritatem habens adfuerit Synodo; iste vero solum ut Patronus & fidei defensor. Sic loquuntur in suo ad S. Leonem rescripto: " Tu vocis " B. Petri omnibus constitutus interpres... " Tu sicut membris Caput praeras, in " his qui tuum locum tenebant, benevolentiam tuam præferens: Imperatores " vero fideles ad ornatum præerant: sicut Zorobabel & Jesus, Ecclesiæ tamquam Hierosolymæ ædificationem renovare circa dogmata enitentes. "

Si de Constantino Pogonato loquamur, ad quem Leo II. ita scripsit: " Sancta universalis sexta Synodus, quam nutu Dei " studiose vestra clementia convocavit, & " sui pro Dei ministerio præfuit. " Citra dubium est eum non nisi ut fidei defensorem adsuisse sextæ Synodo; cum Patritios duos, & totidem Exconsules suo loco adesse Concilio jusserit; quis autem cordatus dixerit istos nobiles laicos tamquam auctoritatem habentes præfuisse Concilio? Igitur solum ut nomine Constantini fidem protegerent; si quid vero aliud moliti sint Imperatores in Synodis, non jura sunt, sed facta, ad quæ non respondet Canonista, ait Duvallius Tom. 2. parte postrema. Totum hoc momentum claudere juvat isto S. Gregorii oraculo Epist. 1. ubi sic habet. " Scis Imperator, sacræ " Ecclesiæ dogmata, non Imperatorum " esse, sed Pontificum, quæ tuto debent " dogmatizari. Idcirco Ecclesiis Præpositi " sicut Pontifices a republicæ negotiis " abstinentes: ut Imperatores similiter ab " Ecclesiasticis abstineant. " Hinc Reges Hispaniarum Gothi non nisi summa cum humilitate Conciliis Toletanis adsuere: sic Recaredus adfuit III. Silenadus IV. Ervigius XII.

Instabis: S. Damasus Papa nec per se, nec per suos Oratores præsuit secundo Concilio generali, pariter nec Vigilius, Quinto. Igitur absque fundamento dicitur ex jure avito summo competere Pontifici Conciliis Oecumenicis præsidere.

Respondeo distinguendo: Non præfuere, quia in hoc dispensaverunt, concedo: defectu juris, nego. Theodosius Magnus, compellentibus Orientalibus, ad compescendum Macedonium adunavit quidem Constantinopoli Synodum, ad quam invitati sunt Occidentales, sed tametsi nullus ibi adfuerit, agnovere tamen Patres Synodici summum Pontificem ut Concilii Præsidem, cum Urbis Regiæ Episcopus non nisi post sedem Episcopo Romano destinatam in cœtu sesserit. Dictum est quoque Damasum præsuisse consensu sicut & approbatione quæ est auctoritatis supremæ tantum argumentum, ut nisi Papæ calculus accedat Concilio, jam vacuum evadit. Ad exemplum Vigilii solutio ex probationibus claret, quippe qui timens, inquit Mimburgius in sua Hist. Eccl. ne propter multitudinem & auctoritatem Orientalium aliquid adversus jura Pontificia fieret, noluit adesse. Quod autem jus habuerit, ex eo potissimum liquet, quod ante ceptum Concilium, enixe eum deprecati sint Synodici Patres, ut assistere & præsidere dignaretur.

Repones: Idem esto judicium de ceteris Conciliis, ac de primo Generali, quod ut ceterorum regula ventilari potest: Sed

sum-

summus Pontifex S. Sylvester isti non præfuit: Ergo &c. Probatur minor multis momentis. Primo quidem: Episcopus qui in dextro ordine primam sedem occupabat perbrevi oratione Imperatorem allocutus est, ut scribit Eusebius Libr. 3. de Vita Constantini capit. 11. nec alius istum adeptus est honorem præter Eustathium Antiochenum Patriarcham, ut refert Theodoretus Lib. 1. cap. 7. hinc Proclus Episcopus CP. in Synodicis ad Orientales litteris apud Facundum Hermianensem Lib. 8. cap. 1. Eustathio Primatum tribuit. Idem asserit Felix III. Epist. ad Zenonem Imperatorem. II. Non desunt qui affirment Alexandrum Alexandriæ Episcopum præfuisse illi Synodo; sic enim habetur in epistola Synodica Concilii Nicæni, ad Ecclesiam Alexandrinam: " Aque ista decreta ad „ Ægyptum & sanctissimam Ecclesiam Alexandrinam proprie & separatim referuntur. Quod si aliud propterea quidpiam, „ dum honoratissimus Dominus, & Collega, & frater noster Alexander una „ adest, sancitum & statutum fuerit, ipse „ utpote qui rebus decisis cum præfuerit, tum communicavit, vobis coram „ accuratius renuntiabit. „ III. Sozomenus, Lib. 1. Hist. capit. 16. & Theodoretus Lib. 1. cap. 6. nullam faciunt mentionem de Osio, quem nomine S. Sylvestri præfuisse Concilio Nicæno asserimus. IV. Idem Sozomenus ibidem primarios orbis terrarum Episcopos qui ibi adfuere referens, ultimo loco reponit Romanum Pontificem; quod argumentum est illum non præfuisse Concilio. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo: Et a sinistra posita sedes ceteris præcellebat, concedo: & non præcellebat, nego. In medio consessus Episcoporum Sacrosancta Evangelia erant collocata, hinc qui in sinistra sedebant a dextris Christi erant, scilicet Evangeliorum, quæ Christi typum referebant. Igitur in sinistra sedes relative ad Evangelia dexteram occupabant. Quæ quidem solutio colligitur ex veteri ordine Romano, in quo hæc habentur: " Sedebunt ea „ locali dispositione, ut intrantibus Ecclesiam Episcopi sint ad sinistram, Pre„ sbyteri vero ad dexteram: ut quando „ Pontifex sederit, & ad eos respexerit, „ Episcopos ad dexteram, Presbyteros „ contueatur ad sinistram. „ Ceterum constat S. Eustathium non nisi doctrina & eloquentia primatem affirmari ab Historiographis, nusquam vero auctoritate & per modum suffragii, maxime cum potius præfuisset Patriarcha Alexandrinus, qui erat Antiocheno prior.

Ad alteram objectionem absque negotio respondemus sic distinguendo: Patriarcha Alexandrinus præfuit Concilio Nicæno quoad aliquid, concedo: auctoritate, nego. Cum præ ceteris quæ Ario objiciebantur optime noverat, quoad expositionem facti & dogmatici & personalis: prior dicitur: pro more enim positum erat eum, qui in scientia seu rerum notitia præeminebat, in hac materia dici primatem. In eo prorsus sensu a nonnullis historiographis omnes primarum sedium Episcopi dicuntur primates. Audiendus de hoc momento Cedrenus in Compendio Historiarum: " Præerant ei, *inquit*, Sylvestri Papæ Romani locum tenentes „ Vitus & Vincentius Presbyteri, Metrophanes Bysantii, Alexander Alexandriæ, „ Eustathius Antiochiæ, & Macharius „ Jerosolymorum Episcopi. „

Ad tertiam, distinguo: Sozomenus & Theodoretus siluerunt Osium, sed alii supra laudati veluti primum S. Pontificis Legatum nominarunt, concedo: omnes omiserunt, nego. Quid plura? Quæstio præsens non movetur specialiter de Osio, sed de Summo Pontifice, cui ex jure innato Conciliis Oecumenicis præesse competit: cum igitur & Sozomenus, & Theodoretus afferant S. Sylvestrum per Vitum & Vincentium præfuisse Nicæno, ne minimum quidem adversatur conclusioni.

Ad postremam, utique distinguo: Sozomenus non primo, sed ultimo loco inverso ordine scribit Romanum Pontificem sedisse in Concilio, sed tamquam omnium Principem cui inferiores Episcopi consociari, & veluti centro totius unitatis adunari tenentur, concedo: secus, nego. Sic in processione Episcopus claudit coetum, & ultimo loco progreditur: sic Rex a servis, a Præfectis militum & ministris ad majorem solemnitatem præceditur. Igitur absque privilegii & auctoritatis dispendio post Macharium Patriarcham Jerosolymitanum, Antiochenum, & Alexandrinum, nominavit Episcopum Romanum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ex jure competit summo Pontifici præsidere Conciliis.

PRIMO: Summus Pontifex est universalis Ecclesiæ Caput & Primas: Sed ad supremum Caput & Primatem spectat præsidere Conciliis; sin minus non foret Primas, sed primus solum inter pares, cum hoc indiscriminatim ceteris Episcopis competeret. Ergo &c.

Secundo: Usus & possessio jus istud summo Pontifici assertum esse conclamant, maxime quia Papa est unitatis Ecclesię centrum, quod quidem nemini alteri tribuitur. Sed unitatis executio exigit, ut Primas supremus pręsit, ut ceteri ex sententię consociatione illi conjungantur. Ergo &c.

Tertio: Id muneris ei incumbit, ut errores propellat, & quę dicuntur approbet, vel reprobet, pro ut exigit fidei & Ecclesię utilitas, quod fieri vix posset, nisi Concilio pręsideret. Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Si quando concessum est Imperatoribus pręsidere Conciliis, hoc honoris specie factum legitur, ita ut adessent ut testes & protectores fidei, minime vero ut controversiarum religionis judices.

Secundo: Ultro fatemur Vigilium non prǽfuisse nec per se, nec per Oratores quintę Synodo, sed in hoc dispensavit, & expostulatus œconomię causa ab hoc abstinuit.

Tertio: Gratis dicitur S. Sylvestrum non pręfuisse primo Concilio generali per Legatos suos; tametsi enim Sozomenus & Theodoretus sileant Osium S. Sylvestri Legatum, sed non tacet Cedrenus in Compendio historiarum.

ARTICULUS OCTAVUS.

Utrum ex jure avito competat Summo Pontifici confirmare Concilia?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA

Probatur multis momentis.

Primum argumentum, ex Epistolis SS. Pontificum ab universali Ecclesia susceptis, & ipsa Conciliorum & Patrum consensione.

QUOD nullo contradicente continetur in scriptis SS. Pontificum, & traditione firmatum est, ita ratum habetur, ut non liceat, seclusa temeritate, refragari: Atqui ab ipsa Ecclesiæ adolescentia jus confirmandi & approbandi Concilia eo sibi tribuerunt modo, eaque auctoritate SS. Pontifices, ut Traditione constet nullum omnino Concilium etiam generale, secluso SS. Pontificis calculo, aliquid roboris quoad vim coercitivam habuisse. Immo non semel pars Concilii Oecumenici approbata obligavit, altera vero non approbata tunc prorsus vacua evasit. Igitur ad summum spectat Pontificem approbare & confirmare Concilia omnia. Probatur minor,

Primo, ex SS. Pontificibus.

INNOCENTIUS I. in suo ad Synodum adversus Pelagianos rescripto, ait: " Patres non humana; sed divina decrevisse sententia, ut quidquid, quamvis de disjunctis remotisque ageretur Provinciis, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret: ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit, pronuntiatio firmaretur. " Idem pro eodem momento scripsit ad Patres Milevitanos: " Scientes, *inquit*, quod per omnes Provincias de Apostolico fonte potantibus responsa semper emanent. Præsertim quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, idest, sui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per to-

" tum

„ tum mundum possit omnibus Ecclesiis „ in commune prodesse .... Quare Pelagium, Cœlestiumque inventores vocum „ novarum, Ecclesiastica communione „ privari, Apostolici vigoris auctoritate „ censemus. „ Observes velim I. *Apostolici vigoris auctoritate*, non scripto, non doctrina sola, sed potestate: *Inventores vocum novarum Ecclesiastica communione privari*. Quæ quidem verba plurimum commendant summi Pontificis in confirmandis Synodis auctoritatem. Quod universim intelligendum est nedum de Provincialibus & Nationalibus, sed & de Oecumenicis, cum sex partim approbata partim reprobata defectu SS. Pontificis calculi habeantur; cum eodem deficiente calculo secunda Synodus generalis habeat vim coercitivam solum pro primo canone, & non pro ceteris; quarta vero, scilicet Chalcedonensis tantummodo pro sex prioribus actionibus, nusquam vero pro ceteris. Tum Ephesina secunda licet numero Episcoporum copiosa, tamen abjecta, eo quod inconsulto S. Pontifice, præfuerat Synodo Dioscorus. Nunc aliorum SS. Pontificum oracula texenda sunt, ut benevolus Lector intelligat quantum valeat in confirmandis Conciliis Pontificium pondus.

Insigne est quod Damasus Papa pro hoc momento dixit in Epistola Synodica Episcoporum 90. Romæ congregatorum: rejicit ibi cœtum secundum Ariminensem, & flocci facit, eo quod ejus actitatis non consenserat Liberius Papa SS. Pontifex. Sic enim habetur apud Theodoretum cap. 22. " Siquidem numerus „ Episcoporum qui Arimini congregati „ fuerunt, præjudicii vim habere non „ debet. Quandoquidem factum illud est, „ neque Romanorum Episcopo, cujus „ ante alios oportebat sententiam expectare: neque Vincentio, qui tot annis „ Episcopatum integre gesserat: neque „ aliis in res tales consentientibus. „

Tum S. Leo Magnus Epist. 59. ad Marcianum Augustum ait: " Cum vestro præ„ cipue opere sit effectum, ut per Syno„ dale concilium, damnatis impii dogma„ tis defensoribus, omnes vires sacrilegus „ error amitteret; ad ejusdem devotionis „ pertinet palmam, si malum quod in „ suis ducibus est oppressum, etiam in „ quibuscumque reliquiis deleatur. Quod „ facilius clementia vestra arbitretur im„ plendum, si per universas Ecclesias, de„ finitiones sanctæ Synodi Chalcedonensis „ Apostolicæ sedi placuisse doceantur. „ Rursus & expressius Epist. 60. ad Pulcheriam Augustam: " Quod vero piissimus „ Imperator ad omnes Episcopos qui in „ Chalcedonensi Synodo interfuere, vo„ luit me scripta dirigere, quibus quæ il„ lic sunt de fidei regula definita, firma„ rem, libenter implevi: ne fallax cujus„ dam simulatio scientiam meam haberi „ vellet incertam. „

Demum Gelasius Papa Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ ita loquitur: " Confidi„ mus quod nullus tam veraciter Christia„ nus ignoret, uniuscujusque Synodi con„ stitutum, quod universalis Ecclesiæ pro„ bavit assensus, non aliam magis exequi „ sedem præ ceteris oportere, quam pri„ mam; quæ & unamquamque Synodum „ sua auctoritate confirmat, & continuata „ moderatione custodit; pro suo scilicet „ principatu, quem B. Petrus Apostolus „ Domini voce perceptum, Ecclesia nihil„ ominus subsequente, & tenuit semper „ & retinet. „ Observes magnum illum Pontificem pronuntiare jus approbandi Concilia primatu sibi a Christo & Petro & ejus successoribus concesso inniti.

S. Gregorius Magnus Lib. 6. Epist. 31. alter est ejusdem veritatis testis iis verbis: " Et canones quidem Costantinopolitani „ Concilii Eudoxianos damnant, sed quis „ fuerit eorum auctor Eudoxius, minime „ dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem „ canones, vel gesta Synodi illius hactenus „ non habet, nec accipit. In hoc autem „ eamdem Synodum accepit, quod est per „ eam contra Macedonium definitum. „ Rursus L. 1. Ep. 24. suum addit calcu„ lum quatuor primis Conciliis Oecumenicis his verbis: " Sicut S. Evangelii qua„ tuor libros, sic quatuor Concilia susci„ pere & venerari me fateor. Nicænum „ scilicet, in quo perversum Arii dogma „ destruitur; Constantinopolitanum quo„ que, in quo Eunomii & Macedonii er„ ror convincitur; Ephesinum &c. „

Secun-

Secundo, ex ipsis Conciliis.

NEQUE vero in hac exponenda auctoritate multum laborandum est, cum ne unum reperies Concilium Oecumenicum, absente S. Pontifice celebratum, quod Epistola Synodica ejus non expostulaverit approbationem, ut referunt historiographi de Patribus primi, secundi, tertii, quarti, quinti, sexti, septimi & octavi generalis, quorum supplicatoriæ litteræ ad calcem eorum Actuum referuntur. Non abs re erit hic in testimonium proferre verba sextæ Synodi: sic enim PP. Act. 18. in Prosphonetico Serm. ad Imperatorem loquuntur: " Macedonius deitatem Spiritus sancti denegabat, sed Maximus " Imperator Theodosius, & Damasus adamas fidei, cujus solida mens adgressionibus, atque conflictibus alienarum sectarum, nullatenus erat sauciabilis. " quæ verba explanans Photius Lib. de Synodis, ait: " Secunda Synodus... eo congregati sunt " 150. Episcopi ... Quibus non multo post tempore etiam " Damasus Romanus Antistes, eadem " confirmans agnoscebatur, consentaneus " decretis factus. " Succinit Binius in suis ad istam Synodum notis: " Tantum " enim roboris, *inquit*, & firmitatis quælibet Synodus consequi solet, quantum " auctoritatis illi Apostolica sedes impertit. Et merito: nisi enim hoc admittatur, nulla causa reddi poterit, cur " quædam Concilia majoris numeri Episcoporum reprobata: minoris numeri " confirmata fuerint. ".

Verum ut multa paucis ex Conciliorum auctoritate complectamur, instar reliquarum Synodorum etiam particularium sint exempla, Carthaginensis & Millevitanæ promere, quæ S. Pontificis calculum adversus Pelagianam pravitatem expostulant, quo concesso, ita infallibiles & potentes evadunt, ut teste S. Augustino Lib. 4. ad Bonif. cap. 8. causa finita sit, nec ulteriori opus sit Concilio, nec possit, inquit Thomassinus Dissert. 9. in Conc. Carth. & Millev.: " ab eis citra hæreseos discrimen provocari. " Porro Patres Carthaginenses, damnato Cœlestio ad Innocentium I. sic scribunt: " Hoc itaque gestum, Domine " frater, sanctæ charitati tuæ intimandum " duximus, ut statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ sedis adhibeatur " auctoritas. "

Tum Millevitani ad eumdem de eodem momento scribentes, sic loquuntur: " Quia " te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede Apostolica collocavit; talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, " si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, " quam ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem " diligentiam quæsumus adhibere digneris " .... hæc insinuantes Apostolico pectori " tuo, non opus habemus multa dicere, & " tantam impietatem verbis exaggerare; " cum proculdubio te ita permoveant, ut " ab eis corrigendis, ne latius serpant, " multosque contaminent, omnino dissimulare non possis. ".

Non prætereundum Concilium Arausicanum II. cujus miris de gratia & libero arbitrio decretis Romana sedes dux præivit, & confirmatrix, vindexque post adfuit. In ipsa Præfatione hæc habentur: " Pervenit ad nos esse aliquos, qui de " gratia & libero arbitrio per simplicitatem minus caute, & non secundum fidei Catholicæ regulam sentire velint. " Unde id nobis secundum admonitionem " & auctoritatem sedis Apostolicæ, justum " ac rationabile visum est, ut pauca Capitula ab Apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac " præcipue causa collecta sunt, ad docendum eos, qui aliter quam oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, " & manibus nostris subscribere debemus. " A Bonifacio II. deinde approbatum est Concilium, ut ex ejus ad Cæsarium Epistola liquet, in qua quidem, sic loquitur: " Postulans ut pro ambiguitate tollenda confessionem vestram .... " auctoritate sedis Apostolicæ firmaremus " .... Quapropter affectu congruo salutantes, superscriptam confessionem vestram, consentaneam catholicis Patrum " regulis approbamus. " Tum illa Synodus summam auctoritatis arcem invasit.

Ter-

Tertio, ex sanctis Patribus.

PRIOR occurrit S. Augustinus jam jam pro isto momento laudatus in Epist. 95. ad Innocentium I. suo & aliorum quatuor Episcoporum nomine scripta, ubi post Synodum Diospolit. accersiri Romam Pelagium, & diligentius interrogari suadetur; ait enim: " Si cognoverint eumdem Librum, quem illius vel putant esse, vel norunt, Episcoporum Catholicorum auctoritate, & maxime Sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis minime dubitamus: ab eodem ipso anathematum atque damnatum, non eos ulterius existimamus aufuros loquendo contra gratiam Dei. " Audis ex sancto Augustino quanti sit ponderis Papæ in profligandis hæreticis auctoritas.

Suffragatur S. Prosper Carmine de ingratis. De eodem momento aurea hæc profert verba adversus Pelagianos de Pontificio mucrone.

Pestem subeuntem prima recidit,
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta Caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura enituit &c.
Tu causam fidei flagrantius Africa nostra,
Exequeris, tecumque suum jungente vigorem
Juris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu,
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.

S. Thomas ejusdem est labii, namque 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. ait potestatem determinandi credenda principaliter residere in summo Pontifice: " Quæ quidem, *inquit*, auctoritas principaliter residet in summo Pontifice. Dicitur enim dist. 24. q. 1. cap. 4. *Quotiescumque de appellationibus*. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & Coepiscopos non nisi ad Petrum, ideft, ad sui nominis auctoritatem referri debere. " Rursus Opusc. 20. Lib. 3. de reg. Eccles. cap. 19. fusiori calamo Caput illud probat ratione & auctoritate: ratione quidem eo quod SS. Pontifex sit totius Ecclesiæ Caput & Primas, & Christi Vicarius, cui omnes debent obedire sub pœna peccati. Hanc eamdem veritatem ubique prædicant Historiographi, ut Photius, Lib. de septem Synodis, Facundus Hermianensis, & alii qui de Synodis scripsere.

Alterum argumentum.

AD eum spectat approbare & confirmare Concilia, qui est supremus Ecclesiæ Princeps, Caput, Primas & Pastor; sicut enim in regno nulla lex, nullave consuetudo citra regis Monarchæ placitum obligat, sic & non absimili modo contingit in regimine Ecclesiæ, cui unus supremus Pastor præest. Atqui Papa est totius Ecclesiæ Caput & Primas, omnis unitatis cardo & centrum. Igitur ex jure avito convenit illi approbare Concilia. Major ita vera est, ut ea in jure naturali fundata, & vel ex ipsa prima apprehensione certa videatur; eo enim ipso quo quis cogitat supremum Principem & Caput, simul & ad ejus nutum cuncta determinari & gubernari concipit... Neque vero in probanda minore diutius immorabor, cum jam omnes, si heterodoxi excipiantur, concedant S. Pontificem esse totius Ecclesiæ Primatem & Caput; hoc ipsum in specialibus dissertationibus adversus obstrepentes hæreticos jam probavimus: sufficit igitur impresentiarum D. Thomæ ut testis promere auctoritatem ex secunda secundæ desumptam; non abs re erit alteram ex Opusculo 20. Lib. 3. de Reg. Eccl. cap. 19. hic texere: Ibi ita loquitur: " Ex verbis Domini supra inductis est manifestum, videlicet pro bono statu universalis Ecclesiæ, videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis, cui competit dicta provisio ex triplici genere. Primo quidem divino, quia sic videtur voluisse Christus ex verbis superius introductis. Et infra etiam ostendetur. II. Vero ex jure naturali, quia supposito ipsum primum locum tenere in principatu, oportet eum dici Caput, a quo est omnis motus & sensus in corpore mystico: per quod habemus quod omnis influentia regiminis,

„ nis, ab ipso dependet. Amplius autem „ in communitate oportet attendere ad „ conversationem ipsius, quia hoc natura „ requirit humana, quæ sine societate vi- „ vere non potest. Conservari autem ne- „ quit nisi per dirigentem primum in „ quolibet gradu hominum, & hoc est in „ actibus hominum primus Hierarcha qui „ est Christus : unde est primum dirigens, „ & consulens & movens, cujus vices „ S. Pontifex gerit. Rursus autem dictum „ est supra in 1. libro, quod Princeps est „ in regno sicut Deus in mundo, & a- „ nima in corpore. „

Tertium argumentum, eruitur ex auctoritate Concilii Oecumenici suffulta summi Pontificis calculo.

CONCILII Oecumenici circa dogmata fidei definitiones sunt infallibiles fidei regulæ; sed hanc dependenter a summi Pontificis consensu & approbatione habent dotem, aut saltem hujusmodi consensus est conditio *sine qua non* eo mirabili privilegio gauderent : Igitur ad S. Pontificem spectat approbare Concilia generalia. Minor jam ex multis Capitibus supra laudatis claret; cum vel ipsa Concilia Provincialia ex S. Pontificis calculo infallibilitatem pro definitionibus dogmatum induere ex SS. Augustino & Prospero ostensum fit. Ulterius tamen eamdem comprobare non injucundum erit. Namque ut primum deest hujusmodi suffragium, non uno liquet experimento, vel ipsum Concilium generale non esse infallibilem fidei regulam, cum multa deficiente S. Pontificis consensu, vel rejecta sint, ut Concilium Ariminense, & Seleucianum, secundum Ephesinum ubi præsidebat Dioscorus, Constantinopolitanum sub Leone Isaurico Iconomacho adunatum.

Quia vero Novatores cæco abrepti zelo voces tumultuosas attollendo, obstrepunt, quasi aliquid novi in hoc proferretur, operæ pretium est præter facta pro conclusione conclamantia quæ adduximus, etiam Auctorum omni exceptione majorum auctoritatem recensere. Instar omnium sit Melchior Canus ex schola Angelica Doctor, & Episcopus : ex Oratoria vero celeberrimus Tomassinus, uterque a Catholicis celebratus & receptus, quorum operibus ubique accessit Regum calculus.

Prior Lib. 5. de locis Theologicis cap. 4. pag. 297. hæc habet : " Prima conclusio sit : *Concilium generale, quod auctoritate Romani Pontificis nec congregatum, nec confirmatum est, errare in fide potest.* „ Hanc conclusionem manifeste probat error Concilii Arimin. & Constantinopol. „ sub Leone Imperatore : quem hujus „ loci auctoritati in quinto argumento „ cap. 1. objiciebamus. Idipsum quoque „ ostendit Gratianus 17. dist. *Cap. regula* „ & *Cap. multis*. Julii & Pelagii clarissimis testimoniis. Item definit Damasus „ in Epistola ad Stephanum Archiepiscopum, & tria Concilia Africana, quæ „ in Epistola ad eumdem Damasum hoc „ ipsum confessa fuerunt. Non est quippe „ verum ratumque Concilium, quod auctoritate Episcopi Romani caret : quemadmodum non ii solum Pontifices, „ sed Concilia etiam ipsa tradiderunt. „ Tradidit septima Synodus Act. 6. Tomo „ 1. Et octava Synodus Act. 1. & 7. & „ Synodus Romana sub Symmacho 96. dist. „ *Cap. bene*, & Synodus 90. Episcoporum „ sub Damaso hist. Tripar. Lib. 5. cap. „ 29. & Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 11. ubi eadem res dicitur „ in Synodo Alex. definita. Ita Socrates „ Lib. 4. hist. trip. cap. 9. tradit, regulam Ecclesiasticam jubere, ut Concilia „ ejusmodi præter sententiam Romani „ Pontificis non celebrentur. Id quod „ Julius in Epistola ad Orientales dixit „ fuisse a Nicæna Synodo definitum : & „ Marcellus in Epistola ad Antiochenos, „ hoc ait, Apostolos statuisse.

Rursus ibidem pag. 303. " Quinta conclusio : *Concilium Provinciale S. Pontificis auctoritate firmatum in fide nequit errare.* „ Multorum autem Hæreticorum damnatio esset incerta, si certa non esset „ hæc conclusio. Plerique enim Hæretici „ non per Concilia generalia, sed per „ Provincialia sunt damnati, ut Priscillianus in Concilio Toletano I. Elvidius, in Concilio Telensi; Pelagius „ in Concilio Milevitano, & Carthaginensi. „

Alter, scilicet Thomassinus, est ejusdem labii, ut ex citationibus superioribus liquet: Differ. 18. in Concilia pag. 721. ait : " Con-

" Concilia œcumenica alioqui futura, errasse etiam aliquando v. g. Ariminense & Ephesinum secundum. Sed ut his statim universa Christi Ecclesia intercessit palam.... quibus autem intercessum non est, iis inconcussa fide adhærescimus: ita si quid præposterum Pontifex docens Ecclesiam definiret, reclameret Ecclesia universa; atque adeo ubi non reclamat protinus & palam Ecclesia, utique assentitur, utique definitioni Pontificiæ certum & invictissimum robur inesse vel sentit, vel facit, vel potius & sentit & facit. Ideo Duvallii sententiam a nostra nihil discrepare interpretamur hactenus, quod indiscretam cum velimus Pontificis & Ecclesiæ causam atque auctoritatem: nec negemus tamen magis popularem, videri & plausiorem Ecclesiæ personam: perinde nobis est Pontifici definienti, seu Ecclesiæ universæ consentienti fides devovetur: illius enim definitioni hujus consensio confestim conciliatur." Demum Dissert. 6. probat ex professo vel ipsa œcumenica Concilia quidquam roboris, seclusco S. Pontificis calculo, non habere. Ergo & ex Traditione, & ex Patribus, & ex sanctis Doctoribus & ex Theologis, ad summum spectat Pontificem approbare Concilia.

Quartum argumentum depromitur ex pondere quod ex auctoritate summi Pontificis in definitionem Concilii incumbit, ita ut paucior suffragiorum numerus prævaleat majori si priori accedat Papa calculus.

AUCTORITAS confirmandi Concilia S. Pontificis non affulget solum ex eo quod Concilium tametsi œcumenicum, seclusco S. Pontificis calculo, nihil roboris habeat, verum etiam quia vel paucior suffragiorum in definiendo prævaleat numerus majori, si illi accedat S. Pontificis consensus & approbatio: Atqui res sic se habet: Igitur per omnia claret ad summum spectare Pontificem approbare Concilia: Unde enim hæc contingeret efficacia, nisi prævaleret pondus Pontificium? Minor ex supra dictis jam patet: Ulterius tamen ad majorem argumenti efficaciam probatur Melchioris Cani auctoritate & ratiocinio, quippe qui vix ullo desistente in explanandis locis Theologicis nulli sit secundus. Sic autem loquitur Lib. 5. cap. 5. pag. 312. " Concilii reliqua pars quamvis maxima, si Pontifex & Legati pugnent, infirmari effectus potest. Huc enim illud pertinet, Tu, o Petre, confirma fratres tuos ... pag. 313. At errare poterit major pars Concilii, & erranti illi poterunt Legati subscribere. Atque id est, quod nos in præsentia dicimus, judicium majoris partis, etiamsi Legati sequantur, non esse certum, certum autem esset, si a Summo Pontifice confirmaretur. Nec enim opus est, quemadmodum paulo ante docuimus, sententiam Concilii omnes simul Patres approbare."

Rursus ibidem sic prosequitur, & thesim mirum in modum omni argumentorum genere probat his verbis pag. 316. & 317. " Scrupulum vero, qui nunc opponitur, facile eximo. Nego enim, cum de fide agitur sequi plurimorum judicium oportere. Nec hic, ut in humanis vel electionibus, vel judiciis, ex numero suffragiorum metimur. Scimus frequenter usuevenire, ut major pars vincat meliorem, scimus non ea semper esse optima quæ placent pluribus, scimus in rebus quæ ad doctrinam pertinent, sapientum sensum esse præferendum: Et sapientes paucissimi sunt, cum stultorum infinitus sit numerus. Quadringenti Prophetæ Achab mentiti sunt: Ex ore vero Micheæ solius quidem & contemptibilis veritas egressa est: Non sunt igitur divina judicia humanis rationibus moderanda. In paucis aliquando citius quam in multis salvat Dominus. Major quippe pars Ephesini Concilii II. In Dioscori sententiam venit, nec Legati tamen plurium judicio subscripsere. Quocirca S. Pontifex majoris partis sententiam non tenetur amplecti. Immo sive pauci, sive plures ad errorem deflexerint, munus est Apostolici Antistitis ad veram eos fidem revocare: juxta illud quod Petro dixit Christus: Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua, & tu non unum, & item alterum, sed sive paucos, seu multos, confirma fratres tuos. Ita Damasus scribens ad Episcopos per Illyricum constitutos; numerum Concilii Ariminensis magna libertate con-

„ contempsit, illique, tantæ multitudini „ unum Vincentium & alios paucos opposuit, qui contra illius Concilii sententiam dixerunt. Et Leo, cum Anatholius decretum Chalcedonensis Synodi de Ecclesiæ Constantinopolitanæ Primatu, sexcentorum triginta Patrum consensione præferret, quasi, *inquit*, refutari nequeat, quod illicite valuerit multitudo. Nulla sibimet de multiplicatione Congregationis Concilia blandiantur: nec trecentis illis decem atque octo copiosior numerus Sacerdotum comparare se audeat, vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fueirt constitutione diversum. „

Fit satis objectionibus.

Objicies: Quod est multis commune non dicitur uni soli proprium, sed confirmandi Concilia negotium non est penes solum summum Pontificem: Igitur absque fundamento dicitur solius Papæ ita esse approbandi Concilii auctoritatem, ut si ejus deficiat calculus, vacuæ sint Conciliorum definitiones. Probatur minor multis momentis. Primo quidem exiguntur in Conciliis subscriptiones Episcoporum, qui revera sunt fidei judices: Secundo, neque vero semel expostulavit Ecclesia ut ceteri Fideles, maxime Clerici, & Monachi Formulario dogmatico subscriberent: Tertio, quinimmo pluries vel ipsa aut consentiente, aut etiam deprecante Ecclesia, Principes christiani Concilia confirmarunt: Ergo &c. Jam vero omnes antecedentis partes factis probare juvat.

Facta de subscriptionibus Episcoporum ad calcem cujuslibet sectionis Concilii patent. De Formulario dogmatico a Clericis indiscriminatim subsignando tam multus est a primis sæculis ad nostra usque tempora sermo, ut id probare sicut inutile, sic & otiosum foret. De suffragiis Principum pro confirmandis Synodis major est difficultas, unum aut alterum pro isto momento exemplum omni exceptione dignum sufficiat. Primum Constantini Magni in sua ad omnes ubique Ecclesias Epistola apud Eusebium Lib. 3. de ejus vita cap. 17. & seq. “ Plane, *inquit*, divinum mandatum libenter suscipite: quidquid enim in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem. „ Quibus verbis subditis præcipit sanctam Nicænam Synodum recipere. Rursus scribens ad Episcopos Tyriæ Synodi apud Socratem Lib. 1. cap. 22. ita loquitur: “ Opus est ut omnes vos ad me propere accedatis, quo ratio rerum a vobis gestarum per vos ipsos accurate reddatur. „

Secundum factum est Theodosii, quem Episcopoi secundæ Synodi œcumenicæ sic alloquuntur: “ Necessario ad tuam pietatem referimus, quæ in Synodo sunt gesta .... Rogamus tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum. „

Tertium est Caroli Magni, qui in sua ad Elipandum Epistola hec profert: “ Scriptam itaque in Epistola vestra hujusmodi precationem invenimus: poscentes ut per te arbiter sedeas. Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi Sacerdotum auditor & arbiter adsedi „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Quod est multis commune eodem auctoritatis gradu non est uni soli tribuendum, concedo: quod est commune secundum diversos gradus, & uni tantummodo supreme, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Non diffitemur calculum Episcoporum & Clericorum desiderari ad definitiones fidei, illorum ut judicum, istorum ut testium & fidei Confessorum, nullorum tamen per modum supremę potestatis, quæ soli summo competit Pontifici, eo quod inter Pręsules solus habeat Christi potestatis plenitudinem, quocirca ejus suffragium est ultimum dogmatis definiti complementum. Igitur & Papam solummodo spectat approbare Concilia suffragio suo tantam definitionem absolvente, ita ut si desit, nihil roboris quoad vim ligativam habeat; e contra vero ut primum adest & affulget, ut perpetuo probatur experimento.

Ex his patet solutio ad duo priora in probationem minoris allata: Jam vero

ad

ad id quod de Principibus adjungitur, respondeo distinguendo : Principes suo calculo, etiam expostulante Ecclesia, confirmarunt Concilia ut testes fidei & praecones atque protectores, concedo : per modum suffragii & absoluta auctoritate, subdistinguo : aliquando & citra jus, concedo : cum jure, nego. Quod igitur solum ut fidei protectores suum addiderint calculum patet ex confessione Imperatoris Marciani jamjam laudati : item & exemplo Caroli Magni, qui adfuit Concilio Francofurtensi solum ut fidei protector, ut scribit doctissimus Alcuinus ejus Praeceptor Lib. I. contra Elipandum, ubi Synodo Ratisbonensi, *eodem glorioso Principe præsidente*, Felicem præsentem damnatum fuisse ait, *Synodali auctoritate Sacerdotum Christi*. Audis non auctoritate Imperatoris, sed Præsulum Ecclesiæ Hæreticos proscriptos. Quid plura adjiciam? Vel ipse Carolus Calvus avitæ æmulator pietatis anno 853. Synodo Suessionensi ut fidei protector adfuit & subscripsit. Dicit Thomassinus Dissert. 10. in Conc. Ephes. pag. 251. " Posthabitis sæcularibus " curis ipse quoque adesse dignatus est, " ut non solum devotione Ecclesiæ se " filium esse ostenderet, verum etiam, " sicuti opus esset, protectorem regia po- " testate monstraret. "

Instabis : Ecclesia non semel exhibet formularia a Laicis subscribenda : Igitur & ad ipsos spectat confirmare Concilia.

Respondeo distinguendo antecedens : Ecclesia exhibet formularia subscribenda, ut Laici obediant fidei, concedo : ut auctoritatem habeant, a qua Ecclesia in suis dependeat definitionibus, nego.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ad summum spectat Pontificem confirmare Concilia.

PRIMO : Istud ex dictis patet; eo enim ipso quo SS. Pontifex est totius Ecclesiæ Primas & Caput, ex jure ei competit confirmare Concilium ; sin minus foret acephalum & monstruosum : hoc non levius indicat Christus Luc. 22. 32. ad Petrum : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Secundo : Hoc ipsum expostulavere Concilia ; sic Chalcedonense rogavit sanctum Leonem ut Synodo suum adderet calculum ; sic Patres Carthaginenses eamdem gratiam ab Innocentio I. petiere : sic cetera Concilia, ut videre est in suis Epistolis Encyclicis ad SS. Pontificem clavum Ecclesiæ tunc tenentem directis.

Tertio : Nulla Concilia, vel etiam Oecumenica quidquam roboris sortita sunt, donec ei accesserit summi Pontificis suffragium : Ergo &c.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Subscriptiones quidem Episcoporum qui Concilio adsuere exiguntur ad confirmationem Canonum, sed non ideo excluditur summi Pontificis calculus, qui ceteris det pondus & complementum.

Secundo : Quandoque etiam Imperatores confirmarunt Concilia, hoc est, ea receperunt & decretorum executioni invigilavere.

Tertio : Neque vero negamus Ecclesiam non semel formularia a Fidelibus subscribi voluisse, sed & hoc pro executione Canonum, nusquam vero ut fidei definitiones a Laicis penderent.

ARTICULUS NONUS.

Utrum spectet ad summum Pontificem Congregationes pro examinandis libris instituere? Et qua conditiones requirantur ut diplomata Pontificum circa fidem & religionem recipiantur.

QUONIAM summum Pontificem ex cathedra loqui sit aliquam pronuntiare de libris & textibus sententiam præviis Congregationum consultationibus, non injucundum erit aliquid hic dicere de institutione Cardinalium & congregationum, tum & de variis modis qualificandi propositiones.

§. I.

De jure summi Pontificis instituendi Congregationes.

CONCLUSIO.

Jus istud competit summo Pontifici.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Ad Principem pertinet leges, quæ cedant in bonum publicum instituere : Sed summus Pontifex est totius Ecclesiæ Caput & Primas : Congregationes vero eatenus cedunt in bonum publicum, quatenus cuncta matura deliberatione prævia fiunt & ordinantur : Ergo &c.

Secunda : Omnia, teste Apostolo, contingebant in figuris in veteri lege : sed ordinante Deo, summus Judæorum Pontifex, qui fuit novæ Legis Vicarii Christi typus, quosdam elegit Seniores, quorum consilio adjutus fidei controversias dirimeret; sic enim habetur Exod. 18. 22. *Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum . . . qui judicent populum omni tempore : quidquid autem majus fuerit, referant ad te*. Rursus Num. 11. 16. *Dixit Dominus ad Moysen : Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri : Et duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, facies que ibi stare tecum ut descendam, & loquar tibi : Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.*

Tertia : Ad summos Pontifices spectat congregare Concilia, ut controversiæ fidei, prius debito modo discussæ ad metam perducantur ; hinc mos quondam inoleverat, ut summi Pontifices non nisi adunatis quibusdam Romæ Synodis hæreses profligarent. Sic Julius I. contra perfidiam Arianam. S. Martinus tum & Agatho contra Monothelitas congregarunt : Sed conveniens erat, & hoc potestas Ecclesiæ quæ est in ædificationem & non in destructionem expostulabat, ut Congregationes in locum hujusmodi Synodorum adhiberentur, quibus suffulta sapientia summi Pontificis attingat omnia a fine ad finem fortiter & disponat suaviter : Ergo &c.

§. II.

De origine Cardinalium & Congregationum ad dirimendas Religionis controversias.

QUIDAM autumant Congregationes a S. Gregorio ortum ducere, alii a S. Sylvestro, alii a sancto Marcello, nonnulli a sancto Pontiano. Eugenius IV. Epist. ad Cantuariensem Episcopum dicit, Cardinalis nomen non fuisse quidem primis nascentis Ecclesiæ temporibus expressum, munus tamen & officium a B. Petro Apostolo & successoribus evidenter institutum. Quod spectat nomen, certum est nullam fieri de eo mentionem ante Concilium Romæ sub sancto Sylvestro habitum ann. 324. namque Canone 7. præcipitur ut Diaconi non sint plures per Parochiarum examen, nisi duo, & Cardinales urbis Romæ septem. Ex his non obscure claret Cardinales primum solummodo fuisse Diaconos, qui erant pauperum, pupillorum & viduarum suæ regionis procuratores, quocirca dicti sunt regionarii; postea vero, crescente Fidelium & Presbyterorum numero, primus Parochiæ Presbyter, qui ceteris sui tituli Presbyteris præerat, vocatus est Presbyter Cardinalis. Tandem non sub Honorio II. ut quidam opinantur, sed circa vel paulo ante Petri Damiani Cardinalis, & Ostiensis tempora, videlicet circa annum 1057. additi sunt Episcopi Cardinales, nempe cum designati fuerunt urbis Romæ Episcopi viciniores, qui assisterent summo Pontifici, eumque in curis & laboribus tum studio, tum etiam consilio sublevarent.

Numerus hujusmodi electorum varius fuit pro varietate temporum : Sub Bonifacio VIII. erant viginti. Et vero tempore quo summi Pontifices Avenione sedebant numerantur triginta, sed ne plures quam 34. in posterum extarent, statuit Concilium Constantiense Sess. 40. sub Leonem tamen X. qui una solummodo promotione creavit 31. visi sunt simul & apparuere 65. sub Paulo IV. 70. recensentur : sub Pio vero IV. 76. Tandem Sixtus V. speciali constitutione decrevit ne

ne plures aut pauciores in posterum forent quam 70. ut hic numerus responderet septuaginta Senioribus, qui Moysi & collaterales & assistentes erant, juxta illud Numer. 11. 16. *Congrega mihi*, inquit Deus, Moysi, 70. *viros de senibus Israel quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, facies que ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.*

Iste numerus ad hunc usque diem perseverat. Porro ex Diaconorum ordine numerantur 14. ex Presbyterorum 50. & ex Episcoporum 6. videlicet antiqui viciniores urbis Romæ Episcopi, nempe Ostiensis, Veliternus, Portuensis, Tusculanensis, Sabinensis, Prænestinensis & Albanensis; sed inter eos non computatur seorsim Veliternus, ex eo maxime tempore quo Eugenius III. ex Veliterno & Ostiensi unum Episcopatum fecit.

Ex his variæ conficiuntur Congregationes pro varietate controversiarum quæ ad summum deferuntur Pontificem, ut ab illis momenta rationum expendantur, antequam vel ab ipsa Congregatione, vel a summo Pontifice sententia feratur.

Septem præcipuæ numerantur Congregationes, in quibus etiam consuluntur & audiuntur in Theologia Magistri.

Prima est sancti Officii, seu sacræ & universalis Inquisitionis, rebus fidei prospiciendis occupata, a Paulo III. erecta, & a Paulo IV. confirmata.

Secunda, propagandæ fidei Missionibus vel instituendis vel conservandis, vel etiam dirigendis in regionibus Infidelium, ceterisque quæ fidei propagationem juvare possint, intenta. A Gregorio XV. instituta est, & vocatur Congregatio propagandæ fidei.

Tertia, Concilii Tridentini dicitur, & ad eam referuntur dubia, & quæstiones circa decreta ejusdem Concilii pertinentia ad disciplinam.

Quarta, Episcoporum & Regularium Congregationis nomine donatur, quippe quæ in solvendis quæstionibus Episcoporum & Regularium versetur.

Quinta, est Congregatio Rituum, quæ cæremoniis, consuetudinibus Ecclesiarum, & negotiis canonizationis Sanctorum discutiendis incumbit.

Sexta, vocatur Congregatio Indicis librorum prohibitorum: nam illos, prævio examine, vel suspendit, vel prohibet, vel etiam corrigit, ac tandem pro ut judicaverit, eis hæreseos notam inurit.

Septima, ad immunitates Ecclesiæ attendit, & circa talia momenta controversias dirimit. Ab Urbano VIII. creata & instituta est. Istis Congregationibus accecit mandatum, & ut plurimum, quando res sic expostulat, ipsum summi Pontificis decretum.

§. III.

De modis quibus qualificanda sunt Heterodoxorum Propositiones, ut justitia in diplomatibus affulgeat, & ea qua par est erga summum Pontificem reverentia recipiantur.

Ut omnis diplomata dogmatica abjiciendi tollatur locus & vanus pretextus, observandum est judicium de propositionibus aliquibus proscribendis a contradictoriis & oppositis ferri; neque vero prætermittendum est, propositionem in sensu obvio catholicum præ se ferentem sensum, nonnumquam tamen fuisse rejectam & propulsam juxta temporum diversitatem, quando scilicet Heterodoxi consequentias erroneas ex propositione in se indiferenti, deducebant: Ne quis autem ex disputandi prurigine excusationem habeat in peccatis, Ecclesia ut plurimum damnat in globo Novatorum propositiones, alias ut erroneas, alias ut scandalosas, vel etiam ut male sonantes. Sic Innocentius XI. sexaginta & octo propositiones Molinos respective & in globo damnavit: Sic Clemens XI. quasdam Propositiones e libro gallice, *des Maximes des Saints*, suo perstrinxit stylo censorio: sic ante eos Leo X. 35. propositiones Lutheri: Concilium Constantiense 45. articulos Vyclefi, & 30. propositiones Joannis Hus, tum & S. Pius V. Gregorius XIII. varias Baji propositiones condemnaverunt: Sed ut veritas magis affulgeat, operæ pretium est duo puncta laudata ad trutinam Scholæ & Traditionis explanare.

De regula oppositorum ad cognoscendam veritatem in una tantum complexam.

QUOTIES occurrit aliqua propositio falsa, toties ut plurimum opposita est vera: Sed ut primum aliquæ propositiones ab Ecclesia proscriptæ apparent, oppositæ, ut plurimum sunt veræ: Igitur quando diploma Pontificium aliquam proscribit propositionem, opposita est vera: Major variis probatur momentis. Primo, exemplo propositionum Baji.

Vigesima-sexta propositio Baji, hæc est. Innocentia *hominis in creatione non est elevatio indebita naturæ humanæ, sed potius ejus naturalis conditio.*

Opposita.

Innocentia *hominis in creatione non est elevatio debita naturæ humanæ, verum potius conditio supra naturam.*

Nemo nisi Heterodoxus negabit secundam propositionem esse verissimam, alias prorsus evacuaret gratuitatem gratiæ; si enim innocentia primi hominis in omnium gratiarum supellectili sita, homini est debita, jam gratia non est gratia.

Secunda Jansenii Propositio proscripta hæc est.

Nusquam resistitur gratiæ interiori.

Opposita.

Aliquando resistitur gratiæ interiori.

Profecto, ista secunda propositio tam apertam continet veritatem, ut sit explicite de fide, juxta illud Actuum 7. beati Stephani ad Judæos: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.*

Prima Propositio Quesnelli.

Quid superest animæ quæ & Deum, & ejus gratiam amisit, nisi peccatum, & ejusdem sequela; videlicet impotentia generalis ad laborandum, ad orandum & ad omne bonum.

Opposita.

Restat animæ quæ & Deum & ejus gratiam amisit aliqua potentia generalis, tum ad laborandum, tum ad orandum, tum ad aliquod bonum faciendum.

Ista secunda propositio ita veritatem complectitur, ut Daniel Nabuchodonosori infideli, & in peccatis obdurato suaserit peccata sua eleemosynis redimere: & nedum Propheta, sed & ipsa Ecclesia præcipit peccatoribus bonis vacare operibus, & sese ad Deum convertere: Sed quorsum hæc præcepta si peccatoribus non adsit, vel ipsa orandi potentia: cum tamen sanctus Augustinus iterum atque iterum consilium det peccatoribus obduratissimis orare, ut suam & operentur salutem, & gratiam conversionis obtineant.

Non diffitemur quasdam propositiones etiam ab Ecclesia rejici, tametsi non sint aut contrariæ, aut contradictoriæ, & bonum possint habere sensum: hujusmodi tamen propositiones non semel abjecit, vel ut male sonantes, vel ut temerarias & propter acerbitatem temporum in errorem propter malum usum consuetudine firmatum inducentes: quocirca Concilium Constantiense Sess. 8. propositiones hujusmodi repulit.

De propositionibus male sonantibus & temerariis quæ præbent errandi ansam.

CONCILIUM Constantiense de his sic loquitur: *Quibus examinatis articulis 260. fuit repertum, pro ut in veritate est, aliquos & plures ex istis fuisse & esse notorie Hæreticos, & a pluribus SS. Patribus reprobatos; alios non Catholicos, sed erroneos: alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos.*

Melchior Canus, qui erudite admodum scripsit de locis Theologicis propugnat propositiones æquivocas recto Ecclesiæ judicio abjici. Sic loquitur Lib. 12. cap. 10. pag. 770. " Quemadmodum non solum res falsæ, atque perabsurdæ, sed „ graves quoque ac veræ sententiæ in„ conditis verbis elatæ, offendunt aures, „ acres præsertim & accutas; sic Theo„ logorum aures teretes & religiosæ, non „ a sententiis modo falsis & hæreticis, „ sed ab iis etiam abhorrent quas intel„ ligenti judicio percipiunt male atque „ absurde sonare, quamvis in eis nullam „ falsitatem hæreseos deprehendant. „

Rursus 776. " Sic Ecclesiæ Romanæ „ abusus plebi rudi objicere, atque in „ vulgus edere, scandalum est: sic pro„ positiones illæ scandalosæ sunt, Prælatus malus est vere fur & latro: per cen„ suras Ecclesiasticas Clerus populum sup„ peditat, & avaritiam multiplicat, Sacer„ dotes criminose viventes, Sacerdotii pol„ luunt potestatem ... Quæ quamvis „ in verum sensum deflectantur, non „ so-

„ solum error, sed ipsa etiam isthæc veri-
„ tas qualiscumque illa sit, quæ forte in his
„ dictis inveniri potest, scandalum affert
„ idiotis & infirmis. Non enim solum
„ falsa scandalum faciunt, sed aliquando
„ etiam vera. „

Usus Ecclesiæ circa istud momentum.

PRIMUM exemplum est Concilii Apostolorum, qui animadvertentes quosdam ex Judaismo, ad fidem conversos velle ut legalia sequerentur, statutum est vel ipsos Gentiles Christianos ad hæc nullo teneri modo; pace Ecclesiæ composita circa istud momentum, S. Petrus, & post ipsum S. Paulus legalia una ac altera vice observarunt, ut Synagoga cum honore sepeliretur: quia tamen decursu temporis beatus Paulus abusum in hæc irrepsisse annotavit, cito-citius declaravit Judæis qui justificationem a lege promanare contendebant, in hoc peccare, dicens Gal. 5. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Ecce legalia ab aliquibus annis permissa ad honorem, proscripta propter malum usum.

Alterum exemplum primo non absimile emersit sæculo 2. apud Asiaticos, qui festum Paschæ luna decima quarta, post æquinoctium vernum quacumque die occurreret celebrari contendebant, & hoc contra morem Romæ, ubi non nisi die Dominica immediate sequente celebrabatur. Tum acrius exarsit controversia. Sanctum Anicetum Papam Polycrates Asiæ Episcopus convenit, & more Asiatico cum humilitate exposito, cum pace ab eo discessit: sed Asiatici postea suum ritum ad salutem esse necessarium propugnantes, in quinque Conciliis proscripti sunt, ac tandem Victor I. summus Pontifex ab eis abstinuit.

Ecce novum factum modo toleratum, modo deinde propter abusum prorsus abjectum & damnatum: Eodem circiter sæculo Florinus quemdam errorem propugnabat ista propositione comprehensum: *Deus est auctor malorum*: Quæ quidem propositio tametsi in Scriptura contenta, impugnata tamen fuit a sancto Irenæo, ut refert Eusebius Lib. 5. Historiæ cap. 20. e contra vero propositio opposita: *Deus non est auctor malorum*. Sed quod stupendum, duobus elapsis sæculis, a Collutho Alexandrinæ Presbitero publicata, fuit a Concilio Alexandrino damnata, ubi & Colluthus e gradu Sacerdotii dejectus est. Sic referunt Philastrius Lib. de Hæresibus cap. 131. S. Augustinus Lib. de Hæresibus ad *Quod vult Deum* hæresi 65. Prima propositio tametsi in se vera, attamen proscripta fuit propter illationem malam; inferebat enim Florinus ex hoc quod Deus esset auctor mali pœnæ, foret quoque & mali culpæ, seu peccati. Non absimili ratione catenus abjecta fuit & altera, quatenus concludebat Colluthus, ex eo quod Deus non sit auctor malorum, non esse quoque afflictionum, cum tamen Scriptura dicat, Deum castigare homines quos amat, & suos tamquam aurum in fornace probare electos: Igitur quotiescumque adest abusus periculum, Ecclesia potest rejicere propositiones de se ferentes sensum catholicum.

Tertium percelebre factum tertio apparuit sæculo: tunc enim quidam Episcopi severioris disciplinæ zelo ducti nolebant recipere Baptismum ab hæreticis, etiam verbis Evangelicis collatum. Hoc ægre admodum vel ipsa tolerabat Ecclesia; siluit tamen quandiu potuit, cum istud caput esset solum de disciplina: sed ut primum animadvertit Agrippinum Carthaginis Archiepiscopum in duobus Conciliis Carthagine habitis, Cyprianum in tribus aliis, Firmillianum Cæsareæ Cappadociæ Archipræsulem, similiter in duobus in Oriente adunatis rejicere Baptismum illum ab hæreticis collatum: & illud dumtaxat a Catholicis collatum prodesse ad salutem, eis restitit Stephanus I. & postea Concilium generale primum: sicque eadem disciplina ad tempus tolerata, tum postea proscripta fuit.

Non prætereundum aliud factum quod eodem contigit sæculo. Patres primi Concilii Antiocheni abstinuerunt a verbo consubstantialitatis ut sinistro, pro indigitanda Spiritus sancti divinitate, eodem tamen vocabulo *homousion* Verbi cum Patre consubstantialitatem, & identicam æqualitatem Concilium Nicænum I. celebravit, ut refert S. Athan. L. de Syn. Arim. & Seleuc. Sed non eodem motivo utriusque Concilii Patres sic egere. " Etsi, „ *ait ille S. Doctor*, amborum Conciliorum

 „ Pa-

„ Patres diversimode de consubstantiali „ mentionem fecere , non tamen ea de „ causa ab illis dissidere debemus .... Qui „ Samosatensem sustulerunt, hanc vocem „ corporaliter accepere , cum Paulus so„ phisticari vellet &c. Illi vero qui Aria„ nam hæresim anathemate notarunt , co„ gnoscentes non creaturam, sed genitum „ ex substantia Patris Filium esse ... in„ ducti sunt ut Filium , consubstantialem „ dicerent ... utraque Synodus , justam „ habet & rationabilem causam, cur illa „ ad illum, ista vero ad istum modum , „ verba sua temperaverit. „

Celeberrimum est factum formularum Arianorum & Semiarianorum, videlicet tres Syrmicæ, quarum prima edita est anno 351. Secunda , 358. Tertia , 359. quædam aliæ Concilii Antiocheni ann. circiter 365. juris publici factæ : inter eas solummodo secunda Syrmiensis erat blasphemiis adversus Verbum divinum referta : quinimmo prima Syrmica sensum catholicum præ se ferebat in sensu obvio ; quippe quæ in anathematismo vigesimo octavo, sic habet : *Si quis dixerit Verbum aut ex nihilo, aut ex aliqua præjacente materia factum, alienus est ab Ecclesia ;* & tamen non secundam tantum , sed & ceteras propter abusum & defectu vocis *homousion* omnem tollentis æquivocationem , ut fidem temporum abjecit Ecclesia , ut omnis aufugii aditus Arianis precluderetur . Igitur inest Ecclesiæ potestas qualdam propositiones tametsi catholicas, non tamen sufficienter explanatas velut male sonantes , aut propter equivocationem errori faventes proscribendi.

Factum aliud legitur sexto Seculo plurimum ad rem . Monachi Scithiæ , hanc propositionem : *Unus de Trinitate crucifixus secundum carnem ;* propugnabant , tamquam a duobus Gregoriis , a S. Augustino & a Proclo CP. celebratam. Joannes secundus Epist. ad Senatores Tom. 4. Conciliorum Labb. pag. 1753. tamquam genuinum sancti Cyrilli & S. Leonis fœtum laudat , Illa propositio in suspicionem nævi venire non debebat propter illorum Monachorum errores , maxime cum eorum fidei professio Legatis Papæ Constantinopoli oblata nihil nisi catholicum præcontineret : vel ipse Justinianus Epistola ad Hormisdam Tom. 4. Conc. pag. 1517. summo Pontifici testimonium reddebat , Caput controversiæ solummodo penes quædam vocabula moveri : " Ver„ ba, *ait*, videntur facere dissensionem : „ nam sensus inter, Catholicos omnes „ unus esse probatur . „ Attamen propositio fuit objecta ab Ecclesia Constantinopolitana, & a Legatis summi Pontificis , ut habetur in codice Vaticano, & in Epistola Dioscori Legati ad Hormisdam Papam Tom. 4. Concil. Tum Monachi Romam convocarunt, sed Hormisdas noluit eorum propositionem approbare , ut refertur in sua ad Possessorem Epistola Tom. 4. Conciliorum : " Stu„ dentes , *inquit* , eos ab interno vulne„ re, medicabilis patientiæ moderamine „ sanare . „

Alii vero Monachi aliquibus elapsis annis istam alteri propositioni contradictoriam opponebant : *Unus de Trinate non passus est secundum carnem*. Quam tamen Joannes secundus , non obstante eorum pietatis fama, quam illi Monachi Acemites vocati, eo quod vix somnum capiebant, & diu noctuque laudes Domini decantarent , proscripsit , Epist. ad Justin. Tom.4. Concil. Sic Ecclesia juxta temporum diversitatem duas propositiones etiam contradictorias damnat. Priorem quidem ne inde Eutychiani aliquid inferrent & molirentur adversus fidem , posteriorem vero ne faveret Nestorianis.

Non absimili ratione qui fidem suam verbis catholicis circa realitatem corporis Christi in Eucharistia exprimeret , ejus tamen fidei professio in periculum damnationis veniret, si non apponeret vocabulum transubstantiationis: & jure posset ab Ecclesia rejici ut æquivoca , quod non semel compertum est in Confessionibus fidei Martini Buceri , Zuinglii , & ipsius Calvini . Primus ajebat corpus Christi esse in Eucharistia vere : Alter, esse substantialiter: Tertius realiter, & tamen in rei veritate non nisi typum in illa contineri propugnabant , & secundum eos corpus Christi non est in sanctissimo altaris Sacramento nisi vere spiritualiter , substantialiter spiritualiter , realiter spiritualiter .

His omnibus æqua lance ponderatis, juxta regulas præscriptas , cuncta ad fidei exaltationem & debitam Ecclesiæ obedientiam

tiam adducuntur. Quandoquidem non opus est propositionem proscriptam esse hæreticam, ut abjiciatur, sed sufficit ut sit temeraria, vel æquivoca, vel in errorem inducens.

SYNOPSIS ARTICULI,

De Cardinalibus, Congregationibus & qualificatione propositionum.

PRIMO: Ad Summum Pontificem spectat congregationes ad dirimendas fidei controversias instituere; sicut enim Moyses supremus in veteri testamento Legislator Seniores elegit, qui pro discutiendis Religionis controversiis eum adjuvarent, sic eodem motivo convenit in Ecclesia Papam supremum Ecclesiæ Pastorem, quosdam dignitate eminenti præcellentes eligere viros, qui ad solicitudinem regiminis adsciti, consilium & auxilium præstent ad fidem tum conservandam, tum propagandam, tum etiam contra impugnantes defendendam.

Secundo: Viri isti eminentissimo Cardinalis nomine ab Ævo S. Sylvestri celebrantur: si tamen ad Officium & munus attendatur, ortum eos a S. Petro habuisse non sine fundamento multi autumant.

Tertio: Congregationes, ex eruditis in sacra Theologia Magistris, ex Prælatis, maxime vero ex Eminentissimis Cardinalibus constant; quibus omnibus, cum opus est, præest & adest summus Pontifex. Septem numerantur, videlicet Congregatio I. S. Officii seu sacræ & universalis inquisitionis pro fide contra obstrepentes defendenda. II. Pro eadem fide per Missionarios propaganda. III. Concilii Tridentini, ubi res disciplinæ discutiuntur. IV. Episcoporum & Regularium pro negotiis Episcopos & Regulares spectantibus. V. Rituum. In ea tractatur de Ecclesiæ cæremoniis, maxime vero de canonizatione Sanctorum. VI. Indicis librorum prohibitorum. VII. Immunitatum Ecclesiæ.

Quarto: Propositiones damnantur, quandoque ut erroneæ & hæreticæ, nonnumquam ut temerariæ & scandalosæ, sæpius etiam ut male sonantes, & piarum aurium offensivæ.



DISSERTATIO UNICA, DE CONCILIIS,

Quorum Canones dogmatici sunt Fidei Regulæ.



ECCLESIA quæ teste Scriptura est columna veritatis, quandoque loquitur per summum Pontificem, ut supra diximus, quandoque in Conciliis Oecumenicis, quandoque etiam, secluso Concilio, per omnes Pastores qui unanimi consensione aliquod fidei dogma adversus hæreticam pravitatem celebrant. Ne infinitus prope sim, ad principalia capita sacros scilicet Canones stylum acuere juvat; his enim intellectis, quod Ecclesia sive per summum Pontificem, sive per Concilia, sive etiam per omnes universim Episcopos definivit, evadit Theologus in scientia Dei, & Religionis perfectus. Protestantes qui ad spiritum erroris & privatum attendunt, abhorrent Concilia, ea saltem in quibus summus Pontifex simul cum Episcopis definit, & credenda proponit, existimantes penes laicos, & sine ordinatione Ministros, Religionis summam esse: sed contra quod habetur Act. 15. 28. ubi Concilium Apostolorum, sic loquitur: *Visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum &c.* Rursus ibid. cap. 20. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit, Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Dogma de auctoritate, utilitate & efficacia Conciliorum, quatuor potissimum modis explicatur & defenditur, tractando

PRIMO: De infallibilitate Concilii approbati.

Secundo: De numero Conciliorum.
Tertio: De controversiis motis, definitis & propositionum erronearum qualificationibus.
Quarto: De Conciliis cujuslibet sæculi cum notis & criticis observationibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Concilium approbatum, sit infallibile?

PRÆNOTANDUM est, I. Concilium esse adunationem Ecclesiæ Procerum, simul ad unum locum convenientium, ut quæstiones & fidei & morum, vel etiam disciplinæ definiant: dicitur quidem congregatio, unus quippe non repræsentat Ecclesiam, nec facit Concilium; additur Procerum, solis enim Episcopis, ut habetur Act. 20. 28. inest jus regendi Ecclesiam, & Dominicum gregem pascere; quocirca simplices Sacerdotes velut Theologi, vel etiam ut definitionum testes oculati, de via ordinaria assistunt: additur quoque Ecclesiæ, qua quidem particula declaratur ad laicos, tametsi Principes non spectare de rebus Religionis ferre judicium; hinc Reges, vel per se, vel per suos Legatos ad Concilia congregata, solummodo ut fidei defensores veniunt, maxime & ut hæreticorum pravitatem inanemque & superbos homines inobedientes sua compescant auctoritate.

Observandum II. Concilium esse multiplex; videlicet aliud Diœcesanum, & est cœtus tantum Presbyterorum & cu-

cujuslibet parœciæ Rectorum, quibus præsidet Episcopus: aliud Provinciale, & est Episcoporum suffraganorum Provinciæ Conventus, in quo Archiepiscopus præsidet: aliud Nationale, & est adunatio omnium unius nationis Episcoporum & Archiepiscoporum: huic congregationi præsidet, vel Patriarcha, vel Primas: aliud denique generale, ad quod totius Ecclesiæ Proceres invitantur: in illo summus Pontifex, vel per se, vel per suos Legatos præsidet.

Caput controversiæ non est nisi de Conciliis Oecumenicis; certum est cetera hac infallibilitatis dote non gaudere, nisi accedat Ecclesiæ universalis consensus. Quæstio etiam non movetur de rebus temporalibus, immo nec de disciplina, conveniunt enim communiter Theologi Ecclesiam tametsi in Concilio congregatam, non esse circa ista momenta infallibilem: sed tantum de rebus & fidem, & mores spectantibus. Supponimus quoque Concilium esse approbatum, & summi Pontificis calculo munitum; unde sit

CONCLUSIO.

Concilium Oecumenicum in rebus fidei, & Religionis definiendis est infallibile.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Ostensum est supra Ecclesiam loquentem in Conciliis esse in dogmate fidei definiendo infallibilem: sed Concilium generale est ipsa Ecclesia, quippe quod illam repræsentet. Ergo &c.

Secunda sic proponitur: Ubi Deus adest tamquam lumen & veritas, ibi omnes errorum umbræ fugantur, nec potest prævalere mendacium: Atqui cum Ecclesiæ Proceres in Concilio pro rebus Religionis discutiendis & definiendis adunati sunt, ibi Deus est in medio eorum, juxta illud Matthæi 18. *Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In nomine meo*; hoc est, legitime congregati. Ergo &c. Porro sententia Christi maxime intelligenda est de congregatione totius Ecclesiæ.

Tertia hæc est: Christus est infallibilis & in dicendo & in loquendo: sed adest in Conciliis Oecumenicis, juxta illud Matth. 28. 20. effatum; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Tum Joan. 16. 13. *Spiritus docebit vos omnem veritatem.* Ergo &c.

Quarta: Spiritus sanctus, ipso Christo testante, est spiritus veritatis, cui non potest subesse falsum: Atqui ille divinus Spiritus præsidet in Conciliis Oecumenicis, & ibi sua promit oracula. Ergo &c. Probatur minor Act. 15. 28. Apostoli in Concilio Jerosolymitano in unum congregati, sic loquuntur Gentilibus: *Visum est enim Spiritui sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria.* Hanc eamdem veritatem propugnant Patres secundi Concilii Nicæni Act. 7. in definitione fidei, ubi sic loquuntur: "Itaque Apostolicas & paternas traditiones sequentes, audemus autem dicere conspiratione sanctissimi Spiritus consonantes ... simul acclamavimus, veritatem quam prædicavimus, omnibus modis, videlicet recipiendas venerabiles imagines ... Et quisquis sic se non habuerit, sed disceptaverit, vel etiam elanguerit erga venerabilium imaginum adorationem, hunc anathematizat sancta nostra universalis Synodus, quæ munita est divini Spiritus operatione."

Quinta: Ex Christi promissione, portæ inferi nusquam debent adversus Ecclesiam prævalere; sic enim habetur Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Atqui de facto prævalerent, si Ecclesia in Concilio universali adunata aliquid, vel contra fidem, vel contra probos mores definiret. Ergo &c.

Sexta: Quod omnium sæculorum propugnaverunt Patres, hoc certo tamquam veritas inconcussa teneri debet: sed cujuslibet Ævi Patres & sancti Doctores, docent & agnoscunt infallibilitatem Concilii generalis legitime adunati: Ergo &c. Bellarminus fuso calamo refert Patrum & SS. Doctorum auctoritates in Libro de Conciliis, multasque supra retulimus: unum impræsentiarum Magni Gregorii effatum referre sufficit: ait enim egregius ille Doctor Lib. 1. Epist. 24. quatuor prima Concilia se veluti quatuor Evangelia vene-

venerari, & pari honore quintam Synodum Oecumenicam se habere testatur; quod idem certe dixisset de aliis Conciliis Oecumenicis, si quæ ante ejus mortem congregata fuissent. Ergo &c. Non omittendus S. Athanasius, qui Epist. ad Africanos Episcopos, ait: " Verbum Domini " per Oecumenicam Nicææ Synodum ma- " net in æternum. " Tum Ambrosius Epist. 32. " Sequor, *inquit*, Tractatum Ni- " cæni Concilii, a quo me nec mors, " nec gladius poterit separare. "

Dices: Multa Concilia etiam Oecumenica, ut Ariminense, erraverunt. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et Ariminense ab Ecclesia non fuit approbatum, concedo: & fuit, nego. Ceteris objectionibus supra factum est satis.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Concilium Oecumenicum approbatum, est infallibile.

PRIMO: Quia Concilium istud est ipsa Ecclesia in Spiritu sancto adunata quæ loquitur; dictum est autem Ecclesiam esse infallibilem, juxta illud Matth. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Secundo: Controversiæ fidei clauduntur judicio Concilii. Ergo &c.

Tertio: Sic docet Traditio Patrum, Athanasius Epist. ad Episcopos Africanos, Ambrosius Epist. 32. Gregorius Naz. Epist. ad Celidonium, Cyrillus Lib. 1. de Trin. Hieronymus Dial. adversus Lucif. Gregorius Magnus Lib. 1. Epist. 24. & alii.

ARTICULUS SECUNDUS.

De numero Conciliorum.

De Approbatis.

Concilia generalia octodecim numerantur.

PRIMUM, est Nicænum anno 325. sub sancto Sylvestro SS. Pontifice, & Constantino Magno Imperatore adunatum. Aderant 318. Episcopi, qui duo definire controversiæ capita, nimirum Verbi divini cum Patre consubstantialitatem adversus Arium; deinde vero Pascha celebrandum esse Dominica sequente plenilunium æquinoctii verni. Asiatici Judæorum insistentes vestigiis, qui decima-quarta, quacumque die occurreret illud celebrabant, quosdam alios Canones numero 20. secundum Theodoretum edidit.

Secundum, est primum Constantinopolitanum anno 381. celebratum sub Damaso Papa, & Theodosio Magno Imperatore. Illuc convenere 150. Episcopi, qui consubstantialitatem Spiritus sancti, cum aliis personis divinis contra Macedonium, tamquam de fide definierunt: & ad fidei hujus explicationem addiderunt Symbolo Nicæno hęc verba: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur.*

Tertium, est Ephesinum anno 431. sub Cœlestino Papa, Theodosio juniore Imperatore, adversus Nestorium congregatum, ubi 220. Patres unionem Verbi cum humanitate sancta substantialem, & hypostaticam esse declararunt.

Quartum, est Chalcedonense anno 451. sub Magno Leone SS. Pontifice & Marciano Imperatore celebratum. Aderant 630. Patres. In eo proscriptus est Eutyches, qui duas in Christo naturas confundebat.

Quintum, est Secundum Constantinopolitanum anno 553. sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore adunatum. In eo 155. circiter Patres numerantur, qui & tria Capitula, & varios Origenis errores damnarunt.

Sextum, est Tertium Constantinopolitanum adversus Monothelitas adunatum ab Agathone anno 681. regnante Constantino Pogonato. Aderant 289. Episcopi.

Septimum, est Nicænum II. anno 781. Adriano I. SS. Pontifice, Constantino Imperatore, & regnante cum illo Irene adunatum; ibi 350. Episcopi Iconomachos perstrinxerunt, variosque pro disciplina Canones fecerunt. Decimus-quintus prohibet pluralitatem beneficiorum, decimus vero sextus ne Clerici pretiosos, juxta sęculi pompam, deferant habitus.

Octavum, est Quartum Constantinopolit. quod adunatum est ab Adriano II. anno 870. Imperante Basilio Macedone ..... Convenerunt 385. Patres. In eo Photius qui fraude & auctoritate sanctum Ignatium a sede CP. deturbaverat, alternata vice ipse depo-

depositus est & exauctoratus, Ignatius vero restitutus.

Nonum, est Lateranense Primum, celebratum anno 1122. secundum Baronium Calixto II. summo Pontifice. Ibi aderant 1000. fere Patres, scilicet 300. Episcopi, ceteri erant partim Abbates, partim Priores. Convocatum est contra Henricum quartum Germaniæ Imperatorem, propter beneficiorum investituras, quas quidem contra Canonem 22. octavi Concilii generalis sibi vindicabat; ibi quoque actitatum est de auxilio præbendo Christianis Orientalibus contra Saracenos.

Decimum, est Lateranense II. anno 1139. congregatum sub Innocentio II. Lothario Imperatore. Aderant 1000. Patres, si Abbates & Priores computentur. Adunatum est contra Leonem Antipapam, qui Anacletus II. nuncupabatur, ad errores Arnoldi discipuli Abælardi perstringendos, item & ad mores Clericorum reformandos. Prohibet Monachis ne munus & Medici, & Advocati exerceant.

Undecimum, est Lateranense III. anno 1180. Alexandro III. summo Pontifice, & Friderico I. Imperatore adunatum, tum ad reformandos mores, tum ad sedandum schisma molitione Friderici excitatum; quippe qui Papæ legitimo tres alios opponeret, scilicet Octavianum, Victorem primum appellatum, Guidum Cremensem sub nomine Paschalis III. & Joannem Frescatensem, qui Calixtus III. vocabatur, ibi quoque quidam proscripti sunt errores.

Duodecimum, quod & magnum Lateranense dicitur, propter numerum 1283. Patrum, celebratum est anno 1215. cui Innocentius III. præsidebat. Aderat Patriarcha Constantinopolit. tum Jerosolymitanus, Alexandrinus vero & Antiochenus suos miserant Legatos. Aderant 71. Archiepiscopi tam Latini, quam Græci. 340. Episcopi, 100. tam Abbates quam Priores. Legati Henrici Imperatoris & Friderici electi in Regem Romanorum, Philippi Augusti Regis Galliæ, Joannis Angliæ Regis, Andreæ Hungariæ, Hugonis Cypri, Jacobi Arragoniæ, & aliorum Principuum. Coacta est hæc Synodus contra Albigenses, contra errores Abbatis Joachim, & quosdam alios. Actum est etiam ibi de recuperatione terræ Sanctæ. 70. Capita continet, & inter alia caput percelebre *utriusque sexus*, quo Fideles tenentur semel in anno confiteri peccata & sacram sumere synaxim Paschali tempore. Consecravit nomen *transubstantiationis* ad explicandam veram conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Capita hujus Concilii sunt in corpore Juris, scilicet in Decretalibus Gregori IX.

Decimum-tertium, est primum Lugdunense celebratum anno 1245. Innocentio IV. SS. Pontifice, cui ipse præsidebat. Aderant Episcopi 140. Coactum est contra Fridericum Ecclesiæ Romanæ persecutorem; ibi concessus est Cardinalibus pileus rubri coloris.

Decimum-quartum, est Lugdunense II. adunatum anno 1274. cui Gregorius X. præsidebat. Aderant Patriarchæ Constantinopolitanus, & Antiochenus. Legati Michaelis Imperatoris Græci, qui Epistolas misit, quibus schisma velle abjurare asserabat; ibi conclusa & facta est reunio Græcorum cum Ecclesia Romana. Aderant 15. Cardinales. 70. Archiepiscopi, 500. Episcopi, & 1000. tam Abbates quam Priores & Doctores: propter multa coactum est. I. Ad regulandam electionem Papę. II. Ad mores reformandos, & extinguendum schisma Græcorum. III. Ad processionem Spiritus sancti a Filio stabiliendam, unde addidit Symbolo, *qui a Patre Filioque procedit*. Quod quidem solemniter decantavit summus Pontifex in die festo SS. Petri & Pauli tunc occurrente. Aderant S. Bonaventura, vocatus divus Thomas obiit in via.

Decimum-quintum, est Viennense in Gallia, anno 1311. convocatum, Clemens V. in eo præfuit: aderant 300. Episcopi, tum Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus: damnavit errores Beguardorum & Beguinarum: extinxit ordinem Templariorum propter eorum mores depravatos. Multa alia sancivit inserta in corpore Juris, quæ dicuntur Clementinæ Constitutiones, quas Joannes XXII. Papa publicavit anno 1317.

Decimum-sextum, est Florentinum congregatum anno 1439. ubi præsidebat Eugenius IV. convenerunt 141. Episcopi. Joannes Paleologus Imperator Græcorum cum multis Episcopis Græcis aderat.

Ibi

ibi unio Ecclesiæ Græcæ cum Latina tandem completa & absoluta fuit, quam tamen Marcus Ephesinus in suam redux Diœcesim ita dissolvit, ut schisma ad præsentem usque diem perseveret. Concilium tribus perseveravit annis. Post discessum Græcorum convenere Armeni, Jacobitæ, & Rex Æthiopiæ qui variis decretis Ecclesiæ reconciliati sunt.

Decimum-Septimum, est Lateranense quintum celebratum sub Julio II. & Leone X. SS. Pontificibus. Primo incepit anno 1512. & terminatum est anno 1517, aderant 114. Patres. Coactum fuit contra Schismaticos, & ut Papa sese opponeret cœtui Pisano. Inter alios canones unus statuit Clericos privari Beneficiis, quando suum non recitant Breviarium: Ibi quoque abrogata est Sanctio Pragmatica.

Ultimum est Tridentinum, quod quidem incepit anno 1545. & propter bella ingruentia inter Catholicos, absolutum est tantum anno 1563. Villalpandæus apud Bellarm. Lib. 1. de Conciliis cap. 5. numerum Patrum sic refert. *Adsunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum Procuratores plurimi*. Celebratum est sub SS. PP. Paulo III. Julio III. & Pio IV. contra errores Lutheri & Calvini. Istud Concilium est veluti ceterorum appendix.

De Conciliis Generalibus partim confirmatis, partim reprobatis.

PRIMUM est Sardicense in Bulgaria celebratum anno 351. undecim annis post mortem Constantini Magni elapsis, Julio I. SS. Pontifice, in quo 374. circiter Episcopi aderant: coactum est adversus Arianos, qui Ecclesiæ pacem non sine magno scandalo tentabant, volentes condemnationem S. Athanasii, sed Patres illum innocentem declaravere, & fidem Nicænam ita confirmarunt, ut illud Concilium sit veluti magni Nicæni repetitio; immo varios Episcopos Ario adhærentes Patres exauctoraverunt. Dum hæc agerentur, Ariani alteram apud Philippopolim celebrabant Synodum, in qua Arii perfidiæ suum addunt calculum, quocirca Concilium Sardicense dicitur partim approbatum, partim reprobatum, scilicet, quoad definitiones Arianorum Philippopoli congregatorum.

Secundum est Syrmiense, anno 356. Liberio SS. Pontifice, & Constantio Imperatore adunatum. De ista Synodo sic loquitur Bellarminus Lib. 1. de Conc. cap. 7. " In „ hoc enim Concilio duæ formulæ fidei „ dissentientes inter se editæ sunt. Unam „ composuit græce Marcus Arethusius, „ qui postea sub Juliano illustre martyrium pertulit; quæ quidem ea esse videtur, quam Hilarius in Libro de Synodis prope extremo, ut catholicam explicat. Alteram alii composuerunt latine plenam aperta blasphemia, quam Hilarius reprehendit in Libro de Synodis, non procul ab initio. In eodem etiam Concilio Photini hæresis damnata est, quam damnationem omnes Ecclesiæ approbaverunt. „

Tertium est Trullanum, sic dictum quia celebratum est in Capella Imperatoris, & sic a loco denominationem sumpsit. Sergius erat summus Pontifex, Justinianus vero Imperator: receptum est solum pro decreto de pingendis sanctis imaginibus. Celebrato sexto Concilio Episcopi Græci in eumdem convenerunt locum, & 102. canones, quos ex quinta & sexta Synodo generali collegerant, ediderunt; hinc ab Historicis dicitur modo Concilium Quinisextum, modo etiam cœtus erraticus. In eo, ait Bellarminus hic, continentur canones Trullani, sed non alii sunt præter 102. mox laudatos. Adrianus I. scribens ad Carolum Magnum citat pro sanctis imaginibus aliquos hujusce Concilii canones.

Quartum est Franco-furtense adunatum ann. 794. ab Adriano II. summo Pontifice, & Carolo Magno Imperatore adversus Felicem & Elipandum Episcopos Hispaniæ, qui in sensu prorsus Nestoriano Christum Filium Dei adoptivum esse propugnabant. Dicitur partim approbatum, partim etiam reprobatum, eo quod, ut multi autumant, canonem secundum postremæ Synodi Nicænæ absque causa rejecerit.

Quintum est Constantiense ann. 414. a Joanne XXIII. ad supplicationem Sigismundi Imperatoris coactum: finitum vero sub Martino V. ann. 1418. cujus electione extinctum est schisma quod a triginta circi-

circiter annis dividebat & turbabat Ecclesiam: anno 1414. Joannes media nocte Nativitatis Christi Missam celebravit in Pontificalibus, Imperator vero indutus Dalmatica & ceteris Diaconi vestibus, Evangelium intonuit & legit. Anno 1417. sessione 41. Martinus electus est, tum Concilium quoad ultimas sessiones tantum, nusquam vero quoad priores, in quibus quædam contra auctoritatem Romani Pontificis sancita fuerant, approbavit. In hoc Concilio Joannes XXIII. & Gregorius XII. pro bono pacis libere suum abdicaverunt Pontificatum: Non sic Petrus De Luna, qui ad mortem usque Antipapa remansit, sed Martinus, hoc non obstante, supremum Ecclesiæ clavum tenuit. In eodem Concilio damnatus est Wiclefus, tum Joannes Hus, & Hieronymus ejus discipuli, proscripti sunt.

Sextum est Basileense celebratum anno 1431. contra errores Boemorum. Concesserat quidem Synodus Communionem sub utraque specie Protestantibus, qui ea conditione suos ejurare errores promiserant; sed hoc concesso privilegio, non steterunt promissis. Istud Concilium 18. annorum spatio perduravit: Sed Patres decursu temporis ab Eugenio IV. divulsi, illum deposuerunt, suoque loco Felicem V. Sabaudiæ Ducem elegerunt: Verum Eugenius legitimum Concilium transtulit in urbem Ferrariensem, & postea in Florentinam.

Basileense Concilium solummodo confirmatum est quoad primas sessiones, quas simul cum Eugenio, egit: nihilominus Clerus Gallicanus jussu Caroli VII. Bituribus adunatus, recepit istam Synodum, non quidem quoad summum Pontificem de novo electum, sed quoad constitutiones, juribus Ecclesiæ Gallicanæ, ut putabat, faventes. Hic cœtus edidit perfamosam illam Constitutionem, quæ vocata est *Pragmatica Sanctio*, quæ quidem in Gallia ad annum usque 1516. robur habuit. Sed tandem pacto inter Leonem X. & Franciscum I. inito, abrogata est. Duobus elapsis annis, Clerum Gallicanum Carolus VII. in eadem urbe iterum adunavit, qui & Eugenium IV. tamquam verum & Germanum Pontificem ea qua par est reverentia suscepit, & agnovit.

De Conciliis Generalibus prorsus abjectis.

ISTA sunt septem, e quibus primum est Antiochenum adunatum tempore Julii I. & Constantii Imperatoris ann. circiter 345. In eo sanctus Athanasius ab Arianis condemnatus est.

Alterum est Mediolanense, Episcoporum plusquam 354. Liberio Papa, & eodem Constantio Imperatore. Ibi fides catholica saltem indirecte temerata fuit, ut referunt Rufinus Lib. 10. cap. 20. Socrates Lib. 2. cap. 29.

Tertium est Ariminense II. versus annum 359. in quo sublatum est e professione fidei vox *homousion*. Liberius tunc erat summus Pontifex eodem Constantio Imperatore: primum erat admodum catholicum, & ex 400. circiter Episcopis compositum.

Quartum est Ephesinum II. Leone I. summo Pontifice, & Theodosio juniore Imperatore ann. 449. in quo quidem compellente Dioscoro, mactatus est sanctus Flavianus Patriarcha CP. Legati vero Papæ fugati, tum demum hæresis Eutychiana confirmata; hinc latrocinium Ephesinum dictum est.

Quintum est Constantinopolitanum sub Leone Isauro Iconomacho, & Gregorio II. Papa, anno 730. adunatum contra sacras imagines, renitente S. Germano Patriarcha CP. qui eadem causa a sua deturbatus est sede.

Sextum aliud Constantinopolit. Episcoporum 338. ævo Stephani II. & Constantini Copronymi, anno 755. in quo Christi, & Sanctorum imagines iterata vice discerptæ sunt.

Septimum Pisanum contra Julium II. anno 1511. congregatum, paulo post vero in Concilio Lateranensi V. sub eodem Julio reprobatum.

Quædam observanda universim circa Concilia.

PRIMO, observandum venit Concilia generalia ad fidem vel explicandam, vel etiam contra impugnantes defendendam inservire; hinc in quantum fieri potest & expostulat necessitas, adunanda sunt. Hoc ipsum subindigitat Concilium Constantiense

Sess.

Sess. 39. his verbis: " Conciliorum generalium celebratio agri Dominici præcipua cultura est, quæ vepres, tribulos & spinas hæresum, & errorum & schismatum extirpat; excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. "

Observes velim, solos Episcopos ex jure avito & officio accedere ad Concilia ad dirimendas fidei controversias, juxta illud Actuum 20.28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Jure tamen Ecclesiastico admittuntur etiam ut Judices: Primo quidem Legati summi Pontificis, etiamsi forent simplices Presbyteri, vel etiam Diaconi, ut videre est in sexta Synodo generali, quippe qui ex commissione summum repræsentent Pontificem, qua de causa primi ante Episcopos, immo & Patriarchas subscribunt. Secundo Cardinales sive sint Episcopi, sive tantum Presbyteri, aut Diaconi, ut facta non semel probarunt. III. Generales Archimandritæ, seu Abbates; in Nicæno quippe secundo actione 4. leguntur una cum Episcopis subscripsisse. Immo in libro Pontificali statuitur, ut qui ab Episcopis benedicuntur regulares Præsules, sese jurando astringant venire ad Concilium quotiescumque a Papa vocabuntur. IV. Et simplices Presbyteri, quorum alii ex commissione repræsentant aliquem Episcopum, alii propter insignia tum virtutis, tum scientiæ merita suscipiuntur. Illi suffragium definitioni fidei dabant, isti vero etiam, sed non semper; ita tamen ut tamquam Consultores habeantur. Non desunt pro his momentis exempla. Origenes ad Concilium Arabicum introductus tanto rationum pondere subortam quamdam heresim confutavit, ut illius auctores, & sectatores, in ipso Præsulum cetu ad catholicam fidem revocaverit: Sic testatur Eusebius Lib. 6. Hist. Eccl. cap. 37. Non prætereundus sanctus Athanasius, qui, ut testantur Rufinus & Socrates, tametsi solum Diaconus, a suo Antistite ad Concilium primum generale adductus est, ubi mirum in modum Arianorum fregit proterviam. Quod autem simplices Presbyteri ex concesso privilegio ut judices quandoque admissi sint, constat ex Concilio Elliberitano, & ex Romano relatis a S. Gregorio Magno Lib. 4. Epist. 44. ubi affulget Presbyteros post Episcopos subscripsisse: quæ quidem consuetudo invaluit in Ecclesia Romana, ut simplices Sacerdotes tametsi Episcoporum vices gerentes, semper tamen post Prælatos subscriberent, ut videre est in primo Arelatensi Concilio, in Romano primo sub Symmacho Papa, in Agathensi, in Aurelianensi II. III. IV. & V. At vero e contra solemne fuit apud Orientales, ut Episcopi ordine cujus vicem gerunt, subscriberent, quæ consuetudo ad hæc usque tempora perseverat.

Demum jam pro more positum est, ut in medio Concilii super pulvinari solio collocetur sacer Evangeliorum codex, nonnumquam etiam veneranda Lipsana, seu reliquiæ, ut factum legimus, inquit Cabasutius in Libro Notitiæ Ecclesiasticæ, in actis Synodorum Chalcedonensis, Nicænæ secundæ, & ultimæ Constantinopolitanæ, quæ fuit octava.

Synopsis eorum quæ in articulo continentur.

PRIMO: Sunt 18. Concilia generalia; videlicet Nicænum I. Primum CP. Ephesinum I. Chalcedonense. Secundum CP. Tertium CP. Secundum Nicænum. Quartum CP. Nonum, Lateranense I. Decimum, Lateranense 11. Undecimum Lateranense III. Duodecimum, Lateranense IV. Decimum-tertium, Lugdunense I. Decimum-quartum, Lugdunense II. Decimum-quintum, Viennense. Decimum-sextum, Florentinum. Decimum-septimum, Lateranense V. Decimum-octavum, Tridentinum.

Secundo: Concilia partim confirmata, partim etiam abjecta, sex numerantur; videlicet Sardicense, Syrmiense, Trullanum, Francofurtense, Constantiense, Basileense.

Tertio: Concilia nullo modo approbata sunt septem, & illa censentur: Antiochenum sub Julio I. ann. 345. Mediolanense, Liberio SS. Pontifice ann. 354. Ariminense secundum: Ephesinum II. Constantinopolitanum sub Leone Isauro Imperatore Iconomacho, aliud CP. sub Constantino Copronymo: Tum Pisanum contra Julium II.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

De Controversiis a Christo nato ad hæc postrema usque tempora de Religione motis, & ab Ecclesia per censuras definitis.

DUo explicanda nobis incumbunt, alterum de notis, quas Ecclesia libris erroneis & propositionibus inurit: alterum vero de numero & qualitate controversiarum ab ipsa vagiente Ecclesia, tum a Conciliis, tum a SS. Pontificibus discussarum & ad metam perductarum.

§. I.

Explicatio qualificationum Propositionum damnandarum.

INNUMERÆ prope hæreses subortæ omnibus fere temporibus in Ecclesiam Christi magnas movere tragœdias: adversus eas suum acuit Ecclesia zelum, illasque anathematibus iteratis profligavit, quas & non semel quibusdam censuræ notis qualificavit: quænam sint illæ notæ, non abs re erit hic texere.

1. Propositio directe hæretica ea censetur, quæ contradictorie adversatur articulo fidei, qui vel evidenter exprimitur in sacra Scriptura, vel continetur in Traditione, vel ab Ecclesia definitus est.

2. *Indirecte* hæretica & ad hæresim proxime accedens, illa est, quæ doctrinæ catholicæ ex principiis fidei luculenter deductæ, & omnium Theologorum calculo receptæ, adversatur.

3. *Erronea* hæc vocatur, quæ Conclusioni Theologicæ, per consequentiam quasi moraliter certam, etsi non plane evidentem opponitur.

4. *Suspecta* quæque sapit heresim, illa dicitur, quæ etsi quandoque catholicum sensum habere possit ac habeat, ex certis circumstantiis, personæ asserentis, temporis, &c. ac defectu sufficientis modificationis, prudentum judicio assumi censetur ad hæresim occultandam, v. gr. si in libro Ariani ista reperiretur: Pater major est Filio.

5. *Impia* illa nominatur, quæ divinæ formaliter adversatur pietati, v. gr. ista, Christus non obtulit mortem suam pro omnibus hominibus.

6. *Blasphema* est ea, quæ directe detrahit honori Dei vel Sanctorum; ut ista Calvini, Christus in Cruce desperavit.

7. *Temeraria* dicitur, quæ nullo auctore fide digno, nullaque ratione solida innixa asseritur in materia gravi contra generalem Theologorum opinionem, ut ista: Beatissima Virgo non est corporaliter in cœlo.

8. *Scandalosa* qualificatur, quum ansam præbet scandalo, maxime ruinæ spiritualis proximi, quippe quæ Christianos, vel a recta fide, vel a debitis virtutum officiis abducit, sicut ista, Violans jejunium Ecclesiasticum vix peccat mortaliter.

9. *Injuriosa*, vel contumeliosa habetur, quæ alicui fidelium statui, vel personæ, præcipue notabili detrahit, ut ista: Thomistæ sunt Jansenistæ.

10. *Schismatica* ea est, quæ aliquid continet quod unitati ac paci Ecclesiæ, aut obedientiæ Prælatis Ecclesiasticis debitæ, opponitur.

11. *Seditiosa*, est quæ potest magnum excitare tumultum, rebellionem & similia, vel in Republica, vel in Communitate, ut si quis diceret, Malo Principi, vel superiori non esse obediendum.

12. *Propositio* male-sonans, & piarum aurium offensiva illa censetur, quæ licet a Theologis in sano sensu explicari possit, in obvio tamen, seu eo quem verba præ se ferunt, est indecens, pietati contraria, ac timoratorum offensiva, qualis est ista: Anima beati Pauli non est perfectior anima Judæ, Jam sit

§. II.

Enumerantur Controversiæ in Ecclesia motæ.

Ex primo Sæculo.

PRIMA fuit cum Idololatris, qui plura admittebant numina, & abnuebant veram Religionem. Apostoli & Martyres eos debellaverunt prædicatione & miraculis, maxime vero proprii effusione sanguinis, qui teste Tertulliano fuit Christianorum semen.

Secunda mota est ab Atheis, qui ex stuti-

stupidis athomis mundum coaluisse effutierunt, ut Epicurus, Empedocles & quidam alii Philosophi, quos primorum sæculorum Patres suo perstrinxerunt stylo censorio.

Tertia ortum habuit ab aliis quibusdam vesanis Philosophis, qui omnem doctrinam revelatam abjiciebant, quique in eam excitatem progressi sunt, ut quod lumen rationis dictat, unum scilicet Deum existere, ad inculpate vivendum sufficere autumarent.

Quarta habita est cum Saducæis & Samaritanis; quorum primi negabant resurrectionem mortuorum, ac habetur Matthæi 22. alii vero oriundi ex Ethnicis quos Salmanasar captivum Dei populum ducens, in hanc transmiserat regionem; Judaicam autem religionem ita susceperant, ut multas Gentilium retinerent superstitiones; idcirco a Judæis velut hæretici habebantur: juxta illud Joannis 8. 48. Judæorum Christo improperantium: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu*.

Quinta contigit post Christi adventum, cum Hebræis negantibus advenisse Messiam, quem ad restaurandum regnum temporale Judaicum expectabant, eos omni argumentorum genere, quæ ex Scripturis desumebant, impugnarunt Apostoli.

Sexta mota est cum Pharisæis etiam ad fidem conversis, qui quidem legalia retinenda esse autumabant, ut habetur Actuum 15. quorum error in primo Apostolorum Concilio Jerosolymis habito refricatus est.

Septima actitata est cum Simoniacis, seu Simone Mago duce & magistro. Iste propugnabat mundum non a Deo, sed ab Angelis fuisse conditum, resurrectionem non esse futuram, licitum esse promiscue uti feminis, dona gratiæ numerata pecunia emi posse: sic ex Simone innumeri prope orti sunt errorum magistri, ut Cerinthus, Ebion, & alii qui ceteris erroribus addebant Christum esse purum hominem. Adversus istos beatus Joannes suum scripsit Evangelium.

Octava fuit cum Nicolaitis, qui contendebant licitum esse & fornicari, & vesci idololytis. Quidam non sine fundamento docent Nicolaum unum ex septem primis Diaconis non esse hujusce hæreseos auctorem & Architectum.

Ex secundo Sæculo.

Nona efferbuit adversus Saturnianos & Basilidianos, quorum priores, auctore Saturnino Menandri discipulo, circa annum 118. docuerunt Christum in specie tantum & phantasmate in hoc apparuisse mundo: posteriores, auctore Basilide, versus annum 124. resurrectionem futuram negavere: virginitatem nuptiis coæquabant: multa alia commenta tum de Trinitate, tum de Incarnatione & Creatione effutiebant.

Decima fuit congressus contra Chiliastas, qui, auctore quidem Cerintho, regnum mille annorum cum Agno in terris post resurrectionem, illudque deliciis obscœnis affluens prædicabant: quidam inter Patres post Papiam regnum mille annorum etiam propugnabant, sed prorsus ab altero diversum, quatenus delicias tantummodo spirituales pro Sanctis astruebant.

Undecima emersit anno circiter 150. cum Cerdonianis, Secundianis, Marcionistis, Valentinianis, Gnosticis. Isti turpissima prorsus veluti licita vulgabant. In eo conveniebant, quod duo essent rerum prima principia, & Christus carnem solummodo phantasticam & veluti cælestem induerit: quos quidem errores Ecclesia abhorruit & summorum Pontificum decretis fugavit.

Duodecima cum Quatuordecimanis circa annum 198. instituta est. Propugnabant isti Pascha celebrandum esse decima quarta luna post æquinoctium vernum quocumque die occurreret; quam quidem opinionem veluti Judaicam perstrinxit Ecclesia, in Concilio Cæsareæ in Palæstina congregato.

Decima-tertia circa annum 173. habita est cum Tatiano ejusque discipulis, qui docebant I. Matrimonium malum esse; hinc Encratitæ appellati sunt, hoc est, continentes. II. carnem esse malam, & a malo principio, scilicet dæmone creatam putarent: idem de vino dicebant, quocirca ab utroque abstinendum esse dicebant: Hoc ipsum eodem prope tempore docuit Severus, a quo Severiani: Adamitæ

mitæ quoque versus annum 194. auctore quodam Adamo, nudi incedentes nuptias exhorrebant, sed promiscuos concubitus permittebant. Hanc nefandam sectam 15. sæculo quidam Picardus renovare tentavit.

Decima-quarta exarsit cum Montanistis ex Montano Phrygio dicti Fryges seu Cataphryges, id est, juxta Phryges. Ille circa annum 180. docere cœpit sibi non Apostolis infusam fuisse cum Spiritu sancto gratiarum plenitudinem: Prædicabat secundas nuptias esse malas, matrimonium posse dissolvi, lapsos post Baptismum salutem consequi non posse, nova jejunia veluti ad beatitudinem assequendam induxit.

Ex tertio Sæculo.

Decima-quinta fuit cum Rebaptizantibus, qui magnas in Ecclesia movere tragœdias. Agrippinus Carthaginensis Episcopus circa annum 250. prædicabat Baptismum ab hæreticis etiam verbis Evangelicis collatum irritum esse, cui opinioni quidam sancti Patres adhæsere. Eos in variis Libris confutavit S. Augustinus, præcipue vero Stephanus I. in sua Epistola Decretali, ubi ait: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.*

Decima-sexta eadem versus tempora habita est cum quibusdam Episcopis rigidioribus, de quibus meminit S. Cyprianus Epist. 54. ad S. Cornelium Papam, & 52. ad Antonianum: namque apostatis, mœchis & homicidis veniam expostulantibus, etiam in morte negandam esse contendebant.

Decima-septima facta est cum Novatianis, qui circa annum 255. præter pristinum rigorem addebant non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa: baptizatos, sacro Chrismate non esse ungendos & confirmandos: denique secundas nuptias esse illicitas.

Decima-octava versa est contra Sabellianos, qui quidem, auctore Sabellio, circa annum 260. docuerunt Patrem, Filium & Spiritum sanctum non nisi nomine tres esse Personas.

Decima-nona circa annum 263. fuit cum Manichæis, qui hæresim Cerdonis, Marcionistarum, Gnosticorum expressius propugnarunt, maxime de duobus rerum primis principiis: Huic subjungebant errori nihil esse vere spirituale, omnia esse corporalia, hominem libero carere arbitrio; peccati causam esse a malo primo principio, a quo & vetus prodierat Testamentum, sicut & caro, & vinum; quocirca ab iis abstinebant, tum veterem rejiciebant Legem, docebantque animas e corpore migrando in aliud pertransire. Hujus sectæ Architectus fuit Manes, qui se proclamabat Spiritum sanctum paraclitum a Christo promissum.

Ex quarto Sæculo.

Vigesima fuit circa annum 310. cum Donatistis, qui duce Donato in Numidia Episcopo contendebant solos justos esse de Ecclesia, immo eos solos qui Donato adhærebant, sacramenta a malis ministris collata pro aris & focis nulla esse defendebant.

Vigesima-prima agitata est cum Ario circa an. 325. qui negavit Verbi consubstantialitatem, ex eo Semiariani orti dicebant esse quidem Patris æterni Filium, sed ipsi non consubstantialem, non tamen ab eo prorsus dissimilem. Arianismum renovarunt Sæculo 16. Joannes Campanus, Michael Servetus Hispanus, Valentinus Gentilis Neapolitanus, Paulus Altiatus Mediolanensis, præsertim vero Lelius Socinus, & Faustus ejus nepos Senensis, qui hunc errorem primum per Poloniam & Transilvaniam, tum per Bataviam disseminare non erubuerunt.

Vigesima-secunda evenit versus annum 340. cum Aerio, & Aerianis, qui erroribus Arii duos alios addidere, dicentes inutile esse orare, ac sacrificium pro defunctis offerre: Presbyteros esse Episcopis æquales. Nonnulli Aerium vocant Aetium.

Vigesima-tertia eodem prope tempore cum Photino Syrmiense Episcopo commissa est: hic renovabat errores Cerinthi & Sabellii.

Vigesima-quarta fuit congressus cum Macedonio Constantinopoleos Episcopo, qui quidem anno 359. Spiritum sanctum meram creaturam dicere ausus est.

Vigesima-quinta contigit anno circiter 367.

ter 367. cum Appollinario Episcopo Laodiceno, qui hæresim Arii & Macedonii simul conjungens, docuit Verbum accepisse carnem humanam sine anima rationali, ut esset per se ipsum loco & animæ & mentis. Insuper & sanctissimæ Trinitatis personas esse inæquales, magnum quidem esse Spiritum sanctum, sed majorem Filium, maximum vero omnium Patrem.

Vigesima-sexta actitata est cum Vigilantio, natione Gallo, & Barcinonensi Presbytero, qui anno 400. propugnavit Sanctos non esse invocandos, nec venerandas esse Sanctorum reliquias, quod quidem antea docuerant Eunomiani, Eutychiani: deinde post ipsos omnes Valdenses, Vviclefitæ, Hussitæ & Protestantes omnes.

Ex quinto Sæculo.

VIGESIMA-SEPTIMA fuit cum Pelagio ejusque discipulis Cœlestio Monacho, & Juliano Capuæ Episcopo, qui circa ann. 405. liberum hominis arbitrium gratiæ efficacia perimi, naturam vero in se relictam ad bonum salutis operandum sufficere propugnabant.

Vigesima-octava cum Nestorio, qui anno 430. negavit unionem hypostaticam, & beatam Virginem esse Deiparam.

Vigesima-nona annis octodecim elapsis, fuit cum Eutychete Archimandrita, tum & cum Dioscoro, qui divinitatem in Christo cum humana natura confundebant; hujusce hæreseos accerrimus propugnator sexto sæculo apparuit quidam Jacob Syrus, unde Jacobitæ. Cophti in Africa adhærebant Eutychianis.

Ex septimo Sæculo.

Trigesima suborta est cum Monothelitis, qui versus annum 630. duce Sergio docebant unicam esse in Christo Domino & voluntatem, & operationem.

Trigesima-prima eodem fere tempore fuit cum Mahumetanis, qui negant Christum esse Deum, aliasque nefandas docent fabulas, quippe qui ultimam hominis felicitatem in deliciis prorsus obscœnis reponant.

Ex octavo Sæculo.

TRIGESIMA-SECUNDA exagitata est anno circiter 726. cum Iconomachis, qui bellum sanctis imaginibus indixere.

Trigesima-tertia anno 790. fuit cum Albanensibus, qui renovarunt errores Manichæorum de duplici principio & transmigratione animarum, insuper & abnuebant Sacramenta, resurrectionem corporum, extremum judicium, infernum, purgatorium, Ecclesiæ potestatem, & Christi passibilitatem.

Ex undecimo Sæculo.

TRIGESIMA-QUARTA fuit conflictus cum quibusdam Græcis, qui circa annum 1050. duce Photio sese ab Ecclesia Romana separavere, quique decursu temporum in varios prolapsi sunt errores, quippe qui S. Spiritus Processionem a Filio, & Ecclesiæ Romanæ primatum negaverint.

Trigesima-quinta eodem prope anno fuit cum Berengario Andegavensi Archidiacono, qui docuit in Eucharistia verum Christi corpus, ejusque verum sanguinem non reperiri.

Ex Sæculo duodecimo.

Trigesima-sexta versus annum 1120. evenit cum Petro de Bruis natione Gallo, & quodam Tolosano Monacho Apostata, qui negabant Missæ sacrificium, & fidelium preces prodesse defunctis, immo asserebant Baptismum sine fide nihil pro salute conferre parvulis.

Trigesima-septima anno 1140. exeruit cum Petro Abælardo, qui propugnabat doctrinam ex Arianismo, Nestorianismo, & Pelagianismo conflatam; tum nihil esse credendum asserebat, nisi quod intellectus quasi comprehendere possit. Huic adhæsit Arnaldus Brixiensis.

Trigesima-octava mota est anno 1160. cum pauperibus Lugduni, qui specie vitæ Evangelicæ potestatem Ecclesiasticam ita perturbabant, ut etiam mulieribus, quas putabant justas, auctoritatem absolvendi a peccato tribuerent.

Trigesima-nona contigit anno 1200. cum Albi-

Albigensibus, qui eadem fere sentiebant cum Albanensibus, de quibus supra.

Ex decimo-tertio Sæculo.

QUADRAGESIMA fuit versus annum 1250. cum quodam Guillelmo de Sancto amore Doctore Parisiensi, qui odio in ordines Mendicantium præconcepto docebat nemini licere cuncta relinquere, & sanctam ingredi Religionem. Proscriptus est ab Alexandro IV.

Quadragesima-prima instituta est cum Flagellantibus, qui anno circiter 1273. per Italiam, Galliam, Germaniamque vagantes, & sese flagellis ad ostentationem cedentes, dicebant ab adventu suæ sectæ Christi Evangelium cessasse, & Baptismum aquæ in Baptismum sanguinis, quem quisque flagellis spontaneis debebat effundere, fuisse commutatum: immo hanc flagellationem Martyrio æquiparandam, aut etiam præferendam esse.

Quadragesima-secunda habita est cum Fraticellis, quorum errores nævis Valdensium non erant absimiles. Eos proscripsit Bonifacius octavus.

Quadragesima-tertia commota est circa annum 1300. cum Beguardis, Beguinis seu Biochis, quorum præcipui errores fuere: primo quidem hominem in hac vita evadere sic perfectum, ut sit impeccabilis, & in gratia amplius proficere non valeat: virum qui talem assecutus est perfectionem non teneri amplius orare; Ecclesiastica observare jejunia, virtutum actus exercere, immo nec assurgere, dum venerabile elevatur Sacramentum; mortales in hac vita posse habere visionem Dei æque perfectam quali perfruuntur Sancti in cœlis. Denique omnem carnalem actum etiam deliberatum ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ excusabant: damnati sunt in Concilio generali Viennensi ann. 1311.

Ex decimo quarto Sæculo.

QUADRAGESIMA-QUARTA fuit congressus cum illuminatis in Hispania suborcis, qui ann. circiter 1575. tum postea ann. 1623. eadem ferme cum Beguardis prædicabant. Istorum capitalis error erat, quod tantam cum Deo unionem, talemque perfectionis statum vi orationis mentalis sese assecutos jactitarent, ut nec bonis operibus, nec Sacramentis amplius se egere præsumerent, quinimmo, omni sensus culpa, turpissima quæque posse patrare sensualitatis crimina. Non absimilia docuit Molinos circa annum 1682. quique propter hoc ab Innocentio undecimo proscriptus est.

Mitto alios conflictus cum variis hæreticis habitos, videlicet cum Vricleffo, ejusque discipulis, cum Lutheranis & Calvinistis, cum Bajo cujus 79. propositiones, a S. Pio V. & Gregorio XIII. tum & Urbano VIII. proscriptæ sunt; cum Jansenio ejusque asseclis, quorum omnium doctrinam abjecerunt Innocentius X. Alexander VII. Clemens IX. Innocentius XII. Clemens XI. & Benedictus XIII.

ARTICULUS QUARTUS.

De Conciliis in particulari.

ALLATIS & enumeratis Controversiis quæ magnas, & sæpius stupendas movere Tragœdias, ordo rerum postulat, ut fideli calamo exponamus Concilia, quibus & singulas Ecclesia proscripsit hæreses, & Canones quos nunc ad fidem explicandam & defendendam, nunc ad mores probos optima & sapienti disciplina instituendos fecit.

De Statutis & Canonibus primi Sæculi.

§. I.

De Canonibus Apostolorum.

OCTOGINTA quatuor canones nomine Apostolorum juxta Gentiani versionem circumferuntur, qui disciplinam spectant. Binius in editione Conciliorum Coloniæ Agrippinæ anno 1606. existimat eos esse genuinum Apostolorum fœtum, his verbis pag. 14. " Canones hos auctoritate " Apostolorum conditos, eorumque tra- " ditione nobis traditos, Clemens Roma- " nus sancti Petri discipulus græce con- " scripsit; Dionysius autem Romanus Ab-

„ Abbas, cognomento Exiguus, Græcarum litterarum peritissimus, tempore „ Justini Imperatoris scriptor celeberrimus, eosdem latine, quam potuit accuratissime, & fidelissime transtulit. „

Pro quinquaginta prioribus laudat Canonicum jus, cap. 3. distinct. 16. sed contra communis auctorum opinio de omnibus est propter multa.

Primo quidem, si forent illi canones Apostolici, utique tamquam Scriptura sacra, & inspirata ventilarentur, quandoquidem a Scriptoribus canonicis promanarent, quod nemo ad hæc usque tempora dixerit.

II. *Si* excipias quinquaginta priores, ceteros Gelasius Papa canone *sancta* dist. 15. inter apocrypha monumenta recenset.

III. *Canones* 45. & 46. Baptisma ab hæreticis etiam verbis Evangelicis collatum explodunt, quod est contra Ecclesiæ definitionem: Nec mirum, si forent Apostolici, & Cyprianus, & Firmilianus non semel eos pro sua astruenda sententia celebrassent, quod tamen in eorum scriptis nullibi reperies: Neque vero ignoti fuissent tum Optato Millevitano, tum S. Augustino, qui suum adversus Donatistas fortiter acuerunt stylum. De hoc momento iste Lib. 5. de Baptismo cap. 20. sic loquitur: " Apostoli nihil exinde præceperunt, „ sed consuetudo illa quæ apponebatur „ Cypriano, ab eorum traditione exor„ dium sumpsisse credenda est. „ Sic illud omne cujus non invenitur exordium ad Apostolos refertur, tametsi de facto ab ipsis non fluxerit; de quo non unum est exemplum, inquit ibidem Cabassutius; primum est Cypriani, & Firmiliani, qui contendebant morem abjiciendi Baptismum ad hæreticis collatum accepisse ex traditione Apostolica; sic etiam Nicænis canonibus 9. & 10. declaratur fuisse priscis canonibus provisum, ne ordinentur illi qui non fuerint antea examinati, aut qui fuerint gravium criminum convicti, aut aliquando de fide catholica lapsi, de quibus tamen in canonibus Apostolis attributis hæc leguntur.

Atque hoc idem intelligi debet de omnibus canonibus allatis, ne quidem quinquaginta prioribus exceptis, maxime vero cum vel ipse Binius ibidem non nisi dubitanter etiam de prioribus loquatur, his verbis: " Præter prædictos duos, *scilicet* 45. & 46. inter authenticos haberi „ possent ac deberent. „ Ante ipsum Dionysius Exiguus non absimili modo de eis sermonem habet: " In principio, *inquit*, „ canones quinquaginta qui dicuntur Apo„ stolorum, de Græco transtulimus; qui„ bus quia plurimi consensum non præ„ buere facilem, hoc ipsum noluimus ve„ stram ignorare sanctitatem, quamvis „ quædam postea constitutione Pontificum „ ex ipsis canonibus assumpta esse videan„ tur. „ Astipulatur Isidorus Mercator, Isidoro Hispalensi, qui eos ut Apostolicos habet, antiquior; hæc enim ex Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ de eo referuntur, ut habetur apud Gratianum Dist. 16. canone 1. & cap. *sancta Romana Ecclesia* Dist. 15." Canones qui dicuntur Apostolorum, „ seu quia eosdem nec sedes Apostolica „ recepit, nec sancti Patres illis assensum „ præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis „ sub nomine Apostolorum compositi dig„ noscuntur, quamvis in eis utilia inve„ niantur; tamen ab auctoritate canoni„ ca atque Apostolica, eorum gesta con„ stat esse remota, atque inter apocry„ pha deputata. „

Objectiones in contrarium unum tantummodo probant; videlicet, illos canones esse antiquissimos, & magni ponderis.

Observanda de Canone 1.

Episcopus a duobus, aut tribus ordinetur.

Non omnia sed Capitalia, ne tædium Lectori diffusio pariat, observabimus ex Binio juxta editionem annuntiatam, quam & in decursu sequemur.

Nota Binii in hunc Canonem.

Episcopus: " Hoc idem est quod „ sanctus Paulus 1. ad Timotheum Capit. 4. scribit his verbis: " *Noli negligere gra„ tiam quæ est in te per impositionem ma„ nuum Presbyterii*. Nam per Presbyte„ rium SS. PP. Chrysostomus, Theophi„ lactus, Oecumenius &c. intelligunt „ trium, aut plurium Episcoporum cœ„ tum: in quo unus Metropolitanus ni„ mirum, ordinat, reliqui duo, aut plu„ res

„ res ordinanti assistunt, simulque cum „ eo super Caput ordinandi manus imponunt. Quod in sancti Jacobi Apostoli, „ & Hierosolymitani Episcopi ordinatione, per Petrum, Paulum, & Joannem, „ peracta observatum esse, & deinceps in „ quorumvis aliorum Episcoporum consecratione observari debere, sanctus Anacletus Epist. 2. recenset. Idem præcipitur Concilio Nicæno 1. canone 4. & „ Concilio Carth. 4. canon. 2. quod cœtus „ Episcoporum Presbyterium nominetur, „ ne mireris. Olim enim commune erat „ Presbiteri nomen, tam Sacerdotibus, „ quam Episcopis: ut patet ex epistola „ Irenæi ad Victorem, quæ extat apud „ Eusebium Lib. 5. Hist. cap. 25. „ Subdit vero Abbates infulatos posse admitti pro assistentibus ordinantis si desint Episcopi, ut scribit Bellarminus Lib. 4. de Ecclesia cap. 8.

De Canone 5.

Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat religionis prætextu: sin autem ejecerit segregetur, & si perseveret deponatur.

Nota Binii in hunc Canonem.

UXOREM *suam ne abjiciat*: " Hoc canone non præcipitur, ut conjugatus „ Clericus uxori suæ, maritali commercio cohabitet.... Sed potius, ut ii qui „ qui habent uxores juxta præceptum „ Pauli 1. ad Timotheum 5. & exemplum „ sancti Petri 1. Corinth. 9. illarum curam habeant, ipsisque de omnibus quæ „ ad vitam honeste degendam requiruntur, provideant. Hujus expositionis veritas elucescit, primum ex titulo, „ quem huic canoni Dionysius Abbas præfixit. II. Ex epistola Clementis II. a „ Clemente, a Petro præcipitur, ut tales ministri altaris ordinentur, qui ante suam ordinationem uxores suas reliquerunt, id est, ipsis consentientibus a „ carnali copula abstinuerunt. Ita in vetusto exemplari Vaticanæ Bibliothecæ „ legi, scribit Turrian. Libr. 1. capit. 1. „ pro canone Apostolorum. III. Sanctus „ Gregorius Lib. 1. deinde Epist. 42. constituit non modo, ut Episcopi sed ne „ quidem Subdiaconi, ad sacros ordines „ recipiantur, nisi qui cum uxoribus ante habitis continentes deinceps vixerint. „

Pergit: " Cum itaque eodem Lib. Epistola 38. Apostolica lege, & constitutione hac citata, Episcopis præcipiat, ne „ uxores suas relinquant, non aliter hunc „ canonem intelligi voluit, quam ut ii „ qui ob susceptos sacros ordines usu conjugii abstinent; uxorum suarum curam „ habere non desinant. „ Patres utriusque Ecclesiæ cælibatum Clericis præcipiunt: sic Epiphanius in compendio, Hieronymus contra Vigilantium, & Epistola 50. ad Pammachium, sic Basilius Epistola 17. ubi ne quidem Subdiaconis permittit uxoribus uti: quinimmo Bigami a sacris Ordinibus suscipiendis prohibentur, ut habetur Can. 17. Apostolorum. Quid plura adjiciam? PP. Nicæni 1. prohibent omnes omnino mulieres, præterquam sorores, matres, avias, aut amitas, a contubernio Clericorum, ut isti intelligant ab omni mulierum consortio se abstinere debere. Sic docent Patres Concilii Carthaginensis secundi etiam Can. 2.

Dices: Canone 15. sextæ Synodi statutum est ut conjugati ad sacros Ordines promoti, certis tantum diebus exceptis, cum suis cohabitarent mulieribus, & hoc ultro conceditur nunc omnibus Clericis Orientalibus, si Episcopos excipias. Sic refert Renaudotius Tom. 5. Perpetuitatis fidei Lib. 6. cap. 8. Ergo &c.

Respondeo sextam Synodum multos ejusmodi canones edidisse: evulgatos autem 102. sub hujus nomine omnes spurios esse: quippe qui non a sexta Synodo, sed potius a quodam illegitimo, & reprobato conciliabulo, in Trullo, a quo Trullani canones nominantur, habito, editi sint. Ita Baronius anno Christi 58. num. 18. Bellarminus Lib. 1. de Verbo Dei cap. 20.

Ad id vero quod dicitur de Orientalibus, respondeo, ab initio non sic fuisse, sed hanc mollem schismate inolevisse consuetudinem: ut primum tamen defuncta est prima uxor, non licitum est Presbyteris alteram ducere, ut scribit ibidem laudatus Renaudotius.

De statutis in Conciliis Apostolorum.

JAM discussa generali quæstione de canonibus Apostolorum ad particularia, eaque certissima, videlicet statuta in Conciliis Apostolorum, gradum facere juvat. Quinque circumferuntur Oecumenicæ Synodi ab illis adunatæ, & de qualibet non nihil discurrendum est.

De primo Apostolorum Concilio.

ILLUD Concilium habitum est Hierosolymis anno Christi 34. in domo Mariæ matris Joannis qui cognominatus est Marcus, & Apostolis, & discipulis Domini præsentibus, ut alter in locum Judæ proditoris reponeretur. Ita Baronius ad annum Christi 34. num. 236.

De hac Synodo Actuum 1. hæc habentur: *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit: erat autem turba hominum simul fere 120. Viri fratres oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda...... oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati...... testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos..... Et orantes dixerunt: tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus...... Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.*

Observatio.

SOLEMNE fuit ab omni ævo pro electione nonnumquam uti sortibus, sic Numerorum 17. Aaron electus est summus Pontifex: sic 1. Regum 10. Saul inauguratus est in regem: sic terra promissionis, Numerorum 25. Israelitis divisa fuit: sic Sacerdotalia munia, 1. Paralipomenon 24. obtingebant; quocirca sanctus Lucas ait: Zachariæ Patri Joannis sortem contigisse adolendi incensum Deo in Sanctuario. Nec mirum, ait enim Augustinus Sermone 2. in Psalm. 30. " Sors non aliquid „ mali est, sed in dubitatione humana „ res est, divinam indicans voluntatem. „ Citra malum igitur Apostoli primum duos inter omnes ad locum proditoris occupandum proposuerunt; quia vero æqualia hinc inde merita affulgebant, oratione prævia, sortem ducentes, elegerunt sanctum Mathiam; Origenes Hom. 23. in Josue hanc sic explanat electionem, his verbis: " Elegerunt, *inquit*, duos & sta- „ tuerunt in medio... & cecidit sors su- „ per Mathiam, & annumeratus est cum „ undecim discipulis. Præcedente namque „ oratione, non jam casu, sed providen- „ tia sors divinum judicium referebat. „ Concinit Chrysostomus in expositione loci Actuum.

Altera Apostolorum Synodus Hierosolymis quoque eodem anno habita est, pro electione septem Diaconorum, qui ut ministrarent mensis, tum usualibus, tum sacris, inquit Binius hic pagin. 1. electi sunt: " Sicut, *inquit*, Christus in ultima „ cœna, ita Ecclesia primitiva mensam „ communem, & sacram quotidie con- „ junxit, ut patet 1. Corinthiorum 11. „ utriusque autem ministerio, & servitio „ fideles viduæ præpositæ erant. Et quia „ utraque mensa sacra, & communis „ quotidie parabatur, ut patet Actuum „ 2. hoc Ministerium quotidianum appel- „ latum est. „ Subdit vero, illa verba, *A multitudine electos*, expendens: " Ex „ gratia, & concessione Petri non ex ju- „ re, ut supra dixi. „ Ita Bellarminus Lib. 1. de Clericis.

De illa electione Actuum 6. habetur: *Elegerunt Stephanum.... & orantes imposuerunt eis manus &c.* Igitur Diaconi oratione, & manuum impositione ordinati sunt.

Tertia Synodus adunata est quoque Hierosolymis anno Christi 51. & 9. Claudii Imperatoris pro dirimenda controversia; quæ intercedebat inter Gentiles, & Judæos ad fidem conversos, istis propugnantibus circumcisionem, & alia legalia servanda esse. Sic enim habetur Actuum 15. *Surrexerunt autem quidam de Pharisæorum secta, qui crediderant.... conveneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: viri fratres..... tacuit autem omnis multitudo..... visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hac necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Nota

Nota Binii.

OBSERVAT ille auctor ista verba: " *Tacuit autem omnis multitudo*, non sic intelligenda esse, ut plebs advocata sit ad examinandum, sed ad audiendam Apostolorum sententiam, cui obtemperare deberet: Hinc constat, *ait pag.* 2. plebem interfuisse Concilio, non ut definitivam sententiam Concilii examinaret, sed potius attente, & humiliter audiret. "

Idem Doctor observat abstinentiam a suffocato, & sanguine non omnes indiscriminatim obligasse fideles Gentiles, sed eos solum qui cohærebant cum Judæis, ne isti scandalizarentur, & a fide suscipienda averterentur. At vero firmata per universum mundum Christi fide & religione, nihil soliciti fuere Christiani ab hujusmodi cibis abstinere, quandoquidem quod per os intrat, non coinquinat hominem, ut habetur Lucæ 7.

Quarta Synodus contigit adhuc Hierosolymis ann. Christi 58. circa festum Pentecostes, Actuum 21. de illa Synodo legitur: *Et cum venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos fratres, sequenti autem die introibat Paulus nobiscum, &c.*

Causa hujusce congregationis hæc fuit. Judæorum qui receperant Evangelium, erat numerus multorum millium, qui omnes Legis Mosaicæ non levius erant æmuli, quocirca ne scandalum paterentur, legalia ad tempus permittere æquum duxerunt Apostoli, & hanc ob causam, vel ipse Paulus qui Antiochiæ Cephæ restiterat, etiam cum Nazareis capillos sibi abradi, & juxta istorum consuetudinem in sacrificio pacifico pro se oblato cremari annuit, ut refert Baronius.

Quadam fit mentio Actuum 4. de quodam Apostolorum cœtu, qui dimissis Petro, & quibusdam aliis a Judæis, qui in odium fidei eos concluserant carceri, statuerunt verbum Dei cum fiducia disseminare, existimantes Deo potius quam hominibus obediendum esse. Cum vero orassent, motus est locus in quo erant congregati in signum exauditionis supplicationum: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto*, inquit sanctus Lucas, *& loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

Observatio Binii.

" *Nota*, inquit pagin. 3. ex hoc decreto apostolicam fundatam esse vitam, & conversationem omnium Religiosorum, vitam Beatorum in patria, ubi omnia sunt communia, imitantium. Sequitur: & virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis, neque enim quisquam egens erat inter illos. "

Quinta Apostolorum Synodus Antiochena nuncupatur, eo quod Antiochiæ adunata sit auctoritate Pamphilii Martyris, cujus fragmenta refert Turrianus Libr. 1. cap. 25. adversus Magdeburgenses. Hujus Concilii meminit Innocentius I. Epistola 18. his verbis: " Ubi, *inquit*, & nomen accepit Religio Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se celeberrimum meruit, &c. Eo loci loquitur de Ecclesia Antiochena.

Novem habemus hujus Concilii canones, quorum octavus respicit dogma cultus sanctarum imaginum his terminis: *Ne decipiantur salvati ob idola: sed pingant ex opposito divinam humanamque manu factam impermixtam effigiem Dei veri, ac Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiusque servorum contra idola, & Judæos. Neque errent in idolis, neque similes fiant Judæis.* Idolum est imago rei falsæ, ut statua Jovis tamquam Numinis: imago vero est figura rei veræ, qualis est imago Christi, & Sanctorum. Primum prohibetur illo canone, alterum vero permittitur, & ex illo statuto affulget cultus sanctarum imaginum antiquitas; namque & Sozomenus Lib. 5. cap. 20. refert Syrophenicem mulierem Panneade a Christo sanata in gratiarum actionem ipsius Domini Imaginem ære fusam constari jussisse.

§. III.

De libris Constitutionum Apostolicarum B. Clementis Papæ.

OCTO libri sub hoc nomine circumferuntur: sed nihil certi habemus pro eorum authenticitate: de uno solum consentiunt auctores, videlicet opus esse antiquissimum, ab Hæreticis tamen non nihil depravatum.

Nota Binii.

" APOSTOLICARUM, *inquit pag.* 41. Constitutionum Clementis Romani antiquitatem non ignoravit sanctus Athanasius in Synopsi, & 9. Epistola, eas, doctrinam Apostolorum Clementinam appellat, eo quod operis illius exordium sit: audite doctrinam sanam. Epiphanius Hæresi 45. & 70. non modo has agnovit; sed etiam quales essent his verbis diiudicavit. Ceterum, *inquit*, ad hoc afferunt falso iidem Audiani Apostolorum Constitutionem: eo enim nomine commentarium ipsum appellat, quod apud multos in ambiguo est, sed non reprobatur; omnis enim regularis ordo in ipsa habetur, & nihil a fide adulteratum, neque a confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione, & regula. At vero dictum a quo accipiunt de Paschate, prædicti male interpretantur, & per ignorantiam aliter intelligunt. In his multa ab Hæreticis corrupta; aliqua a Græcis fraudulenter supposita can. 2. nomine sextæ Synodi edita. " Baronius ad annum Christi 102. num. 9.

Synopsis eorum quæ primo Sæculo facta sunt.

PRIMO: Numerantur 84. Canones, qui Apostolis tribuuntur, sed de hoc momento maxime dubitatur, quia non sunt Scriptura inspirata, cum 45. & 26. non nihil Rebaptizantibus faveant.

Secundo: Quinque sunt Apostolorum Concilia. In primo S. Mathias in locum Judæ suffectus est. In secundo electi sunt septem Diaconi. In tertio recissa sunt legalia. In quarto eadem ad tempus, ut Synagoga cum honore sepeliretur, permissa fuere. In quinto cultus Sanctorum commendatur.

Tertio: Octo libri Constitutionum S. Clementis commemorantur. Præclara continent antiquitatis monumenta. Eos multi facit S. Athanasius Epistol. 99. Epiphanius Hær. 45. & 70. suum eis addit calculum.

De Canonibus & statutis secundi Sæculi.

§. I.

De celebratione Paschatis.

SEX circiter in hoc Sæculo adunata sunt Concilia anno 198. Severo IV. Imperatore, & Victore I. summo Pontifice ut scribit Eusebius Lib. 5. Hist. Eccles. capit. 22. scilicet Romanum, Palæstinum, Ponticum, Gallicum, Afroenum, & Asiaticum. Quinque quidem priora statuunt festum Paschatis Dominica immediate sequente lunam 14. post æquinoctium Vernum ab omnibus totius orbis Fidelibus esse celebrandum, maxime Palæstinum, in quo nomine Victoris Theophilus Cæsariensis, Metropolitanus in Palæstina præfuit; ultimum vero e contra luna 14. quacumque die occurreret, & fuit reprobatum: sicque ab ipsa vagiente Ecclesia nullum prorsus Concilium aliquid roboris habuit, donec ei accesserit summi Pontificis calculus.

Observandum est hanc quæstionem primum tantummodo de disciplina evasisse; hinc S. Polycarpus cum Aniceto Papa de hoc momento differens, ab eo cum pace recessit. Acrius exarsit Præside Polycrate cum quo Blastus Presbyter semi-Judæus factione jungebatur; contendebant morem suum de celebrando Paschate semper luna 14. a Joanne Evangelista per Traditionem habere: sed hoc dato, & non concesso, hoc fuit solemne septem tantum Asiæ Ecclesiis, quibus prævaluit consuetudo Romana, quæ, teste Victore, Traditione accepta a beatis Petro & Paulo suffulta erat. Concinit S. Ignatius Martir Epist. ad Philippenses his verbis: " Si quis cum Judæis Pascha celebrat, aut Symbola eorum recipit, particeps est eorum qui Christum occiderunt. " S. Leo

Leo in sua ad Proterium Alexandriæ Episcopum epistola quam refert Beda de ratione temporum capit. 42. asserit sanctum Petrum hunc ipsum statuisse ritum a S. Marco Alexandrino promulgatum. De eodem momento octavus canon inter Apostolicos recensitus, juxta versionem Dionysii exigui, sic habet: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus sanctum Pascha diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur.*

Non abs re erit hic etiam subnotare Tertullianum Lib. de Corona. Militis referre ideo Alexandrinos, Palæstinos, Osroenos, Ponticos in eamdem cum Romana Ecclesia consonantiam adductos fuisse, quia, *inquit*: " Hanc observationem si " nulla Ecclesia determinavit, certe consuetudo corroboravit: quæ sine dubio " de Traditione manavit. " Beatorum scilicet Petri & Pauli.

Demum Quatuor-decimani inter Hæreticos recensentur post habitam Nicænam Synodum, quę definivit sanctum Paschatis Festum Dominica sequente lunam 14. post æquinoctium vernum ab universali Ecclesia celebrandum esse: Sententiæ Asiaticorum damnationis non una erat ratio. Prima ex eo quod crederent Asiatici, Ecclesię universalis consuetudini resisti posse: Secunda, & quidem potissima, Pascha celebrandum esse luna 14. quacumque die occurreret velut quid saluti necessarium autumabant. Ita Phylastrius capit. 11. & 39. Epiphanius hæresi 30. vel 50. cæterum decretum Victoris tantum ponderavit, ut universalis Ecclesia ei adhæserit, inquit Thomassinus Dissert. 1. in Synodos de die Paschę.

§. II.

De manuum impositione, de Diaconissis, sacris Virginibus, Agapis, Eulogiis, Fermento, Communione laica & peregrina, tum & de jejuniorum origine.

MANUS impositio, teste Dionysio, Lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. significat hominem constitui sub divinę manus protectione, & ideo gratię super caput ejus effusionem, tum vero diabolicę fraudis & malignitatis depulsionem: demum perfectam Deo subjectionem.

Quadruplex est manus impositio: una confirmativa, juxta illud Actuum 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Altera consecratoria, seu ordinativa, juxta illud 1. ad Timotheum 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Tertia dicitur curativa, juxta illud de Christo, Marc. 6. *Infirmos, impositis manibus, curavit*. Postrema vocatur reconciliativa, de qua multus est in Conciliis sermo, maxime canone 9. Concilii 1. Niceni.

Diaconissa idem sonat ac Ministra: ab ipsa vagiente Ecclesia, institutæ sunt Diaconissæ. Sanctus Ignatius Epist. 12. ad Antiochenos hoc ipsum confirmat his verbis: " Saluto in Christo Diaconissas sacrorum " vestibulorum custodes. " Tum Lib. 3. Constitutionum cap. 15. & 16. earum assignat officia sanctus Clemens, nimirum ut distribuant eleemosynas, in reconciliandis feminis, & catechizandis vacent, maxime vero ut curent cuncta juxta modestię leges in illarum Baptismo fieri. Contendit Cabassutius Dissert. 2. 2. Seculi, hac de causa Sacerdotes unctionem tantum olim fecisse in capite Baptizandarum, reliquas vero in ceteris corporis partibus a Diaconissis peragendas reliquisse. Apostolus 1. ad Timoth. 5. præcipit, de Diaconissis loquendo: *Ut eligantur vidua, non minus sexaginta annorum, neque bigama*. Concilium Carthaginense IV. can. 104. loquitur de Diaconissarum habitu, de earum consecratione, de quibus non una est opinio. Quidam earum consecrationem absque manuum impositione: quidam vero e contra factam fuisse autumant. Legendus est de hoc momento Baronius ad annum Christi 34. numer. 288. Demum crescente in immensum fidei propagatione, Baptisma non in provecta, sed in puerili ætate conferri cœpit; hinc, & Diaconissarum ministerium, tum propter earum vitia finem habuit: namque Concilium Arausicanum I. sub Leone I. habitum canone 26. sic decernit: *Diaconæ omnibus modis non ordinanda: si qua jam sunt, benedictioni quæ populo impenditur capita submittant*. Qua quidem definitione eas quę supersunt, in statum redigit vulgarem & secularem.

Etiam a primis Ecclesię seculis devotę

mulieres suam consecrarunt Deo virginitatem. Tertullianus Lib. de velandis Virginibus scribit pro more fuisse positum ad hunc sublimem statum non admittere virgines, nisi annorum sexaginta spatio castitatem probassent: " Ad quam se„ dem, *ait*, præter annos sexaginta non „ eligantur. „ Decursu vero temporum virginitatis & velum, & cingulum, & habitum Ecclesia concessit iis quæ quadragesimum attigerant annum. Tertullianus Lib. de virginibus velandis cap. 15. earum describit habitum. Concilium Carthag. 4. can. 11. de iis ita statuit: *Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni, & sanctimoniæ aptis*. Duo erant istarum virginum genera: quædam enim in parentum ædibus cum ipsis versabantur, cujusmodi fuerunt Sanctæ Marcella, Eustochium, Demetriades, &c. Aliæ in monasteriorum septis religiosam vitam a personis sæcularibus sejunctæ degebant. Concilium Epaonense sub Hormisda Pontifice canone 38. loquitur de earum Monasteriis instituendis: *Monasteria*, inquit, *puellarum non nisi probatæ vitæ & ætatis provectæ ad quascumque earum necessitates, vel ministrationes, permittantur intrare. Ad faciendas vero missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt*. Ceterum ab Episcopo Virgines per manus impositionem, & capitis benedictum velamen consecrabantur. Non prætereundum S. Benedictum, qui sexto florebat Sæculo, multa erexisse Virginum Monasteria, inter quæ numerandum est Jotrense versus illa tempora erectum.

Nomine Agaparum intelliguntur quædam charitatis cœnæ, quibus fideles, tam pauperes quam divites istorum impensis promiscue ad vesperam vescerentur, simul & donarentur sacra Eucharistia: ita sanctus Chrysostomus in caput 11. 1. ad Corinth. quibus tamen mensis nonnulli obrepserant defectus, vel ipso Apostoli tempore, qui quidem in eo siti erant, quod divites, pauperibus exclusis, intemperanter convivcrent. Hoc ipsum arguit sanctus Paulus, his verbis: *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare, unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est*. Synodus Gangrensis c. 11. occasione Eusthatianorum, qui solemnes Fidelium conventus aversabantur, eos omnes qui ad Agapas accedere nolebant, a fidelium concione explodit, e contra vero propter horrendas Nicolaitarum in Agapis celebrandis dissolutiones, Laodicæna cap. 28. easdem prohibet his verbis: *Non oportet in Dominicis locis, seu Ecclesiis Agapen facere, & intus manducare, vel accubitus sternere*. Tertullianus Apol. 39. de prioribus sic loquitur: " Cœna nostra de nomine rationem „ sui ostendit; vocatur enim ἀγάπη, id „ quod est penes Græcos dilectio, quan„ tiscumque sumptibus constet lucrum „ est pietatis nomine facere sumptum: „ siquidem inopes quosque refrigerio isto „ juvamus. „

Eulogia, erant quædam panis solemniter benedicti particulæ, fidelibus in signum fidei, & unionis distributæ. Quædam erant publice ab Ecclesia collatæ; quædam vero private, quas amici ad se mutuo in amoris vinculum, & pignus ad invicem mittebant. Sic Paulinus Epistola 1. sub finem Eulogiam mittit ad Severum, alteram ad Augustinum, tertiam ad Alypium, ut habetur Epist. 31. apud Augustinum, & Epist. 35. his succedit impræsentiarum panis benedictus. Primis temporibus ex azimis solum constabat Eulogia, decursu tamen temporum, versus S. Melchiadis ævum, ex fermento coalescere cœperunt. Laodicæna Synodus Canone 15. prohibet distribui in Paschate, ne Eucharistia, quæ tunc singulis conceditur per modum Eulogiæ habeatur. Canone 32. ab eis arcet hæreticos & schismaticos, quibus denegatur Fidelium communio. Canone 49. prohibet distribui tempore quadragesimali, ne Eulogiarum consistione infringerentur jejunia. Quandoque Catechumenis concedebantur, eo quod ad fidem suscipiendam accincti forent; postea vero eis conferri prohibuit Concilium Carthaginense III. Canone 6. Fermenti usus cœpit esse solemnis tempore S. Melchiadis, qui reddita per Constantinum Ecclesiæ pace, subverso Paganismo, voluit, Eulogias ad magnificentiam ex fermento fieri. Hoc ipsum subindigitat in Pontificali ejus vitæ auctor: " Hic fecit ut oblationes conse-

„ cratæ per Ecclesias ex consecrato Epi-„ scopo dirigerentur, quod declaratur „ fermentum. „ Altera fermenti mentio fit in vita Siricii Papæ, & rursus ab Innocentio I. Epistola ad Decentium Episcopum Lugubinum capite 5. Ne miremini si Eulogiæ ex fermento confectæ ab ipsis sanctissimis Pontificibus quid consecratum, & etiam Sacramentum appellentur; hoc enim intelligitur ratione benedictionis, qua quidem res naturalis, & sensibilis sacrum evadit signum, & lato modo Sacramentum: hæc explicatio colligitur ex Concilio III. Carth. Can. 5. hoc, ex Augustino Lib. 2. de peccatorum meritis capite 26. sic loquente: " Et quod accipiunt Catechu-„ meni, quamvis non sit corpus Chri-„ sti, sanctum est tamen, & sanctius „ quam cibi quibus alimur, quoniam Sa-„ cramentum est. „ Mitto sanctum Bernardum qui sermone de Cœna Domini Baculum, quo investitur Abbas Sacramenti nomine celebrat.

Communio triplex. Una laica, altera peregrina, tertia Clericalis. Prior ea est quæ laicis extra Sanctuarium conferebatur, quod ad nostra usque tempora observatur: posterior coincidit in priorem: ab illa tamen secernitur in eo, quod quamdam sustentationem Ministrorum exauctoratorum ex eleemosynis concessam importet. Tertia, fit intra Sanctuarium, & solos spectat altaris Ministros.

Clerici in vindictam, tum peccatorum, tum scelerum ad primam & secundam remittebantur. Ad primam quidem, ut habetur in Concilio Agathensi Can. 2. quia vero omni aut beneficio, aut retributionum fructibus privabantur, Ecclesia commiseratione mota ad mensam, quæ fidelibus peregrinis parabatur, eos admittebat; hinc ex misericordia communio peregrina nuncupata est. Non desunt hujusce charitatis exempla. Instar omnium sit istud Concilii Chalcedonensis, quod quidem Act. 12. providet, ut Domnus Antiochena sede exauctoratus, ejusdem Ecclesiæ facultatibus alatur. Non absimili modo ibidem sustentationi Bassiani, & Stephani invigilat, postquam ab Episcopali dignitate utrumque propter delicta submovit. Altera, erat communio peregrina minus stricta. In eo potissimum sita erat, ut superiores Clerici non ab omni quidem dejicerentur gradu, sed ad inferiorem detruderentur, ut Episcopus ad gradum Presbyteri; Presbyter vero ad gradum Diaconi, quod quidem debet intelligi non de extinctione Ordinis, sed honoris spoliatione, ita ut etiam aliquam portiunculam ex redditibus Ecclesiasticis ad vitam sustentandam dejectus haberet. Ita colligitur ex prima Synodo Nicæna Can. 8. ex 8. Oecumenica Actione 4. ut fuso calamo scribit Cabassutius Dissertatione 16. 2. Sæculi.

Demum, ut aliquid de institutione jejunii proferamus.

Certum est Quadragesimale esse de institutione Apostolica, juxta illud sancti Ignatii Epist. ad Philippenses: " Quadra-„ gesimale jejunium ne spernatis, conti-„ net enim exemplum conversationis Do-„ minicæ. „ Et istud Hieronymi Epist. ad Marcellam: " Nos unam Quadragesi-„ mam secundum traditionem Apostolo-„ rum, toto anni tempore nobis congruo „ jejunamus. „ Sanctus Leo Serm. 42. ejusdem est sententiæ; & Sermone qui est secundus de jejunio Pentecostes. Rursus, Sermone 92. qui est 9. de jejunio decimi mensis, & quatuor temporum jejunia institutioni Apostolicæ inscribit. Vetus traditio quædam etiam indixerat jejunia in Vigiliis Sanctorum celebranda, ut habetur Lib. 5. Constitutionum Apostolorum cap. 19. & apud Tertullianum Lib. 2. ad Uxorem: quia tamen in Vigiliis nocturnis ad sepulchra Martyrum quædam occurrerunt & pietati, & honori offendicula, justo judicio rescissa sunt hujusmodi conventicula; aliquod tamen remanet pristinæ devotionis vestigium in jejuniis, quæ ex præcepto Ecclesiæ in Vigiliis quorumdam Sanctorum servantur.

Tanta erat quondam in jejuniis celebrandis austeritas, ut his diebus non a carnibus solum, verum etiam a vino oleoque abstinendum esse putabant, ut habetur in Synodo Laodicæna Can. 50. quo quidem statuit servandam esse Quadragesimam in Xerophagia, his verbis: *Oportet totam Quadragesimam jejunare aridis vescentes*. In eo prorsus sensu Tertullianus Lib. adversus Phychicos, Basilius Serm. 1. de jejunio, Theophilus Alexandrinus Epistola Paschali 3. explicant Xerophagiam.

Pri-

Prioribus 13. Sæculis die jejunii, non nisi ad Vesperam cibus sumebatur; videlicet tribus horis post nonam, hoc est, hora sexta vespertina, & hic fuit ritus pro jejunio Quadragesimali: pro altero vero absoluta hora nona, fiebat comestio. De jejunio quadragesimali S. Basilius Hom. 1. de jejunio, sic loquitur: " Vesperam " expectas ut cibum sumas. " Orientales ad hæc usque tempora pristinum jejunandi ritum adamussim observant. Sæculo 13. refrigescente devotione, invaluit consuetudo, finita nona, vel ipso quadragesimali tempore comedere, ut observat S. Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 7. tum in deterius res ita processit, ut non solum refectiuncula per modum collationis concessa sit, verum etiam prandium vix ad horam pomeridianam determinatum sit.

De ceteris Conciliis secundi Saculi.

NON omittenda octo alia Concilia anno 197. eodem Victore summo Pontifice celebrata: videlicet Lugdunense contra eosdem Asiaticos, & Marcionem: Hyerapolitanum, adversus Montanum, & Maximillam pseudo-prophetas, & Theodotum Coriarium, qui Christum ut purum hominum habebat: Achillanum Sotæ contra eosdem hæreticos, maxime vero contra Montanum qui 78. Æonas docebat, & se ipsum pro Spiritu sancto ventilabat. Gallicanum iterum adversus Montanum & Maximillam; cujus decretum ad eos, qui in Asia erant, Fideles damnavit. Ephesinum Polycratis in quo mos Asiaticus confirmatur, sed a Victore I. abjectum est. Hierosolymitanum Narcissi adhærens Victori I. pro celebratione Paschatis. Corinthiacum, Bacchylidis in quo idem statutum est. Mesopotamicum concinit: item & Asiaticum Plasmæ. Romanum contra Theodotum, Æbionem, & Arthemonem qui duces fuerunt Pauli Samosateni & Nestorii: Romanum alterum quod profligavit Sabellium, & Noetum qui commixtionem personarum in sanctissima Trinitate divulgabant. Tum & Valentinum qui præter ceteras ineptias, corpus Christi cœleste esse effutiebat.

Synopsis eorum quæ secundo Sæculo gesta sunt.

PRIMO: Quinque adunata sunt adversus Quatuor-decimanos Concilia, in quibus proscripti sunt; ipsi vero unum adunavere, sed reprobatum est.

Secundo: Versus illa tempora Labbæus decem alia commemorat, in quibus Asiatici, Montanus cum Maximilla, Theodotus Coriarius, Sabellius, Noetus, Æbion, Valentinus damnati leguntur. Inter illa unum pro Asiatico more pro festivitate Paschatis annotatur, sed utique sicut primum legitur reprobatum.

Tertio: Impositio manus quadruplex, videlicet confirmativa, curativa morborum, reconciliativa, & ordinativa.

Quarto: Diaconissæ erant quædam piæ electæ Virgines, quandoque etiam viduæ, quæ, ordinante Ecclesia, eleemosynis colligendis & prudenter expendendis, tum & Puellarum Baptismo, ut cuncta modeste fierent, invigilabant.

Quinto: Nomine Agaparum intelliguntur quædam charitatis Cœnæ, in quibus vel ipsi pauperes admittebantur: de eis mentionem facit Apostolus 1. Cor. 11 Eulogiæ vero erant quædam panis benedicti particulæ in signum unionis fidelibus distributæ.

Sexto: Communio triplex, scilicet laica, peregrina & Clericalis. Prior ea est, quæ fit extra Sanctuarium, altera coincidit in istam, addit solum quamdam eleemosynam pro Ministrorum exauctoratorum sustentatione. Tertia, fit intra Sanctuarium, & solos spectat altaris ministros.

Septimo: Jejunium quadragesimale est de institutione Apostolorum: Prioribus 12. sæculis, non nisi tribus post nonam horis, hoc est hora sexta cibus sumebatur.

Octavo: Præter Concilia laudata, octo ulteriora 2. Sæc. adunata sunt, videlicet contra Ebionistas, Asiaticos, Montanistas, & Marcionistas.

De Canonibus & Statutis tertii Sæculi.

VARIA isto Sæculo adunata sunt Concilia.

Primum quidem, Africanum sub S. Zephirino,

rino Papa anno 217. illudque de Rebaptizandis, sed improbatum.

Alterum, Alexandrinum anno 236. sub sancto Fabiano Papa, adversus Ammonium Religionis desertorem, ibi tamen purgatum.

Tertium, Labesitanum in Africa anno 24. sub eodem Pontifice, similiter, & Arabicum anno 247. tum Bostrenum, & Arabicum. Labesitanum quidem adversus privatum hæreticum: Arabicum contra eos qui animas mortales esse autumabant: Bostrenum, ad emendationem Berilli ejusdem urbis Episcopi, qui adhærebat Theodoto Coriario: alterum in Arabia ab Origene aliisque quatuor-decim Episcopis collectum pro correctione Fidelium, qui ex quadam pestilenti hæresi, non sine ausu temerario animas interire credebant.

Anno 250. morte sancti Fabiani vacante sede, adunatum est Romæ Concilium, quo quidem cautum est a Clero Romano, adversus Novatianos, lapsos & Libellaticos recipiendos esse ad Pœnitentiam, tum ad Communionem, eosdem vero extrema agentes omissa Pœnitentia publica, ea tamen lege, ut lacrymis, & singultibus de perfidia dolorem proderent, ut legere est apud Cyprianum Sermone de lapsis, & apud Baronium anno 233. num. 18. 19. & 24. decretum Concilii, his concipitur verbis: *Ante Constitutionem Episcopi, nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso, eorum, qui moras dilationis possunt sustinere, causa teneatur. Eorum autem quorum vita sua finem urgens exitus dilationem non ferret, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum testatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla subsliterit, ita demum caute, & solicite subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera: nobis tamen anxie curantibus, ut nec prenam nostram impii homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.*

S. Cornelio Clavum Ecclesiæ tenente, adunatum est Concilium Carthaginense I. anno 252. & Romanum primum, tum Romanum secundum Italicum, & Carthaginense alterum anno 253. Duo priora in causa lapsorum, ubi renovatum est decretum Cleri Romani: Romanum secundum & Italicum adversus Novatianos. Demum Carthaginense secundum contra Felicissimum, & Novatianum schismaticos. Et vero non solum post Baptismum lapsos tametsi pœnitentes propellebant, verum etiam sanctum Cornelium e sede deturbare tentabant, in primis Novatianus, qui summum Pontificem insulsis lacessebat calumniis. Sic refert Cyprianus Epist. ad Antonianum, ita Baronius anno 254. & sequentibus.

S. Stephano Ecclesiam gubernante, coacta est Synodus Africana II. anno 256. vel 258. Iconiensis, & Synnadensis, Carthaginensis, secunda Romana, Carthaginensis tertia versus eadem tempora. Africana quidem prima statuit, ut quidam Diaconus, & nonnulli Clerici contumeliosi, aut abstinerentur, aut peccatum citius emendarent. Item ut infantuli extrema agentes ante octavum diem propter necessitatem baptizarentur: altera vero adversus Libellaticos lapsos suum acuit stylum. Iconiensis, & Synnadensis abjectæ sunt, ea potissimum causa, quod Baptismum ab hæreticis, tametsi Verbis Evangelicis collatum, abnegarent. Eadem de causa, & Carthaginensis prima, secunda & tertia.

Anno 263. Romæ congregatum est Concilium sub S. Dionysio Papa, & ibi purgatus est Dionysius Alexandrinus a calumnia, qua a Sabellianis fuerat impetitus. Eodem circiter anno sub eodem Pontifice duæ Synodi Alexandriæ celebratæ sunt. Prima contra Sabellium, altera contra Nepotem Episcopum Ægypti qui adhærebat Millenariis. Item & sub eodem Papa Antiochensis prima & secunda; prior quidem adversus Paulum Samosatenum, qui Christum dicebat purum hominem, posterior adversus eumdem relapsum, qui ibi exauctoratus est.

Synopsis Gestorum in tertio Sæculo.

PRIMO: Anno 233. mortuo S. Fabiano, Clerus Romanus pœnitentiam publicam temperavit in gratiam eorum, qui ani-

animam agebant, modo signa doloris lacrymis & gemitibus dedissent.

Secundo: Sub S. Cornelio Concilium Carthaginense, tum & Romanum adunata sunt: illud Libellaticos, istud Novatianos exagitavit, & censuris compescuit.

Tertio: Stephanus I. tria Cypriani, duo vero Firmiliani Concilia, quibus Hæreticos tametsi Verbis Evangelicis tinctos, iterum baptizari volebant, abjecit, cujus Constitutioni adhæsit universalis Christi Ecclesia.

De Canonibus, & peractis quarto Sæculo.

§. I.

De Conciliis.

SUB S. *Marcellino Papa*, adunatum est Concilium Cirtense in Numidia, & Sinuessanum anno 303. illud quidem adversus eos qui codices sacros, resve alias sacras obediendo edicto Imperatorum Paganorum comburendas tradiderant: istud vero contra eos qui Thus Idolis adoleverant. Quidam inter eos annumerant, vel ipsum Marcellinum, sed de hoc momento infra in observationibus Canonum dicemus.

Sub S. Marcello summo Pontifice, tria adunata sunt Concilia, videlicet, Elyberitanum anno 305. quod quidem diversa statuit pro disciplina, maxime vero contra eos qui post Baptismum Idolis immolaverant. Anno 306. Carthaginense primum, tum Carthaginense secundum anno 308. ambo pseudo-concilia.

S. Melchiade Papa, coacta est Synodus anno 313. in causa Donatistarum, & Cæciliani, ubi iste absolutus est.

S. Sylvestro Papa, varia hinc inde adunata sunt Concilia per ordinem sic concinanda.

Anno 314. Arelatense I. percelebre, in quo iterum discussa causa Donatistarum, & Cæciliani, rebaptizatio abjicitur, Cæcilianus vero purgatur.

Eodem circiter anno Ancyranum pro disciplina eorum qui in persecutione ceciderant observanda.

Eodem quoque anno Neocæsarense pro Ecclesiastica disciplina.

Anno 315. Romanum I. adversus Judæos obstrepentes.

Eodem anno Alexandrinum I. contra Arium.

Anno 319. Alexandrinum II. adversus Meletianos, Colluthianos, & Sabellianos.

Anno 320. Laodicænum pro disciplina Ecclesiastica.

Anno 324. Romanum II. pro pace Ecclesiæ componenda.

Anno 325. Nicænum I. Oecumenicum contra Arianos, & Quatuor-decimanos.

Eadem versus tempora, Cæsariense, Tyrium, Marcoticum, Antiochenum, Constantinopolitanum, alterum Constantinopolitanum secundum, tertium & quartum, Antiochenum Arianorum, juxta Labbæum, Romanum tertium eodem anno pro disciplina Ecclesiastica, maxime de solemnitate Paschatis.

Circa eadem tempora Grangrense adversus Eusthathium Sebastensem in Armenia Episcopum, qui reliquos Christianorum ordines pessundabat.

Anno 335. Tyrium Conciliabulum adversus sanctum Athanasium. Eodem anno Jerosolymitanum Eusebianorum, de quo supra.

S. Marco Papa Constantinopolitanum Arianorum anno 336.

Anno 337. *Julio summo Pontifice* Romanum I. contra Arianos.

Anno 339. Alexandrinum, ubi Patres insulsas Arianorum adversus S. Athanasium contumelias confutant: ita Binius Tom. 1. pag. 415.

Anno 344. Antiochenum I. in quo ab Arianis Athanasio deposito, Gregorius Cappadox substitutus est. Eodem anno Romanum II. in causa Athanasii, aliorumque Orthodoxorum Episcoporum, tum affulsit Symbolum Athanasii Romæ editum, juxta quosdam, vel ipso anno 340.

Anno 342. Romanum III. quo perstringuntur Ariani, Athanasius vero cum suis defenditur.

Anno 344. Antiochenum II. Arianorum, Eodem anno, Mediolanense a Catholicis celebratum, ubi fides Nicæna conclamata est.

Anno 347. vel 348. Sardicense Conciliabulum Philippopoli Semiarianorum.

Eodem circiter anno 348. Carthaginense I. ad pacem Ecclesiæ Africanæ com-

po-

ponendam schismate Donatistarum convulsam.

Anno 350. Mediolanense II. pro fide Nicæna defendenda. In hoc Conventu Ursatius & Valens, quasi a sua ipsorum conscientia flagellati, præmissis ad Athanasium litteris *Pacificis & communicatoriis pœnitentiam egerunt*. Confitentes omnia, quæ vel dixissent, vel fecissent contra Athanasium falsa esse. Tum scriptis Arianismum execrantes Ecclesiæ Julio SS. Pontifice reconciliati sunt. Eodem anno Jerosolymitanum pro defensione sancti Athanasii.

Coloniense anno 357. ubi Euphrata Christi divinitatem abnegans proscriptus est.

Vasense anno 463. pro disciplina Ecclesiastica astruenda.

Liberio Ecclesiam regente subsequentia Concilia congregata sunt.

Anno 352. & secundum alios 355. pro causa sancti Athanasii, iterum atque iterum defendenda.

Anno 353. Arelatense Arianorum.

Anno 355. Mediolanense etiam Arianorum, & reprobatum, quippe quod adversaretur sancto Athanasio.

Anno 356. Byterrense Conciliabulum Arianorum.

Anno 357. Syrmiense quasi Oecumenicum, sed ex parte reprobatum, maxime propter secundam formulam blasphemiis erga Christi divinitatem refertam, & tertiam non satis Catholicam.

Anno 358. Ancyranum Semiarianorum, qui aversati secundam Syrmiensem formulam, ea rejecta, Verbi consubstantialitatem confessi sunt, tametsi *homousion* omisissent; jussu tamen Imperatoris, ut scribit Baronius, anno 357. suum calculum tertiæ Syrmiensi Formulæ addiderunt.

Anno 359. Ariminense, quod a multis Concilii generalis nomine celebratur, quamvis Orientales non hic, sed Seleuciæ eodem tempore adessent: In ea Synodo fides Nicæna a 400. circiter Episcopis conclamata est; Ursatius vero cum Valente proscriptus.

Eodem anno pseudo-Concilium alterum Ariminense, sed potius Nicænum in Thracia, ubi aliqui ex priori Concilio Patres fraudibus Semiarianorum detenti subscripserunt Formulæ, animo quidem Catholico, sed tamen vocem *homousion* non referenti.

Eodem etiam anno Seleuciense, in quo a Semiarianis Acatiani damnati sunt. Eodem adhuc anno Constantinopolitanum in quo Semiariani ab Acatianis, & Arianis proscripti sunt.

Anno 360. Antiochenum Conciliabulum, in quo ab Arianis Meletius Antiochiæ Episcopus deponitur.

Anno 362. Alexandrinum I. de lapsis recipiendis. Eodem anno Parisiense adversus Arianos.

Anno 363. Alexandrinum II. ubi Imperator de fide Nicæna defendenda per literas beati Athanasii commovetur.

Eodem anno Antiochenum II. quo Semiariani, adjuvante Imperatore, fidem Nicænam profiteri coguntur.

Anno 364. Lampsacænum Conciliabulum Semiarianorum.

Anno 365. Siculum, ubi confirmata est fides Nicæna. Eodem anno Illyricum pro eodem momento. Eodem etiam anno Tyanense, ubi Eustathius Episcopus Sebasteæ ad meliorem frugem specie tenus reversus, in pristinam sedem restitutus est, tum postea relapsus.

Anno 366. Conciliabulum Arianorum in Caria. Eodem anno Singedunense etiam Arianorum, in Mysia.

S. Damaso summo Pontifice, ista alia adunata sunt.

Anno 368. Romanum I. in quo Ursatius, & Valens fuerunt damnati.

Anno 369. Romanum alterum in causa Arianorum damnandorum.

Anno 373. Romanum III. in quo Apollinaristarum hæresis damnata fuit.

Valentinum anno 374. pro disciplina.

Anno 378. Antiochenum in causa schismatis inter Meletium, & Paulinum, illum ab Arianis Episcopis, istum a Lucifero Calaritano sedis Apostolicæ Legato Patriarcham institutum; ea conditione ut alternata vice uterque celebraret in Ecclesia, & simul regerent Patriarchatum, tum uno mortuo, solus superstes clavum hujusce Ecclesiæ teneret.

Anno 381. Constantinopolitanum I. & II. Oecumenicum contra hæresim Macedonii. Eodem anno Aquilejense adversus Arianos, & Cæsaraugustanum pro disciplina,

Anno

Anno 382. Romanum IV. pro disciplina; & versus eadem tempora Constantinopolitanum II. pro eodem momento.

Sub Siricio Papa, sequentia adunata sunt.

Anno 385. Burdigalense, in quo Priscillianus primum in Cæsaraugustano propter hæresim axauctoratus, deinde propter pœnitentiam restitutus, iterum lapsus proscribitur.

Anno 386. Romanum ad collapsam in Africa disciplinam restaurandam. Item & Trevirense, quo Ecclesia ab Imperatore obtinuit ut Priscillianistæ flammis, & ferro non committerentur, ut Itathius Maximo suaserat: vel ipso sancto Martino deprecante, etiam duo comites morte afficiendi absolvuntur, modo sanctus Episcopus Itacianis communicaret, quod quidem misericordia commotus fecit, sed postea doluit.

Anno 389. Capuanum in causa schismatis Antiocheni ad pacem istius Ecclesiæ componendam; sed non modicum, mortuo Paulino, cui successor contra pacta conventa suffectus est, conturbata. Versus eadem tempora juxta Binii opinionem Arelatense II. pro disciplina.

Anno 390. Mediolanense contra Jovinianum, & Helvidium nefandos hæreticos, & eodem circiter tempore, ut propugnat Binius, Angarianense Novatianorum.

Anno 393. Hypponense pro disciplina.

Anno 394. Constantinopolitanum, in quo quidem causa duorum Episcoporum eumdem Bostiensem Episcopatum sibi vindicantium definita fuit: tum Adrumetinum de cujus Canonibus nihil certum habetur: item & Cavernense Donatistarum, sicut & Bagajense, in quo aderant 317. Episcopi.

Anno 397. Taurinense pro disciplina Carthaginense II. & III. pro eadem re.

Sub Anastasio Papa, hæc sunt Concilia.

Anno 398. Carthaginense IV. & V. pro disciplina.

Anno 399. Alexandrinum, in quo Origenis libri, & ejus Doctrinæ adhærentes, in primis vero Melania nobilis femina, cujus molitione divulgabantur, damnati sunt. Eodem anno Africanum pro disciplina.

Anno 400. Constantinopolitanum adversus Antoninum Episcopum Ephesinum pro variis criminibus accusatum. Eodem anno Toletanum I. pro disciplina.

§. II.

Observationes de Concilio Sinuessano pro facto Marcellini Papæ.

NOTÆ.

Eo loci fit mentio de Marcellino, quem timore perterritum ad declinandum supplicium sacrificasse Idolis, tum pœnitentia ductum ultro se præsentasse Diocletiano ad fidem profitendam, ac demum insigni martyrio coronatum fuisse multi scribunt; pro Christo mortem illum subiisse non est relictus ambigendi locus, sed de thurificatione gravissima emersit controversia, aliis rem ita contigisse, ut modo dictum est, propugnantibus; aliis e contra iis ducti rationibus.

Primo quidem, ex eo quod hujusce Concilii Acta, etiam non diffitente Binio, deflorata sint. II. In iisdem contradictoria referuntur: modo enim legitur Marcellinum interrogatum negare thus idolis se adolevisse, modo hoc ipsum confiteri, modo etiam Concilium nolle eum judicare, sed expetere ut se ipsum judicet, modo tandem contra propositum iterum atque iterum expressum damnare Pontificem. III. Doctissimi viri propugnant, & validissimis argumentis probant Acta laudata esse spuria, & nullius ponderis, & factum Thurificationis esse commentum a Donatistis callide excogitatum, ut scilicet nomen Marcellini, ab omnibus antiquioribus bene acceptum, infamaretur. Hujusce sententiæ tenacissimus est S. Augustinus Lib. de unico Baptismo contra Petilianum cap. 16. his verbis: " Lapsum Marcellini Donatistæ Catholicis " objecerunt, sed crimen commissum esse " hactenus non probarunt. "

De Concilio Ancyrano Nota.

CANONE 12. juxta secundam editionem, & canone 13. juxta ultimam, ut ponit Cabassutius habetur: " Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare &c. " Nomine Chorepiscoporum intelliguntur Presbyteri villis præceden-

sidentes, quibus ex concessione Ecclesiæ, licitum erat quatuor minores, & Subdiaconatum conferre: Non diffitemur tamen eos quandoque Episcopos vocari, sed eo dubio procul sensu juxta Cabassutium hic, quod Episcopi consecrarentur, vel etiam intelligi potest de Episcopis exauctoratis, quibus ex indulgentia Chorepiscoporum officio fungi concedebatur.

De Neocæsareensi observatio.

JUXTA canonem 15. septem tantum Diaconi in civitate quantumvis magna debent esse; ibidem canone 1. cœlibatum injungitur Clericis.

De Alexandrino Notula.

OBSERVANDUM venit non Arium primum fuisse qui Verbi consubstantialitatem abnegaverit, sed Eusebium Nicomediensem, ut non mireris, inquit Binius, si sæpe contingat eosdem quos dicimus Arianos, ab antiquis Patribus esse dictos Eusebianos.

De Alexandrino secundo insigni observatio.

BINIUS de eo sic loquitur: " Hoc „ Concilium anno Domini 319. qui est „ Sylvestri 6. & Constantini Imperatoris 14. annus, Alexandriæ in Ægypto habitum, cui omnes Episcopi qui „ Alexandrino Primati parebant, una „ cum Osio Cordubensi Episcopo, qui „ Legationis Pontificis munere fungebatur, atque ideo huic Synodo præsidebat, interfuere; ob quam causam Athanasius Apologia 2. hanc Synodum generale Concilium appellavit. „

De Laodicano pro Confessione observatio.

CANONE 2. juxta secundam editionem legitur: *His qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt & instant orationi, confessioni, ac pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus tribuendum est: propter misericordiam, & bonitatem Dei, qui hujusmodi sunt, revocandi, & ad communionem sunt applicandi.*

Nota Binii pag. 293. col. 1.

" NOTA, *inquit*, quod lege Christi „ Joan. 20. his verbis: *Quorum retinueritis „ peccata retenta sunt*: id est, non remiseritis, non sunt remissa: institutum „ est; ut peccatorum confessio in specie „ coram Sacerdote jurisdictionem habente „ emittatur, id antiquo usu in Ecclesia „ receptum fuisse, atque etiamnum recte „ usurpari. „

De Synodo Romana secunda sub Sancto Sylvestro observationes.

PRIMA, cap. 6. juxta editionem 1. p. 302. Actione 1. habetur: *Et Diaconi non essent plus nec amplius per Parochiarum examen, nisi duo, & Diaconi Cardinales urbis Romæ septem.*

Nota Binii pag. 304. col. 2. de Diaconis Cardinalibus.

" QUI hic appellantur Diaconi Cardinales, quod, licet in diversis locis „ agerent, unius tamen Ecclesiæ, ejusque primariæ cardine continerentur; „ iidem supra in vita Fabiani, Diaconi „ regionarii nominantur, quod ex officio „ singuli binis regionibus urbis præesse „ pauperumque in eis degentium curam „ habere tenerentur: in quem finem 14. „ urbis regionibus septem Cardinales Diaconi præfecti sunt, ut nimirum singuli binas regiones solicite curantes, totius urbis pauperibus bene prospectum „ foret. „

Observatio in Canonem vigesimum.

NON ignoti nominis Theologi, auctoritate Concilii Sinuessani de Marcellini lapsu, in quo Patres sic alloquuntur Papam: *Tu eris judex: ex te enim damnaberis, & ex te justificaberis*: propugnant supremum Ecclesiæ Præsulem a nemine judicari: hoc ipsum confirmat Synodus Romana 2. sub S. Sylvestro can. 20. p. 303. ed. 1. his verbis: *Nemo enim judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede justitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque a Regibus,*

bus, neque a populo judex judicabitur. Et subscripserunt 284. Episcopi, & 45. Presbyteri. Et 5. Diaconi, & duo sequentes, & Augustus Constantinus, & mater ejus Helena, & fixit canonem hunc Sylvester Episcopus in urbe Roma, & omnibus Episcopis aspersit. Actum ad Trajanas Thermas, 3. Kalendas Junii Domno Constantino Augusto tertio, & Prisco proConsule.

Non prætereundum Donatistas deflorasse canonem octavum Concilii Arelatensis, & posuisse *de Arianis*, cum e contra sit: *De Afris quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent &c.* ut damnationem declinando ad Arianos diverterent: sic observat Baronius anno 314. num. 32. Observandum quoque eosdem Donatistas tertia appellatione in Arelatensi finita, quarta vice provocasse ad Imperatorem, qui non cedens protervitati eorum, suo calculo munivit quæ prius definita fuerant, nec amplius exauditi sunt.

Nota circa Concilium Nicænum primum.

PRIMA occurrit de numero canonum. Vulgo 20. tantum annumerantur juxta Theodoretum Lib. 1. cap. 8. Julius I. addit 24. in Epistola sua secunda. Gelasius Cyzicænus Lib. 2. capite 30. novem addit vulgatis a Theodoreto; Primus de sancta Christianorum vita: secundus de laudabili manuum labore: tertius de Ecclesiastica hierarchia & quanta morum puritate Clerici præfulgere debeant: quartus prohibet laicis in suggestum ascendere: quintus tractat de gratia Baptismi: sextus de mensa Eucharistica in qua Christus realiter sumitur: septimus de resurrectione Christi, quæ nostræ typus dicitur: octavus, de unitate Ecclesiæ extra quam non est salus: nonus, de providentia Dei quæ per gratiam Sanctos disponit ad æternæ gloriæ consecutionem: Demum ex Arabico exemplari octoginta recensentur, quod quidem exemplar sub Pio IV. ex Alexandria Ægypti allatum fuit.

Unusquisque pro virili suum numerum propugnat. Certum est multos non sine ratione dubitare de Gelasianis, & Arabicis: de numero vulgari ultro conveniunt istos viginti canones non esse assutos: de Julianis nonnulla emergit controversia. Partem affirmativam cum auctoribus omni exceptione majoribus tenemus, & quamquam Cabassutius hic pag. 120. non nihil discrepet pro sententiis de appellationibus a Conciliis ad summum Pontificem, quas in dubium revocare videtur, reipsa tamen veneratur, & admittit, eo ipso quo Epistolam Julii I. ut authenticam habet, & probat, omni argumentorum genere, alias sibi contradiceret in capitali assertionis puncto.

Canones Julii I. Epist. 2. de quibus movetur controversia pro appellationibus.

CANON 1. edit. Bin. 1606.: " Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. "

Canon 2. " Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea, sicut semper fuit, pie fulciantur, defendantur, & liberentur, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, Antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem sedis Papæ fieri placuerit. "

Canon 3. " Dum iterato judicat Apostolicæ sedis Pontifex causam Episcopi, nullus alius in ejus loco ponatur, aut ordinetur Episcopus. Quoniam quamquam a comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum beato Petro Apostolo, non ab alio quam ipso dictum sit Domino: Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata in cœlis: & quæcumque solveris super terram erunt soluta & in cœlis. "

Canon 4. " Si quis putaverit se a proprio Metropolitano gravari; apud Primatem Diœceseos, aut penes universalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam judicetur. "

Canon vigesimus tertius: " Primates accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, " quam

„ quam Apostolica freti auctoritate, aut „ reum se ipse confiteatur, aut per innocentes, & canonice examinatos re„ gulariter testes convincatur. „ Quibus prælibatis jam sit.

Ea solum ducti ratione quidam cum Græcis abjiciunt canones Julianos eo quod Theodoretus Lib. 1. cap. 8. non nisi viginti admittat : Sed hæc ratio nulla est, immo luce meridiana clarius affulget multo plures esse, & non paucos sicut molitione, sic & protervia Arianorum excidisse. Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primo: Non extat Canon quo decretum est Pascha non nisi Dominica die proxime sequenti æquinoctium vernum celebrandum, quem tamen commemorat sanctus Athanasius Epistola de Synodo Ariminensi, sicut & Eusebius Lib. 3. de vita Constantini.

Secundo : Neque extat Canon de Bigamis ab ordinibus arcendis constitutus, quem quidem sanctus Ambrosius Epistola ad Vercellensem Episcopum his verbis refert : " Sed prius cognoscamus non „ solum hoc Apostolum de Episcopo, & „ Presbytero statuisse; sed etiam Patres „ in Concilio Nicæno Tractatus addi„ disse : neque Clericum quemquam de„ bere esse, qui secunda conjugia sorti„ tus sit. „

Tertio : Sed nec invenitur Canon de Scripturis divinis authenticis, cujus sanctus Hieronymus Epistola 3. meminit loquendo de Libro Judith : " Sed quia, „ *inquit*, hunc librum Synodus Nicæna „ in numero sanctarum Scripturarum le„ gitur computasse, acquievi postulationi „ vestræ. „

Quarto : Sic loquitur Binius p. 318. col. 1. de alio canone : " Sanctus Augustinus „ Epistola 110. allegat canonem Nicæ„ num, quo ne duo Episcopi in eadem „ Ecclesia sedeant, sancte, & pie cavetur: „ Concilio Carthaginensi III. canone 48. „ dicitur, a Patribus Concilii Nicæni „ constitutum fuisse, ut nisi a jejuno sa„ crificium offeratur. A Concilio Carthag. „ VI. can. 3. citatur ex Nicæno canon „ de appellatione ad Apostolicam sedem „ Episcopis concessa : quem ante habi„ tum Sardicense Concilium, editum fuisse „ ex Theodoreto constat, qui de Julio „ Romæ Athanasii causam cognoscente „ Lib. 2. cap. 4. hæc ait : *Ille Ecclesiæ* „ *canonem secutus, & eos jussit Romam ve*„ *nire, & divinum Athanasium qui pro se* „ *ipso in judicio responderet vocavit*. Hoc „ eodem Concilio Nicæno idem canon a „ Patribus sancitus est, quo cautum fuit, „ ut res cognitæ in minori Synodo, in „ majori iterum examinari atque tracta„ ri possent : de quo Julius Papa Episto„ la ad Arianos hæc ait : *Episcopi in magna* „ *Synodo Nicæa congregata non sine Dei consi*„ *lio permiserunt prioris Synodi acta in alia* „ *Synodo examinari*.

Quid plura adjiciam, pergit Binius: " In „ fine Concilii Chalcedonensis, refert At„ ticus in Nicæno Concilio canonem „ quemdam editum esse, ut formatarum „ litterarum certa quædam scribendi for„ ma, ac ratio determinaretur, quæ apud „ Episcopos tantum Catholicos secreta „ retineretur, ne vulgatam formulam im„ postor aliquis hæreticus, vel Schismati„ cus per fraudem confingens, se pro ca„ tholico venditaret, & Catholicam com„ munionem suffuraretur. „

Subnotat Sozomenus Lib. 3. capite 19. in fine ex decreto Nicæni ad hymnum glorificationis : *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* : additum fuisse contra Arianos qui Verbum in tempore creatum prædicabant : *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum*. Quod tamen non reperitur in viginti canonibus vulgatis. Immensus forem si cetera eaque authentica vellem proferre. Innocentius quippe 1. Epistola 23. ad Synodum Tolosanam, quam restituit Pater Syrmondus, profert ex regulis Nicænis de ordinationibus istam : *Ne quispiam qui post Baptismum militaverit, ad Ordinem debeat clericatus admitti*. Neque qui causas post Baptismum egerint acceptum. Vel ipse Rufinus Lib. 1. cap. 6. duo canones addit supra vulgatos : Igitur in isto numero non standum est : nec ratio ex eo deprompta quidquam roboris habet adversus Julianos.

Observes velim Epistolam secundam Julii haberi ut genuinam a Concilio Sardicensi in sua ad Episcopos Occidentis Epistola, a S. Athanasio Apol. 2. a Theodoreto Lib. 2. Hist. Eccles. cap. 8. quod quidem argumentum irrefragabile est canones 24. in

in ea contentos non esse assutos, maxime cum colliment cum aliorum Conciliorum canonibus : " Pro can. 1. Julii, „ *ait Binius in notis* 1. *ad Syn. generalem* „ *pag.* 349. col. 1. non debere Concilia „ fine auctoritate Romani Pontificis celebrari, ex Epistola Ægyptiorum ad „ Felicem secundum : scimus in Nicæna „ magna Synodo 318. Episcoporum ab „ omnibus concorditer esse roboratum, „ non debere absque Romani Pontificis „ sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari. „

Pergit Binius pag. 350. col. 1. " Pro „ can. 2. Julii, de appellationibus Episcoporum ad sedem Romanam; ex eadem Epistola Ægyptiorum ad Felicem „ secundum. Similiter a prædictis patribus, de Nicænis erat sermo, est definitum consonanter, ut, si quisquam „ Episcoporum, aut Metropolitanum, aut „ comprovinciales, vel judices suspectos „ habuerit, vestram sanctam Romanam „ interpellet sedem, cui ab ipso Domino „ potestas ligandi & solvendi speciali est „ privilegio super alios concessa. „

Observationes in Canonem sextum Nicænum.

BINIUS in hoc momento in suis notis pag. 318. col. 2. sic loquitur : " Initium „ hujus canonis, quod tale est : *Ecclesia* „ *Romana semper habuit primatum* : in Libris vulgatis deest : ita enim citatur a „ Concilii Chalcedonensis Patribus Act. „ 16. cum hoc eodem initio extat idem „ canon a Dionysio Abbate a Græco in „ Latinum translatus; ut refert Alanus „ Copus in 1. dialogo. Intelligitur & explicatur, his verbis : *Perpendimus omnem* „ *primatum & honorem præcipuum secundum* „ *canones antiqua Romæ Deo amantissimo* „ *Episcopo conservari* : Quasi diceret : sicut „ Petrus ejusque successor Romanus Episcopus ac Pontifex, ex institutione „ Christi divino jure Primatum consecutus est, & semper habuit, ac legitime „ usurpavit ; ita Alexandrinæ Ecclesiæ „ Episcopus omnium Ecclesiarum dumtaxat, quæ sunt in tota Ægypto, „ Primatum & auctoritatem quem Meletius schismaticus impugnaverat, juste „ usurpet : Et non ex institutione Christi; sed ex concessione, ordinatione & „ institutione Petri, ejusque successoris „ Romani Pontificis, qui omnes Ægypti „ provincias per Marcum Petri discipulum, „ & Marci successores, huc usque regere, & gubernare consuevit. „ Istius canonis sensum hunc genuinum fuso calamo exposuimus supra, ubi de Primatu summi Pontificis.

Observationes in Canonem 3. 4. & 7. Concilii Sardicensis de appellationibus ad SS. Pontificem.

JUS appellationum ad summum Pontificem non datur, sed a Concilio agnoscitur; appellante autem Episcopo ad summum Pontificem nullus, pendente lite, ei sufficiendus est. De primo momento sic loquitur Binius in suis ad Concilium notis pag. 442. col. 1. " Hoc can. 3. sicut „ etiam quarto & septimo declaratur „ expedire, ut ordinarie Episcopis ad sedem Apostolicam provocantibus, & appellantibus deferatur : Jure divino non „ tantum permissum erat, ut Episcopi „ injuriam passi ad summum Ecclesiæ & „ Romani Pontificis tribunal provocarent; verum etiam frequenter ante hæc „ tempora de facto observatum, ut tum „ Presbyterorum quam Episcoporum appellationes ad Apostolicam sedem admitterentur; adeo, ut verissimum sit, „ quod scribit S. Leo Epist. 89. ad Episcopos Galliæ, hanc esse antiquissimam „ Ecclesiæ consuetudinem. Ad Pium I. „ Marcion. ad Cornelium, Fortunatus „ & Felix in Africa ; ad Stephanum „ Pontificem, Basilides in Hispania depositus, appellarunt : Athanasius, ut „ supra in Romanis Conciliis dictum est, „ ad Julium Pontificem provocans, per „ eum ab Arianorum calumnia & depositionis sententia absolutus fuit. Unde „ manifestum est, quod Patres hujus Concilii de jure & appellandi potestate nihil noviter concesserint ; sed tantum „ declararunt usum & exercitium potestatis. „

De alio momento ibidem, ait : " His „ omnibus, quæ can. 3. 4. & 7. de appellationibus Episcoporum ad Romanum „ Pontificem renovata fuere, Arianos causam & occasionem dedisse extra dubium „ est. Quam indigne tulerint Athana-

„ sium,

„ sium, Marcellum, Asclepam, Paulum, „ aliosque sedibus suis deturbatos, per Julium absolutos, ac pristinæ sedi restitutos fuisse, ex dictis patet. Quod pendente causa Athanasii coram Julio Pontifice Romano, Eusebiani, non expectata sententia Pontificis in locum Athanasii Gregorium Cappadocem intruserint, suggerente Gaudentio Episcopo; „ additum est decretum, quod habetur „ can. 4. ne in locum damnati aliquem „ sufficere liceat, dum ille, qui ad Romanum Pontificem appellasset, ejus sententiam expectaret. „

Non desunt alia appellationum ad SS. Pontificem exempla, vel ante ipsum Concilium Nicænum: Dionysius Alexandrinus exagitatus a quibusdam qui hæreseos Sabellianæ eum insimulabant, appellavit Dionysium SS. Pontificem, qui sententia lata ejus declaravit innocentiam, ut scribit Thomassinus Differt. 4. in Concilia. Cæcilianus a Donatistis lacessitus provocavit ad SS. Pontificem, a quo ab omni erroris & culpæ nævo purgatus est. De hoc mentionem facit S. Augustinus Epist. 162. Frequentiores fuerunt 4. Sæculo provocationes ad Papam. Eusthatius Sebastes Episcopus in Concilio Melitinensi exauctoratus appellavit Liberium SS. Pontificem, ut scribit S. Basilius Epist. 47. S. Joannes Chrysostomus in Synodo ad Quercum a Theophilo Alex. injuste proscriptus provocavit ad Innocentium I. ut constat ex Epistola Honorii ad Arcadium Imperatorem, qua quidem claret Legatos ad Innocentium missos fuisse, ut Chrysostomi causam discuteret, & discussam definiret. Non omittenda provocatio Maximi Patriarchæ CP. a secundo Concilio generali ad Damasum Papam, a quo fuit, probata ejus fide integerrima, absolutus, ut liquet ex Epistola Synodica Concilii Romani sub laudato Pontifice ad Theodosium Imperatorem, quæ refertur a R. P. Sirmundo ad calcem Codicis Theodosiani.

Ex quinto Sæculo Flavianus & Theodoretus in Latrocinio Ephesino a Dioscoro damnati, ad magnum S. Leonem provocaverunt, ut constat ex Epist. 25. ejusdem S. Leonis ad Theodosium Imperatorem, & ex Epistola ipsius Theodoreti, ad istum magnum Pontificem. Eodem ævo Chelidonius appellavit utique S. Leonem. Sic scribit P. Alexander Diss. 28. 4. sæc. Ex septimo sæculo stupenda numeratur Appellatio ad Papam Macharii Patriarchæ Antiocheni a sexta Synodo generali propter Monothelismum damnati, qui & iterum in confirmationem Romæ exauctoratus fuit a Leone II. Agathonis SS. Pontificis successore. Hanc famosam appellationem commemorat Binius in notis ad illam Synodum: hanc, Constantinus Pogonatus Epist. 2. ad istam Synodum; hanc, Baronius ad annum 682. hanc & D. Abbas de Fleury Hist. Eccl. ad eumdem circiter annum.

Observes velim, jus appellationum pro Episcopis ad summum Pontificem in Concilio Sardicensi agnitum, ab ipso Concilio Nicæno celebratum esse ex duobus potissimum claret: primo quidem quia expresse habetur in canone secundo a Julio Papa inter canones Nicænos citato: Altera ratio ea est, quod Concilium Sardicense est veluti Synodi Nicænæ repetitio.

Observationes in Concilium Ariminense, Seleuciense, & Constantinopolitanum.

CONSTANTIUS Arianorum fautor Concilium generale indixit, sed ut Orthodoxos exagitaret: Occidentales Episcopos voluit adunare Arimini, quæ est Italiæ urbs in provincia Æmiliæ, Orientales vero in Isauriæ civitate Seleucia.

Primum Ariminense anno 359. coactum ex 400. circiter Patribus, inter quos juxta S. Athanasium 50. juxta vero Sulpicium 80. aderant Ariani, in primis Valens, Ursacius, Demophilus Mediolanensis Ecclesiæ invasor, pulso in exilium Dionysio. Ibi quoque aderat Vincentius Capuæ Episcopus, & summi Pontificis Legatus. Heterodoxi formulam secundam Sirmiensem subscribendam proponebant, sed Catholici in tantum fidei zelum acti sunt, ut Arianos, ne quidem exceptis supra laudatis, anathematizantes, & exauctorantes, fidem Nicænam pro Filii consubstantialitate, subscriptione, tum & definitione confirmarunt; potissimum vero Liberius qui vix ab exilio solutus, ibi per suum Legatum præfuit, suoque calculo fidem Nicænam non sine magna animi exultatione consignavit. Et ista

H 2. Con-

Concilii pars dicitur Synodus generalis approbata.

Eodem anno altera Ariminensis Synodus dicitur adunata juxta Cabassutium hic in suis de notitia Ecclesiastica observationibus in eadem urbe Ariminensi, secundum vero Theodoretum, & alios in urbe Nicæa Traciæ. Jam operæ pretium est texere istius pseudo Concilii historiam.

Quoniam vero præceperat Constantius ne Concilium dissolveretur antequam certior factus de actitatis, suo scripto quid sibi placitum Patribus indicaret, ex priori Concilio Orthodoxi pro sua parte Legatos, Ariani vero ut sibi consulerent etiam ad Imperatorem oratores miserunt. Verum factum est, ut Heterodoxi citatiore cursu primi ad Constantium in Oriente degentem accedentes, præoccupato illius animo, illum contra Catholicos ita exacerbaverunt, ut eorum Legatis sui accessum non permiserit. Neque etiam desunt qui affirment, vel ipsos Legatos Orthodoxos, tum temporis prolixitate, tum etiam abnegatis pro reditu stipendiis perterritos, tandem cessisse Arianis, & formulæ 2. Syrmiensi subscripsisse.

Sed vix ad Synodum reversi, ut ab Episcopis Catholicis in vindictam prævaricationis excommunicati sint. At Constantius de his admonitus præcepit Tauro comiti tamdiu exagitare illos Catholicos Præsules, donec purgatis, & restitutis in suam sedem Arianis ad suas deflecterent partes. Certamen diu alacri animo indefessi sustinuerunt, sed tandem miseriis & ærumnis confecti, non quidem secundæ formulæ Syrmiensi, sed alteri quæ in sensu obvio fidem consubstantialitatis complectebatur, suum addidere calculum, maxime vero cum antea expostulassent, ut Ursacius, & Valens suos ejurarent errores, & ceteri Ariani, qui adfuerant Concilio, consubstantialitatem Verbi, si non expressis terminis, saltem æquivalentibus conclamarent: quo facto, libertate donati sunt. Subnotat tamen Theodoretus plures ex illis Patribus in ultimos orbis terrarum fines exulasse, eo quod ne quidem *Homousion* omitti consenserint.

Ariani, qui blanditiis, & formula fraudulenta, quæ plures subire poterat sensus, alterum scilicet Catholicum, alterum vero Arianum, Orthodoxis Patribus illuserant, ubique prædicabant tandem aliquando, Occidentales Arianis partibus adhæsisse; illi vero ad cor redeuntes demirati sunt se incautos subscripsisse formulæ Arianæ, hoc est, quæ in sensu Arianorum poterat usurpari. Hæc colliguntur a S. Athanasio Lib. de Synodis, ex Socrate, & Sozomeno, ex Binio, Cabassutio & aliis, hinc ista Synodus reprobata est.

Synodus Seleuciensis eodem anno quo supra congregata est. Accersitus adfuit sanctus Hilarius quartò sui exilii anno, jubente Præfecto Imperatoris, data refectionis copia ut scribit Severus Sulpicius. Ibi quoque adfuere Orthodoxi Episcopi Ægypti, qui cum Hilario Nicænam fidem strenue propugnarunt. Numerantur juxta Theodoretum 150. Episcopi Orientales, juxta S. Athanasium 160. quorum alii Semiariani, & alii prorsus Ariani erant, princeps istorum extabat Acacius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus. Tanto æstu inter se digladiati sunt, ut eos in concordiam, & aliquam moderationem adducere non potuit Leonas Comes, quem Constantius Synodo præfecerat; hinc Acaciani Semiarianorum factione superati a Synodo discessere. Tunc vero Semiariani suscipientes formulam fidei a Basilio Ancyrano oblatam, & ab ipso Constantio susceptam tanta æmulatione insectati sunt Acacium, & suos, numero longe sibi impares, ut post repetitas citationes comparere renuentibus, eos omnes anathematizantes, ab illis quoque abstinuerint.

Acaciani vim vi repellere satagentes anno 360. numero circiter 50. Constantinopoli in Synodo adunati sunt, patrocinante Constantio, cujus animum sui Legati accelerantes præoccupaverant, ut refert S. Athanasius Lib. de Synodis: quique Verbum Patri dissimile in substantia affirmabant, ut scribit ille Pater, his verbis: "
„ Nomen autem substantiæ Simplicius a
„ Patribus editum, ignotum populis,
„ scandalum affert; & quod in sacris lit-
„ teris non continetur, placuit de medio
„ tolli, & omnino nullam ejus mentionem
„ fieri debere; quia sacræ litteræ nus-
„ quam substantiæ Patris & Filii memi-
„ nere. Immo nec hypostasis, sive subsisten-
„ tia de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto
„ nomi-

„ nominari debet. Similem autem Patri „ Filiumque loquuntur, & docent sa- „ cræ Scripturæ. Omnes porro hæreses, „ sive olim damnatæ, sive recens ortæ, „ contrariæ huic promulgatæ Scripturæ; „ anathema sint. „

Idem S. Athanasius ibidem de formula a Semiarianis publicata, & subscripta, sic loquitur: " Non refugimus authen- „ ticam in Encæniis Antiochiæ editam „ fidem. „

De secundo Concilio generali Constantinopoli sub Damaso Papa adversus Macedonium congregato.

SYNODUS illa auctoritate S. Damasi, patrocinante Theodosio seniore, adversus Macedonium Spiritus sancti divinitatem impugnantem, adunata est anno 381. Ibi adfuere solum Orientales: quia tamen subscripserunt fidei quæ pro divinitate Spiritus sancti in Concilio Romano sub S. Damaso conclamata fuerat, veluti œcumenicam idem summus Pontifex habet, & istius nomine celebrat. Septem tantum edidit canones, quorum solummodo primus ab Apostolica sede susceptus est, quippe qui adversus novos, & veteres Heterodoxos militet; ceteri vero, in primis quintus, plus auctoritatis in contemptum ceterorum Patriarcharum Episcopo Constantinopolitano tribuit, qui ab hoc tempore jus Patriarchæ sibi vindicavit; quod quidem Justinianus Novella 130. confirmare tentavit: Sed renitentibus semper summis Pontificibus, multis solum postea elapsis sæculis, scilicet decreto Innocentii III. præsidentis generali Lateranensi Concilio, auctoritate Pontificia concessum est illud jus, scilicet ut Patriarcha Constantinopolitanus sederet post Romanum. Ceterum juxta aliquos Episcopus Constantinopolitanus virtute canonis quinti 2. Concilii Generalis Patriarchatus dignitate donatus est. Sed juxta D. De Marcha Dissert. de Patriarchatu CP. solummodo auctoritate Concilii Chalcedonensis Patriarchæ dignitatem obtinuit, primatus vero & ordinis gradum supra alios Orientales, nonnisi ab Innocentio III. ut dictum est.

Nota Binii pag. 515. col. 1.

" HANC Synodum, *inquit*, a Damaso „ Papa confirmatam fuisse, tradit Pho- „ tius in libello de septem Synodis. Sed „ intelligendum est illud auctoritate S. „ Gregorii Lib. 6. Epist. 125. de iis dum- „ taxat, quæ ad Macedonianæ, & Eu- „ nomianæ hæreseos condemnationem fi- „ deique Nicænæ confirmationem spe- „ ctant. Canones enim hujus Synodi Ro- „ mana Ecclesia semper hactenus respuit, „ eaque tantum, quæ de fide constituta „ sunt, summa auctoritate amplexa fuit. „ Verba Gregorii hæc sunt: " Canones „ quidem Constantinopolitani Concilii „ Eudoxianos damnant; sed quis fuerit „ eorum auctor Eudoxius, minime dam- „ nant. Romana autem Ecclesia eosdem „ canones, vel gesta Synodi illius, hacte- „ nus non habet, nec accipit; in hoc „ autem eamdem Synodum accepit, quod „ est per eam contra Macedonium defi- „ nitum. „ Et supra idem auctor de eo- „ dem Concilio sermonem instituens, ait: „ Damasus Pontifex hanc Synodum in iis, „ quæ fidei sunt, approbaturus, nominat „ eam œcumenicam: quia in ea id, quod „ Occidens ac demum universa Ecclesia „ cum Romano Pontifice de Spiritus „ sancti divinitate sentiendum esse doce- „ bant, paribus votis unaque sententia „ omnes etiam Orientales ediderunt. „ Tantum enim roboris, & firmitatis „ quælibet Synodus consequi solet, quan- „ tum auctoritatis illi Apostolica sedes „ impertit. Et merito: nisi enim hoc ad- „ mittatur, nulla causa reddi poterit, cur „ quædam Concilia majoris numeri Epi- „ scoporum reprobata, minoris numeri „ confirmata fuerint. Cum itaque auctore „ Photio in libello de septem Synodis, „ Damasus non modo eam approbavit, ve- „ rum etiam œcumenicam nominet ipse, „ omnesque posteri appellârint, œcume- „ nicum fuisse dubium non est. „ Audis tantam esse in Ecclesia summi Pontificis auctoritatem, ut vel ipsa Concilia ex ejus calculo, & infallibilitatem, ne dicam & quamdam universitatem habeant, sicut Athanasius Apol. 2. dicit de Alexandrina Synodo calculo S. Sylvestri munita.

Pergit Binius, & sic de convocatione

Concilii loquitur ibidem col. 2. *Auctoritate Damasi Papæ, ac senioris Theodosii favore congregati* : " Hoc est, quod ajunt Patres „ sextæ Synodi actione 18. Theodosium, „ ac Damasum per secundam Synodum „ obstitisse Macedonio, sicut Sylvester, „ & Constantinus, congregato Nicæno „ Concilio, Ario obstiterunt. Cum itaque ex supradictis constet, primam „ Synodum a Sylvestro indictam, a Constantino promotam fuisse; concedendum est, hanc quoque secundam universalem Synodum auctoritate sedis „ Pontificiæ indictam, & auxilio Imperatoris congregatam esse. „ Baronius addit pervetustum codicem in Vaticana Bibl. aliisve quibusdam Bibliothecis extare, in quibus hæc scripta leguntur: *Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est*. Hanc Binii de indictione Synodi a S. Damaso probationem confirmatam legimus, vel in ipsa Synodica ad eumdem Pontificem Epistola apud Theodoretum Lib. 5. historiæ Ecclesiast. cap. 9. his verbis: " Postquam Synodum pro me Dei „ nutu congregantes nos etiam pro fraterna charitate erga nos vestra, tamquam membra propria per religiosissimi „ Imperatoris litteras evocastis . . . . convenerasmus apud Constantinopolim ad „ litteras a reverentia vestra, superiori „ anno post Concilium Aquilejense, ad „ religiosissimum Imperatorem Theodosium „ missas. „

Dices: Theodoretus ibidem scribit Concilium a Theodosio fuisse convocatum. Respondeo distinguendo: non excludendo Damasum, concedo: excludendo, nego. Solutio est Binii ibidem sic loquentis: " Paschasinus Legatus addit, de his esse „ regulas Ecclesiasticas, & Patrum instituta ipse Damasus Epistola sua ad „ Episcopos Illyrici testatur, decreta Synodi nullius esse momenti, cui ipse per „ se, vel per Legatos assensum non præbuisset. Confirmant id Socrates Lib. 2. „ cap. 13. Sozomenus Lib. 3. cap. 9. „

Quisnam vero præfuerit Concilio incerta res est; sic enim ibidem subdit Binius p. 515. col. 2. " Quis præsidem Concilii „ egerit aperte non constat, Imperatorem „ a Concilio abfuisse, nihilque aliud egisse „ quam quod litteras Romani Pont. ad „ Episcopos transmiserit, eosque ad Concilium invitarit, Synodales Epistolæ, „ quarum altera ad Damasum Pontificem, „ altera ad Imperatorem de rebus in Synodo „ gestis scripta est, manifeste indicant. „ Damasum Pontificem neque per se, „ neque per suos Legatos eidem præfuisse „ fatemur. Nectarius in locum Gregorii „ se ipsum abdicantis nondum suffectus „ fuerat, ut infra patebit. Itaque vel „ Gregorium Nazianz. Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, vel Meletium „ Antiochiæ eidem præsedisse oportuit. „ Timotheus enim Alexandrinus post defunctum Meletium, judiciumque fidei „ absolutum serius accessit, ut infra ex „ actis Concilii patebit. „

De Canonibus.

IN primo canone perstringuntur Hæretici, Ariani, Sabelliani, sed maxime Macedoniani. Sex alii spectant disciplinam, nec ab Ecclesia Romana suscepti sunt, quod plurimum commendat summi Pontificis auctoritatem, cum vel ipsa Concilia œcumenica ab eo intra certos quosdam limites contrahantur, nec quicquam roboris habeant quoad ea quæ ab ipso rescinduntur. In primis, ne uno quidem excepto, teste Sever. Binio, dejectus est canon quintus his verbis expressus: *Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.*

Cabassutius in Notitia Ecclesiastia sæculi quarti pag. 165. observat ad secundam Synodum generalem diversos esse in Episcopatu gradus, Episcoporum scilicet, Metropolitanorum, Primatum, & Patriarcharum. De Metropolitanis vero verba faciens, ait, quædam insignia variis adornata crucibus in signum jurisdictionis portare: " His etiam superiores erant E„ piscopi plurium simul Provinciarum Ec„ clesiasticarum juridici, a quibus indi„ cebantur plurium simul Provinciarum „ Synodi, atque majores isti Episcopi „ ampliori Provinciarum jurisdictione fun„ gentes a Græcis ἔπαρχοι, nominabantur *Eparchæ*, quorum mentio est in Chalcedo„ nen-

„ nensibus canon. 9. & 17. a Latinis autem Primates dicebantur. Supra hos ampliori jurisdictione Patriarcharum dignitas præeminebat. Zonaras ad canonem Chalcedonens. 17. Exarchos commemorat Episcopos Græcos, Cesareæ Cappadocum, & Ephesinum, & Thessalonicensem, & Corinthium, quos ideo insignia dignitatis suæ gestare dicit πολυσταυρια, sic a crucium multitudine dicta, quod quidem insigne non aliud est quam quod canone 14. octavæ Synodi ὠμοφόριον, id est, superhumerale vocatur, a Latinis autem pallium. „ Pergit ibidem: " Ad pallii Pontificii gestamen pertinet pariter istius octavæ Synodi canon 14. sancimus, ut designati ad superhumeralia gestanda, certis illa temporibus, statisque locis ea gestent, ne hujusmodi cultu per fastum & superbiam abutantur, aut quovis tempore divini officii, & quavis Ecclesiastica functione deferant. Eos etiam qui Monachi fuerint, & ad Episcopatus honorem sunt provecti, aut religiosam vestem suam habitumque monasticum servent statuimus, quod si Episcopus præter designata tempora humerale ὠμόφορον tulerit, aut Monasticam vestem abjecerit; vel corrigatur, vel deponatur. „ Quod attinet ad usum pallii, vide titulum in Decretalibus de auctoritate & usu pallii: ubi cap. 1. statuitur, intra quamlibet Provinciæ suæ Ecclesiam posse Archiepiscopum uti pallio, & cap. 3. neminem vocandum Archiepiscopum tametsi consecratum, nisi a Romano Pontifice susceperit pallium, eoque illi conferri Pastoralis officii plenitudinem. Deinde statuit cap. 4. soli Papæ licere pallio ubique uti, & cap. 6. in qualibet Provinciæ suæ Ecclesia posse Archiepiscopum, dum Missam celebrat, solemnibus diebus deferre pallium. Quod attinet ad alteram partem canonis 14. ex octava Synodo deprompti, de non abjiciendo Monastico habitu, superveniente Episcopali dignitate; confirmatum pariter fuit Lateranensis Concilii generalis sub Innocentio III. canone 16. hisce verbis: *Ut Episcopi olim regulares religionis suæ habitum retineant*. Citatur in cap. *Clerici officia*, de vita & honestate Clerici.

Ad complementum de pallio hic texere juvat verba Clementis II. Papæ, qui mittens pallium ad Joannem Salernitanum Archipræsulem eum sic adhortatur, loquens de pallio: " In quo, *inquit*, quia de vellere ovis est, intellige te ipsum Pastorem. Et quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscas, & undique circumspicias ne aliqua erret, & in morsus incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, & pristinæ societati coadunare. Quod vero ante & retro crux Domini habetur, illud Apostolicum semper docet, ante oculos tuæ mentis habere: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. „

De Concilio III. & IV. Carthaginensi.

CONCILIUM III. Carthaginense juxta Caballiutium adunatum est ann. 397. & agit de disciplina.

Concilium IV. anno 398. congregatum legitur. Nonnulli existimant Zosimum Papam per suos Legatos ei præfuisse, ut habetur in titulo canonis 17. distinct. 93. verum, inquit Binius hic, Acta Concilii Carthaginensis 6. huic sententiæ omnino repugnant. Quicquid sit, est magni ponderis, & ab Ecclesia susceptum. Baronius scribit adunatum anno 398. Canones 104. juxta Binium complectitur: " Pauci, *inquit pag.* 555. contra novas Origenistarum hæreses emergentes noviter constituti fuerunt. „ Quidam pro materia & forma Sacramentorum, multo plures pro disciplina.

De Canone 42. Concilii III. Carthaginensis.

CANON 42. hic est: *Epigonius Episcopus dixit: multis in Concilio hoc statutum est, ut plebes quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopum numquam habuerunt, non nisi cum voluntate ejus Episcopi a quo tenentur, proprios accipiant Rectores*; id est, Episcopos, &c. Ex his verbis videtur Episcopum quondam potuisse Episcopos alios proprio nutu creare, sed ista potestas nunc summo reservatur Pontifici.

Nota Cabassutii.

„ S. BASILIUM, *inquit*, legimus Cæsa-
„ ræ in Cappadocia Metropolitem, ut
„ æmulo suo Thyanæ, quæ erat in se-
„ cunda Cappodocia Metropolitæ nume-
„ ro Episcoporum prævaleret, erexisse in
„ Episcopalem Sasimorum Ecclesiam, ei-
„ que tametsi reluctantem præfecisse Gre-
„ gorium Nazianzenum: Præterea Au-
„ gustinus ut ipse de se testatur Epistola
„ 261. ad Cœlestinum Romanum Epi-
„ scopum, in suæ Diœcesis oppido Fus-
„ sala sedem novam constituit Episcopa-
„ lem, eo quod longo ab Hyppone dista-
„ ret intervallo, eique præfecit Anto-
„ nium Episcopum de consensu Primatis
„ Numidiæ, cui subjecta erat Hypponen-
„ sis Ecclesia. Nunc vero potestas hujus-
„ modi Romano Pontifici reservatur. „

De Canonibus Concilii IV. Carthaginensis.

NON est instituti operis hic omnes hujusce Concilii referre canones, sed quosdam tantum necessarios. Ergo canon 21. consecrationem Episcopi per plures alios faciendam cum manuum impositione præcipit. Sic enim habetur: " Episcopus
„ cum ordinatur, duo Episcopi ponant &
„ teneant Evangeliorum codicem su-
„ per caput & cervicem ejus, & uno
„ super eum fundente benedictionem.
„ Reliqui omnes Episcopi qui adsunt,
„ manibus suis caput ejus tangant. „

Canon III. „ Presbyter cum ordinatur,
„ Episcopo eum benedicente, &. manum
„ super caput ejus tenente, etiam om-
„ nes Presbyteri qui præsentes sunt, ma-
„ nus suas juxta manum Episcopi super
„ caput illius teneant. „

Canon IV. „ Diaconus cum ordinatur,
„ solus Episcopus qui eum benedicit, ma-
„ num super caput ejus ponat: quia non
„ ad Sacerdotium, sed ad Ministerium
„ consecratur. „

Canon V. „ Subdiaconus cum ordinatur,
„ quia manus impositionem non accipit,
„ patenam de Episcopi manu accipiat
„ vacuam, & calicem vacuum: de manu
„ vero Archidiaconi urceolum cum aqua,
„ & mantile, & manutergium. „

Canon VI. „ Acolythus cum ordinatur
„ ab Episcopo quidem doceatur qualiter
„ in officio suo agere debeat: sed ab Ar-
„ chidiacono accipiat ceroferarium cum ce-
„ reo, ut sciat se ad accedenda Eccle-
„ siæ lumina mancipare: accipiat & ur-
„ ceolum vacuum, ad suggerendum vi-
„ num in Eucharistiam sanguinis Chri-
„ sti. „

Canon VII. " Exorcista cum ordinatur,
„ accipiat de manu Episcopi libellum
„ in quo scripti sunt Exorcismi, dicente
„ sibi Episcopo: Accipe, & commenda
„ memoriæ, & habeto potestatem impo-
„ nendi manus super Energumenum sive
„ Baptizatum, sive Catechumenum. „

Canon VIII. " Lector cum ordinatur,
„ faciat de illo verbum Episcopus ad
„ plebem, indicans ejus fidem, ac vitam
„ atque ingenium. Post hæc, spectante
„ plebe, tradat ei Codicem de quo le-
„ cturus est, dicens ad eum: Accipe, &
„ esto Lector verbi Dei, habiturus, si fi-
„ deliter & utiliter adimpleveris officium,
„ partem cum eis qui verbum Dei ad-
„ ministraverint. „

Canon IX. " Ostiarius cum ordinatur,
„ postquam ab Archidiacono instructus
„ fuerit qualiter in domo Dei debeat
„ conversari, ad suggestionem Archidia-
„ coni tradat ei Episcopus claves Eccle-
„ siæ de altario, dicens: Sic age quasi
„ redditurus Deo rationem de his rebus
„ quæ his clavibus recluduntur. „

Canon X. " Psalmista, id est, Cantor,
„ potest absque scientia Episcopi, sola jus-
„ sione Presbyteri officium suscipere can-
„ tandi; dicente sibi Presbytero: Vide ut
„ quod ore cantas, corde credas; &
„ quod corde credis, operibus compro-
„ bes. „

Canon XI. " Sanctimonialis virgo cum
„ ad consecrationem sub Episcopo offer-
„ tur, in talibus vestibus applicetur,
„ qualibus semper usura est, Professioni
„ & Sanctimoniæ aptis. „

Canon XV. " Ut Episcopus vilem supel-
„ lectilem & mensam ac victum paupe-
„ rem habeat, & dignitatis suæ auctori-
„ tatem fide, ac vitæ meritis quærat. „
Quod etiam præcipit sacra Synodus Tridentina.

Canon LXXVI. " Is qui pœnitentiam
„ in infirmitate petit, si casu dum ad
„ eum Sacerdos invitatus venit, oppressus
„ in-

„ infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium „ qui audierint, & accipiat pœnitentiam. Et si continuo moriturus creditur, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit admoneatur a prædictis testibus, petitioni suæ satisfactum esse: & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos qui pœnitentiam dedit, probaverit. „

Nota Binii.

De primo Canone quo præcipitur Episcopos non esse consecrandos, nisi prævio examine præviaque fidei professione, hæc habet: „ Origenistarum, Cœlestii, aliorumque Hæreticorum, novæ, aut falsitem resuscitatæ hæreses, huic Constitutioni qua Episcopi recens ordinandi prævio examine fidem profiteri jubentur, causam dederunt: ideo quod qui ad alios docendos deliguuntur, probatæ, spectatæque scientiæ esse deberent. Hunc pristinum morem, a Clemente VIII. in Ecclesia restitutum esse, eosque qui ordinandi sunt Episcopi, una cum aliquot delectis ad hoc Cardinalibus, adhibitis simul qui in urbe sunt doctissimis Theologis, & Canonici Juris consultissimis, diligenti atque improviso examine probari; atque ita nunc non nisi bene diserto ad Episcopatum aditum patere, scribit Baronius ad ann. 398. num. 69. „

In Canonem 35. ubi Presbyteri dicuntur Episcopi Collegæ, ait: „ Africani Episcopi omnes ministerii sui consortes, quantumvis Hierarchico Ecclesiastico ordine superiores aut inferiores essent, Collegas appellare consueverunt. Cyprianus epist. 4. ad Clerum Romanum, Fabianum Pontificem Collegam nominat. Concilii Africani can. 20. 22. 31. Primates Africanæ Ecclesiæ Episcopos sibi subjectos appellant. Unde quod hic constituitur sublimiori Episcoporum potestati hierarchicæ nihil præjudicat. „

In Canonem 78. ubi hæc habentur: *Non se credant absolutos sine manus impositione*, „ ait Binius: “ Sententia canonis hæc est: „ qui ob vitæ periculum privatim a Sacerdotibus absolvuntur, nondum completa actione publicæ pœnitentiæ, ii si supervixerint, redeant ad ordinem pœnitentium, & cum illis manus impositionem suis temporibus percipiant, & nisi id fecerint, non existiment se absolutos a vinculo excommunicationis, vel a pœna temporali, quæ ipsis a Sacerdote præscripta fuerit: Hos a culpa absolutos fuisse dubitari non potest, cum Viaticum Eucharistię perceperint, quod Ecclesia numquam distribuere solet, nisi illis dumtaxat quos a culpa lethali liberos esse credit. Unde per manus impositionem Patres Concilii hoc & sequente canone 80. accipiunt illam actionem pœnitentię, quæ pœnitentibus frequenter reconciliativa manus imponebatur: quæque olim inter alios publicæ pœnitentiæ ritus, in Ecclesia frequentata fuit. „

De Concilio Alexandrino anno 399. adunato.

Cum multas, inquit Binius hic pag. 559. libri Origenis maxime Periarchon moverent in Ecclesia tragœdias, aliis illud veluti Orthodoxum ventilantibus, aliis vero e contra; jussu Anastasii Papæ adunata est Synodus Alexandriæ, ut ubi zizania disseminata fuerat, ibi quoque sicut cum majori errorum notitia, ita etiam validiori efficacia eradicaretur. Quo irrepserit modo error breviter delineat Binius: Ergo Melania nobilissima Romana quæ multa Monachorum millia tempore persecutionis, & occultarat, & suis expensis cibaverat, quæque Monasterium Hierosolymis construxerat, in quo præter 50. Virgines secum habitantes, annis circiter 27. sanctos & peregrinos Episcopos sicut fovit, sic & aluit, ea tamen occasione accidit, ut ipsa cum Rufino a ceco, sed erudito, & magni nominis viro Dydimo Alexandrino, operum Origenis nimis admiratore, ejudem erroribus imbuti fuerint, & librum Periarchon multarum heresum promptuarium tamquam magnum thesaurum non modo ipsi reciperent, verum etiam multis in locis divulgari satagerent. Sed altera mulier nomine Marcella fraudem prioris detexit; namque versio latina, in qua hær-

hæreseos venenum blandis terminis, & sensum catholicum præ se ferentibus continebatur, Architecto Rufino, Hieronymi opera discussa est, & errores notati sunt, opusque suum Hieronymus anno Christi 399. Romam misit præfatione apposita, qua cuncti patebant Origenis nævi. Igitur uno circiter a morte Origenis sæculo, scilicet, inquit Binius, anno Christi 399. qui est Anastasii secundus, Arcadii, & Honorii Imperatorum quintus, hac occasione in unum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi convenientes, Origenem, id est, Origenis libros, ejusque sectatores condemnant, atque Synodicam Epistolam ad Anastasium Romanum Pontificem, Constantinop. Præsulem, Epiphanium Cypri aliosve Episcopos ac Monachos transmiserunt: interea Theophilus per se suosque Legatos, Origenis sectatores ex Ægypto & Palæstina expulit. Expulsi Constantinopolim ad Chrysostomum venerunt: de injuriis sibi velut hominibus Catholicis, & innocentibus a Theophilo illatis, conquesti fuerunt, ejusque auxilium implorarunt. Ille benigne exceptos communione tantum peregrina, id est, orationis, non Sacramentorum dignatus, reconciliandi eos Theophilo negotium suscepit. Epiphanius Constantinopolim secutus, a Chrysostomo eos damnari, & expelli volebat. Chrysostomus e contra, qui se calumniam passos esse dicebant & speciem pietatis præ se ferebant, absque Synodo damnare & expellere non audebat. Qua de causa Epiphanius Chrysostomo infensus communionem ejus vitavit. Hæc Sozomenus, Socrates, & Palladius Origenistarum fautores. Hieronymus Epist. 67. 73. 78. Baron. anno 399. num. 36. & sequentibus.

Synopsis rerum quarto Sæculo gestarum.

PRIMO: Nomine Corepiscoporum intelliguntur Presbyteri villis præsidentes, quibus ex concessione Ecclesiæ licitum erat quatuor Minores, & Subdiaconatum conferre.

Secundo: Diaconi Cardinales primum tempore S. Sylvestri dicti sunt illi, qui binis civitatis regionibus invigilabant.

Tertio: Canon sextus Concilii Nicæni nihil a Primatu summi Pontificis detrahit, sed solum adducitur pro confirmatione Patriarchæ Alexandrini Primatus, cui parere abnuebat Meletius Metropolita superioris Thebaidis, quæ erat subdita Patriarchæ Alexandrino: hinc sensus est quod sicut Papæ ut Patriarcha est, totus subjicitur Occidens; sic & Provinciæ Lybiæ, Pentapolis & totius Ægypti erunt Episcopo Alexandrino subditæ.

Quarto: Jus Appellationum Episcoporum ad summum Pontificem celebratur quidem canon. 3. 4. & 7. Concilii Sardicensis, sed non confertur, cum sit ex jure divino, & executioni non semel mandatum ante ipsum Concilium Nicænum I. namque Dionysius Alexandrinus a quibusdam malevolis de hæresi accusatus, appellavit Dionysium Papam: Cæcilianus a Donatistis impetitus, S. Melchiadem.

Quinto: Simplex Archiepiscopus, vel etiam Episcopus poterat olim, accedente consensu Primatis, creare Episcopum pro aliquo loco. Sic S. Basilius, S. Gregorium Naz. Episcopum Sasimorum fecit & consecravit Præsulem: Sic sanctus Augustinus in oppido Fussala sedem novam constituit, & ei præfecit Antonium, ut liquet ex ejus Epistola 261. ad Cœlestinum Papam.

§. I.

De Conciliis quinti Sæculi, & actitatis in eis.

Sub Anastasio Papa.

PRIMUM occurrit Africanum II. anno 401. ubi legatio ad Venerium Mediolanensem Episcopum decreta fuit.

Eodem anno Africanum III. de Donatistis Ecclesiæ reconciliandis.

Sub Innocentio I.

MILEVITANUM I. ex universa Africa, anno 402. contra Cresconium, & Quodvultdeum Donatistas.

Quercense, anno 403. in causa Chrysostomi, & Photii.

Africanum I. generale, hoc est, ex universa Africa, eodem anno de reconciliandis Donatistis.

Africanum II. anno 404. habitum Carthagine. In eo legatio decernitur ad Honorium

rium Imperatorem contra Donatistas obstrepentes.

Africanum III. anno 405. de Disciplina.

Telenanum de causa quorumdam Episcoporum anno 406.

Africanum IV. anno 407. ad defendendam Ecclesiam adversus Donatistas, & Paganos bona Ecclesiæ dilapidantes.

Africanum V. VI. VII. anno 408. adhuc contra Donatistas.

Ptolemense in Lybia anno 411. de Disciplina.

Cirtense, anno 412. contra Donatistas, ubi adfuit S. Augustinus.

Conciliabulum Donatistarum in Africa versus eadem tempora.

Provinciale Macedoniæ, anno 414. contra Donatistas.

Diospolitanum, 14. Episcoporum, in quo Pelagius post simulatam fidei confessionem absolutus est.

Carthaginense, 38. Episcoporum, anno 416. in quo Pelagius & Celestius proscripti sunt.

Milevitanum II. 60. Præsulum, adversus eumdem Pelagium, & Cœlestium eodem quoque anno.

Sub Zosimo Papa.

AFRICANUM, anno 418. contra eosdem Hæreticos.

Teleptense, eodem anno contra Pelagianos, cujus acta desiderantur.

Sub Bonifacio I.

PROVINCIALE Carthaginense nomine sextum, ordine temporis quintum.

Sub Zosimo, Bonifacio, & Cœlestino.

DE modo prosequendæ appellationis ad Sedem Apostolicam interpositæ ab Apiario civitatis Siccæ in Numidia Presbytero, præsentibus Romanæ Sedis, aliarumque Ecclesiarum Africæ Legatis 22. eodem anno.

Sub Cœlestino Papa I.

CONCILIUM Carthaginense VII. anno 419. 38. Episcoporum eadem de causa.

Sub Cœlestino I.

CONCILIUM Africanum I.

Concilium Orientalium contra Messalianos hæreticos, anno 427.

Concilium Romanum contra Nestorium, anno 430.

Concilium Alexandrinum in causa Nestorii, eodem anno.

Concilium Ephesinum œcumenicum approbatum, 200. & amplius Episcoporum, contra hæresim Nestorianam, anno 431.

Conciliabulum Ephesinum I. eodem anno, & eodem tempore, contra sanctum Cyrillum.

Sub Sixto III.

TERTIUM Concilium Antiochenum, quo Joannes Antiochenus Nestorium condemnavit, & cum Cyrillo pacem inivit.

Concilium Romanum ab eodem ad sui expurgationem, indictum anno 433.

Concilium Armeniæ adversus errores Nestorii, anno 435.

Concilium Constantinopolitanum, in causa Primatus Alexandrini, anno 439.

Concilium Regiense, vel potius Regense, aut Regenaense in Gallia Narbonensi, 13. Episcoporum, eodem anno.

Sub Leone I. Magno cognominato.

CONCILIUM Arausicanum I. anno 441. pro Disciplina Ecclesiastica.

Concilium Vasense, anno 442. pro eadem re.

Concilium Romanum I. in causa Manichæorum, 444.

Concilium Romanum II. in causa Hilarii Arelatensis Episcopi, anno 445.

Concilium generale Hispanicum, in causa Priscillianistarum, indictum anno 447.

Concilium Constantinopolit. I. quo Eutyches Archimandrita condemnatus est, anno 448.

Concilium Tyrium in causa Ibæ Episcopi Edessæ in Syria, in quo absolutus est ab hæresi Nestoriana, eodem anno.

Concilium Berytense eodem anno & pro eadem causa.

Constantinopolitanum II. anno 449. in causa Eutychetis.

Con-

Conciliabulum Ephesinum universale reprobatum, quo 128. Episcopi eodem anno Eutychetem absolventes, hæresim ejusdem confirmarunt, & Flavianum cum quibusdam aliis Episcopis condemnarunt. Hæc Synodus dicitur latrocinium Ephesinum.

Concilium Romanum III. quo Leo Papa acta Ephesini Conciliabuli reprobavit eodem anno 449.

Concilium CP. III. anno 450. in quo Anatholius, & alii Episcopi confessionem ediderunt.

Concilium Mediolanense anno 451. ab Eusebio ad quem Leo Papa misit epistolam ad Flavianum subscribendam de incarnatione Verbi divini.

Concilium Chalcedonense Œcumenicum quartum, habitum anno eodem 451. adversus Eutychetem & Dioscorum.

Synodus Alexandrina, a Proterio Alexandrino Episcopo, in causa Eutychianorum, anno 452.

Concilium Andegavense anno 453. pro Disciplina Ecclesiastica.

Concilium Veneticum anno 453.

Concilium Constantinopolitanum contra Eutychianos & Simoniacos, anno 459.

Sub Hilario Papa.

CONCILIUM Romanum pro Disciplina Ecclesiastica, anno 465.

Sub Simplicio Papa.

CONCILIUM Teuronicum pro Disciplina Ecclesiastica, anno 482.

Sub Felice III. Papa.

CONCILIUM Romanum I. anno 483. contra Acacium Constantinopolitanum, & Petrum Fullonem.

Concilium CP. in causa Petri Fullonis Antiocheni Episcopi, eodem anno.

Concilium Romanum II. contra Acacium Constantinopolitanum, & Petrum Moggum, anno 484.

Concilium Romanum III. de lapsis Ecclesiæ Africanæ recipiendis, anno 487.

Sub Gelasio I.

CONCILIUM Romanum I. de Libris sacris, & authenticis ab apocryphis discernendis, anno 494.

Concilium Romanum II. de absolutione Miseni Legati Sedis Apostolicæ, anno 495.

Sub Symmacho.

CONCILIUM Romanum I. anno 499. de tollendo ambitu in Comitiis Pontificiis.

Concilium Romanum I. anno 500. contra Petrum Altinensem Episcopum pro Symmacho.

§. II.

Observationes in Concilia quarti Sæculi.

De Synodo ad Quercum.

Nota Binii. Pag. 292. col. 1.

THEOPHILUS Constantinopolim adsitus ut suæ fidei rationem redderet, quippe qui in suspicionem hæresum Origenis venerat, coactis quibusdam in itinere Episcopis actor simul & judex factus, cum coram quadraginta Episcopis non sine magna & prava molitione, de variis criminibus suppositiis, etiam in Majestatem Imperatoriam quibusdam commissis accusari Chrysostomum fategisset, patrocinante Imperatore, cujus exacerbaverat animum, exauctoravit: iste vero quasi miraculo in urbem reductus & in sedem restitutus: " Petit, *inquit Binius*, ab Imperatore suam causam in legitima Synodo tractari; quam Theophilus futuram timens, cum suis fugam arripuit: per litteras Imperatoris vocatus, prætexens plebis furorem, ejusque timorem, venire contempsit. Hæc ex Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Palladio, & maxime ex epistola ipsiusmet Chrysostomi ad Innocentium I. Baronius anno 433. numer. 1. usque ad 32. inclusive. "

Thomassinus Dissertat. 7. de Synodo ad Quercum, probat ibi ex professo S. Chryso-

ſostomum provocaſſe ab iniqua Synodi ad Quercum ſententia non ſolum ad Concilium œcumenicum, ſed ad Pontificem Romanum. Sic enim hanc inchoat controverſiam: „ Non calamitoſæ hujus hiſtoriæ lacinias omnes conſectari aggredior; ſed pauca meo more carpere, ex quibus invictiſſime id efficiatur, quod ad illuſtrationem priſcæ diſciplinæ conducat: nimirum cum ad Concilium œcumenicum provocabatur, perinde eſſe ac ſi ad ejus Præſidem ſeu Romanum Pontificem provocaretur: ejus muneris fuiſſe Concilium œcumenicum tunc congregare: interim dum in ſuſpenſo res erat recte, aut temere judicata ab aliis, confirmare, vel irritare. „

Hoc ipſum probat ex epiſtola S. Chryſoſtomi ad Innocentium I. ubi ait ſe Epiſcopos miſiſſe: " Qui ad charitatem veſtram currerent, omnibuſque lucide expoſitis, mature tantæ cladi remedium dari ſalubre poſtularent. „ Deinde ſubjungit Thomaſſinus: " Qui ergo ad Synodum provocarent, Chryſoſtomus eo tandem rem intelligit redire, ut per Papam Innocentium, & Occidentales Epiſcopos ei cohærentes reſtituatur ſuæ ſedi, reſciſſa latrocinalis ad Quercum Synodi ſententia. „ Audis Thomaſſinum ea qua par eſt reverentia celebrare ſummi Pontificis auctoritatem. Palladius de iſto ſcribens momento, ibidem apud Thomaſſinum ait: „ Ad hæc reſcripſit beatus Papa Innocentius communione utriuſque partis admiſſa: Theophili judicium caſſum atque irritum eſſe decrevit, dicens oportere conſlari aliam irreprehenſibilem Synodum Orientalium & Occidentalium Sacerdotum, „ &c. Succinit Sozomenus Lib. 8. cap. 26. his verbis: " Certior factus Innocentius Romanorum Epiſcopus eorum quæ adverſus Joannem acta erant, indigne tulit; atque ut ea damnavit, ita etiam œcumenicum Concilium convocare ſtuduit; ſcripſitque tum ad Joannem, tum ad Clericos Conſtantinopolitanos. „

His accedit Facundus Hermianenſis Lib. 4. capite 1. „ Qui Joannes Chryſoſtomus pro unitate ſervanda Eccleſiæ quam dilexit, maluit ſuæ cauſæ ferre jacturam; nam ſi vellet eam aſſerere ſicut erat vitæ probabilis, & facundiæ ſingularis, habens etiam magnam gratiam populi Chriſtiani, cui pro majoribus ſuis meritis erat acceptus, & defenſionem Sedis Apoſtolicæ, ſine cujus erat judicio condemnatus, facile poſſet obtinere victoriam: quæ illum etiam ſugientem eſt perſecuta poſt mortem. „

Ex his duo obſervanda veniunt. I. Summum Pontificem finire cauſas majores: nam de facto Innocentius reſtituit Chryſoſtomum ante Concilium œcumenicum. II. Eſſe in ſummi Pontificis nutu congregare, vel non congregare Concilia: nec etiam legitur œcumenicum adunatum fuiſſe pro cauſa Chryſoſtomi.

De Concilio Africano Generali, anno 403. & de Milevitano II. contra Pelagianos anno 416.

De priori ſic loquitur Binius in notis, ubi explicat pag. 592. col. 2. quo ſenſu ſit generale his verbis: „ Sic dictum, *inquit*, quod ex omnibus Africæ Provinciis legationes in eo adfuerint, nimirum ex Provincia Bizacena, Mauritania Sitifenſi, & Mauritania Cæſarienſi: ex Numidia vero Legati nequaquam mitti potuerunt, ob tumultuantes Tyrones; ut conſtat ex verbis Alypii eos excuſantis. „ Baronius num. 35.

Alia quædam Africæ Concilia paſſim vocantur modo generalia, modo etiam plenaria, tametſi minime in rigore œcumenica.

Alterum varios edidit canones, quoſdam quidem de fide adverſus Pelagianam proterviam, quoſdam vero de diſciplina non ſpernenda.

Circa fidem anathematizat in primo canone negantes primos parentes non morituros, ſive peccaſſent, ſive non: *Quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit*. Senſus canonis eſt, mortem eſſe peccati Adæ effectum. Tametſi enim homo innocens ex conditione naturæ foret mortalis, immortalitatis tamen privilegio donatus fuiſſet, juxta illud Sap. 2. 23. *Deus creavit homi-*

hominem inexterminabilem. In secundo, negantes parvulos nihil sordium ab Adamo peccatore contraxisse, nec Baptismo indigere ad reconciliationem proscribit. Similiter & in tertio negantes gratiam qua justificamur non etiam valere, ut peccata deinceps non committantur. In quarto abjicit dicentes gratiam Christi in eo solum nos adjuvare ut mandatorum intelligentia nobis aperiatur. In quinto asserentes gratiam Christi solum esse necessariam, non quidem ut possimus bonum, sed tantummodo ut illud facilius faciamus, damnat. Tum & in sexto propugnantes illud Joan. dictum: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*; dici tantum propter humilitatem, non quia vere ita est. In septimo pariter, & eodem sensu eos qui non sine ausu temerario prædicant illa Orationis Dominicæ verba: *Dimitte nobis debita nostra*; non pro seipsis recitari, sed pro aliis qui sunt in populo peccatores. In octavo propugnantes eadem verba humilitatis motivo pronuntiari.

Mitto ceteros qui disciplinam spectant. Non abs re tamen erit hic texere 17. *Placuit, ut secundum Evangelicam, & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur; quod si contempserint, ad penitentiam redigantur, in qua causa legem imperialem petendam promulgari.*

Ut paucis absolvamus quæ in variis Conciliis Africanis adversus Pelagianos pro fide constituta sunt, operæ pretium est precipuas canonum sententias auctoritate SS. Pontificum suffultas, hic recensere, ut quod de necessitate gratiæ credendum est, pro certo habeatur.

PRIMA SENTENTIA.

Quod Adam omnes homines læserit, nec quemquam nisi Christi gratia posse salvari.

Hoc ipsum dogma astruit Innocentius I. in sua ad Concilium Carthaginense epistola, his verbis: " Libero enim arbitrio " ille perversus, dum suis inconsultius " utitur bonis, cadens in prævaricatio- " nis profundum, demersus est, & nihil " quemadmodum resurgere posset, inve- " nit; suaque in æternum libertate de- " ceptus, hujus ruinæ subjacuisset oppres- " sus, nisi eum postea Christi per suam " gratiam relevasset adventus, qui per no- " væ regenerationis purificationem, præ- " teritum omne vitium, sui Baptismatis " lavacro purgavit. "

ALTERA.

Quod nemo sit bonus propriis viribus, nisi participatione ejus qui solus est bonus.

Ista quoque colligitur ex verbis Innocentii ibidem, ubi sic habet: " Nam quid " nos de eorum post hæc rectum menti- " bus æstimemus, qui sibi se putant de- " bere quod boni sunt; nec illum consi- " derant cujus quotidie gratiam conse- " quuntur, qui sine illo tantum se asse- " qui posse confidunt. " Observes in iis & similibus Patrum Africanorum sententiis unum dumtaxat prædicari, nihil in nobis esse, aut boni supernaturalis, aut illud nos citra gratiam exequi non posse: namque ibi perstringunt Pelagianos, qui vel ipsum bonum supernaturale, & quoad possibilitatem, & quoad ipsum actum, naturæ in se relictæ tribuebant.

TERTIA.

Quod nisi gratia Dei continua juvemur, insidias diaboli superare non possumus.

Idem summus Pontifex ibidem celebrat gratiæ necessitatem ad præcavenda peccata, his verbis: " Necesse est enim ut quo " auxiliante vincimus, eo iterum non " adjuvante vincamur. "

QUARTA.

Quod per Christum libero bene utamur arbitrio.

Idem Patrum Pater Epistola ad Milevitanum Concilium hoc ipsum prędicat, dicens: " Adverte tandem, o pravissima- " rum mentium perversa doctrina! " quod primum hominem ita libertas i- " psa decepit, ut dum indulgentius fræ- " nis

„ nis ejus utitur, in prævaricationem „ præsumptione conciderit; nec ex hac „ potuerit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinæ libertatis „ Christi Domini reformasset adventus.

QUINTA.

Quod omnia Sanctorum merita dona sint Dei.

ZOSIMUS in sua ad totius orbis Episcopos epistola, istam astruit veritatem, & ait: " Nos autem instinctu Dei, omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt unde nascuntur...... Sic „ accepimus dictum, ut illos qui contra „ Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. „ Quid enim tam libero fecisti arbitrio, „ quam quod humilitatis conscientiam retulisti, & tamen instinctu Dei factum „ esse fideliter sapienterque vidisti veraciter fidenterque dixisti? Ideo utique „ quia præparatur voluntas a Domino, „ & ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangat corda Fidelium: quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt: ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & „ in bonis quibusque voluntatis humanæ „ singulis motibus magis illius valere non „ dubitemus auxilium. „

SEXTA.

Quod omnis sancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo sit.

PERGIT idem Magister in eadem epistola: " Quod ergo tempus intervenit quo „ ejus non egeamus auxilio? In omnibus „ igitur actibus, caussis, cogitationibus, „ motibus, adjutor, & protector orandus „ est. „

SEPTIMA.

Quod gratia Dei non solum peccata dimittat, sed etiam adjuvet ne committantur, & præstat ut lex impleatur, non sicut ait Pelagius, facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.

Ex hoc canone liquet gratiam actualem esse necessariam ut actu bonum operemur, quod quidem adjutorium nedum peccatoribus, sed & ipsis justis ad hoc necessarium est.

OCTAVA.

Quod præter statuta Sedis Apostolicæ, omnes orationes Ecclesiæ Christi gratiam resonant, qua genus humanum ab alterna damnatione reparatur.

NONA.

Quod gratiam Dei etiam baptizandorum testatur instituta purgatio, cum Exorcismis & exsufflationibus spiritus ab eis abiguntur immundi.

DECIMA.

Quod profundiores quæstiones nec contemnendæ sint, nec penitus asserendæ.

CABASSUTIUS Notit. Conc. pag. 203. & 204. ait octava sententia PP. Africani indicant orationis utilitatem ad gratiam obtinendam: Nona indigitant spiritus immundos vi Exorcismorum in Baptismo expelli, ut in novitate vitæ ambulemus: Decima demum ostendunt, quod omissis subtilioribus controversiis standum sit SS. Pontificum, & Conciliorum decretis, ut sciamus gratia Dei nos semper tum ad malum præcavendum, tum ad bonum salutis faciendum indigere.

De Concilio sexto Carthaginensi Africano anno 418. in caussa Apiarii Siccæ civitatis in Numidia Presbyteri.

NON una est auctorum sententia circa illud Concilium: quidam triplex fuisse autumant, nonnulli duo: alterum scilicet Pro-

Provinciale, alterum generale, seu plenarium ex tota Africa, ubi aderant 207. circiter Episcopi. Alii demum unicum esse existimant, primo quidem inchoatum sub Zosimo Papa, deinde continuatum sub Bonifacio I. ejus successore, tum protractum ad Cœlestini usque tempora, in quibus Apiarii causa ultimam obtinuit metam.

Nota Binii pag. 619. col. 1.

" CAUSA habiti Concilii, hæc est, *inquit*, cum a sententia Africanorum, ad " sedem Apostolicam Presbyteris, & Episcopis appellantibus, Romani Pontifices, prout antiquitus convenerant, jure meritoque detulissent: ad prosequendam appellationem, causæ cognitionem " quandoque Episcopis Africanis delegarunt: quandoque testes transmarinos " Romam citari, atque ibidem, examinari mandarunt: frequenter etiam Legatos a latere in Africam ablegarunt, " qui militum comitatu, & Magistratuum " apparitura freti, refractarios, & repugnantes justis sententiis coercerent, " quodque juste definitum videri poterat, impleri cogerent. Africani autem " Episcopi judicium sedis Apostolicæ, " quod pro confirmandis a se latis sententiis, iisque contra impugnantes defendendis, eos frequenter implorasse ex " supra dictis constat, nequaquam subterfugientes, duos posteriores judicandi, " & prosequendi appellationum modos " tamquam inconvenientes, & nimis difficiles arguerunt. Interim Zosimus Pontifex Apiarii, & Cœlestii appellationibus deferens Faustinum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, Philippum, & Azellum Presbyteros in Africam ablegavit, " iisque quatuor mandata, sancti Concilii " Nicæni auctoritate firmata, communicavit, de quibus hæc Patres Africani in " Synodali Epistola ad Bonifacium scribunt. " *Commonitorium protulerunt legati: unum de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem. Alterum ne ad Comitatum Episcopi importune navigent. Tertium de tractandis Presbyterorum & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si a suis perperam excommunicati fuerint. Quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda corrigeret.*

Zosimus suum de appellationibus commonitorium auctoritate Canonis cujusdam Nicæni suffultum asserebat. Quibus auditis Africani in Concilio adunati Apiarium in pristinum gradum restituerunt: insuper promittentes quod per omnia obedirent decretis appellationum, modo Canon Nicænus laudatus ita definiret: hoc ipsum inter omnes spopondit S. Augustinus. Rebus sic compositis Legati Romam rediere. Tum Africani scripsere ad S. Cyrillum Alexand. & ad Atticum CP. ut ex scriniis suæ Ecclesiæ exemplaria Nicæna ad se mittere dignarentur: Interim Zosimus moritur, & Bonifacius primus illi sufficitur. Tum Patres Synodici rescripsere, ut SS. Pontificem certiorem facerent Canonem laudatum in exemplaribus Alexandrinis, & Constantinopolitanis non reperiri; verum Bonifacius appellationem ad Zosimum uti legitimam habere æquum duxit: sed Apiarius iterum relapsus etiam alternata vice, non jam a solo suo Episcopo, sed a toto Concilio exauctoratus est, quippe qui vel ipsum habuerit confitentem reum. Quo facto, nihilominus defuncto in brevi Bonifacio appellare Cœlestinum ausus est. Nihil ultra de ista causa motum legitur.

Incassum quidam auctor propugnat Ecclesiam Africanam occasione appellationis Apiarii fuisse a Romana diversam, usque ad Bonifacium II. quasi vero uno integro sæculo hoc contigisset, cum illo potissimum temporis decursu illa infinitos prope sanctos Martyres in persecutione Vvandalica habuerit, namque citra charitatem, inquit Baronius ad annum 418. & cum Ecclesia Romana unionem, nullum est Christi Martyrium.

Absit igitur dicere Africanos Præsules jus appellationum ad summum Pontificem impugnasse, cum in omnibus actibus, nihil aliud reprehendant præter modum rigidiorem quem temperari expostulant, eo quod in hoc typhum, & dedecus Ecclesiæ Africanæ pateretur: hoc ipsum claret ex aliis duobus momentis. Primo quidem, ex eo quod appellationem Cœlestii ad Zosimum illo ipso tempore ut legitimam habuerint. Secundo, ex ipsa S. Augustini Epistola ad Cœlestin. qua utique validam agno-

agnoscit appellationem Antonii Fussalensis Episcopi a sede propria ejecti, sed non a dignitate Episcopali degradati illum deprecando ne illi sedem restituat. Ita Binius hic.

De Concilio Ephesino I. Generali, & legitimo.

TRIPLEX distinguitur Concilium Ephesinum, alterum dignitate, ordine, & auctoritate primum, adunatum Imperatore Marciano, & Cœlestino primo summo Pontifice adversus Nestorium, ejusque asseclas, & Patronos: alterum adulterinum a Joanne Antiocheno adunatum in gratiam Nestorii ex 42. circiter Episcopis conflatum, quorum plurimi Pelagiano laborabant morbo: tertium vulgo secundum, Patrocinante Theodosio Augusto congregatum, ubi præerat Dioscorus Alexandriæ Patriarcha. In priore citatus iterum, atque iterum Nestorius, comparere renuens personaliter, proscriptus est; tum ejus doctrina a judicio comparativo cum Scriptura sacra, cum Symbolis, & sanctorum Patrum sententiis; residente S. Cyrillo Alexandrino ut Cœlestini Papæ Vicario, qui quidem unionem Verbi hypostaticam, seu substantialem omni argumentorum genere, deinde vero duodecim anathematismis, ita probavit sicut in libris 14. Thesauri, ut alterum diceres Angelum unionis hypostaticę præconem. Ibidem non minus clare, ac erudite adversus obstrepentes suorum anathematismorum prodiit sensus, quocirca tametsi multis impetitus calumniis a Nestorii Patronis, qui ut vim anathematismorum evacuarent, in eis Apollinaris hæreses præcontineri asserebant, attamen victor evasit, & ipsius Concilii, deinde, & Chalcedonensis ejus contra Nestorium anathematismi calculo muniti sunt.

In secundo Joannes Antiochenus Nestorii fucatæ pietatis incautus demirator, in tantum pro ejus defensione actus est zelum, sed dubio-procul non secundum scientiam, ut in eadem urbe Ephesina, vel ipso adstante Concilio legitimo, alterum non sine ausu temerario adunaverit, in quo rescissis legitimis contra Nestorium actibus, eum ab omni erroris nævo purgavit. Hujus pseudo-Synodi acta illegitima & referuntur, & proscribuntur.

Tertium, molitione Dioscori Ephesi quoque adunatum est, cui etiam adsuere optimo scopo summi Pontificis Legati: sed spes pro fide defendenda eos ipsos fefellit: ibi enim cuncta vi, & militum copia facta sunt, maxime adversus Flavianum CP. Patriarcham, qui in odium fidei, quam adversus Eutychetem propugnaverat, flagellis, & scorpionibus tamdiu cæsus est, donec morte pretiosa Martyrii palam obtineret: e contra vero Eutyches innocens, adversantibus legatis Apostolicis, conclamatus est. Coptitæ tamen, seu Jacobitæ Alexandriæ, illique Monophysitæ, sic dicti, quia unicam in Christo agnoscebant naturam, non Eutychetem Patrem habent, eo quod in Christo corpus phantasticum juxta Apollin. placitum, ut in sua declaratur sententia, prędicaret; sed potius Dioscorum, qui veram in Christo carnem confessus est. Postremum istud Concilium propter vim, & violentiam exercitam latrocinium Ephesinum ab Historiographis dicitur: hæc omnia refert Baronius, & alii.

Jam ad primum Concilium redit Oratio, quod quidem ceterorum Conciliorum subsequentium norma jure merito dici potest propter ordinem judicii comparativi quo Nestorium, & suos insectatum est.

Sex habet sessiones, seu potius tomos, uti legitur in editione Binii an. 1606. Quilibet tomus subdividitur in varia capita. Tom. 1. 32. continet. In eo affulgent variæ consultationes adversus Nestorium, ut ipse ad meliorem reduceretur frugem. Secundus, habet 7. ibi leguuntur indictæ Synodi causæ, tum dispositiones unanimes pro Nestorii ut hæretici exauctoratione. Tertius 20. complectitur, eo loci describuntur insani Orientalis Conciliabuli adversus Oecumenicam Synodum conatus, & falsæ criminationes, maxime adversus S. Cyrillum. Quartus 25. includit. In eo delineantur quæ Oecumenici Concilii Patres adversus Joannis Antiocheni Conciliabulum scripserunt, instituerunt, & decreverunt. Quintus ex 21. constat: in eo referuntur contumeliæ adversus beatum Cyrillum & Memnonem quas propellit S. Cyrillus, ibique suos prodit anathematismos. Tomus sextus ex 17.

coalescit. In eo demum consutatur hæresis Nestoriana, & Dominica explanatur Incarnatio.

In isto Concilio tria reprobantur, videlicet hæresis Nestoriana cum ipso Nestorio, qui exauctoratus est: Concilium a Joanne Antiocheno pro defensione Nestorii adunatum, & alia quæ pro eodem momento fecit: tum ipsa hæresis Pelagiana, cujus proscriptio jam data, & facta in Conciliis Africanis, iterum conclamata est.

Non omittendum Patres Ephesinos in Synodica sua ad Clerum, populumque Antiochenum Epistola, asserere Deiparam Virginem Mariam comitante Apostolo, & Evangelista sancto Joanne, Ephesum ex Judæa profectam reliquum ibi vitæ transegisse.

Incassum aliqui, & Nestorium, & Orientales ejus defensores excusare improperando Cyrillo, & Memnoni, tentant, ut Socrates qui Lib. 7. Hist. cap. 39. sic loquitur: " Nestorius meo quidem judi„cio, neque Paulum Samosatenum, ne„que Photinum immitatur, neque deni„que Dominum hominem solum esse di„cit; sed vocem dumtaxat, Deiparam, „tamquam larvam reformidans declinat, „hocque illi præ insigni ignoratione con„tigit. „ Subscribit Isidorus Pelusiota Lib. 1. Epist. 310. ubi increpat Cyrillum quasi privatas cum Nestorio inimicitias exercentem: " Multi, *inquit*, „eorum qui Ephesi coacti sunt, te tra„ducunt, ut tuas inimicitias persequen„tem, & non ea quæ Jesu Christi sunt „orthodoxe quærentem. „ His accedit Liberatus cap. 5. & 6. Breviarii, nonnihil & accedit Facundus Hermianensis Lib. 7. cap. 6. ubi sic loquitur: " Si quis au„tem dicit, quod Orientales, & aliarum „Provinciarum Episcopi, una quippe ho„rum omnium causa est, etiam in his „quæ non intelligebant, auctoritatem E„phesini Concilii sequi debuerint: ipse „quoque primum considerare debet, quod „etiam Synodus Chalcedonensis considerasse credenda est, quoniam tantis dissen„tientibus qui moniti fuerant, simul in „ipsum Concilium convenire: non tanta „illo tempore quanta nunc est ejus esse „possit auctoritas: cum nec dum etiam „judicium magnæ Chalcedonensis Synodi „firmaretur. Nam, & ipsa multum ro„boris ad auctoritatem addit antiquitas „&c. „

Dixi incassum ista replicari, maxime propter duo. Primo quidem, causa Nestorii cum omni juris solemnitate, & a judicio comparativo tum auctoris dictorum, tum Scriptorum cum Symbolis, & SS. Patrum sententiis actitata est: ipse vero Cyrillus, desiderante Concilio, suorum anathematismorum genuinos explanavit sensus. Demum Nestorius citatus comparere recusavit: Igitur nullus remanebat circa hæresim Nestorianam ambigendi locus. Secundo, opponimus auctoribus laudatis alios sicut virtute, sic & auctoritate majores: in primis sanctum Leonem, & Patres Chalcedonenses, qui, Nestorio adulari, sicut adulati sunt Socrates, & alii, vel ex ignorantia facti, vel alia de causa, nesciebant. Quid plura adjiciam? Ad summum unum tantummodo sequitur, scilicet, vel ipsam juxta Facundum hæresim Nestorianam, non omnibus ita fuisse compertam, propter auctoris sanctitatis suppositiiæ famam tempore Concilii Ephesini, sicut postea fuit 18. elapsis annis ævo Chalcedonensis, cum ejus rebellio, & schisma tunc temporis omnibus pateret, immo & ipso Deo vindice, qui permisit propter ejus in Christum, & Deiparam blasphemias, vermes ejus linguam corrodere, & absumere.

Non omittendum Symbolum impium Theodori Mopsuesteni in ea Synodo fuisse proscriptum, tametsi Ecclesia ad tempus tunc pepercit personæ, eo quod vel ipse Theodorus antequam e vita migraret, Sabellianos & quosdam alios hæreticos impugnasset, quæ postea in Quinta generali nominatim damnata est.

Sed nusquam oblivioni tradendum nomen, *Theotochos*, a Concilio salutationi Angelicæ fuisse additum, quod idem quasi sonat ac si in Symbolo fuisset consecratum. De hoc momento, sic loquitur Binius in suis ad Synodum Ephesinam notis: " Patres Concilii Ephesini cum Im„peratore, & Maximiano, recens crea„to Episcopo, Cœlestino Pontifici, tam„quam prostratæ hæreseos auctori, per „legationem deputatam plurimum gra„tulati fuerunt. Tunc salutatio Angelica, „hoc

„ hoc additamentum : *Sancta Maria Mater Dei Ora pro nobis &c*, accepisse creditur. „

De Concilio primo Arausicano anno 441.

EDIDIT 29. circiter Canones disciplinam spectantes. Primus: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placuit*. Secundus ab isto non multum dissimilis, sic statuit: *Nullus Ministrorum qui baptizandi recipit Officium, hinc Chrismate usquam debet progredi; quia inter nos placuit semel in Baptismate chrismari. De eo autem qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est. Non ut præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur Chrismatio repetita.*

Theologi Scholastici in varias abeunt sententias; propter istos Canones circa confirmationis Ministrum; quidam sensum Concilii non satis scrutantes simplicem Presbyterum ista, sed in vanum fussulti auctoritate, esse etiam absque Privilegio ordinarium confirmationis Ministrum autumant, quod tamen aperte adversatur Epist. 1. Innocentii I. Papæ ad Decentium Episcopum Eugubinum art. 3. Amalario Fortunato Episcopo Trevirensi Lib. 1 de Officiis Ecclesiasticis cap. 27. S. Thomæ, & aliis communiter. Subnotat hic Cabassutius nomine Sacerdotis, ut plurimum antiquitus intelligi Episcopum, quod non levius indicant ista Can. 2. Verba: *De eo autem qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non confirmatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur*. Quis enim ille Sacerdos nisi Episcopus? Cui jure avito competit confirmare, quique ad confirmandum accinctus est. Subnotat quoque nomine Impositionis manuum intelligi non semper ambarum, sed solum unius dumtaxat manus: ultro tamen fatendum est, Apostolos utramque imposuisse manum super confirmandos, eo quod tunc sola manuum impositio adæquata esset confirmationis materia: nunc vero principalis, est in fronte Chrismatio, quæ pollice unius tantum manus fit. Amalarius Fortunatus ait, per istam manus impositionem efformari crucem super Fideles, eadem faciei in parte, ubi Pontifex antiquæ Legis in lamina aurea sculptum gerebat Dei nomen. Igitur uno eodemque contactu in Confirmatione manus imponitur, frons Chrismate linitur, & signum crucis efformatur.

Communis sententiæ adversarii eo nituntur fundamento, ut suam defendant opinionem, quod in primo Canone habeatur: *Si desit Episcopus a Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placuit*, Hæreticos in vitæ discrimine positos, & quidem pœnitentes. Porro, inquiunt, eo loci agitur de Confirmatione, cum heretici ut plurimum haberent validum Baptisma. II. Quia in altero Canone duo potissimum leguntur pro confirmatione præbenda. Primum, quod si baptizandus: *Non Chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur*. Nomine autem Sacerdotis intelligendus venit simplex Presbyter. Tum statuti Patres hanc reddunt rationem: *Nam inter nos Chrismatis ipsius, non nisi una benedictio est*. Hinc sic concludunt, si una sit Chrismatis benedictio, cum simplex Sacerdos chrismare queat, poterit utique, & confirmare.

Respondeo, hunc sensum a Patribus Concilii esse prorsus alienum, cum hic adversetur & sententiis summorum Pontificum, & dictis Patrum, immo & ipsis secundi Canonis verbis, ubi habetur aliquem baptizatum nondum Chrismatum admonendum esse Episcopum de Chrismatione verticali omissa in Baptismo, ut primum fiat a simplici Presbytero, ne præjudicium illi fiat circa ejus Officium, & deinde confirmativa ab Episcopo exhibeatur: est igitur una Chrismatio verticalis: altera vero confirmativa: utramque indicat Canon secundus & reputat necessariam: Igitur absque negotio aperitur Concilii sensus, qui in eo potissimum consistit, ut simplex Sacerdos, vel ipso præsente Episcopo Chrismationem verticalem omissam præstet, tum postea Episcopus confirmativam, sicque Chrismatio repetitur, ita ut prior sit verticalis & cæremonialis tantum, & ad complementum Baptismi pertineat, posterior vero Sacramentalis, & confirmativa. Hoc ipsum habe-

habetur in Canone, his verbis ponderandis: *De eo autem qui in Baptismate quacumque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chrismatis ipsius, non nisi una benedictio est. Non ut prajudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur Chrismatio repetita*, Audis duplicem esse, eamque diversam Chrismationem, alteram a simplici Presbytero, alteram vero ab Episcopo præstandam: Sic explicatur ille Canon cap. *Nullus Ministrorum* 125. de consecratione distinct. 4. sic glossa ad hæc ejus Verba, *non prajudicantes* illum enodat.

Idem Concilium Canone 14. ita loquitur: *Energumeni jam baptizati si de purgatione sua curant, & se solicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnibus modis communicent, Sacramenti ipsius virtute. Vel muniendi ab incursu dæmonis quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior*. Concinit Concilium Eliberitanum Canone 37. absolute enim definit, his, qui ab immundis vexantur spiritibus, si Fideles fuerint, dandam esse communionem.

Can. 16. Arausicani habetur: *Qui palam a dæmone arrepti sunt, aliquando non assumendi ad nullum ordinem Clericatus, sed etsi aliqui jam ordinati sunt, ab imposito officio repellendi*. Idem statuit Gelasius Papa decreto 19. idem Concilium Toletanum 11. Can. 13.

Ne remaneat aliquis circa Canones Arausicanos allatos scrupulus, observare juvat. I. A diversis diversimode referri, in corpore juris quippe uno modo, in quibusdam auctoribus alio modo recensentur. II. Non idem quoque ordo servatur; primus Canon, juxta Cabassutium est solum secundus, juxta Binium e contra. III. Prior ut legitur in Binio procedit de Chrismatione verticali omissa in Baptismo, & facienda a simplici Sacerdote antequam aliquis ab Episcopo consignetur ad robur. Alter qui his verbis concipitur: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderent, si desit Episcopus, a Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placuit*; intelligendus venit, vel de Chrismatione confirmativa, vel etiam de reconciliativa, cum ea, juxta gravissimos auctores ab Episcopis solum, & iis deficientibus, ex commissione a Presbyteris cum Chrismatione & benedictione ac manuum impositione hæreticis conferretur.

De Concilio generali Chalcedonensi.

Hæc Synodus contra Eutychianos congregata est, ibique sunt confirmata priorum Conciliorum decreta adversus Arianos, sed maxime contra Nestorianos. In prima actione perlata est Dioscori causa, qui perstrictus est. Primo quidem, ex eo quod ausus fuisset Ephesi sine Apostolicæ sedis auctoritate congregare Concilium; deinde vero quia erroribus Eutychianis adhæreret, tum Actione secunda damnatus est, & ejus proscripta fuit Synodus. In eodm Concilio Theodoretus & Ibas, jubentibus Patribus, damnationi, & personæ Nestorii, & ejus Scriptorum subscripserunt. Tum Episcopi Ægyptii, compellente Concilio, suum addidere S. Leonis Epistolæ calculum, quem prima fronte subjicere renuebant.

Actione 8. lecta est Epistola Ibæ, & discussa; quia vero ad quodlibet caput sensum Catholicum dabat, œconomiæ, & indulgentiæ causa noluerunt de ea proferre judicium Patres, sed eum ut Catholicum habere ex misericordia dignati sunt. Hæc Synodus approbata est solum pro sex prioribus sessionibus.

De Concilio Arelatensi III. anno Christi. 455.

Cabassutius hic hujusce Concilii meminit, & ad annum præfatum revocat: Binius tamen illud silet. Quia vero ad istum circiter annum ille dissertationem instituit de hæresi prædestinatiana, quam ut merum commentum habet, tametsi in illo Concilio, & postea in Lugdunensi juxta saniorem, & etiam veraciorem opinionem proscribantur Prædestinatiani, operæ pretium est hic rem explicare, maxime adversus Novatores qui defendunt illam hæresim nihil aliud esse præter objectiones Massiliensium adversus sancti Augustini doctrinam, quam debellant, eo fucato innixi principio, quod putarent doctrinam sancti Præsulis de gratia libe-

liberum perimere arbitrium: de hoc momento pag. 226. num. 2. sic loquitur Cabassutius: " Qui vero Semipelagiani pro " persuaso habebant, gratiam & prædestinationem Augustinianam nequaquam " posse cum arbitrii libertate stare, sed " invehere fatalem quamdam sive ad bonum, sive ad malum necessitatem, idcirco invidiose catholicis affingebant " quædam falsissima, quasi ex Augustini " sententiis consectanea, eosque velut hæreticos, & humanæ libertatis profligatores, sub nomine prædestinatianorum. " Istorum hæresis in hoc maxime sita erat, quod gratia necessario humanam ad bonum compelleret voluntatem: Si igitur nusquam extitit ista hæresis, sed prædestinatianorum placita sint ipsa sancti Augustini doctrina, jam Novatores triumphabunt. Non est instituti operis, nunc probare omni argumentorum genere hæresim prædestinatianam quinto sæculo in Africa fuisse grassatam, cum hoc suo loco factum sit, sed inquirere enucleare quænam in particulari fuerit beati Augustini de hoc momento sententia, ne Heterodoxi in pravum sancti Doctoris opinionem detorqueant sensum; unde sit

Diatriba de mente sancti Augustini, circa hæresim prædestinatianam.

CONCLUSIO.

Hæresis prædestinatiana, ipso teste Augustino, non est Semipelagianorum commentum, ut ejus doctrinam exosam redderent.

Probatur multis momentis.

I. S. DOCTOR, quandiu vixit non conquestus est hujusmodi calumniis se a Semipelagianis fuisse impetitum, tametsi Pelagianorum, aut subtilitates, aut insulsas injurias, calumniasve semel detectas semper pro virili insectatus sit.

II. *Auctores* adversæ sententiæ propugnant, querimonias contra sancti Præsulis de gratia doctrinam, ortum habuisse a Monachis Adrumetinis, qui inter se de hoc momento non levius dissidebant, & tamen quod mirandum, immo potius stupendum, sanctus Doctor qui ad Valentini Abbatis postulatum libros ad componendam in Monasterio pacem, vel minimum non dicit Verbum de latis adversus suam doctrinam calumniis, quod dubio-procul, ut suo consuleret honori, facere nusquam omisisset: namque non semel adversus Pelagium objurgantem insurgit, dicendo: *Non dixi liberum arbitrium extinctum, sed extenuatum*. Falso quippe accusaverat Pelagius sanctum Augustinum propugnare liberum arbitrium peccato Adami deperditum.

III. *Hoc* ipsum patet ex his quæ tunc temporis inter S. Augustinum, & Monachos Adrumetinos actitata sunt. Revera quidem constat Monasterium in duas partes non sine strepitu, & magna animorum perturbatione divisum fuisse: omnes pro libertate timebant ex efficacia gratiæ ab Augustino celebrata; alii enim ex hac gratiæ energia necessitatem in actus humanos induci credebant; hinc salvando libertatem, faciebant, inquiunt auctores omni exceptione majores, sacrilegam, quatenus initium fidei ex meritis naturæ dari prædicarent: alii in transversum abeuntes, admittebant quidem gratiæ necessitatem non solum ad actus boni consummationem, verum etiam, & ad initium, sed ita necessitatem illam habebant, ut ea deficiente, scilicet gratia efficaci, inutilis evaderet correctio: hinc Præsulis sui mandata citra Dei timorem pessundabant, nec aliud, teste Augustino Lib. de Correctione & gratia, pro excusanda inobedientia dicebant, cum Dei gratia aderit, mandata servabimus. Priores igitur erant Semipelagiani, posteriores vero prædestinatianæ hæresis fuligine conspersi. Adversus illos sanctus Doctor Librum de gratia, & libero arbitrio conscripsit; contra istos vero Librum de correptione, & gratia.

IV. *Quæstionis* status ab ipso Augustino exponitur, vel in ipsis librorum titulis: prior enim inscribitur De gratia &c. In eo revincit Semipelagianos, qui ut facerent humanam voluntatem liberam, faciebant sacrilegam, & a Deo independentem: in altero perstringit rebelles & perditos homines, qui in oppositum abeuntes gratiam ita efficacem prædicabant, ut & necessitatem haberent; hinc istam absque culpa deficere contendentes, inutilem

tilem esse correptionem sic volebant, ut & de malis operibus nullam rationem in extremo Dei judicio se reddituros esse effutirent. Iis omnium argumentorum genere probat gratiam quantumvis efficacem non esse necessitantem, & ideo locum correptioni in hac præsenti vita semper adesse. Igitur ex B. Augustino liquet prædestinatianam hæresim non esse commentum, & meras Vincentianas objectiones adversus sancti Præsulis de efficacia gratiæ doctrinam.

Nunc proferre juvat sancti Doctoris testimonia, quibus & scopum suorum librorum pro illis debellandis erroribus aperit. Ergo Lib. 2. Retractationum cap. 66. sic intonat edition. Ben. " Propter „ istos, qui cum defenditur Dei gratia „ putantes negari liberum arbitrium, sic „ ipsi defendunt liberum arbitrium, ut „ negent Dei gratiam, asserentes eam „ secundum merita nostra dari, scripsi „ librum, cujus titulus est De gratia, & „ libero arbitrio; ad eos autem scripsi „ Monachos Adrumetinos, in quorum „ Monasterio de hac re cœperat esse con- „ tentio, ita ut me consulere aliqui eo- „ rum cogerentur. „ Eo loci adamussim delineatur Semipelagianorum morbus, quo nonnulli laborabant Monachi.

Rursus Epist. 1. ad Valentinum Monasterii Archimandritam num. 1. ita loquitur: " Venerunt ad nos duo juvenes, „ Cresconius, & Felix, de vestra congre- „ gatione se esse dicentes, qui nobis re- „ tulerunt, Monasterium vestrum nonnul- „ la dissensione turbatum, eo quod qui- „ dam in vobis sic gratiam prædicent, ut „ negent hominis esse liberum arbitrium, „ & quod gravius est, dicant, quod in „ die judicii non sit redditurus Deus „ unicuique secundum opera sua. „ Audis hæresim a priori prorsus diversam? nullus quippe Semipelagianorum propugnabat gratiam necessitantem, verum potius versatilem, indifferentem, & naturę pedissequam, inquiunt Hilarius, & Prosper Presbyteri sancti Augustini fidelissimi discipuli.

Demum sanctus Doctor Lib. 2. Retract. cap. ultimo reddit rationem cur Librum de correptione, & gratia composuerit: " „ Rursus, *inquit*, ad eosdem scripsi alte- „ rum librum, quem de correptione, & „ gratia prænotavi, cum mihi nuntiatum „ esset dixisse ibi quemdam, neminem „ corripiendum, si Dei præcepta non fa- „ cit, sed pro illo, ut faciat, tantum- „ modo orandum. „

His prænotatis luce meridiana clarius apparet dogmata Prędestinatianorum non esse Semipelagianorum commenta, ut beati Augustini de efficacia gratiæ doctrinam exsufflarent, sed novos errores, ex quibus Prædestinatianorum secta in Monasterio Adrumetino conflari cœpit, quod non unum probat argumentum.

Primo quidem, S. Doctor in duobus recensitis libris de duplici, eoque opposito circa efficaciam gratiæ errore loquitur.

Secundo, Valentinus in sua ad S. Augustinum Epistola, non scribit aliquid falsum & innane, scilicet posterioris sententiæ Monachos, ita gratiam necessitantem prædicasse, ut animas conturbarent, & correptionem ipsi sperneren, cum istam Semipelagiani qui faciebant gratiam a voluntate humana dependentem auscultare non desinerent.

Tertio, neque vero usquam auditum est, amicos insectatos fuisse doctorem quem uti Patrem, & Magistrum habebant; ideo enim secundæ sententiæ gratiam necessitantem prædicabant, quia esse Augustini opinionem, tametsi male autumarent; quo ausu igitur verus Augustini discipulus dicere non dubitabit dogmata istorum fuisse Semipelagianorum objectiones?

Quarto, ex eorum sententia sequeretur S. Augustinum impugnasse in duobus libris laudatis commentum saltem in Libro de correptione, & gratia, aut adversariorum Massiliensium non attigisse mentem: Ecce quibus modis Novatores, se discipulos sancti Præsulis esse gloriantes, magno decore afficiunt sanctum Doctorem, quem uti Doctorum Aquilam habet sancta Dei Ecclesia, quippe qui in describendis erroribus quibus Monachi Adrumetini detinebantur, cæcutiret.

Quinto, allucinatio Prædestinatianam abnegantium hæresim potissimum ex discussione utriusque libri laudati affulgebit; namque legenti, & attendenti patebit S. Doctorem non commentum, sed revera impugnasse & Semipelagianos, & Prædestinatianos. Aliquid de utroque libro hic texere non pigebit.

In

In Libro de gratia, & libero arbitrio S. Augustinus duo præcipue probat, videlicet necessitatem gratiæ ad omnia opera supernaturalia, ejusque cum libertate indifferentiæ consociationem, ita ut nec defendendo libertatem quibusdam gratiæ jura submoveat, nec e contra gratiam propugnando liberum adimat arbitrium, quibus quidem argumentis de medio tollitur Semipelagianismus.

Ergo sanctus Præsul cap. 2. probat ex divinis præceptis liberum inesse homini arbitrium, tum duodecim novi Testamenti, & 17. veteris auctoritatibus. Cap. 3. commemorat eos qui poterant servare mandata, sed præ cæcitate noluerunt. Cap. 4. ostendit ex Scriptura sacra gratiam ad omne bonum salutis necessariam esse. Cap. 15. docet hominem posse adimplere mandata, quia Deus dat ut possimus. Cap. 16. pergit & eamdem probat possibilitatem eo quod præparetur voluntas a Domino, hinc de peccatore loquens, ait: *Si voluerit conservabit mandata*. Cap. 17. eamdem de mandatorum Dei observantia absolvit materiam. Hæc autem non mere respondendo objectionibus Massiliensium, ut falso autumant auctores contrariæ sententiæ, sed veram Semipelagianorum hæresim debellando, scripsit, & protulit. Sanctus Doctor suam convertit orationem in Libro de correptione, & gratia ad Monachos Prædestinatianismi veneno fœdatos. Duo quoque ad hanc adimplendam provinciam peragit. Primo quidem, eorum refert objectiones, quibus vel ipsi irretiti ita gratiam extollebant, ut sub ejus dominio liberum perire arbitrium autumarent, quod certe non dicebant Semipelagiani, qui eam e contra naturæ ita pedissequam credebant, ut ejus exsufflarent ad initium fidei necessitatem, & sic vel ipso lucente sole cæcutiunt, qui istos cum prioribus in sententia confundunt. Tum vero sanctus Præsul ostendit volantatem manere liberam sub dominio gratiæ etiam efficacissimæ: demum ex his omnibus concludit correptionem esse omnibus utilem.

Jam ad capita libri veniendum est. Sanctus Præsul cap. 1. gratulatur Valentinum, quod multi ex ejus Monachis servarent cum fide pacem: alios igitur insectatur non in fide puros, quales tamen forent, si eorum dogmata non ut sua, sed veluti sancti Præsulis fętum prędicassent, ut exosam ejus redderent doctrinam. Cap. 2. delineat gratiam mediatoris ut efficacissimam, & primam hanc ad prædestinatianismum deflectentium refert objectionem: *Frustra nobis præcipitur a malo deflectere, cum nihil agamus, eo quod totum sit a gratia*. Cui difficultati respondet nos agi, & simul agere. Cap. 3. alteram hanc texit: *Orent igitur nostri superiores ut mandata faciamus, & nos non corripiant*. Cui objectioni facit satis, dicens Deum præcipere ut habeatur charitas, homines peccatores corripi, eo quod ea careant, & supplicationes faciendas esse, ut abundent. Cap. 4. sic insistit inimicus gratiæ: *Quomodo meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, a quo nisi detur, non est omnino alius unde tale ac tantum munus habeatur?* Respondet Augustinus: *Quicumque Dei præcepta, jam tibi nota non facis & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es quia corripi non vis*. Cap. 6. rursus objiciunt, illud Apost. pro gratia necessitante: *Quid habes quod non accepisti &c. Cur ergo corripimur si non facimus, quia non accepimus ut faciamus?* Respondet S. Præsul, juste corripi peccatorem: *Quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio*. Et num. 10. ait quosdam quidem carere dono perseverantiæ, sed propter peccatum actuale, & sic ultimam pro gratia necessitante instantiam petitam ex perseverantia, quæ est magnum Dei donum, solvit. Denique a cap. 9. usque ad 14. agit de dono gratiæ perseverantiæ finalis quæ movet insuperabiliter. Cap. 12. asserit libertatem, etiam sub dominio istius gratiæ intactam manere, his verbis Num. 35. *Major quippe libertas*, inquit, *est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc sanctorum Martyria docuerunt*. Audis sanctum Præsulem refellere placita prorsus opposita Semipelagianis, sed ipsissima prędestinatianorum: Audis eum arguere in quibusdam Monachis, ut eorum fœtus non hæresim phantasticam sed revera prędestinatianam, quippe qui jubeat istos in-

L 4 quie-

quietos corrigi; sic enim cap. 16. suum absolvit librum præcipiendo, ut mali corrigantur: *Omnibus, ne pereant*, inquit, *vel ne alios perdant, adhibenda nobis medicinaliter severa correptio*.

Duo replicant, sed incassum, adversæ sententiæ propugnatores. Primo quidem Monachos Adrumetinos habuisse fidem Orthodoxam, cum hoc ipsum testetur Valentinus Archimandrita in sua ad Augustinum epistola. Secundo, non nisi unum ex illis ad summum malam tenuisse de libertate sub dominio gratiæ opinionem, cum vel ipse Augustinus supra laudatus dicat accepisse quemdam inter illos male de gratia sensisse: ab uno autem non fit denominatio, ita ut prædestinatianismum in monasterio Adrumetino extitisse scribatur. Ergo &c.

Respondeo ad primum distinguendo: Et præter Catholicos aderant Heterodoxi, alii scilicet Semipelagiani, alii vero Prędestinatiani, concedo: hoc ipsum constat ex libris beati Augustini explanatis, immo, & ex Epistola Valentini: omnes de fide recte sentientes, nego. Bene quidem Præsul, bene & quidam alii cum illo, Florus fortassis, & Cresconius sentiebant; sed non sic de omnibus.

Ad alteram instantiam respondeo, ex locis beati Augustini laudatis constare, S. Doctorem modo unum, modo etiam plures gratiam necessitantem credentes arguere; cum in objectionibus multos introducat obstrepentes, qui correptionem aspernabantur: Sed dato & non concesso unicum fuisse qui de libertate humana sub dominio gratiæ pessime judicaverit, ex hoc fonte corrupto exordium duxit hæresis prædestinatiana, & ut cancer postea serpsit V. sæculo per Lucidum Presbyterum, 9. per Gotescalcum, ac demum 16. sæculo per Calvinum, & Lutherum. Jam vero quid mirum si hæresis aliqua primum ab uno ortum habeat: sic Sabelliana ab uno Sabellio ortum duxit, sic Ariana, ab uno Ario &c.

Synopsis rerum gestarum quinto Sæculo.

PRIMO: Erat quondam in more positum apud Episcopos, provocare ad summum Pontificem, ut contra hostes defenderentur. Sic S. Chrysostomus ad Innocentium I. provocavit, quo patrocinante, in propriam sedem restitutus, in eadem salvus & incolumis permansit; Theophilus vero ejus æmulus abjectus est.

Secundo: Triplex distinguendum est Concilium Ephesinum: unum generale cui S. Cyrillus Alexandrinus, nomine & vice Cœlestini Papæ I. præsidebat. In eo proscriptus est Nestorius: alterum eodem tempore adunatum à Joanne Antiocheno, in quo abjectis prioris Concilii decretis, hæreticus absolutus est. Tertium congregavit Dioscorus Patriarcha Alexandrinus qui partim vi & armis, partim pondere majoris numeri hæreticorum Præsulum Eutychetem à Concilio Chalcedonensi damnatum purgavit. Primum habetur a S. Gregorio Papa ut Evangelium honore dignum: Secundum ut vacuum, tertium ut latrocinium. In priori BB. Virgo proclamatur *Theotochos*, hoc est, *Deipara*; tum additum est in salutatione Angelica, *sancta Maria Mater Dei ora pro nobis*.

Tertio: Concilium Arelatense III. commemorat Cabassutius, not. Eccl. de Concil. pag. 225. quod quidem adunatum est in causa Theodori Episcopi Forojuliensis, ad quem extat Epistola Leonis Pontificis, 82. alias 91. qui cum jurisdictionis aliquod officium in Lirinense monasterium exequi vellet, obsistente Abbate Fausto & Monachis, cum gravissimo scandalo repulsus est: Hujus ergo ait *Cabassutius* inter Theodorum & Faustum Semi-Pelagianum conflictus occasione coactum est illud Arelatense Concilium. Et pax adjuvante Synodo composita est. Cabassutius contendit nullos umquam fuisse Prædestinatianos: qua mente id docuerit, pie ut reor, quia in statera æquitatis non satis ponderavit S. Augustini mentem, quæ clare admodum se prodit in Libro de gratia & libero arbitrio, & in altero de correptione & gratia. In priori quidem ostendit S. Doctor quibusdam Monachis Adrumetinis Semi-Pelagianis necessitatem gratiæ actualis ad bona opera, tum incohanda, tum perficienda, quibusdam aliis ejusdem Monasterii correptionem inutilem esse existimantibus, esse necessariam, & non esse credendum, ut ipsi putabant, dari prædestinationem necessitantem modo ad bonum, modo etiam

ad

ad malum, in quo dubio-procul consistit hæresis Prædestinatiana. Verbis expressis eorum refert objectiones ad propellendam correptionem S. Augustinus, & eis respondet: hinc qui negant hæresim Prædestinatianam, in scientia & notitia operum S. Præsulis hospites absolute se probant.

De Conciliis sexti Sæculi & actitatis in illis sub eodem Symmacho.

§. I.

ROMANUM III. in eadem causa Symmachi, Habitum anno 501.

Romanum IV. anno 502. palmare dictum pro confirmatione electionis Symmachi, & abrogatione Legis Regis Odoacris.

Romanum V. anno 503. contra Schismaticos.

Romanum VI. anno 504. de invasoribus rerum Ecclesiasticarum.

Concilium Byzacenum ann. 504. Africæ de subrogandis novis Episcopis, sub persecutione a Trasimundo Rege excitata.

Concilium Agathense anno 506. pro disciplina Ecclesiastica.

Concilium Aurelianense I. anno 507. de disciplina.

Concilium Epaonense anno 509. de disciplina.

Pseudo-synodus Sidonia Palæstinæ de damnando Concilio Œcumenico Chalcedonensi anno 512.

Sub Hormisda.

CONCILIUM Rhemense, de Ecclesiastica disciplina ann. 514.

Concilium veteris Epiri in causa Joannis Nicopolitani Episcopi, & Metropolitani an. 516.

Concilium Tarraconense Hispaniæ anno 517. de disciplina.

Concilium Gerundense anno 517. de disciplina.

Concilium Constantinop. ann. 517. contra veteres hæreticos.

Concilium Jerosolymitanum de restitutione Concilii Chalcedonensis &c. Eodem anno.

Concilium Tyrium eodem anno de eadem causa.

Concilium Romanum eodem anno de Achacii, & aliorum nominibus e sacris dypticis expungendis.

Concilium CP. anno 520. ab Epiphanio Episcopo collectum, ex quo legatio ad Hormisdam Papam missa fuit.

Sub Joanna I.

CONCILIUM Ilerdense anno 524. pro disciplina Eccles.

Concilium Valentinum in Hispania ann. 524. de quibusdam Ecclesiæ cæremoniis.

Concilium Arelatense IV. anno 524. de disciplina.

Sub Felice IV.

CONCILIUM Arausicanum II. an. 529. contra Pelagianos, & Massilienses.

Concilium Vasense, alias Vasionense nomine 2. reipsa vero 3. pro disciplina anno 529.

Concilium Carpentoratense anno 529. pro disciplina.

Sub Bonifacio II.

CONCILIUM Romanum I. quo Bonifacius Papa Vigilium Diaconum sibi successorem delegit, & quod idem Bonifacius paulo post reprobavit, anno 530.

Concilium Romanum II. de reprobatione successoris Bonifacii, eodem anno.

Concilium Toletanum II. anno 531. de disciplina.

Sub Joanne III.

CONCILIUM Romanum, quo contra Acæmetas definitum est catholice, & pie dici posse unum de Trinitate passum esse in carne, anno 532.

Collatio Catholicorum cum Severianis habita Constantinopoli an. 532. tempore Justiniani Imperatoris.

Concilium Africanum anno 534. pro recuperatione bonorum Ecclesiasticorum a Vvandalis dilapidatorum.

Sub Agapeto.

CONCILIUM CP. anno 536. contra Antymum, Severum, aliosque Acephalorum principes.

Con-

Concilium Jerosolymitanum eodem anno contra Severum, Petrum, & Zoaram hæreticos.

Sub Sylverio Papa.

CONCILIUM Aurelianense II. anno 536.

Sub Vigilio Papa.

CONCILIUM Aurelianense III. anno 540. pro disciplina.

Concilium Bysacenum in Africa anno 541. pro disciplina.

Concilium Arvernense eodem anno, eadem de causa.

Concilium Aurelianense IV. anno 545. pro disciplina.

Concilium CP. anno 547. de sententia Capitulorum, usque ad Concilium generale protrahenda.

Concilium Mopsuestenum contra Theodorum Episcopum Mopsuestenum an. 550.

Concilium Aurelianense V. anno 552. contra Nestorianos, & Eutychianos.

Concilium V. generale contra tria Capitula, & errores Origenis anno 553. Justiniano Imperatore.

Concilium Jerosolymitanum eodem ann. in quo Conc. V. Œcumenicum approbatur.

Pseudo synodus Aquilejensis contra V. Concilium Œcumenicum anno eodem.

Sub Pelagio I.

CONCILIUM Parisiense II. in causa Saphoraci Parisiensis Episcopi anno 555.

Sub Joanne III.

CONCILIUM Parisiense III. an. 557. de disciplina.

Concilium Braccharense I. ann. 563. contra Priscillianistas, & alios hæreticos.

Concilium Santonense an. 566. de disciplina, in quo Emerius Santonensis Episcopus a Clotario in sedem intrusus deponitur a Leontio Burdegalensi Episcopo.

Concilium apud Lucum a Theodomiro principe habitum eodem circiter anno de disciplina.

Concilium Turonense II. pro disciplina an. Christi 570.

Concilium Lugdunense I. eodem anno de disciplina.

Concilium Braccharense II. sub Ariamiro Suevorum Rege post obitum Joannis III. Papæ tempore inter-regni Pontificii celebratum an. 572. de disciplina.

Concilium Lucense II. tempore ejusdem inter-regni Pontificii eodem anno.

Sub Benedicto I.

CONCILIUM Parisiense IV. an. 576. pro disciplina, id est, pro pace quorumdam Principum componenda.

Sub Pelagio II.

CONCILIUM Parisiense V. in causa Prætextati Rothomagensis Episcopi an. 580.

Concilium Cabilonense I. in causa Sagittarii, & Salomi Episcoporum an. 582.

Concilium Matisconense I. pro reformatione morum, & contra proterviam Judæorum, eodem anno.

Concilium Brennacense in Gallia in causa Gregorii Turonensis Episcopi an. 583.

Concilium CP. anno 587. in causa Gregori Antiocheni Episcopi.

Concilium Lugdunense II. eodem anno pro disciplina.

Concilium Matisconense II. an. 588. pro reformatione.

Concilium Valentium II. Galliæ an. 589 in quo Rex Gontrandus & regina confirmarunt donationes quas motu pietatis, Ecclesiis fecerant.

Concilium Toletanum III. eodem ann. in quo Gothi in Hispania Arianismum abjurant, & Orthodoxam fidem profitentur.

Concilium Romanum eodem circiter tempore de disciplina.

Concilium Narbonense sub Reccaredo Rege Suevorum anno 589. de disciplina.

Sub Gregorio I.

CONCILIUM Hyspalense I. an. 590. pro reformatione morum.

Concilium Romanum I. anno 590. pro reunione Shismaticorum.

Concilium Autissiodorense eodem anno pro disciplina.

Concilium Cæsaraugustanum II. tempore Reccaredi regis anno 592. de disciplina.

Con-

Conciliabulum Numidiæ eodem circiter anno.

Concilium Pictaviense sub Childeberto Rege anno 593. in causa duarum Monialium obstrepentium, & universam fere Galliam commoventium adversus suam Abbatissam.

Concilium Metense in Gallia an. 594. in causa Ægidii Rhemensis Episcopi.

Concilium Rom. II. an. 595. ubi Joannes Chalcedonensis Presbyter hæreseos insimulatus, purgatus est.

Concilium Toletanum sub Reccaredo rege an. 597. pro disciplina.

Concilium Oscense eodem regnante Rege ann. 598. pro disciplina.

Concilium Constantinop. anno 599. de disciplina.

Concilium Barcinonense an. 14. regni Reccaredi, & an. Christi 599. adversus Simoniacos.

§. II.

De notis in Concilio.

Observationes ad tria priora Concilia Romana sub Symmacho.

OBSERVAT Binius circa primum, Tom. 11. pag. 284. summos Pontifices jus habuisse sibi nominare successores, modestiæ tamen, & humilitatis causa id non fecisse: " Sciendum hoc loco, neminem " Romanorum Pontificum post Petrum " Apostolum, sibi successorem aliquem " subrogasse, vel etiam subrogare tentasse: modestiæ tamen causa, observatum fuisse, ut decedentis Pontificis de " successore sententia rogaretur: quem " postea Clerus Romanæ Ecclesiæ suo " suffragio libere, vel approbare, vel rejicere poterat, si ita Ecclesiæ expedire judicaret. "

Subnotat iterum Binius in eamdem Synodum electionem Symmachi fuisse ab Arianis tentatam, qua de causa vel ipso annuente SS. Pontifice adunatum est Romæ tertia vice Concilium, in quibus Conciliis ut legitimus Pontifex agnitus est, immo & ab ipso Theodorico Rege Ariano. Idem Binius secundam, & tertiam Synodum in notis ad secundam, veluti unum habet Concilium.

Electionem Symmachi Papæ ab Arianis non semel fuisse tentatam, scribit Binius in notis ad tria Concilia Romana; quocirca ne schisma oriretur, Symmachus adunari voluit Synodum una, & altera, immo & tertia vice, ut omnibus astantibus patribus ab omnibus calumniis, quibus Heterodoxi eum insectabantur se ipsum purgaret. Ex hac Symmachi causa mota, discussa, & ad felicem metam perducta, gravis exurgit inter Theologos controversia; num scilicet summus Pontifex a Concilio judicari queat? Partem affirmativam nonnulli recentiores tenent, negativam vero multo plures omni exceptione majores: & probabilius; in primis Bellarminus Lib. 2. de summo Pont. cap. 26. Ennodius Eccles. Tyslinensis diaconus in Apol. Symmachi, Melchior Cano Lib. 5. de locis Theol. Thomasinus Dissert. 15. in Concilia, cujus liber est approbatione censoris Cancellarii & privilegio Regis munitus, quocirca ista doctrina floret & approbatur in regno.

Status quæstionis non procedit de Papa qui aperte, & sine tergiversatione in hæresim prolapsus est, neque de eo qui prorsus dubius censetur, ut contigit tempore schismatis Occidentis; tunc enim tres erant Papæ, quorum quilibet aliqua regna sub sua tenebat jurisdictione, & obedientia: Namque teste Bellarmino, Papa qui aperte in hæresim incidit, ipso facto cessat esse Christi Vicarius; tum juxta summistarum axioma: *Papa vere dubius, Papa nullus*. Igitur punctum controversiæ est de SS. Pontifice canonice electo, cujus tamen electio invidia disputatur, vel ejus exauctoratio inepte expostulatur.

Observandum est eos qui tenent summum Pontificem a nemine judicandum esse, suam piam multis momentis probare sententiam, maxime ab exemplis in historia Ecclesiastica plurimum celebratis. Primum est Marcellini, qui ut propugnat Binius in Concilium Sinuessanum, venit penitentia propter prætensam thurificationem idolis ex timore factam castigandus, & responderunt Patres, ait auctor Tom. 1. Conc. pag. 230. *Prima sedes non judicabitur a quoquam.*

Alterum est Symmachi Papæ, qui in Concilio Romano III. adesse voluit, ut a fal-

a falsis criminibus sibi ab hæreticis attributis, compellente rege Theodorico Ariano se purgaret; quod quidem Episcopi ad Synodum invitati, non nisi consentiente Symmacho perficere voluerunt. Sic enim habetur in Actibus Syn. p. 284. col. 2.: " Rex piissimus bonæ conversationis affectu, plura ad se de Papæ Symmachi „ actibus horrenda fuisse perlata, & in „ Synodi oportere, si vera esset inimico„ rum ejus objectio, judicatione constare. Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, „ ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes „ quia ejus Sedi primum Petri Apostoli „ meritum, vel Principatus, deinde secuta jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in „ Ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictæ sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, „ facile forma aliqua testaretur. „ Duo potissimum in his actibus subnotare juvat: Primum quidem pro hujusmodi causis Synodum ab ipso summo Pontifice esse convocandam: alterum vero ipsa pronuntiante Synodo, summum Pontificem ideo a Concilio non esse judicandum, quia superior summus ab inferioribus nusquam ex jure judicari potest.

Ad eamdem veritatem astruendam collimant varia Romæ adunata Concilia. Primo nobis occurrit illud in causa sancti Damasi variis insulsisque accusationibus ab Ursicino impetiti. Hæc ad Gratianum Imper. scribit Synodus Romæ: " Memoratus frater noster Damasus, „ quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus & si æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolicæ sedis excellit, „ ut judiciis publicis videantur esse subjecti: quibus Sacerdotale caput lex vestra submovit ... Quoniam non novum „ aliquid petit, sed sequitur exempla majorum; ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud „ Concilium se imperiale defendat. „ Observes duo. Primum, Synodum non posse ex jure causam capitis Supremi discutere, & definire. Secundum, notatu dignum pro more antiquitus fuisse positum, ut SS. Pontifices, quorum potestas est in ædificationem & non in destructionem, apud Imperatores a falsis sibi irrogatis criminibus se se purgarent: sic Paulus obstrepentibus adversum se Judæis appellavit Cæsarem: sic inquit laudata Synodus: " Sylvester Papa a sacrilegis accu„ satus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. „

Altera Synodus Romana ea est, quæ adunata fuit in causa Sixti III. qui se purgavit a calumnia stupri Chrysogonitis consecratæ: apud Thomas. Diss. 15. p. 511. " Sixtus sciens, quod ab ejus communione multus populus se segregaret, „ venit in Basilicam Beati Petri Apost. „ dicens, si delicta mea contra me sunt „ semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis urbana plebs clamare, ut „ dicta ejus Augustus, & Clerus urbis „ Romæ probarent examine, & congregavit Valentinianus universum Senatum „ urbis Romæ, & Sixtus congregavit „ Presbyteros urbis Romæ, & Clerum, „ nec non & Monasteria servorum Dei... „ introivit Epiphanius Presbyter, & dixit „ cum lacrymis, fiat probatio, ut Ecclesia „ non maculetur. Respondit Maximus „ Exconsul, & dixit: Non licet adversus „ Pontificem dare sententiam. Respondit „ Sixtus & dixit: Quamquam in meo arbitrio sit, judicer, an non judicer: tamen „ meo judicio non abscondatur veritas. „ Tum surrexit Augustus: " Et dedit in arbitrio Sixti Episcopi, ut judicaret judicium suum & discesserunt cum Augusto „ omnes. „ Hoc ipsum constat ex Epistola „ ipsius Sixti, ubi sic loquitur: Et facto „ Concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licet evadere satis potuissem, suspicionem tamen fugiens, „ coram omnibus me purgavi. „

Tertia: Pro eodem momento Romana Synodus congregata est sub Adriano II. qui beatæ memoriæ Nicolai I. patrocinia suscipiens sic increpat Photium, qui non sine ausu temerario anathema adversus tantum Pontificem dixerat, & quidem propter duo; nimirum quia ad hæc usque tempora illud fuerat inauditum. Tum ex eo quod non licitum sit, inconsulto summo Pontifice, adversus ipsum, Synodum adunare. Hic autem Adriani questus sess. 7. 8. Conc. Œcum. ita legitur: " Siquidem Romanum Pon-

Pontificem de omnium Ecclesiarum Præ- „ sulibus judicasse legimus: de eo vero „ quemquam judicasse non legimus . . . „ Ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum „ Antistitum cupiam de eo quamlibet fas „ fuerit proferendi sententiam: nisi e- „ jusdem primæ sedis Pontificis consen- „ sus præcessisset auctoritas. „ Porro si non sit licitum, omisso summi Pontificis consensu, aliquem Patriarcham condemnare, a fortiori, nec ipsum Papam, qui ipso teste Concilio, vetustis præeminet Patriarchis.

Insigne est quod VIII. Synodus generalis dixit, fecit, & statuit pro hujusmodi causa: namque Act. 10. increpat Photium quod Nicolaum I. cui omnis Ecclesia Orientalis communicabat, proscribere ausus fuisset, & retorto in ipsum telo, nedum pro iniqua sedis CP. usurpatione, sed & pro injuria summo Pontifici irrogata, ab eo abstinuit, illumque damnavit: eamdem repetit ejus damnationis causam in epistol. Encyclica, his verbis: " Præsumpsit Synodale imaginario judi- „ cium, deposuit inverecunde, & anathe- „ mati submisit beatum Papam Nicolaum, „ & omnes illi communicantes; neque „ Summitati ejus, neque quod magis est, „ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fi- „ nem constat, ullo modo parcens, quæ „ videlicet illi magno Pontifici procul-du- „ bio communicabat. „ Rursus ejusdem Synodi canone 21. habetur: " Sed nec „ alium quemcumque oportet conscriptio- „ nes contra SS. Papam senioris Romæ, „ & verba complicare, & componere, „ sub occasione quasi diffamatorum quo- „ rumdam criminum, quod & nuper Pho- „ tius fecit, & multo ante Dioscorus. „ Quisquis autem tanta jactantia, & au- „ dacia usus fuerit, ut secundum Pho- „ tium, vel Dioscorum in scriptis vel si- „ ne scriptis, injurias quasdam contra se- „ dem Petri Apostolorum principis mo- „ veat, æqualem, & eamdem quam illi „ condemnationem recipiat. „ Ex his constat id moris fuisse summos Pontifices se in conventu Ecclesiæ a nævis sibi impositis purgare. Sic quoque Pelagius I. Papa, cum velut mortis Vigilii SS. Pont. reus aliquibus rumoribus dilaceraretur, tenens sancta Evangelia, & crucem Domini, suam probavit innocentiam, ut in libro vitæ Pontificum refertur. Non absimili modo Leo III. coram Carolo Magno, adstantibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Gallis & Romanis nobilissimis in Ecclesia sancti Petri suam & innocentiam & majestatem tuitus est, ut scribit Anastasius in ejus vita. Sic demum Paschalis I. geminæ sedis suspicione aspersus præsentibus Legatis Ludovici Pii se ab hac calumnia coram magno Episcoporum numero jurejurando purgavit.

Observatio Binii Tom. 2. pag. 371 in Concilium Tarraconense.

De distributione bonorum Ecclesiasticorum.

" GELASIUS Papa cap. 29. Epistola ad „ Episcopos per Lucaniam, & Brutiam, „ quatuor, inquit, tam de redditu, quam „ de oblatione fidelium, prout cujuslibet „ Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum „ rationabiliter est decretum, convenit „ fieri portiones: quarum una sit Pon- „ tificis, altera Clericorum, tertia pau- „ perum, quarta fabricis applicanda „ &c. „

Observationes in Concilium Aurelianense, Epaonense, Gerundense, Arausicanum II. & CP. sub Menna.

CABASSUTIUS hic noti. Eccl. Conc. 6. sæc. pag. 249. Concilium Aurelianense an. 511. celebratum tenet. Canon primus immunitates Ecclesiasticas celebrat. Easdem quoque canon 5. Concilii Arausicani 1. & canon 21. Concili Aurelianensis V. propugnant. Astipulatur Carolus Magnus Lib. 5. Capitularium cap. 90. his verbis: " Reum, *inquit*, ad Eccle- „ siam confugientem nemo abstrahere „ audeat, neque inde damnare ad mor- „ tem, vel ad pœnam, ut honor Dei, & „ Sanctorum ejus conservetur: Sed re- „ ctores Ecclesiarum pacem, & vitam „ ac membra ejus obtinere studeant: ta- „ men legitime componat quod inique „ fecit. „ Canone 7. præcipitur ut Abbates, Presbyteri, omnesque ex Clero, tum regulares, tum sæculares extra locum proprium sine litteris Episcopi testimonialibus egredi non audeant. Immo Zosimus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ in-

injungit cunctis Episcopis Romam ex Gallia profecturis, ut formatas ab Arelatensi Episcopo accipiant. Item Concilium Carthag. III. can. 28. prohibet Africanis Episcopis trans Mare proficisci, nisi consulto primæ sedis Episcopo suæ cujusque Provinciæ, & sumpta ab ipso formata.

Concilium Epaonense prohibet, ait Binius Tom. 2. pag. 301. Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus ne canes ad venandum, & accipitres habere audeant. Canone vero 38. sic habet: *Monasteria puellarum non nisi probata vita, & ætatis provecta ad quascumque earum necessitates, vel ministrationes permittantur intrare: ad faciendas vero Missas, qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt.* Eo loci sic observat Cabassutius pag. 253. " Illis sane, & aliquot posterioribus sæ„ culis non erant Monialium Ecclesiæ „ cum populo communes, sed intra clau„ suræ septa continebantur soli earum „ usui destinatæ. Similia de prohibito „ Clericorum, aliorumque virorum ad „ Monialium septa ingressu, præterquam „ necessitatis causa, & de obligatione „ Sacerdotibus imposita egrediendi sta„ tim a Missa peracta, nec ulterius con„ sistendi in Oratorio, neque in Claustro „ renovantur in Concilio Arelatensi VI. „ can. 7. & Turonensi 3. canone 29. „

Subnotat Binius hic Tom. 2. pag. 373. ad canonem 2. & 3. Synodi Gerundensis, Litanias ex veteri traditione in Ecclesia fuisse celebratas: earum meminit Basilius Epistola 63. ad Neocæsarienses: decantabantur incessu ad sepulchra sanctorum Martyrum; hinc & processiones dicuntur in Concilio Laodicensi cap. 17. S. Hieronymus Epistola 12. ad Eustochium, & Tertullianus Lib. 2. ad uxorem de hujusmodi ad sepulchra Martyrum exitu sermonem instituunt: plurimum vero a S. Gregorio Magno celebratæ sunt litaniæ: quædam dicebantur majores, quædam vero minores: priores quidem versus Ascensionem Domini cum jejunio, & abstinentia fiebant, nunc etiam & cum abstinentia, & in Ecclesia Latina Rogationes vocantur. Posteriores in die Festivo sancti Marci quod ad nostra usque tempora perseverant.

Non omittendum ex Binio in notis ad Concilium Ilerdense ann. 524. adunatum communionem esse triplicem, ut jam non nihil subnotatum est, alteram Clericalem, alteram Laicam, tertiam Peregrinam: prior fiebat tempore Missæ, eo prope tempore quo Sacerdos consummabat propria communione sacrificium, & hoc in Sanctuario: Secunda, extra cancellos: Tertia, quæ peregrinantibus concedebatur: modo etiam Clericalis, si isti essent Clerici, modo Laica, si Laici existerent, dicebantur: quidam nomine Communionis peregrinæ eam solum intelligunt quæ extra cancellos concedebatur.

Neque etiam prætermittendum est Cabassutium Concilium Arelatense III. ann. 455. reponere, ibique sed incassum Dissertatione speciali propugnare hæresim Prædestinatianam esse commentum, ut jam diximus; e contra vero Binium, qui Arelatense II. anno 524. celebratum esse contendit, & in notis de hæresi Prædestinatiana, pag. 286. col. 2. sic ait: " Hac „ Synodo subscriptione Episcoporum ap„ probata est illa Epistola Fausti Regien„ sis, quam dedit ad Lucidum quemdam „ magni nominis Presbyterum, Præde„ stinatianorum hæresim sectantem, ut „ hominem lapsum ad Catholicam fidem „ revocaret. „

Arausicanum II. approbatum a Bonifacio II. primum ad dedicationem Basilicæ, tum ad perstringendos Semi-pelagianos congregatum est. Avitus Viennensis, & alii tredecim circiter Episcopi in præfatione hæc habent: " Cum ad dedicatio„ nem Basilicæ .... convenissemus, & „ de rebus quæ ad Ecclesiasticam regu„ lam pertinent inter nos spiritalis esset „ oborta collatio, pervenit ad nos esse „ aliquos qui de gratia, & libero arbitrio „ per simplicitatem minus caute, & non „ secundum Catholicæ fidei regulam sen„ tire velint. Unde id nobis secundum „ admonitionem, & auctoritatem sedis „ Apostolicæ justum, ac rationabile visum, „ ut pauca capitula ab Apostolica nobis „ sede transmissa... ad docendum eos qui „ aliter quam oportet sentiunt, ab omni„ bus observanda proferre, & manibus „ nostris subscribere deberemus. „

Canone 15. Patres sic perstringunt hæreticos Prædestinatianos: *Aliquos divina potestate ad malum prædestinatos esse non solum* non

non credimus; sed etiam si sint qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Demum Anthymus hæreseos Eutychianæ fuligine conspersus, proscriptus, & exauctoratus est, atque a sede CP. deturbatus, tametsi gratia Imperatricis Eudoxiæ Eutychianæ in ea fuisset collocatus, consentiente Justiniano, in Concilio Constantinopoli adunato a Papa Agapeto, qui ibi tunc erat ad componendam pacem inter Theodoricum Regem Siciliæ, & Justinianum; namque ex vicinis provinciis ad hunc effectum, ut erat in more positum, adunavit Synodum Romæ, & Constantinopoli: quia vero hujusmodi Synodi coalescebant ex Episcopis, qui tunc in aula aderant, & ex aliis vicinarum provinciarum, vocabantur Synodi populares.

Observationes in Concilium quintum generale, in Bracharense II. in Turonicum, in Matisconense I. & Toletanum III.

EUTYCHIANA hæresis, ut observat Cabassutius hic pag. 263. & sequentibus magnas movit tragœdias absoluto Concilio Chalcedonensi; mortuo enim Marciano Imperatore serpsit in pejus Alexandriæ molitione Timothei Æluri, & Petri Moggi, tum Antiochiæ auctore præsertim Petro Gnaphæo, seu Fullone, qui ad Eutychetis dogma hæresim adjunxit Theopathitarum, vocesque Trisagio addidit *qui passus est pro nobis*: demum & Constantinopoli favente Acacio. Sed & Orientem pariter exagitabat hæresis Nestoriana, quam plurimum fovebant scripta Theodori Mopsuesteni, anathematismi Theodoreti adversus Cyrillianos, & Epistola Ibæ ad Marium Persam. Ad Nestorianam, & Eutychianam Luem accessit altera calamitas ex duobus Monachis novæ Lauræ, id est, sancti Sabæ in Palæstina Monasterii, Nonno, & Leontio Byzantino. Et vero isti collectos ex libris Origenis plures nævos in omnes Orientis plagas disperserunt: quorum præcipua hæc ventilabantur, ante corpus extitisse animam in cælo, in quo varia peccata commiserit, cælum, solemque; lunam, & quę cœlis supernatant aquas esse quasdam animatas, & ratione præditas virtutes: omnium damnatorum, tum dæmonum, tum hominum tormenta finem habitura. Origenes quidem adhuc superstes ab his, & aliis erroribus se purgaverat, contendendo eos non esse propria, sed aliena manu alienoque animo conscriptos, utinam per modum fasciculi collegisset, ne a subsequentibus sæculis tamquam ejus fœtus haberentur.

Ergo quinta Synodus Generalis ad omnes istas hæreses perstringendas opera Justiniani Imperatoris adunata est: celebri legatione Vigilius tunc temporis Constantinopoli commorans adesse Concilio fuit suppliciter exoratus, sed œconomię causa timens ne aliquid adversus Concilium Chalcedonense, & ut scribit Memburgius etiam contra summi Pontificis privilegia statueretur, illuc venire renuit; ultro tamen promisit suum se additurum calculum rebus quæ sacro approbante Concilio pro Ecclesiæ dignitate decernendæ erant, ut videre est in primis duabus Concilii collationibus. Tum postea tria Capitula profligata sunt, in hæresim Eutychianam renovata sunt anathemata, demum, & proscripti fuere Origenis errores jam ante in Concilio Alexandrino sub Theophilo anathematis fulmine percussi.

Dices adversus hujusce Concilii auctoritatem. I. non fuisse auctoritate Pontificia congregatum. II. Vigilium nec per se, nec per suos Oratores ibi præsuisse. III. Nec idem approbasse nisi post diram carcerem, in qua non fine magno dedecore, ordinante Justiniano, erat ad collum alligatus, modico tantum pane, & aqua pastus, ac senio confectus. Sed & comites Vigilii ignobiliter cæsos uti vilia mancipia ad metalla damnavit Imperator, omni calamitate mactandos, ut scribunt Paulus Diaconus Lib. 3. cap. 12. & Lib. 4. cap. 4. Beda Lib. de sex mundi ætatibus: addit Liberatus in Breviario consentientes e contra trium Capitulorum damnationi fuisse muneribus ditatos, & honoribus auctos. IV. Decreta hujus Concilii Schisma in perniciem sane animarum produxerunt. Facundius Hermaniensis, Isidorus Hyspalensis, Cassiodorus, ut refert Baronius ad annum Christi 556. num. 2. & alii non pauci ea suscipere renuerunt. Ergo &c.

Respondeo I. Synodum Quintam decursu tem-

temporum, accedente Ecclesiæ consensu, susceptam fuisse, & animorum conflictationes de hoc momento tandem aliquando cessasse.

Respondeo II. ad Vigilium, distinguendo: Et Vigilius prævio maturo examine postea suum addidit calculum Concilio, concedo: & non prævio examine approbavit, nego. Non diffitemur Vigilium fuisse terrore perterritum, sed non timore cadente in virum constantem propter multa. Primo quidem, ante ipsius Concilii adunationem promiserat se subscripturum, his omnibus quæ ad fidei regulam pertinerent. II. Non levius, sed omni argumentorum genere tria Capitula in sua constitutione debellavit, quod sane argumentum est lubenti animo subscripsisse Concilio. III. Demum Romam appulsus ubi summa potiebatur tranquillitate, tametsi senio confectus, suam non retractavit sententiam.

Respondeo III. ad alia, & similia Capita etiam distinguendo: Multi errore facti detenti Synodum Quintam rejecere, concedo: sin minus, nego. Ceterum, adjuvante Pelagio, & Sancto Gregorio postea eidem Synodo consenserunt omnes Ecclesiæ, ut fusius suo loco dicetur.

Canon XVIII. Concilii Bracarensis præcipit, ut corpora defunctorum extra Ecclesiam sepelirentur: sed mos postea invaluit a Gregorio Magno etiam in Ecclesia sepultura donari, ut patet ex Lib. 2. Dialogorum cap. 23. namque Clodoveus Magnus anno 511. sepultus est in sanctorum Apostolorum a se fundata Basilica.

Canon XVII. Synodi Turonensis præcipit Monachis jejunare, maxime a Quinquagesima usque ad Pascha: a Calendis vero Januarii extabat consuetudo jejuniorum, & Litaniarum ne fideles communicarent dissolutionibus quibus Gentiles istis diebus indulgebant in honorem Jani, sicut multis in Ecclesiis sanctos cernimus celebrari conventus cum orationibus, & concionibus triduo profanorum Bacchanalium a die Dominicæ Quinquagesimæ usque ad feriam cinerum exclusive. Non omittendum pro more fuisse olim positum missam non nisi hora octava, quæ nostræ secundæ respondet, celebratam fuisse tempore Quadragesimæ, cœnam vero factam post Vesperas, hoc est, hora nostra sexta. In ceteris jejuniis Vesperæ ante cœnam non decantabantur; tunc autem cœna, hora nostra tertia fiebat.

Juxta Canonem 7. Matisconensis præcipitur, ut nullus Clericus qualibet de causa a sæculari judice injuriam patiatur: nunc autem usus invaluit in Gallia, ut Clerici ad Episcopum, Monachi vero ad Superiores remittantur, exceptis casibus in quibus perturbatur tranquillitas publica, & regia læditur majestas.

Canon septimus Concilii Toletani III. præcipit, ut mensa Clericorum, & Monachorum lectione sacra condiatur. Canon vero 23. sic habet: *Exterminanda omnino est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit, ut populi qui debent officia divina attendere, saltationibus & turpibus invigilent canticis; non solum sibi nocentes, sed & religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum & Judicum a Concilio sancto cura committatur.*

Synopsis rerum sexti Sæculi.

PRIMO: Plura Concilia declarant summum Pontificem canonice electum, maxime si vivat, a nemine judicandum esse, nisi in apertam prolaberetur hæresim, quod quidem nusquam contigit; nec, ut speramus, usquam eveniet. Hoc colligitur ex Concilio Sinuessano, in quo juxta opinionem Binii Marcellinus Papa exomologesim, propterea quod thus idolis timore persecutionis perterritus adolevisset, expostulans, responderunt Patres: *Suprema sedes a nemine judicatur*: Hoc ex tribus Conciliis Romæ habitis sub Symmacho, ubi ipse stetit non judicandus, sed ex proprio testimonio purgandus. Hoc ex alia Synodo Romana in qua Damasus SS. Pontifex ab infulsis dicteriis Ursicinii, in causa propria exauditus, innocens proclamatus est. &c.

Secundo: Concilium Epaonense prohibet Episcopis, Presbyteris & Diaconibus ne inter venandum utantur canibus & accipitribus: injungit quoque ut Sacerdotes scepta monialium pro Sacramentis ministrandis ingredientes, absoluto officii munere, absque mora exeant.

Ter-

Tertio : Concilium Gerundense, Litanias dici & processiones fieri præcipit. Binius probat hæc ortum habere ex Traditione. Tertullianus Lib. 2. ad uxorem mentionem facit de conventibus ad sepulchra martyrum.

Quarto : Concilium Arausicanum II. can. 15. ex professo & verbis claris & expressis perstringit prædestinatianos. Canon 18. Concilii Bracharensis prohibet corpora defunctorum sepultura donari in Ecclesia: Sed usus postea invaluit a Gregorio Magno hoc celebrari honore.

Quinto : Mos perantiquus erat saltem pro Monachis tempore Quadragesimæ Missam, non nisi hora secunda celebrari: Vesperas decantari versus horam quintam, commestionem vero fieri hora sexta. In aliis jejuniis vesperæ non dicebantur ante cœnam. Hæc colliguntur ex canone 17. Concilii Turonensis ann. 570. adunati.

De Conciliis septimi Sæculi, & actitatis in illis.

§. I.

Sub eodem Gregorio Magno.

CONCILIUM Romanum III. an. 601. pro Monachis.

Concilium Romanum IV. eodem anno in causa Andreæ Monachi impostoris, & falsarii.

Concilium Byzacænum an. 602. in causa Clementis Primatis Provinciæ Byzacænæ.

Concilium Numidiæ an. 604. in causa Donadei Diaconi & Paulini Regensis Episcopi Jussu S. Gregorii adunatum.

Sub Bonifacio III.

CONCILIUM Rom. ann. 606. habitum de modo eligendi Romanum Pontificem.

Sub Bonifacio IV.

CONCILIUM Rom. in causa Anglicanæ Ecclesiæ celebratum anno 610.

Concilium Toletanum eodem anno de primatu Episcopi Toletani egit.

Concilium Tarraconense an. 614. pro disciplina &c.

Sub Bonifacio V.

CONCILIUM Matisconense III. pro regula sancti Columbani, celebratum an. 617.

Concilium Hispalense II. ann. 619. pro disciplina.

Sub Honorio I.

Pseudo-Concilium a Cyro Monothelita coactum ann. 633.

Concilium Toletanum IV. eodem anno pro disciplina.

Concilium Toletanum V. an. 636. ubi Litaniæ decantandæ certo præfiguntur tempore.

Concilium Toletanum VI. an. 638. quo statutum est Infideles ab Hispaniis ejiciendos esse.

Sub Severino I.

CONCILIABULUM CP. quo per Sergium Heraclii *Ecthesis* confirmata fuit, an. 639.

Sub Joanne IV.

Concilium Romanum, quo *Ecthesis* Heraclii, & Monothelitæ damnati sunt, an. 640

Sub Theodoro.

CONCILIUM Numidiæ in Africa adversus Monothelitas, an. circiter 645.

Concilium Toletanum VII. anno 646. ubi agitur de morbis quibus Sacerdotes celebrantes corripiuntur.

Concilium Byzacenum & Carthaginense adversus Monothelitas, eodem anno.

Concilium Romanum anno 648. contra eosdem relapsos, scilicet Paulum & Pyrrhum.

Sub Martino I.

CONCILIUM Lateranense etiam contra Monothelitas, anno 649.

Concilium Aurelianense, in quo hæreticus quidam transmarinus a Salino Episcopo damnatus, anno 650. ejectus fuit.

Concilium Toletanum VIII. pro disciplina, anno 653.

Sub Vitaliano.

Concilium Toletanum IX. anno 655. pro disciplina.

Concilium Toletanum X. ann. 658. utique pro disciplina.

Concilium Olypiacense, anno 662. pro disciplina.

Concilium Cabilonense versus eadem tempora pro disciplina.

Concilium Emeritense, anno 666. pro disciplina.

Concilium Romanum in causa Lappensis Episcopi, anno 677.

Sub Adeodato.

CONCILIUM Toletanum XI. in quo Sedium Episcopalium divisio facta est, anno 675.

Concilium Bracharense III. eodem anno pro disciplina, maxime adversus Sacerdotes qui lac in sacrificio Missæ admiscere non dubitabant.

Sub Agathone.

CONCILIUM Anglicanum anno 679. ad confirmandam fidem adversus Eutychianos, & Monothelitas.

Concilium Mediolanense in causa utique Monothelitarum, eodem anno.

Concilium Romanum adversus eosdem, anno 680.

Concilium Generale VI. anno 680. & 681. contra eosdem obstrepentes.

Concilium Toletanum XII. pro rebus civilibus, anno 681.

Concilium Rothomagiense anno 682. sub Theoderico Rege Galliarum, pro disciplina.

Sub Benedicto II.

CONCILIUM Toletanum XIV. contra Eutychianos, anno 684.

Sub Joanne V.

CONCILIABULUM Gallicanum sub Theodorico Rege, anno 685.

Sub Sergio I.

CONCILIUM Toletanum XV. anno 688. pro civilibus.

Concilium Cæsaraugustanum III. anno 691. de consecratione Ecclesiarum.

Concilium Constantinopol. reprobatum Quini-sextum dictum, quo sub nomine quintæ & sextæ Synodi Œcumenicæ 103 canones editi fuerunt, anno 692.

Concilium Toletanum XVI. anno 793. pro disciplina, ubi Sigebertus Episcopus læsæ-Majestatis reus, exauctoratus est.

Concilium Toletanum XVII. ann. 694. pro disciplina.

Concilium Trajectense an. 697. ubi statutum est Missionarios ad fidem apud partes Infidelium prædicandam mitti.

Conciliabulum Aquilejense contra V. Synodum, an. 698. habitum.

§. II.

Observationes in vitam Honorii, in Concilium Lateranense sub S. Martino, in Romanum, & Quintum generale sub Agathone.

BINIUS Tom. 2. pag. 992. col. 2. in vitam Honorii hæc subnotat: " Nilus, „ *inquit*, in Lib. de primatu Romani „ Pontificis, & Centuriatores Magdebur„ genses in vita Honorii, idem senserunt, „ *scilicet de ejus condemnatione* . . . verior „ est sententia omnium fere Orthodoxo„ rum nostri temporis illa, qua Hono„ rius ab omni labe, & suspicione hæ„ reseos expurgatur. „ Audis ex Binio Honorium ne quidem in suspicionem hæreseos venisse, adeoque citra justitiam, & prudentiam damnandum. Quod quidem momentum probat ex eo quod rem de facto, scilicet duas in Christo tum operationes, tum voluntates admisisset, abstinendo solum a vocabulo, & hoc non semel œconomiæ causa factum esse commemorat notis subsequentibus, asserendo Hieronymum vocabulum trium hypostaseum in sua ad Damasum Epistola respuisse, & hoc absque fidei discrimine, cum revera tres admitteret in Deo personas. II. Quia de facto Sergius in sua ad Honorium Epistola, duas reapse in Christo admittebat, sicut sanctus Leo, operationes, & œconomiæ dumtaxat motivo reticebat vocabulum; quinimmo vel ipse Sergius in eo tantum sensu, quod non essent in Christo contrariæ voluntates, adeoque tunc temporis Sergium non habitum fuisse ut

ut Monothelitam, saltem in foro contentioso & extrinsece. Sic enim testatur sanctus Maximus in sua cum Pyrrho disputatione: „ Cum enim, *inquit*, Sergius scripsisset prædicare quosdam Christi voluntates contrarias, *inquit Secretarius ibidem*, nos rescripsimus Christum duas voluntates contrarias .... non habere. „ Subdit Binius pag. 993. col. 1. „ Eamdem expositionem confirmant verba Honorii sequentia hæc: quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa. „

Pergit Binius ibidem solvendo objectionem de damnatione Honorii, quæ reperitur in sexta Synodo: " Multum, *ait*, huic nostræ communi Orthodoxorum sententiæ præjudicaret, si non evidenter constaret acta sextæ Synodi impostura Theodori Constantinopolitani, & Monothelitæ Episcopi corrupta esse. Anastasius Bibliothecarius in compendio actionum Synodalium sextæ Synodi disertis verbis affirmat, Theodorum Constantinop. Episcopum, qui Vitalianum e sacris Dypthicis eraserat, inter Hæreticos nominatum fuisse; verum si acta ejusdem Synodi illa, quæ nunc extant, diligentissime omni ex parte lustres, nusquam Theodori, ubique fere Honorii nomen inter damnatos Monothelitas reperies. „ Tum probat hoc esse impossibile, cum Patres Synodici epistolam Agathonis in qua omnes ejus prædecessores ab omni labe puri ventilantur, ut a Spiritu sancto dictatam habeant. Postea sic concludit: „ Si Concilium œcumenicum Honorium prout asseritur, velut hæreticum condemnavit, necessarium est affirmare, illud intollerabili errore, & impudentia laborasse: ut pote quod nullo hæreseos indicio comperto, Pontificem Catholicum, & Orthodoxum condemnaverit. „

Idem supra scribit, Honorium non potuisse damnari, eo quod nomen duplicis operationis retinuerit, quin vel ipse Sophronius in eadem esset damnatione, cum in sua ad Sergium epistola quæ legitur in Conciliis Regiæ editionis consenserit abstinendum esse a vocabulo unius aut duplicis operationis, quod apud Ægytum sub Cyro movebat tragœdias.

Eamdem in notis ad Epistolas vindicat & ab hæreseos labe, & a damnatione auctoritate Joannis IV. & sancti Maximi in sua cum Pyrrho disputatione, in qua quidem cum Pyrrhus in suas traheret partes Honorium, jam convictus de Vigilii fide quem non sine mendacio Monothelismi insimulabat, ait Pyrrhus in Dialogo cum sancto Maximo apud Binium Tom. 2. pag. 1036. „ Sit ita de Vigilio. Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte antecessori meo unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi esse tradidit. *Maximus*, quis fuerit fide aut auctoritate dignus epistolæ hujus interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit, adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianę illustravit; an ii qui Constantinopoli quæ ex corde erant, loquebantur? *Pyrrhus*, qui hanc composuit. *Maximus*, is igitur ipse cum ad divum Constantinum Imperatorem ex persona rursus sancti Papæ Joannis de hac epistola scriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis & humanitatis ejus, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum quæ naturaliter humanitatem ejus signabat. „ Quibus verbis S. Abbas ostendit, Honorium non minus esse ab omni hæreseos labe purum, quam Vigilium, quem ipse agnoscebat Catholicum.

Quid plura? Concilium Lateranense Secretario quarto ait, non damnare typum Constantii Imperatoris ex eo quod abstineat a vocabulo unius, aut duplicis operationis, sed ea potissimum ratione, quod Paulus, Cyrus, & alii Monothelitæ expresse dicerent modo unam operationem, modo etiam unicam in toto Christo voluntatem, ita ut Verbum, absorpta operatione, & voluntate humana, earum fungeretur vice: Igitur ex his omnibus momentis non potuit damnari Honorius etiam ut Monothelismi fautor, cum incunctanter post S. Leonem diceret Christum operari divina, & humana inconfuse; neque enim vel ipse sanctus Leo

Magnus, nomine duplicis operationis utitur.

Binius in suis ad Concilium Romanum sub Agathone notis alternata vice nedum in fide puritatem Honorii, sed & indamnationem propugnat tribus præcipue momentis. I. Ex eo quod Agatho in sua ad Sextam Synodum generalem epistola dicat omnes prædecessores suos fuisse ab omni erroris nævo immunes, & ideo neminem cordatum posse asserere Honorium innocentem damnatum, maxime cum non ut simplex hæreseum fautor, sed ut hæreticus cum ceteris Monothelitis nominatim, & per sententiam latam scribatur damnatus, quod dubio-procul pias aures offendit. Altera ratio ejus est, quia Legati non potuerunt permittere Honorii damnationem, cum in commonitorio ea solum tractare deberent, quæ in Concilio Romano actitata fuerant, ubi quidem altum est de Honorio silentium, quum perstringuntur Monothelitæ: quod quidem argumentum positivum omne acceptione dignum, sanctum Pontificem non fuisse ullo modo damnatum probat. Tertia, eaque efficax non nisi ex deflorationе Concilii Honorium damnatum legi propugnat, cujus rei hoc prodit irrefragabile exemplum. In notis ad Conc. Rom. Tom. 3. pag. 5. quod vel ipsi Monothelitæ defloraverint Epistolam Synodicam Concilii Romani ad Sextam Synodum missam, in qua de Spiritu sancto hæc habebantur: *Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & vivificatorem, ex Patre Filioque procedentem*. Subdit Binius: „ Illi „ nomen, *Filioque*, expunxerunt. „

Eamdem adimplet Provinciam doctissimus Binius in suis observationibus ad Sextam Synodum generalem. Primo quidem alteram subnotat Concilii Sexti depravationem: commemorantur enim, inquit, centum, & tres Canones sub nomine Sextæ Synodi œcumenicæ, qui habentur ab omnibus ut commentitii: isti quippe sunt pseudo-Synodi Trullanæ, quæ falso dicitur Quini-sextum Concilium. Tum scribit Bellarminum dicere Lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11. epistolam Leonis II. in qua Honorius dicitur damnatus, esse suppositititiam, sicut & ejusdem Papæ ad Episcopos Hispaniæ scriptam propter rationes quas commemorat in suis ad easdem epistolas notis.

Tum singulas Sextæ Synodi sessiones percurrit, & liquido probat Honorium non fuisse damnatum.

In prima sessione Legati Apostolici causam indictionis Concilii aperuerunt. In secunda Macharius de mendacio convictus est; ibi enim lecta est epistola S. Leonis ad Flavianum, in qua duæ naturæ in Christo incommixte prædicabantur. In tertia, epistolæ Vigilii ad Mennam, & vicissim Mennæ ad Vigilium supposititiæ declaratæ sunt, sicut & deflorati a Monothelitis tres quaterniones priores Quinti Concilii generalis, unanimi voce conclamati sunt. In quarta, duæ epistolæ, altera Agathonis ad Concilium, in qua omnes ejus prædecessores in fide incorrupti declarantur; altera Concilii Romani, lectæ, & approbatæ sunt. Actione quinta, Macharius quosdam produxit codices in quibus una operatio in dispensatione incarnati Verbi prædicabatur. Actione sexta suam ulterioribus testimoniis probare sententiam conatur. Actione septima, Legati in contrarium omni argumentorum genere probant duas esse in Christo operationes. Subdit Binius pag. 96. Post hanc actionem die 13. Februarii rursum 14. die ejusdem mensis: „ Sequenti die in „ eodem Secretario, residente Synodo una „ cum Principe, Synodica sanctissimi Aga„ thonis relecta est, &c. quæ cum in actis „ Synodalibus desideretur, credaturque „ data opera a Theodoro CP. Episcopo „ ablata, ne inde hæreticus esse proba„ retur, certissimo argumento constat acta „ hujus Concilii mutila esse, quæ alibi eo„ rumdem Hereticorum corruptela vitiata, „ & depravata fuerunt. „ In octava rursum probatum est diversis Patrum auctoritatibus duas esse in Christo operationes: & cooperante Georgio CP. nomen Vitalliani Papæ e sacris Dypthicis opera Theodori excisum, restitutum est: tum Macharius loca Patrum, maxime sancti Dionysii deflorasse convictus est. Actione nona collatione iterum facta omnium exemplariorum, alternata vice, & Macharius, & Stephanus Monachus ejus discipulus manifeste convicti sunt de eadem defloratione. Actione decima publicata est collatio locorum defloratorum. Undecima demum Ma-

Macharius cum suis ex lata sententia proscriptus est.

Pergit Binius act. 12. rursum lectæ sunt Epistolæ suppostitiæ Vigilii ad Mennam, & vicissim, item & duæ Epistolæ Honorii quæ proscriptæ leguntur, maxime actione 13. Sed hoc falsissimum esse variis probat argumentis Binius hic pag. 97. col. 1. Ratio prima hæc est: " „ Quod non potuerit damnare Honorium „ Concilium nisi cum Agathonis Epistola „ pugnaret, sibique ipsi contradiceret. „ Rursus: " Secunda ratio qua idem firmissime confirmatur, hæc est: quod „ nisi concedatur acta Synodalia in iis quę „ causam Honorii concernunt corrupta, „ & depravata fuisse, oportet fateri uni„ versam Synodum sanctissimam intolle„ rabilis erroris, impudentiæ, & injusti„ tiæ notam indelebilem incurrisse. In„ tollerabilis error foret si unam atque „ alteram Epistolam Honorii, ducenti „ octoginta novem Patres non intellexis„ sent, quave intentione scripta fuisset ex „ circumstantiis temporis, loci, ac per„ sonarum non advertissent. „ Tertiam subjicit rationem, quia Legati præsentes hanc sustinere damnationem haud potuissent, cum ultra commonitorium aliquid ferre, fieri, aut definiri non poterant.

Non abs re erit ad majorem Sextæ Synodi evidentiam observare quæ Anastasius Bibliothecarius in Præfatione historiæ ad sextum Concilium Generale, dicit: " Si „ igitur Græci percepta occasione cele„ bratorum universalium Conciliorum fre„ quenter egisse clarescunt; & nunc mi„ nuendo, nunc addendo, vel mutando, „ nunc in absentia sociorum, nunc in „ abscondito angulorum, nunc extra Syn„ odum, nunc post Synodum astutia „ sua, immo fraude communibus sanctio„ nibus abutuntur, & ad suos libitus „ cuncta quæ sibi visa fuerint, etiam vio„ lenter inflectunt. „

Synopsis gestorum septimi Sæculi.

BINIUS in suis ad Concilium Lateranense sub S. Martino I. Romanum sub Agathone, sextum generale sub eodem notis, probat ineluctabilibus argumentis Honorium Papam in Concilio CP. non fuisse damnatum.

Primo, quia cum ejus ad Sergium Epistolæ sint admodum Catholicæ, non sine temeritate, & pro ipsis Patribus Synodicis dedecore, quasi genuinum non intellexissent sensum, proscriptus fuisset sine causa sanctus & innocens Pontifex.

Secundo, quod ex desloratione actuum Concilii dicatur damnatus multa evincunt, sed maxime duo: videlicet quia non ut fautor sed promiscue ut hæreticus indiscriminatim, & hoc per sententiam latam legatur anathematizatus, quod quidem pias offendit aures, & in sanctum Concilium ubi præsidebat Spiritus sanctus, non potest cadere: Altera ratio ea est, quod Theodorus Constantinopolitanus e Sede Patriarchali propter Monothelismum deturbatus, inter damnatos sileatur.

Tertio: S. Maximus ita probavit in Dialogo cum Pyrrho Honorium non fuisse damnatum, ut non habuerit in ore redargutiones ille hæreticus. Et vero si ita fuisset, & Macharius, & ejus discipulus a judicio comparativo in Concilio generali damnatus citassent Honorium, ut ejus exemplo declinarent Ecclesiæ anathemata, quod tamen nullus fecit in Concilio. Hæc si maturo examine ponderarentur, nullus est, nisi lubenti animo cæcutire velit, qui partes tanti Pontificis desendendas non suscipiat. Revera quidem inter doctissimos sunt, qui tenent Honorium damnatum, & solum ex timore aliquid ab auctoritate Concilii detrahendi hoc faciunt, quasi vero non constet ex Binio ipsam Synodum illam generalem in multis fuisse desloratam, & idem Concilium declarasse quintam generalem Synodum in variis quaternionibus depravatam; inter vero scholæ gregales illi solum adversantur Honorio, qui ab ipsis argumentis pro defensione superati proprio fragilitatis abrepti pondere, blasphemant quod fortassis ignorare volunt. Ultro tamen fatemur quæstionem in utramque partem posse tractari, sed appello viros eruditos, & ad eorum subtilem provoco mentem: Si omni præoccupatione deposita negotium ad apices juris rimetur, bona fide fatebuntur, manifestam implicare contradictionem propugnare Honorium damnatum: Nam si proscriptus, necesse est ut propugnent anathematizatum ut hereticū, quod dubio-procul nemo

præter Heterodoxos centuriatores Magdeburgenses dixerit.

De Conciliis octavi Sæculi, & actitatis in eis.

Sub Joanne VI.

CONCILIUM Toletanum XVIII. anno 701. pro disciplina.

Sub Joanne VII.

CONCILIUM Romanum anno 705. ad confirmandam Sextam Synodum, adunatum.

Concilium Anglicanum eodem anno pro restitutione sancti Vvilfridi.

Sub Constantino.

CONCILIABULUM CP. sub Joanne Episcopo Monothelita, ann. 712. ad perstringendum sextum Concilium generale, tunc temporis adunatum.

Concilium Londinense pro sanctis imaginibus, versus illa tempora.

Sub Gregorio II.

CONCILIUM Romanum I. contra illicita connubia, habitum anno 721.

Concilium Romanum II. anno 724. in causa S. Corbiniani Frisengensium Episcopi.

Concilium Rom. III. adversus Iconomachos, ann. 726.

Sub Gregorio II.

CONCILIUM Rom. I. in causa Gregorii Presbyteri Legati Sedis Apostolicæ, congregatum anno 731.

Concilium Rom. II. pro cultu sanctarum imaginum, ann. 732.

Sub Zacharia I.

CONCILIUM Ratisbonæ, seu Augustæ Vvindelicorum auctoritate S. Bonifacii, habitum anno 742.

Concilium Liptinense ab eodem Sancto habitum anno 743. quo quædam bona Ecclesiastica Principi conceduntur ad defendendam Ecclesiam.

Concilium Romanum I. pro disciplina, anno eodem.

Concilium Suessionense anno 744. ad extirpandas hæreses.

Concilium Germanicum a S. Bonifacio, anno 745. congregatum, in quo Aldeberto & Clemente damnatis, & Servilio deposito ob homicidium, S. Bonifacius inauguratus est primus Archiepiscopus Moguntinus.

Concilium Romanum II. eodem anno, adversus eosdem.

Sub Stephano III.

CONCILIABULUM Constantinopol. 338. Episcoporum a Constantino Copronymo contra cultum sanctarum imaginum, habitum ann. 754.

Concilium in Palatio Vernis sub Pippino Rege Francorum, anno 756. pro disciplina.

Sub Paulo I.

CONCILIABULUM Germaniæ, in quo Othmarus Abbas Monasterii sancti Galli ob crimen impudicitiæ injuste damnatus est ann. 759.

Concilium Romanum in causa immunitatis Ecclesiasticæ, ann. 761.

Concilium Gentiliacense de cultu sanctarum imaginum, & SS. Trinitate, in Gallia habitum ann. 766.

Sub Stephano IV.

CONCILIUM Romanum de electione Pontificis, & cultu sanctarum imaginum, anno 769.

Concilium Vvormatiense tempore Caroli Magni ann. 770.

Sub Adriano I.

CONCILIUM Vvormatiense II. ann. 772. de disciplina.

Eodem anno Bavaricum pro disciplina.

Concilium in Duria habitum sub Carolo Magno, anno 775. pro disciplina.

Concilium Vvormatiense III. anno 776. pro disciplina.

Concilium Paderbonense ann. 777. ad Saxonum fidem stabiliendam.

Con-

Concilium in Villa Dulia ann. 779. pro disciplina.

Concilium Lippiense de Sedibus Episcopalibus in Saxonia erigendis, ann. 780.

Concilium Coloniense anno 782. pro disciplina.

Concilium Paderbonense II. anno 786. pro disciplina.

Concilium Nicænum II. universale adversus Iconoclastas, ann. 787.

Concilium Forojuliense in causa Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi, anno 791.

Concilium Ratisbonense contra Felicem Urgelitanum Episcopum, ann. 792.

Concilium Francofurtense adversus eumdem Felicem & Elipandum, ann. 794.

Sub Leone III.

CONCILIUM Romanum, in causa Leonis Papæ, qui se a confictis criminibus, in præsentia Caroli Magni purgavit, anno 800.

§. II.

Observationes de Canone II. Concilii Francofurtensis.

CANON ille his verbis concipitur: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema, judicarentur: qui supra sanctissimi Patres nostri omnibus modis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Canon ille Theologorum ita exagitavit animos, ut nonnulli existimaverint Concilium Francofurtense a Nicæno II. defecisse, & cultum SS. imaginum inficiatum fuisse: Sed in hoc plurimum allucinati sunt, & quidem propter duo: Primo quidem ex eo quod ea loci Patres Francofurtenses, non nisi Concilium CP. sub Copronymo Iconoclasta solum perstringant, ut patet ex ipsius canonis verbis istis: *Quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt*: namque si intellexissent Nicænum, non Constantinopoli, sed Nicææ dixissent. Neque vero in mentem cadere potest eo temeritatis venisse Concilium particulare, œcumenicum approbatum in dogmate definito arguisse. Ita Binius in suis notis ad Concilium Francofurtense Edit. Reg. pag. 162. & 163. Alanus dial. 4. cap. 18. & 19. & alii plures. Secundo, neque minus constat, Concilium Francofurtense pro SS. imaginibus cultum latriæ soli Deo debitum dumtaxat propellere, & est sui ipsius interpres: *Ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema, judicarentur, qui supra sanctissimi Patres nostri omnibus modis adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

Synopsis contentorum octavi Sæculi.

NIHIL grave occurrit observandum, præter canonem secundum Concilii Francofurtensis. Quidam hanc Synodum sanctarum imaginum temerare cultum, putant; sed hoc ipsum absque fundamento affirmaretur. Primo quidem ex eo quod Galliarum Ecclesiæ cultum hunc semper ea qua par est erga Sanctos reverentia tenuerunt. Secundo, extra probationis aleam est, Concilium particulare definitionem fidei Concilii œcumenici ab Ecclesia universali recepti tentare voluisse. Tertio, ex ipsis canonis 2. Francofurtensis textu liquet Patres latriæ dumtaxat cultum soli Sanctissimæ Trinitati debitum a Sanctorum imaginibus rescindere.

De Conciliis noni Sæculi & actitatis in eis.

Sub eodem Leone III.

CONCILIABULUM CP. 1. in causa Josephi, cujusdam Sacerdotis anno 806.

Conciliabulum CP. II. habitum contra Theodorum, & Platonem cum sociis anno 809.

Concilium Aquisgranense, eodem anno de addita Symbolo particula: *Qui a Patre Filioque procedit.*

Concilium Arelatense IV. anno 813. pro disciplina.

Concilium Turonense III. eodem anno pro disciplina.

Concilium Cabilonense II. eodem anno pro disciplina.

Concilium Moguntinum I. eodem anno pro disciplina.

Concilium Rhemense I. eodem anno pro disciplina.

Conciliabulum CP. III. ubi Iconoclastæ anno 814. Nicænam secundam damnarunt, & pseudoseptimam Synodum confirmarunt.

Concilium, apud Theodonis villam a 32. Episcopis, eodem anno contra percussores Clericorum coactum.

Sub Stephano V.

CONCILIUM Aquisgranense I. anno 816. & Noviodunense anno 814. pro disciplina.

Sub Paschali I.

CONVENTUS Aquisgranensis I. & II. anno 817. pro disciplina.

Conventus Engelleimensis, eodem anno pro disciplina.

Concilium Attiniacense, anno 822. in quo Ludovicus Imperator publicam pœnitentiam egit, sub Eugenio II.

Pseudo-Synodus, vel potius collatio Parisiensis de cultu imaginum, anno 824.

Concilium Romanum anno 826. pro disciplina.

Sub Gregorio IV.

CONCILIUM Parisiense pro reformatione Ecclesiasticæ disciplinæ, anno 829.

Concilium Compendiense anno 833. in quo Ludovicus Imperator imperio exuitur.

Conventus in Villa Theodonis anno 835. quo Ebbo Archiepiscopus anno 835. se ipsum Episcopatu abdicavit, & eodem anno Metense ubi Imperator ab Ebbone Rhemensi excommunicatus, absolutus est.

Concilium Aquisgranense anno 836. pro disciplina.

Concilium Lugdunense eodem anno in causa Ecclesiarum Lugdunensis, & Viennensis Pastoribus carentium.

Conventus Cabilonensis de rebus Ecclesiasticis, & Politicis componendis, anno 839.

Concilium Aquisgranense, quo regnum Franciæ a Lotario ad Ludovicum, & Carolum fratres translatum fuit, anno 832.

Concilium CP. quo cultus sanctarum imaginum restitutus est, rejectoque Joanne Patriarcha hæretico, Methodius Orthodoxus surrogatur, eodem anno.

Sub Sergio II.

Concilium Bellovacense, quo deposito Ebbone, Hincmarus in ejus locum suffectus est, anno 845.

Concilium Meldense, eodem anno adversus laicos rerum Ecclesiasticarum retentores.

Concilium Parisiense, quo Meldensis Synodus absoluta est, anno 846.

Sub Leone IV.

CONCILIUM Parisiense in causa Ebbonis Rhemensis quondam Archiepiscopi anno 847. sub Sergio inchoatum, & sub Leone IV. absolutum.

Concilium Moguntinum I. eodem anno sub Rabano Archiepiscopo pro juribus, & immunitatibus Ecclesiasticis.

Concilium Moguntinum II. contra Godescalchum hæreticum Prædestinatianum, Monachum ordinis S. Benedicti Abbatiæ Orbacensis in Diœcesi Suessionensi, anno 848.

Concilium Turonense contra Noemonium Ducem Britonum Britanniæ junioris, anno 849.

Concilium Regiaticinense anno 850. pro disciplina,

Conventus Ticinensis, eadem versus tempora pro disciplina.

Conciliabulum Cordubense, quo vetitum est Martyrium, cultusque sanctorum Martyrum sublatus, anno 852.

Concilium Suessionense reprobatum in causa eorum, qui ab Ebbone Rhemensi ordinati fuerant, anno 853.

Concilium Romanum, in quo Anastasius Presbyter Cardinalis exauctoratus est, eodem anno.

Concilium CP. quo Gregorius Syracusanus Episcopus damnatus est, anno 854.

Concilium Valentinum Galliæ 13. Episcoporum contra Prædestinatianos, anno 855.

Concilium Ticinense, eodem anno pro disciplina. Eo loci Binius confutat fabulam Joannæ Papissæ.

Sub Benedicto III.

CONCILIUM Carisiacum pro reformandis Ecclesiæ moribus, in quo & Godeschalchus per sententiam latam proscriptus est, eo quod suis erroribus negotia civilia simul, & Ecclesiastica turbaret, anno 856.

Concilium Moguntinum anno 857. pro disciplina.

Sub Nicolao I.

CONCILIABULUM CP. Photii I. anno 858. in quo, Ignatio jam exturbato, Photius a Gregorio Syracusano schismatico Episcopus, & Patriarcha inauguratus est.

Concilium Tullense ob Vvenilonem Senonensem Archiepiscopum, anno 859.

Conciliabulum CP. Photii secundum, eodem anno contra Ignatium.

Concilium Confluentium, quo inter quinque Gallorum Reges pax sancita fuit, ann. 860.

Conciliabulum CP. Oecumenicum falso nuncupatum, quo 318. Episcopi injustam Ignatii condemnationem, & Photii illegitimam intrusionem confirmarunt, ann. 861.

Concilium Romanum I. eodem anno in causa Joannis Ravennatis.

Concilium Romanum II. quo hæresis Theopaschitarum, iterum pullulans, damnata est, anno 862.

Conciliabulum Aquisgranense, eodem anno, quo 8. Episcopi declararunt Lotharium Francorum Regem a vinculo Matrimonii cum Theutperga contracti solutum esse; eo quod ipsa cum fratre incestuosum adulterium commisisset, eodem anno.

Conventus trium Regum Francorum, & Episcoporum Galliæ, eodem anno in villa ad Sablonarias dicta, quo inter tres Ludovicum, Carolum, & Lotharium fratres, & Reges Galliæ pax inita est.

Conciliabulum Metense, in causa repudii Theutpergæ Reginæ a Lothario Rege facti, anno 863.

Concilium Romanum III. quo acta Metensis Concilii, eodem anno reprobantur, & Guntharius Coloniensis, Theutgandus Trevirensis Archiepiscopi, una cum fœdariis, & complicibus Episcopis exauctorantur, & excommunicantur.

Concilium Romanum IV. quo Zacharias Apostolica legatione in Oriente male functus excommunicatur, & deponitur: tum Photius & Gregorius Syracusanus condemnantur, Ignatius sedi restituitur, cultusque sanctarum Imaginum contra Iconoclastas confirmatur, eodem anno.

Concilium Silvanectense, quo auctore Hincmaro, eodem anno Rothaldus Suessionensis Episcopus deponitur, & in Monasterium detruditur.

Concilium Romanum V. quo acta Concilii Silvanectensis reprobantur, eodem anno, & Rotaldus sedi restituitur.

Concilium Pistense, eodem anno, magis pro civilibus rebus, quam pro Ecclesiasticis adunatum.

Concilium Romanum VI. quo Rodoaldus Portuensis Episcopus in legatione Apostolica prævaricator inventus, Episcopatu depositus, & excommunicatus est, anno 864.

Concilium Romanum VII. quo Rotaldus Suessionensis Episcopus jussu Pontificis per Hincmarum, post quartam admonitionem a vinculis solutus, Romamque citatus sedi suæ plenissime restituitur, anno 865.

Concilium Suessionense de ordinatione Clericorum, 866.

Concilium Trecense de ordinatione Clericorum Rhemensium ab Ebbone facta, ann. 877.

Sub Adriano II.

CONCILIUM Romanum, in quo Photius ter anathematizatus, ejusque volumen contra Nicolaum Papam editum igni traditum est, anno 878.

Concilium Vvormatiense, eodem anno, ex parte reprobato, pro disciplina.

Concilium CP. Oecumenicum VIII. 102. Episcoporum, quo Ignatius ab exilio cum dignitate revocatus, simul & sedi suæ restitutus est, Photio cum 45. Photianis, & Iconomachis omnibus exauctoratis, & anathematizatis, ann. 879.

Conciliabulum Metense, quo Regnum Galliæ, eodem anno a legitimo successore Ludovico ad Carolum tyrannice translatum est.

Con-

Concilium Vvormeriense, quo 20. Episcopi Hincmarum Laudunensem Episcopum condemnarunt, quod ille jussu Adriani Papæ excommunicationis sententiam in Northmannum bonorum Ecclesiasticorum detentorem tulisset, ann. 870.

Concilium Attiniacense, quo idem Hincmarus, eodem anno exauctoratus, vinculisque ferreis ligatus ejicitur in exilium, & tandem ab hostibus, ne in Episcopatum redeat, excæcatur.

Concilium Coloniense, eodem anno pro disciplina: Duziacense, quo idem infelix Hincmarus ad placandum Carolum Regem professionem fidelitatis emisit, atque obedientiam suo Metropolitano spopondit ann. 871.

Concilium Ticinense, quo Imperium Carolo collatum confirmatur ann. 876.

Concilium Pontigonense, quo jussu sedis Apostolicæ Galliarum Episcopi, eodem anno electionem Caroli confirmarunt.

Concilium Neustriacum contra Hugonem Lotharii Regis illegitimum filium ann. 877.

Concilium Trecense, quo excommunicatio in Formosum, aliosque hostes Ecclesiæ a Joanne VIII. lata confirmatur ann. 878.

Concilium Romanum I. ob electionem novi Imperatoris, post obitum Ludovici III. cognomento Balbi, coactum ann. 879.

Concilium Romanum II. quo Petrus in causa Photii restituendi missus est Constantinopolim, eodem anno.

Conciliabulum CP. Oecumenicum pseudo-octavum reprobatum 385. Episcoporum, quo post obitum Ignatii restitutio Photii est confirmata, octava Synodus Oecumenica legitima prorsus abrogata, eodem anno & e Symbolo particula, *filioque*, sublata fuit.

Concilium Romanum III. quo Athanasius Episcopus, simul & princeps Neapolitanæ urbis, ob fœdus cum Saracenis initum excommunicatus est.

Sub Stephano VI.

CONCILIUM Coloniense contra Raptores rerum Ecclesiasticarum, oppressores pauperum, & incestuosas nuptias, ann. 887.

Sub Stephano VI. dicto V.

CONCILIUM Moguntinum occasione Arnulphi novi Regis, & disciplinæ Ecclesiasticæ ob incursiones Normannorum reformandæ ann. 888.

Concilium Metense ad reformandos mores, sub Arnulphio Rege, eodem anno.

Concilium Vvormatiense in causa Hermanni Coloniensis, & Aldegarii Hamburgensis Episcoporum, de Bremensi Ecclesia contendentium, ann. 890.

Sub Formoso.

CONCILIUM Rhemense, quo Carolus simplex filius Ludovici Balbi Francorum regis legitimus successor a Falcone Rhemensi Episcopo, Odone comite, qui tyrannice Regnum invaserat, Rex Franciæ ungitur ann. 892.

Concilium Romanum, ob graves Ecclesiæ perturbationes ann. 893.

Concilium Triburiense pro reformanda Ecclesiastica disciplina ann. 895.

Concilium Nannetense ann. 897. pro disciplina.

Sub Stephano VII.

CONCILIABULUM Romanum in causa Formosi Papæ injuste damnati, ann. 897.

§. II.

Observationes in Concilium Arelatense VI. ann. 813. Moguntinum eodem anno, & Carisiacum ann. 856.

QUÆDAM prævie ad nonum sæculum subnotat Cabassutius not. Hist. Eccl. de 7. Libris Carolinis; videlicet eos Libros jussu Caroli Magni, & Ludovici Pii, accedente Apostolico suffragio, multa præcontinere capita, quibus vera religio fovetur, cultus divinus accrescit, & disciplina Ecclesiastica mirum in modum rutilat, & dirigitur; hinc in locis Theologicis non semel, ista capitularia laudantur ad confirmanda ea quæ Religionis decus, & honorem spectant.

Idem auctor suas sic inchoat ad Concilium Arelatense observationes pag. 330.

" Stu-

„ Studio succensus Carolus Magnus constabiliendæ per omnem suam ditionem „ Ecclesiasticæ disciplinæ uno eodemque „ anno Christi 813. quinque indixit di„ versis locis Episcoporum Concilia, ut „ refert Eghinardus in Chronico Regni „ ejus ann. 45.... Solitis igitur præmissis „ ad Deum precibus exaratum est in pri„ mis Christianæ fidei Symbolum, quod „ inter alia Spiritum sanctum a Patre „ Filioque procedere profitetur. „

Canon tertius Concilii Arelatensis: *Ignorantia mater est omnium vitiorum, & maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi Officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim sanctas Scripturas legere admonet Paulus Apostolus dicens ad Timot. Attende lectioni, exhortationi, & doctrina. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, at omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina*. His accedunt reliquæ Scripturæ, Oseæ 4. *Conticuit populus meus eo quod non habuerit scientiam. Et quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*. Et Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum est*. Cabassutius de hoc Canone, sic loquitur: „ Canon hic Arelatensis desum„ ptus est iisdem verbis ex Toletano „ Concilio 4. cap. 25. estque in decreto „ insertus cap. *Ignorantia* dist. 38. de ne„ cessaria Canonum peritia; sic habet „ Cœlestini primi epistola ad Calabriæ, „ & Apuliæ Episcopos: *Nulli Sacerdo„ tum suos liceat Canones ignorare, nec „ quidquam facere quod Patrum possit regu„ lis obviare*. „

Canon IX. Concilii Moguntini, sic habet: *In omnibus igitur quantum humana permittit fragilitas decrevimus, ut Canonici Clerici canonice vivant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta SS. Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistri eorum composite præsumant agere in uno quoque Episcopatu. Et ut simul manducent & dormiant .... Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum Canones suis Magistris adhibeant*.

Cabassutius in suis ad hunc Canonem notis pag. 333. ait: „ Consuetudo erat „ ab antiquis ducta temporibus ut pro„ pter Ecclesiam, vel in ipso Episcopio, „ vel in ædibus Episcopo contiguis Cano„ nici Clerici in commune viverent, per„ inde ac in cœnobiis communi utentes „ mensa, & in communi quiescentes „ dormitorio. Ex Augustini sancti Do„ ctoris exemplo pervaserat in diversas „ regiones laudabilis ista consuetudo, de „ quo fidissimus ejus discipulus Possido„ nius hæc perhibet vitæ ipsius cap. 52. „ *Cum ipso semper Clerici una etiam domo, „ & mensa sumptibusque communibus aleban„ tur, & vestiebantur*. „

In Concilio Carisiaco juxta Editionem Regiam. I. Refertur sententia qua Gotescalchus suos propter errores proscribitur: tum quatuor sunt Canones adversus prædestinatianam hæresim. In primo quidem, definitur unam esse tantummodo ad bonum prædestinationem, nullam vero ad malum, ut effutiebant Prædestinatiani: *Ceteros autem*, inquiunt Patres, *quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit*. Et hoc adversus hæreticos illos qui ponebant dari prædestinationem necessitantem ad malum.

In secundo Canone decernunt liberum arbitrium gratia sanari, & veram habere sub ejus dominio ad bonum faciendum libertatem: *Liberum autem arbitrium habemus*, inquiunt, *quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum*. Igitur a gratia non necessitatum.

Tertius hic est: *Deus omnipotens, omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum, quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum*.

Quartus demum his concipitur verbis: *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus est homo, fuit, vel erit .... pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus Mysterio redimantur*.

Cabassutius, qui dissertatione quinti Sæculi negat fuisse prædestinatianos, hic omni argumentorum genere probat Goteschalchum fuisse prædestinatianum, & uti talem in Concilio Moguntino, tum in Carisiaco juxta Canones proscriptum. Pauca hic texere juvat; sic enim de illo loquitur pag. 345. col. 1. „ Gotescalchus

Mona-

„ Monachus, & Presbyter Monasterii Orbacensis apud Suessiones inquieti, & „ superbi spiritus homo, suo decedens Monasterio Italiam, Damaltiam, Pannoniam, Noricum, & Germaniam aviditate spargendi dogmata sua peragravit: „ quæ cum fidei Orthodoxæ adversantia „ plerisque viderentur, horum examinandorum gratia Rhabanus Moguntinus ex „ Monacho Archiepiscopus, vir eximia „ doctrina, & pietate prædītus Moguntiæ „ Concilium convocavit, coram quo citatus Gotescalcus, & interrogatus, quæcumque libuit haud dissimulanter respondit in suarum defensionem opinionum, „ quas accurate discussas Concilium judicavit hæreticas, communique consensu damnavit. Quia vero alienæ, „ hoc est, Rhemensis Provinciæ, tum „ origine, tum ordinatione, tum Monastica professione subditus erat Jurisdictioni; postquam ejus reprobata est „ Perniciosa doctrina, remissa est Gotescalchi persona ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum ann. 848. II. „ Sequenti ann. 849. apud Carisiacum „ vulgo Creci coactum est Concilium, „ cui duo Metropolitani Venilo Senonensium, & Hincmarus Rhemensium, cum „ multis Episcopis, Abbatibus & selectis „ Sacerdotibus interfuerunt, a quibus denuo discussâ diligenti examine Gotescalchi doctrina, iterum damnata proscripta- „ que fuit. „ Tum num. 7. idem auctor sic pergit pag. 343. " Quinam porro fuerint Gotescalchi errores colligitur ex „ Rabani Epistola Synodali ad Hincmarum. „ Ibidem texit Caballutius Canones quatuor contra Prædestinatianos, sicut modo retulimus. Tum ibidem, juxta Epistolam Synodicam, pro propria sententia astruenda, sic loquitur: " Quidam Gyrovagus Monachus nomine Gotescalc qui se asserit in vestra parecia „ ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam novas superstitiones & noxiam „ doctrinam de prædestinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens quod prædestinatio Dei, „ sicut in bono sit, ita & in malo: & „ tales sint in hoc mundo quidam qui „ propter prædestinationem Dei quæ eos „ cogat in mortem ire, non possint ab „ errore & peccato se corrigere, quasi „ Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles „ esse, & pęnę obnoxios interitum ire. „

De octava Synodo Oecumenica.

OBSERVANDUM est Photium a Nicolao primo dejectum, & exauctoratum in Concilio Romano, adunasse postea pseudo-Concilium Constantinopoli, in quo quidem vel ipsum Nicolaum alternata vice anathematizare ausus est. Sed retorto telo ab Adriano II. in alia Synodo Romana iterum exauctoratus est Photius, ac demum in octava Synodo generali, in qua & pristinæ hæreses maxime Iconomachorum, iterum damnatæ sunt.

Octavum istud Concilium 14. edidit Canones juxta Græca exemplaria; 27. vero juxta Latina editionis Anastasii. Rem miram perhibet in Ignatii vita Nicetas, scilicet damnationi Photii subscriptum fuisse a Patribus, calamis non solum atramento, sed etiam tremendo Christi sanguine delibutis in atramentum infuso, sicut factum fuerat a Theodoro Papa pro damnatione Pyrrhi Monothelitæ, ut refert Theophanes.

Canone tertio, juxta Anastasium præscribuntur interstitia pro Ordinum susceptione, quæ ad hæc usque tempora perseverant. Tum prohibetur, ne quis Episcopus inauguretur, nisi post exactum in Sacerdotio quadriennium citra dispensationem; ne etiam eodem die conferantur simul duo Ordines majores.

Juxta Canonem 14. Anastasianum plura de pallio proferuntur. Juxta vero 19. Metropolitæ jus adimitur suffraganeos visitandi, ut scribit Anastasius Romæ Bibliothecarius qui huic Synodo aderat; in Occidente autem summi Pontifices, & Concilia visitationum universæ Provinciæ jura Metropolitis asseruerunt, ut ex multis rescriptis liquet; quale est Lucii III. ad Episcopum Ravennatem visitantem Diœcesim Episcopi Bononiensis, cap. *Cepita*, *de censibus in sexto*. Et ante hunc Innocentii III. Epistola 85. *Regesti* 15. qui idem in capite, *cum Officii* 16. *de præscriptionibus* Abbatem condamnat sancti Maglorii ad solvenda procurationis jura Archiepiscopo Senonensi Abbatiam visitanti; quæ est in Suburbio Parisiensi; tunc autem Episcopus Parisiensis, nondum erat Archiepisco-

episcopus, sed subditus Metropolitano Senonensi.

Synopsis rerum gestarum nono Seculo.

PRIMO: De libris Carolinis fit mentio, quibus accedente SS. Pontificis calculo, vera religio fovetur, cultus divinus accrescit, disciplina mirum in modum ordinatur.

Secundo: Canon III. Concilii Arelatensis VI. injungit Clericis studere sacris Litteris cum hoc ab eis exigat Deus Oseæ 4. & Malach. 2. maxime quia ignorantia est omnium vitiorum mater.

Tertio: Carisiacum quatuor adversus Prædestinatianos condidit Canones. Cabassutius qui in Dissertatione quinti Sæculi negat fuisse Prædestinatianos, candide se retractat hic Diss. noni Sæculi, & monumentis omni exceptione majoribus probat Gotescalchum propter Prædestinatianorum errores primum in Concilio Moguntino sub Rabano abjectum, tum demum in Carisiaco lata sententia fuisse damnatum.

De Conciliis decimi Sæculi, & actitatis in eis.

§. I.

Sub Joanne nono SS. Pontifice.

CONCILIUM Ovetense, quo 18. Episcopi ex concessione Joannis Papæ VIII. Ecclesiam Ovetensem Metropolitica dignitate auxerunt, an. 901.

Concilium Romanum, quo acta Stephani VII. contra Formosum habita rescinduntur, & solius Lamberti coronatio tamquam citra vim legitime facta confirmatur, ann. 904.

Concilium Ravennense 74. Episcoporum in eadem causa Formosi, eodem anno.

Sub Sergio III.

CONCILIUM Suessionense pro disciplina & morum reformatione, an. 909.

Sub Joanne X.

CONCILIUM Confluentium pro impedimentis matrimonii usque ad septimum gradum inclusive, ann. 922.

Concilium apud Groslelium in causa Isaaci comitis pœnitentiam agentis, an. 924.

Concilium Duisbergense, quo illi qui Bennonem Metensem Episcopum excæcarunt, excommunicantur, ann. 927.

Sub Joanne XI.

ERPFORDIENSE pro disciplina, an. 932.

Concilium Rhemense eodem anno apud sanctam Macram utique pro disciplina, & juxta alios, an. 935.

Sub Stephano IX.

CONCILIUM Narbonense de finibus Diœceseos inter Urgellitanum, & Pallariensem controversis, an. 940.

Concilium Suessionense in causa Hugonis, & Artaldi Episcoporum, eodem an. 441.

Sub Martino II. perperam Martino III. nominato.

CONCILIABULUM CP. quo Tryphon Patriarcha CP. dolose depositus est, substituto in ejus locum Theophilacto Imperatoris filio, an. 944.

Sub Agapito II.

CONCILIUM Vvirodunense in causa Hugonis, & Artaldi urbis Rhemensis Archiepiscoporum, an. 947.

Concilium Mosomense pro eadem causa, an. 948.

Concilium Engelhimense ob eamdem causam, eodem anno.

Concilium Trevirense in causa Ludovici Regis, & Hugonis principis, anno 948.

Concilium Romanum, quo acta duarum præcedentium Synodorum, ann. 949. ab Agapito confirmantur.

Sub Joanne XII.

CONCILIUM Meldense in causa Rhemensis Episcopi, an. 962.

Conciliabulum Romanum, quo Joannes XII. deponitur, & Leo, quem quidam scriptores perperam octavum istius nominis inter veros Pontifices adnumerant, in locum ejus surrogatur, an. 963. in præsentia Ottonis Imperatoris.

Con-

Conciliabulum CP. eodem anno in causa Nicephori Imperatoris.

Concilium Romanum auctoritate Joannis Papæ congregatum, quo Leo Schismaticus, & pseudo-Papa esse declaratur; actaque præcedentis Conciliabuli Romani reprobantur an. 964.

Sub Benedicto V.

CONCILIABULUM Romanum, quo per Leonem Antipapam, & sedis Apostolicæ invasorem Schismaticum, eodem anno Benedictus Papa V. exauctoratur & Hamburgum relegatur, ann. 964. sub Ottone & Phocha Imperatoribus.

Sub Joanne XIII.

CONCILIUM Ravennate pro disciplina ann. 967.

Concilium Anglicanum nationale contra incontinentes Clericos an. 970.

Concilium Romanum, quo privilegia monasterio sanctæ Mariæ Glastengebiri a Rege Angliæ Edgaro concessa confirmantur, an. 971.

Sub Dono III.

CONCILIUM Angelheimense ann. 972. cujus acta desiderantur.

Sub Benedicto VI.

CONCILIUM Mutinense, quo controversia inter dissidentes Germanos proceres Petrum, & Lambertum composita fuit, an. 973.

Sub Benedicto VII.

CONCILIUM CP. quo Basilius Patriarcha depositus est, an. 975.

Concilium Romanum in causa Giscleri Magdeburgensis Episcopi, an. 983.

Sub Joanne XV.

CONCILIUM Romanum in causa sancti Adalberti Episcopi Pragensibus restituendi an. 989.

Sylvanectense quo jussu Arnulphi Rhemensis Archiepiscopi, Galliarum Episcopi Prædoni Rhemensis civitatis anathema dixerunt, an. 990.

Conciliabulum Rhemense, quo Arnulpho laudato deposito, Gerbertus eidem substituitur, ann. 992.

Concilium Rhemense adversus quosdam proditores qui civitatem Rhemensem hostibus Hugonis Capeti Regis Franciæ tradiderant, circa annum 990.

Concilium Romanum pro canonizatione sancti Hudalrici Augustani Episcopi an. 993.

Concilium Mozoniense, quo ejecto Gerberto, Arnulphus sedi suæ restituitur, an. 995.

Concilium Rhemense II. quo per Leonem sedis Apostolicæ Legatum, idem Arnulphus in sua sede confirmatur, eodem an.

Sub Gregorio V.

CONCILIUM Romanum, quo septem Electoribus Germaniæ principibus datur potestas eligendi Imperatorem, an. 996.

Concilium Ravennate pro disciplina, an. 997

Concilium Ticinense, quo Crescentius summi Pontificis adversarius exauctoratur, eodem anno.

Concilium apud S. Dionysium in Galliis pro restitutione Decimarum Ecclesiæ, eodem anno.

Sub Sylvestro II.

CONCILIUM Romanum in causa Giscleri Magdeburgensis Episcopi, an. 999.

§. II.

Observationes.

PAUCA in hoc sæculo pro rebus Ecclesiasticis actitata sunt, si excipias electionem Formosi Papæ de Ecclesia bene meriti, ut subnotat hic Cabassutius, incassum exagitatam: multo plura pro rebus civilibus.

De Conciliis undecimi Sæculi & actitatis in eis.

§. I.

Sub Joanne XVII.

CONCILIUM Tremoniense pro reformatione morum, an. 1005.

Con-

Concilium Francofordiense de Ecclesia Bambergensi in Cathedralem Episcopalem erigenda, anno 1006.

Concilium Ænhamense in Anglia versus ann. 1010. sub Joanne XVI. juxta Caballutium pro censu S. Petri solvendo.

Sub Sergio IV.

CONCILIUM Bambergense de controversiis quibusdam Episcoporum, anno 1011.

Sub Benedicto VIII.

CONCILIUM Legionense in gratiam Ecclesiæ ann. 1012.

Concilium Aurelianense contra novos Manichæos, anno 1017.

Concilium Salegunstadiense pro disciplina, anno Domini 1022.

Concilium Moguntinum in causa Othonis Comitis de Hamerstein, anno 1023.

Concilium Aquisgranense versus eadem tempora pro componendis dissidiis inter Episcopum Coloniensem & Leodicensem ortis.

Sub Joanne XVIII. vulgo XX.

CONCILIUM Lemovicense, quo declaratum est S. Martialem Lemovicensem Sedis auctorem Episcopum Apostolicum esse nominandum: ejusdem corporis elevatio facta fuit ann. 1029. sub Joanne XVIII.

Concilium Bituricense pro disciplina.

Concilium Pampilonense de Episcopatu Pampilonensi antiquæ Sedi suæ restituendo, an. 1032.

Sub Benedicto IX.

CONCILIUM Lemovicense II. ob causam pacis, & Apostolatus S. Martialis celebratum anno 1034.

Concilium Bellovacense eadem de causa, eodemque anno.

Concilium Triburiense pro disciplina, an. 1035.

Sub Gregorio VI.

CONCILIUM Sutrinum, quo Gregorius VI. se ipsum Pontificatu abdicavit, ann. 1046.

Sub Clemente II.

CONCILIUM Romanum I. adversus Simoniacos, an. 1409.

Sub Leone VIII. vulgo IX.

CONCILIUM Rhemense eodem anno pro disciplina.

Concilium Moguntinum contra Simoniam, & vitia Clericorum.

Concilium Romanum II. quo damnato Berengario Lanfrancus sententiam absolutionis retulit, ann. 1050.

Concilium Vercellense contra eumdem Berengarium pro Lanfranco, eodem ann.

Concilium Coyacense pro reformatione morum, eodem anno.

Romanum III. in causa Gregorii Vercellensis Episcopi de adulterio accusati, eorumque qui a Simoniacis ordinati fuerant, an. 1051.

Concilium Romanum IV. de canonizatione S. Gerardi Lucorum Episcopi, de limitibusque Diœceseos inter Aquilejensem, & Forojuliensem Episcopos controversis, an. 1053.

Sub Victore II.

CONCILIUM Florentinum contra alienatores bonorum Ecclesiasticorum, ann. 1055.

Concilium Lugdunense, quo Episcopus quidam eodem anno per Hildebrandum Sedis Apostolicæ Legatum miraculose de simoniæ crimine convincitur.

Concilium Turonense, per eumdem Hildebrandum Diaconum eodem anno indictum, quo Berengarius, ejurata hæresi, fidem catholicam professus est.

Concilium Coloniense, quo Balduinus, & Godefridus Comites Flandriæ Henrico Regi quinquennali conciliati fuerunt, ann. 1056.

Concilium Tolosanum eodem anno contra simoniam, & alia tum Cleri, tum populi vitia.

Concilium Compostellanum eodem etiam anno pro disciplina restauranda.

Sub

Sub Nicolao II.

CONCILIUM Lutrinum, quo Benedictus Mincius pseudo-Papa, anno 1059. depositus est.

Concilium Romanum 113. Episcoporum, quo Berengarius hæresi sua tertio abjurata subscripsit fidei, eodem anno, ibi etiam edita est constitutio de electione Romani Pontificis.

Concilium Amalphitanum in Apulia eodem anno, in quo exauctoratus est Episcopus Trani.

Concilium Parisiense, quo Philippus Henrici Francorum Regis filius titulo Regio condecoratur, eodem anno 1059.

Concilium Jaccetanum pro disciplina, an. 1066.

Sub Alexandro II.

CONCILIABULUM Basileense in causa electionis Pontificis, anno 1061. tempore interregni Pontificii.

Concilium Osboriense, quo Cadolaus pseudo-Papa proscriptus est, & Alexandri electio confirmata, ann. 1062.

Concilium Arragonense, eodem anno pro disciplina.

Concilium Romanum I. contra Simoniacos, an. 1063.

Concilium Mantuanum, quo Cadolaus pseudo-Papa iterum damnatus, & Alexander a criminibus objectis absolvitur, ann. 1064.

Concilium Barcinonense, in quo eodem anno Leges Gothicæ quibus Catalani utebantur, plane abrogantur.

Concilium Romanum II. adversus incestuosorum hæresim, ann. 1065.

Concilium Romanum III. quo iidem incestuosi Hæretici, eodem anno, & pro eadem causa excommunicantur.

Concilium Vvintoniense anno 1069. pro disciplina & depositione Stigandi qui invaserat Cantuariæ Episcopatum.

Concilium Moguntinum I. in causa Henrici IV. Regis volentis Bertam uxorem repudiare, ann. 1069.

Concilium Moguntinum II. anno. 1070. in causa Caroli Constantiensis Episcopi de simonia, & sacrilegio accusati.

Concilium Anglicanum an. 1072. in causa Primatus Cantuariensis super Eboracensem.

Conciliabulum Erphisfordense anno 1073. in causa decimationum Thuringiæ.

Sub Gregorio VII.

CONCILIUM in causa S. Anselmi Episcopi Lucensis contra Lucenses Canonicos, ann. 1074.

Concilium Romanum I. eodem anno, pro disciplina.

Concilium Anglicanum, quo sanctus Vulstemus deponitur, eodem anno.

Concilium Romanum II. pro reformando Clero, ann. 1075.

Concilium Moguntinum eodem anno, contra concubinarios Presbyteros.

Concilium Anglicanum eodem anno, seu Londinense pro reformandis Ecclesiasticis.

Conciliabulum Vvormatiense, quo Schismatici Episcopi jussu Henrici Regis congregati, Gregorium Pontificem commonendum esse decreverunt, ann. 1076.

Concilium Romanum III. quo Henricus Rex Germaniæ, Sigefridus Moguntinus, & Robertus Bambergensis, excommunicantur, eodem anno.

Conciliabulum Papiense, quo Episcopi Schismatici Regi Schismatico adhærentes, anathema sibi a Pontifice inflictum, in eumdem Pontificem eodem anno retorquere conantur.

Concilium Romanum IV. in quo Guilbertus Ravennas, Theodaldus Mediolanensis, aliique plures Episcopi excommunicantur, ann. 1078.

Concilium Romanum V. pro restauratione sanctæ Ecclesiæ, eodem anno.

Concilium Romanum VI. in quo Berengarius iterum atque iterum lapsus, hæresi adhuc abjurata, anno 1079. fidem adhuc professus est.

Concilium Britannicum eodem anno, ad falsam pœnitentiam proscribendam.

Concilium Romanum VII. quo regnum Germaniæ Henrico abrogatum, collatum fuit Rodolpho, ea conditione, ut deinceps investituræ beneficiorum a Laicis non accipiantur, an. 1080.

Conciliabulum Brixiense, quo 30. Schismatici Episcopi Gregorium Papam a sede deposuerunt, eodem anno, ut Guilber-

bertum Ravennatem Archiepiscopum eidem subrogarent.

Concilium Lugdunense eodem anno, in causa Manassis Rhemensium Archipræsulis.

Concilium Avenioniense, quo sanctus Hugo Gratianopolitanus Episcopus eodem anno inauguratus est.

Concilium Meldense, quo sanctus Arnulphus eodem etiam anno Suessionensium creatus est Episcopus.

Concilium Romanum VIII. in causa Henrici Regis, & quorumdam Episcoporum, an. 1081.

Concilium Romanum IX. ann. 1083. pro disciplina.

Concilium Romanum X. quo Guibertus Antipapa, & Hæresiarcha, atque Henricus pseudo-Imperator cum omnibus suis fautoribus, anno 1084. excommunicantur.

Concilium Quintilineburgense contra Henricianam, & Vveciliam hæresim, anno 1085.

Concilium Moguntinum, quo, Gregorio deposito, Guibertus eodem anno subrogatur.

Sub Victore III.

CONCILIUM Capuanum, quo Victor, resumptis insignibus Pontificalibus, quæ præter voluntatem resignarat, anno 1087. consecratus est.

Concilium Beneventanum, quo idem Guibertus cum sociis eodem anno excommunicatur.

Sub Urbano II.

Concilium Romanum I. 115. Episcoporum, quo res Gregorii VII. & Victoris III. contra Guibertum Antipapam, Henricum, & alios Schismaticos gestæ, anno 1089. confirmantur.

Concilium Melfitanum anno 1089. pro disciplina.

Concilium Tolosanum anno 1090. pro disciplina.

Concilium Trojanum pro diversis Ecclesiæ necessitatibus, ann. 1093. maxime adversus matrimonia non legitime contracta.

Concilium Constantiense pro reformanda disciplina, anno 1094.

Concilium Oltionense contra Philippum Regem Franciæ adulterum, & incestuosum.

Concilium Placentinum anno 1095. pro diversis rebus.

Concilium Claramontanum, eodem anno, ubi Philippus excommunicatus est, & publicata fuit indulgentia ad ferendum auxilium captivis Terræ sanctæ.

Concilium Anglicanum, Conciliabulum eodem anno, quo S. Anselmus e sede sua Cantuariensi pulsus est.

Concilium Turonense pro expeditione Hierosolymitana, anno 1096.

Concilium Barense pro Græcis cum Romana Ecclesia conciliandis, ann. 1097.

Concilium Romanum II. adversus Guibertum Antipapam, & pro expeditione Terræ sanctæ, ann. 1098.

Concilium Romanum III. eodem anno pro disciplina.

Concilium Hierosolymitanum eodem anno pro disciplina.

Concilium Pictaviense, ann. 1100. adversus Philippum Regem Galliæ, qui suam resumpserat concubinam.

§. II.

Observationes circa Concilium Ænhamense, Aurelianense, Bituricense, & Claramontanum.

IN Concilio Ænhamensi anno 1010. juxta Cabassutium, præcipitur ut quotannis solvatur census, seu denarius S. Petri ad festum S. Petri ad vincula. Antea anno 740. Ina Rex Angliæ Occidentalis præceperat ut in honorem sancti Petri singulæ sui regni domus, illud solverent tributum. Ann. 775. idem præceperat Offa Merciorum, sive Orientalium Anglorum Rex. Sanctus Eduardus in suis Legibus Ecclesiasticis cap. 6. eum censum præcipit.

In Concilio Aurelianensi ann. 1018. qui fuit regni Roberti vigesimus, deprehensa fuit abominanda hæresis, quæ sensim ut cancer in regno Franciæ serpebat, ut scribunt Glaber, Rodulphus Lib. 3. historiæ cap. 8. & Lucas Dacherius Tom. 2. Spicilegii, qua duo Canonici Aurelianenses a quadam muliere illusi, fidem sanctissimæ Trinitatis abnegabant, mundum ab æterno extitisse, nec in alia vita dari

dari aut pro justis præmium, aut pro malis supplicia propugnabant: conventicula nocturna absque pudore promiscue Marium cum feminis fiebant, & alia abominanda quæ non licet homini casto loqui: hæc secta Manichæismum redolebat, ejusque horrenda mysteria accurate obtegebant discipuli.

Concilium Bituricense canone 1. statuit Sanctum Martialem inter Apostolos annumerandum esse, sicut a Romana Sede, & a pluribus antiquis Patribus definitum fuerat: hoc est honore Apostolico donandum esse: hinc in Rituali quodam veteri Launoii immediate post Apostolos in Litaniis commemoratur, sive quia creditur fuisse Apostolis coævus Christi discipulus, sive etiam quod ab ipsis Apostolis missus sit in Gallias ad prædicandum Evangelium.

Canone III. prohibet Episcopis aliquid pro collatione Ordinum accipere, similiter, & eorum subjectis pretium pro scribendis nominibus ordinandorum.

Canone II. prohibet etiam Episcopis suscipere ad sacros Ordines eos qui servitute detinentur: præcipit ut Episcopus & excommunicationem comminetur, si hujusmodi ad Ordines suscipiendos præsententur: tum subjiciunt Patres: *Si cuipiam de talibus sacrum ordinem vel clericatum ignoranter tribuerit Episcopus, mox ut cognitum, Archidiaconus deponat eos, quia irrita est & illicita ordinatio*; hoc est illicita, inquit Cabassutius, & non simpliciter vacua, cum vel ipsa Synodus illicitum vocet irritum: "Itaque, *ait Cabassutius*, ibi significat, quod non pot„ est sine mortali sacrilegio exerceri, „ nisi post expiatam culpam cum censu„ ra & irregularitate. „Gravior est difficultas, inquit Auctor, utrum si ante Ordinationes Episcopus palam & alte protestatus sit se nullatenus intendere illos ordinare qui falso innituntur patrimonio, vel falsis dimissoriis, aut qui non sunt ætatis competentis, &c. & respondetur nihilominus Ordinationem esse validam tametsi illicitam: ita D. Baille, de triplici examine. Gonetus de validitate Ordinis disp. 6. n. 33. de Sacr. & colligitur ex sancto Augustino Lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 11. 12. & 13. dico tamen invalidam esse ordinationem, si vere Episcopus non habeat animum hujusmodi præsentatos ordinandi, quandoquidem ex Florentino Sacramentum, seclusa intentione Ministri, vacuum est: quia vero ut plurimum hujusmodi protestationes sunt solum comminatoriæ, vulgo omnes præsentati tamquam vere ordinati habentur.

Concilium Claramontanum Canone 9. 12 & 14. prohibet ne aliquis duo simul habeat beneficia, tum Canone 13. injungit Clerico unicum possidere titulum, & ubi titulus est, ibi vult commorari, ita ut ad aliam non transeat Ecclesiam; victum vero manibus ad imitationem Apostoli quærat, ait, Clericus, si titulus non sufficiat ad vitam alendam. Idem districte præcipit Concilium secundum Nicænum generale Canone 15. Tridentinum tamen Sessione 24. cap. 17. permittit Beneficiorum pluralitatem.

Sancta *Synodus ... statuit ut in posterum unum tantum beneficium singulis conferatur: quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, licet nihilominus aliquod simplex sufficiens; dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*.

Synopsis rerum undecimi Sæculi.

PRIMO: In Concilio Enhamensi in Anglia anno circiter 1010. statuitur solvere Ecclesiæ Romanæ tributum seu censum S. Petri.

Secundo: In Concilio Aurelianensi ann. 1018. proscribuntur Manichæi, qui hæresi, turpissima pro moribus addebant.

Tertio: In Bituricensi Can. 1. definitur sanctum Martialem honoris causa Apostoli nomine celebrari: Can. 3. prohibet Episcopis aliquid sumere pro collatione Ordinum, litteris immo & pro scribendis ordinandorum nominibus. Can. 11. ait non esse ordinandos eos qui aliquod a jure vel ab homine habent impedimentum, v. g. ætatis vel patrimonii insufficientis.

Quarto: Qui aliquod simile impedimentum subeunt, non obstante Episcopi protestatione de eis non ordinandis, sunt tamen vere ordinati, ait Cabassutius hic cum Goneto, quia hanc protestationem non nisi ut comminatoriam habent; secus tamen dicendum est, si Episcopus nul-

nullam habeat interiorem intentionem similes ordinandi: cum enim Concilium Florentinum exigat intentionem faciendi Sacramentum, hac deficiente, vacuum est.

Quinto: Concilium Claramontanum prohibet pluralitatem Beneficiorum.

De Conciliis duodecimi Saculi, & aslitatis in eis.

§. I.

Sub Paschali II.

CONCILIUM Lateranense seu Romanum I. anno 1102. contra Henricum IV. Imperatorem.

Concilium Londinense I. eodem anno pro disciplina.

Concilium Londinense II. pro disciplina, anno 1103.

Concilium Trecense anno 1104. pro disciplina, anno 1105. adversus Fluentium Episcopum qui prædicabat Antichristum jam venisse.

Concilium Quintilineburgense pro reformatione morum.

Concilium Moguntinum anno 1106. pro civilibus.

Concilium Guastallense eodem anno, pro reunione Schismaticorum.

Concilium Hierosolymitanum anno 1107. in quo Ebremarius Episcopus intrusus depositus est.

Concilium Trecense & Londinense, eodem anno, primum adversus Simoniacos: alterum pro disciplina.

Concilium Beneventanum anno 1108. pro disciplina.

Concilium Legionense anno 1110. pro disciplina.

Concilium Lateranense II. anno 1112. adversus Henricum, qui investituras propugnabat, quod tamen jus ibi abrogatum est.

Concilium Viennense, Beneventanum II. & apud Cyperanum, ann. 1113. in priori jus investiturarum rursus ablatum est: in secundo, privilegia Abbatis Montis Cassini circa temporalia confirmata sunt. In tertio Arnulphus Patriarcha Hierosolymitanus exauctoratus est.

Concilium Bellovacense, & Syriacum an. 1114. adhuc contra Imperatorem Henricum.

Concilium Coloniense, Lateranense III. & Romanum, ann. 1116. pro disciplina.

Sub Gelasio II.

CONCILIUM Capuanum, ann. 1118. pro disciplina.

Concilium Viennense, anno 1119. pro disciplina.

Sub Calisto II.

CONCILIUM Rhemense & Coloniense, eodem anno pro disciplina.

Concilium Lateranense I. Oecumenicum 426. Patrum pro pace, & concordia inter Ecclesiam & Imperium ineunda, & pro Terra sancta occupata a Saracenis recuperanda. Eodem anno.

Concilium Neapolitanum an. 1120. pro disciplina.

Concilium Romanum I. pro eadem causa, anno 1122.

Concilium Romanum II. & Tolosanum an. 1123. etiam pro disciplina.

Sub Honorio II.

CONCILIUM Londoniense an. 1125. pro disciplina.

Concilium Namnetense Gallicanum, & Londoniense an. 1127. pro disciplina.

Sub Innocentio II.

CONCILIUM Claramontense anno 1130. pro disciplina.

Concilium Rhemense, Leodiense, Moguntinum, Pisanum, Stapense anno 1131. pro eadem causa.

Concilium Northamptoniense, & Londoniense, an. 1138. pro disciplina.

Concilium Lateranense II. Oecumenicum 1000. circiter Patrum pro jure Cleri vindicando, an. 1139.

Concilium Vvintoniense I. eodem anno pro immunitate Ecclesiastica.

Concilium Suessionense, & Senonense anno 1140. adversus Abaylardum qui suos renovaverat errores, citatus, ut cum D. Bernardo disceptaret, exigente Papæ Legato a latere, renuit comparere.

Concilium Vvestmonasteriense II. & Antio-

L 2

tiochenum an. 1142. in priore Clerus propugnavit jus eligendi Reges ipsum etiam spectare, in posteriore vero Patriarcha Radulphus de Simonia accusatus est.

Concilium Hierosolymitanum, & Londoniense an. 1143. primum adversus Armenorum nævos: alterum contra violentiam in Ecclesias exercitam.

Sub Lucio II.

CONCILIUM Gallicanum an. 1145. pro disciplina.

Sub Eugenio III.

CONCILIUM Vizeliacum pro expeditione Terræ sanctæ, anno 1146.

Concilium Parisiense, & Rhemense an. 1148. adversus Gilbertum Porretanum. In priori disputatum est cum eo, sed in secundo tantum, opera divi Bernardi convictus, & conversus est.

Concilium Trevirense an. 1150. quo summus Pontifex annuit, ut sancta Hyldegarda revelationes suas scriptis mandaret.

Concilium Balgienciacense, quo matrimonium Ludovici Regis Franciæ, & Eleonoræ Ducis Aquitaniæ Filiæ propter consanguinitatem, consentientibus partibus, solutum est.

Sub Alexandro III.

CONCILIABULUM Papiense a Frederico Imperatore illegitime indictum, ideoque ab Alexandro Papa declinatum, in causa Victoriis III. Antipapæ, & Alexandri III. an. 1160.

Pseudo-Concilium Laudense ab eodem Imperatore Frederico contra jus adunatum an. 1161. in gratiam ejusdem Victoris.

Concilium apud Novum Mercatum in Normannia eodem anno, de receptione Papæ Alexandri III. & refutatione Victoris Antipapæ.

Concilium Belvacense eodem tempore & pro eadem causa.

Concilium Turonense, & Clarandonense an. 1164. illud adversus Antipapam Victorem, & ejus asseclas: istud vero est pseudo-Concilium, in quo aliqui Episcopi subscripsere quibusdam Legibus Regiis, privilegiis Ecclesiæ adversantibus.

Pseudo-Concilium Northamptoniense eodem an. adversus S. Thomam Cantuariæ Archiepiscopum.

Concilium Lateranense, in quo Fridericus Imperator excommunicatus, anno 1168.

Concilium Cassiliense in Hibernia ann. 1172. pro reformatione morum.

Concilium Abrincatense, in quo Henricus qui sancti Thomæ mortem procuraverat, absolutus est, anno 1172.

Concilium Lumbariense adversus Albigenses, ann. 1176.

Concilium Venetum, an. 1179. in quo Alexander III. & Fredericus pacem ineunt.

Concilium Lateranense III. Oecumenicum pro reformanda Ecclesia contra hæreses Catharorum, & Schismaticos ab Antipapis creatos, an. 1180.

Sub Lucio III.

CONCILIUM Veronense pro auxilio adversus Mahumetanos, ann. 1185.

Sub Urbano III.

CONCILIUM Parisiense pro expeditione contra Turcas, anno 1186.

Sub Clemente III.

CONCILIUM Parisiense anno 1188. contra Saladinum Turcarum Regem.

Sub Cœlestino III.

CONCILIUM Divionense contra Philippum Regem Galliæ ob repudiatam uxorem, an. 1197.

Concilium Eboracense pro morum reformatione, an. 1197.

Sub Innocentio III.

CONCILIUM Londoniense an. 1200. pro reformatione Ecclesiæ.

§. I.

Observationes in Concilium Lateranense I. Northamptoniense, Lateranense II. Rhemense & Lateranense III.

CABASSUTIUS not. Eccl. Conc. de Con-

Concilio Lateranensi I. ann. 1123. celebrato sic loquitur pag. 399. " Quamvis „ generalis Synodus VIII. constituisset „ can. 22. nemini Principum, aut potentium licere ingerere se Episcoporum „ electioni, aut promotioni: quamvis etiam primus inter Christianos Imperator „ Constantinus in sua ad Episcopos qui „ Nicenæ Synodo non interfuerant Epistola, quam referunt integram Theodoretus & Gelasius Cyzicenus, hanc auream & omnibus sæculis memorabilem „ sententiam circa Conciliorum auctoritatem tradidisset: *Quidquid in sacris „ Consessibus actum est, id omne ad Dei consilium referri debet.* Nonnulli tamen Germaniæ Reges & Imperatores a Constantini pietate degeneres, jura Episcopatuum & Abbatiarum conferendarum „ sibi asserebant, & cum fœdissimo ac „ Simoniaco mercatu sacras dignitates „ venales habebant, ideoque indignissimos „ viros ad eas assumebant, unde nascebatur grandis morum & sacræ disciplinæ „ corruptela. Huic pesti Romani Pontifices ex officio conati sunt occurrere, „ atque omnium maxime Gregorius VII, „ dictus antea Hildebrandus &c.

Concilium Londinense seu Vvesmonasteriense an. 1125. can. 2. sic loquitur: *Interdicimus etiam ut pro chrismate, pro oleo, pro Baptismate, pro pœnitentia, pro visitatione infirmorum seu Unctione, pro communione corporis Christi, pro sepultura nullum omnino pretium exigatur.*

Concilium Lateranense II. generale anno 1139. can. 6. hæc habet: *Decernimus etiam ut ii qui in ordine Subdiaconatus & supra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Ecclesiastico beneficio careant, cum enim ipsi templum Dei, vasa Domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse & dici, indignum est eos cubilibus & immunditiis deservire.*

Quod Concilium Rhemense magnopere celebrat, est victoria Ecclesiæ adversus Gilbertum Episcopum Pictaviensem, pari subtilitate, profunditate, & pietate divi Bernardi superatum, qui tandem illum ad meliorem frugem reduxit. Ergo sentiebat Gilbertus abstracta in Deo, puta divinitatem, bonitatem, &c. non esse Deum. Triplex conventus ad illum debellandum habitus est; prior quidem Antysiodori, alter vero Parisiis, in quibus vana Logicæ astutia fugit e manibus: tertius tandem Rhemis, ubi sancti Bernardi argumentationibus ita de veritate convictus fuit, ut suos extemplo ejuraverit errores.

Sanctus Abbas Gilbertum profligavit isto maxime sancti Augustini loco e capite 18. Libri 2. de Trinitate excerpto, ubi hæc habentur de Deo: " Ipsa enim natura „ vel substantia, vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est, id„ ipsum quod Deus est. „ Tum ipse Sermone 80. in Cantica pag. 2. edit. 1056. sic Gilbertum, & suos alloquitur: " Di„ vinitate, inquiunt, Deus est, sed Divinitas non est Deus. Forsitan non di„ gnatur Deus esse, quæ tanta est ut faciat Deum. Sed si Deus non est, quid „ est? Aut enim Deus est, aut aliquid „ quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse; sed ne nihilum quidem, ut opinor, dabis, quam „ usque adeo necessariam Deo esse fateris, „ ut non modo absque ea Deus esse non „ possit, sed ea sit. Quod si aliquid est „ quod non est Deus: aut minor erit Deo, „ aut major, aut par. At quomodo minor, „ qua Deus est? Restat aut majorem fateris, aut parem. Sed si major est, „ ipsa est summum bonum, non Deus. Si „ par, duo sunt summa bona, non unum. „ Quod utrumque Catholicus refugit sensus. Jam de magnitudine, bonitate, justitia, sapientiaque, idem per omnia „ quod de Divinitate sentimus: Unum in „ Deo sunt, & cum Deo. Nec enim aliunde bonus, quam unde magnus: nec „ aliunde justus, aut sapiens, quam unde „ magnus, & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quam unde „ Deus, & hoc quoque non nisi se „ ipso. „

Concilium Lateranense III. mira statuit pro paupertate Evangelica Can. 10. his verbis: *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio, non peculium permittantur habere, non singuli per villas & oppida, seu ad quascumque parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictionem expectent: Salomone dicente; Væ soli, quia si ceciderit, non habebit sublevantem.*

Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat, is autem qui acceperit officii sui privatione mulctetur. Si verò peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro injuncta ei fuerit administratione permissum, a communione removeatur altaris. Et qui in extremis cum peculiis inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat; nec inter fratres recipiat sepulturam. Quod etiam de diversis religiosis præcipimus observari. Abbas etiam qui ista diligenter non curaverit, officii sui jacturam se noverit incursurum.

Synopsis rerum gestarum Sæculi Duodecimi

PRIMO: Gregorius VII. Ecclesiæ jura pro collatione beneficiorum propugnat, & simoniæ labem dissipat.

Secundo: Castitas injungitur Clericis, & Subdiaconi habentes uxores, ad superiores Ordinum gradus ascendere prohibentur, quia minister altaris, teste Malachia cap. 2. 7. Angelus Domini est, aut esse debet.

Tertio: Paupertas Evangelica pro Monachis celebratur, & transgressores privantur sepultura Ecclesiastica.

De Conciliis Decimitertii Sæculi & actitatis in eis.

§ I.

Sub eodem Papa Innocentio III.

CONCILIUM in Scotia de initio celebritatis Dominicæ anno 1203.

Concilium Romanum, quo Otto IV. Imperator anno 1210. per Innocentium Imperio deponitur.

Concilium Vaurense & Murellanum an. 1213. adversus Petrum Arragoniæ Regem, qui favebat Ecclesiæ hostibus.

Concilium Londiniense, quo Joannes Rex Angliæ anno 1214. ab excommunicatione absolvitur.

Concilium Lateranense IV. Oecumenicum 400. Episcoporum & 800. aliorum Patrum contra Albigensium, Amalrici, & Joachimi Abbatis hæreses, simul & pro reformandis moribus, ac Terra sancta recuperanda, anno 1215.

Eodem anno Apud Montem pessulanum, in quo Simon de Monte forti declaratus est Dominus terrarum, quas ab ipso devicti Albigenses antea possidebant.

Sub Honorio III.

CONCILIUM Oxoniense anno 1222. pro reformatione Clericorum.

Concilium Germanicum sub Conrado Cardinali & Episcopo Portuensi contra concubinarios, & simoniacos Clericos, anno 1225.

Concilium Vvestmonasteriense in causa duarum præbendarum, anno 1226.

Concilium Narbonense an. 1227. adversus eos qui flocci faciebant Ecclesiæ potestatem, maxime vero contra Raymundum Tolosæ comitem.

Sub Gregorio IX.

CONCILIUM Romanum I. ubi Fredericus Imperator anno 1228. excommunicatus est.

Concilium Parisiense eodem anno, in quo Raymundus Tolosæ Comes excommunicatus, ductus nudus in camisia, & bracis, & nudis pedibus ad altare Ecclesiæ reconciliatus est die Parasceves.

Concilium Tarraconense, quo Jacobi Arragoniæ Regis matrimonium cum Eleonora solvitur, Alphonsus tamen ex illo procreatus connubio, coronæ legitimus hæres proclamatus est, anno 1227.

Concilium Castri Gonteri an. 1231. pro disciplina.

Concilium Romanum an. 1234. pro expeditione Terræ sanctæ.

Concilium Narbonense anno. 1235. quo mandatum est PP. Dominicanis, ut pro extirpandis hæresibus laborarent.

Concilium Londinense an. 1237. pro reformanda Ecclesia Anglicana.

Concilium Connaci an. 1238. pro disciplina.

Concilium Norsestertiense an. 1245. pro disciplina.

Concilium Tarraconense contra Vvaldenses, an. 1242.

Sub Innocentio IV.

CONCILIUM Lugdunense I. Oecumenicum in causa Friderici II. Imperio deponendi, & pro expeditione Terræ sanctæ, an. 1245.

Sub

Sub Clemente IV.

CONCILIUM Viennense per Guidonem Legatum sedis Apostolicæ celebratum in causa morum Ecclesiæ, an. 1267.

Sub Gregorio X.

CONCILIUM Lugdunense II. Oecumenicum plusquam 700. Episcoporum contra errores Græcorum, & pro recuperatione Terræ sanctæ, aliisque de causis celebratum an. 1274.

Concilium Salisburgense pro recipiendis Lugdunensis Synodi constitutionibus, eodem anno.

Concilium Tarraconense, quo statuta est canonizatio sancti Raymundi de Pegnafort, an. 1269.

Sub Honorio IV.

CONCILIUM Herbipolense an. 1287. in præsentia sedis Apostolicæ Legati, & Rudolphi Imperatoris habitum pro contributionibus expostulandis, quæ tamen non fuerunt concessæ.

Sub Nicolao IV.

CONCILIUM Ravennate pro disciplina anno 1286.

Concilium Salisburgense, de Hospitaliorum, Templariorum & Teutonicorum Ordinibus congregandis, anno 1291.

Concilium Aschaffenburgense, sub Gerardo Moguntinensi Archiepiscopo habitum an. 1292.

Sub Bonifacio VII. vulgo VIII.

CONCILIUM Lugdunense, anno 1297. de Vectigalis a Principibus non imponendis Sacerdotibus.

§. II.

Observationes circa Concilium Lateranense IV. anno 1215. celebratum sub Innocentio III.

Mira fidei de SS. Trinitate professio.

CAPITE I. sic habetur: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus, æternus & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater & Filius & Spiritus sanctus: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper & fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens. Consubstantiales, & coæquales, omnipotentes & coæterni. Unum universorum principium, creator omnium invisibilium, & visibilium & incorporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Diabolus enim & dæmones alii a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit. Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates discreta.* Tum exponit Dominicam incarnationem, realitatem corporis Christi per transubstantiationem explicat, ac tandem spiritualem per Baptismum regenerationem.

Pergit Concilium & Can. 2. primum damnat errores Abbatis Joachim, qui quaternitatem in Deum inducebat, dicens SS. Trinitatem non esse unam & eamdem rem, ita ut natura foret a personis realiter distincta: "Damnamus, *ait*, „ ergo & reprobamus libellum sive tractatum, quem Abbas Joachim edidit „ contra Petrum Lombardum de unitate, „ seu essentia Trinitatis, appellans ipsum „ hæreticum & insanum, pro eo quod in „ suis dixit sententiis, quo modo quædam „ summa res est Pater & Filius & Spiritus sanctus, & illa non est generans, „ neque genita, nec procedens. Unde asserit quod ille non tam Trinitatem, „ quam quaternitatem astruebat in Deo, „ videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam, manifeste „ protestans, quod nulla res est quæ sit „ Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, „ nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamvis concedat, quod Pater, „ & Filius, & Spiritus sanctus sunt una „ essentia, una substantia, una natura,

„ Verum unitatem hujusmodi non veram „ & propriam, sed quasi collectivam, & „ similitudinariam esse fatetur, quemad- „ modum multi homines dicuntur unus „ populus. „

Tum suam de identitate personarum fidei professionem emittunt Patres Synodici, & ita loquuntur: *Nos autem sacro & universali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro quod una quadam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius & Spiritus sanctus, tres simul personæ & singulatim quælibet earumdem: Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universarum principium, præter quod aliud inveniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud: Sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino. Ut secundum Orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur.*

Canon V. de ordine Patriarcharum, Pallio, & Cruce.

Sic habet ille Canon: *Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam quæ disponente Domino super omnes alias ordinaria potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate: ita quod postquam eorum Antistites a Romano Pontifice receperint Pallium, quod est plenitudinis officii Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento, licenter & ipsi suis suffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem. Dominicæ vero crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana & ubique summus Pontifex extiterit præsens: vel ejus Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem provinciis eorum jurisdictioni subjectis, ad eas cum necesse fuerit provocetur, salvis appellationibus ad sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus deferendum.*

Canon XXI. omnis utriusque sexus, *de Confessione facienda proprio Sacerdoti, & Eucharistia sumenda semel in anno.*

CAPUT illud propter congressus & varias inter Theologos disceptationes sæpius habitas, percelebre est. Ecce littera: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipse non possit solvere vel ligare.*

Quidam non ad spiritum, sed ad Canonis litteram attendentes, propugnant vacuas esse confessiones, quæ alii a proprio Parocho fiunt: Sed contra communis est ceterorum Theologorum sententia, quæ suo loco, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, ex professo discutimus, aliquid tamen solo veritatis amore, & Deum unice præ oculis habens, pace prioris sententiæ defensorum, dico confessiones alteri a Parocho Sacerdoti regulari, vel sæculari Episcopi ordinarii licentia munito, factas, esse validas & licitas.

Præmittendum est summum Pontificem esse proprium Sacerdotem in tota Ecclesia, Episcopum vero in propria diœcesi: ad utrumque spectare eligere & approbare Sacerdotes, qui confessiones audiant, quod quidem jus Concilii Lateranensis decreto non est abrogatum; hoc vero supposito, quæstionis resolutio facilis est.

Igitur nomine proprii Sacerdotis intelli-

gen-

gendus est quilibet Sacerdos Episcopi calculo munitus: seu nomine proprii Sacerdotis ordinarii intelligitur Parochus; extraordinarii vero & delegati omnis Sacerdos approbatus. Quod quidem probatur multis momentis.

Primo: Ex ipso Concilio Lateranensi, quod cap. 10. non solum non excludit ceteros Sacerdotes ad confessiones audiendas quocumque anni tempore, sed præcipit Episcopis, ut tales sibi adjutores assumant: „ Præcipimus tam in Cathedralibus, quam in aliis conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac ceteris, quæ ad salutem pertinent animarum. „

Secundo: Nec istud Concilium, nec Tridentinum postea adunatum in hac materia limitant potestatem Episcopi, ita ut tempore Paschali non possit approbare Sacerdotes, qui vel isto tempore confessiones audiant.

Tertio: Eo solum motivo Concilium Lateranense statuit Fideles, & hoc juxta Episcopi ordinationem, Parocho sua deponere peccata, ut ex hoc ministerio titulum ad percipiendas pro victu & vestitu decimas haberet, cum ante non solverentur nisi Confessori; quia vero inter Parochos quidam vel virtute, vel scientia & morum suavitate cor tangebant, multo plures præ ceteris habebant confessiones audiendas, & consequenter decimas; hinc nonnulli ad vitam fovendam vix haberent, idcirco ad postulationem eorum cautum est, ut semel in anno Fideles sua deponerent Parocho peccata, vel alteri si vellent, obtenta prius ab illo licentia; sicque ex hac dependentia, Parochum decimis non defraudabant. Ita refert Theodulphus Aurelianensis in suo Capitulari, & habetur 1. parte Decreti dist. 6. de pœnitentia, causa 23. cap. *Placuit*. Ceterum cum Ecclesiarum Rectores nunc pro vita sustentanda habeant censum & reditum annuum, cessat absolute ratio, qua aliquis Canonem ad litteram de solo parocho intelligendum esse propugnaret: sensum Canonis allatum confirmant multa diplomata Pontificia in gratiam Religiosorum mendicantium concessa: confirmat & Illustrissimus DD. Harleus Parisiensis Archiepiscopus, qui anno 1683. die 26. Aprilis, astantibus Parochis & aliis quam pluribus Doctoribus Sorbonicis in aula sui palatii adunatis, auditis pro utraque opinione Theologis celeberrimis, stetit pro opinione quam defendimus, & candide confessus est eam genuinum Canonis sensum complecti.

Canon LXIV. de dotibus Monialium.

NEFANDA simoniæ lues non semel in Monialium conventus pro receptione Novitiarum irrepsit, quæ non nisi pactione de pingui dote facta ad professionem non suscipiuntur. Contra hunc abusum sacra Synodus hæc statuit: *Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores; paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare; ne id de cetero fiat, penitus prohibemus, statuentes, ut quæcumque de cetero talem pravitatem commiserit, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ, ad agendum perpetuam pœnitentiam, retrudenda.*

Quæstio non movetur de bonis & pecuniis quæ ultro & ex mera gratuita voluntate puellæ & domicellæ conferunt Monasterio in quo religiosam emittunt professionem; neque etiam præcise de dote aliqua pro vestibus & alimentis novitiatus anno suppeditandis, cum Concilium Tridentinum Sess. 25. de refor. Cap. 16. permittat tunc temporis aliquid pro victu & vestitu sumere, sed de dote pacto retribuenda, ita ut nisi solvatur, Novitia tametsi probata & qualitatibus ex jure requisitis adornata, non emittat professionem. Rursus considerandum & attendendum est pro explicatione Canonis, num Monasterium divitiis & bonis affluat; an e contra egestate prematur? Variæ sunt de hoc momento sententiæ, quæ ad tres redigi queunt.

Sententia. Quidam existimant licitum esse pacisci de dote ante professionis emissionem pro victu & vestitu, quæ cum sint res temporales pecuniis absque simoniæ labe possunt redimi, & suppleri

sive

sive Monasterium sit opulentum, sive non, ut constat de dote matrimoniali ad onera matrimonii sustinenda juxta L. 1. pro oneribus C. de *jure Dot.* etiam in opulentissimis familiis, quamvis matrimonium ineundum sit res sacra & Sacramentum. Sic censet Lessius Lib. 2. de just. & jure cap. 35. dub. 23. sic Soto, sic Azorius 1. p. Lib. 13. cap. 9. q. 1. sic Bonacina tract. de Simonia disp. 1. q. 7. §. 4. n. 4. 5. 6. Alii in partem prorsus oppositam abeunt, & propugnant Canonem nullo modo permittere pactum inire de dote, sive Monasterium sit opulentum, sive etiam tenue. Tertia eaque inter duo extrema media est sancti Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Raymundi & aliorum multorum, qui fieri posse de dote solvenda pactum docent, sed tribus sub conditionibus: Prima quidem est, quod pactum de dote solvenda non fiat pro ingressu religionis & professione emittenda; cum enim hæc sint res sacræ, dubio-procul simonia ibi adesset. Secunda, ut monasterium sit ita tenue, ut expensas pro vita alenda & vestimentis, sustinere nequeat, nisi illi necessaria suppeditentur: tunc enim non est contra Dei legem, sin minus lex violaretur; præcisio enim mentalis distinguendo speculative de dote concedenda non quidem pro ingressu religionis, sed pro victu & vestitu, levior est & non sufficit ad impediendam simoniam, cum utrumque a parte rei sit indivulsum, & moniales pro motivo receptionis æque & sæpius maxime ad argentum attendant; simonia autem juxta realitatem pecuniæ mensuretur, hinc cum agatur simul & de annumeranda puella inter moniales, & consequenter necessario de illa alenda & vestienda, receptio utrumque respicit, unde duplex istud objectum per modum unius se habet, adeoque est ex utroque complexum motivum recipiendi puellam ad professionem. Quarta conditio sequitur ad opinionem SS. Doctorum, videlicet, ut in casu quo Monasterium admodum tenue est, non recipiatur puella dotem exhibens, si aliunde dotibus animæ careat; sic enim res spiritualis, nimirum professio religiosa pro pecunia numerata concederetur, quod citra dubium simoniæ crimen esset. Jam SS. Doctorum auctoritates hic texere juvat.

Sanctus Thomas de hoc momento in 4. Dist. 25. q. 2. art. 2. ad 7. sic loquitur: „ Dicendum, quod cum possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo qui in loco illo vult servire Deo, non quasi pretium religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere, & ideo non committitur simonia. „ Tum 22. q. 100. art. 3. hoc ipsum probat ex stipendiis Clericorum ad sacra obeunda Mysteria. Deinde vero ad 4. argumentum, in quibus aliquid a personis quas recipiunt Moniales exigitur, sic „ respondet: Dicendum, quod pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium. Licet tamen si Monasterium sit tenue quod non sufficiat ad eas personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibeat, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiunt Monasterii opes. „ Hæc resolutio locum habet, maxime quum piæ & devotæ Moniales, ut non semel contingit, sunt ita affectæ, ut si de facto Monasterium posset absque dote sustentare puellam omnibus numeris absolutam, utique gratis lubenti animo eam reciperent ad professionem.

Sanctus Bonaventura non leviora pro isto capite profert Tom. 1. Opusculorum proposit. 18. ubi hanc sibi factam ab æmulis Religionis & obtrectatoribus proponit objectionem: *Cum ergo sitis informatores earum Monialium, scilicet sanctæ Claræ, quare permittitis quod plures apud eas impure, id est, per pecuniam recipiantur, qua si nihil secum ferrent, nullatenus reciperentur, & aperte simonia videtur.*

Sic respondet sanctus Doctor huic objectioni: Ut satis faciamus quærentibus, sciendum quod quantum spectat ad hanc materiam quadruplex est forma recipiendi in Ordinem qualemcumque. Primo, quando aliquis recipitur non pro pecunia, nec cum pecunia, sed pure pro Deo, & ista est purissima coram Deo & hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret tamen reciperetur pro Deo, & similiter hoc purum est coram Deo, sed caute agendum est coram hominibus ne

„ ne detur eis occasio scandali, & ne fit „ ibi affectus avaritiæ infectus ex spe „ lucri. Tertia, quando quis recipitur „ pro pecunia, nec tamen reciperetur „ sine pecunia, eo quod non habent ali-„ ter ei qui eum recipiunt in necessitati-„ bus corporis providere, cum tenues „ facultates domus vix sufficiant jam re-„ ceptis, nec ad eas audeant plures re-„ cipere, & istæ suis necessitatibus spo-„ liare, ita quod talis persona quæ sic „ recipitur si abundaret locus, sine pe-„ cuniis reciperetur . . . Quarta si ali-„ quis recipiatur amore pecuniæ, ita „ quod si possent pecuniam illam habere „ sine persona, non reciperent personam, „ sed ut habeant pecuniam personam re-„ cipiunt: & hoc penitus impurum est „ & simoniacum, quia ibi pecunia est „ causa receptionis personæ & non e „ converso. „

Concinit S. Raymundus Lib. 1. Summæ cap. 1. §. 22. ubi sic loquitur: " Si Mo-„ nasterium esset adeo tenue vel pauper-„ tate depressum, quod redditus vel vix, „ vel non sufficerent personis præsenti-„ bus solum intentionem posset habere, „ sed etiam credo quod posset dicere „ non sufficiunt nobis, libenter suscipi-„ mus te ad spiritualia, ad temporalia „ non possumus, nisi habeamus plures pos-„ sessiones: & tunc ille offerat se & sua. „ Quod autem dicitur in Constitutione „ *Concilii Lateranensis*, eodem cap. *Quo-„ niam* vers. paupertatis prætextu de si-„ monia, intelligitur cum hoc dicebant „ in fraudem.. „

Idem habetur glos. in d. c. *Quoniam*: " Posset dici, *ait*, quod si ita pauperes „ sunt quod non possunt ibi alias aliquo „ modo aliquem recipere, quia non ha-„ berent ibi victum, possunt sub hac for-„ ma recipi, non habemus quid demus „ tibi pro victu nisi tu portes tecum un-„ de vivas. Dum tamen hoc non dica-„ tur in fraudem. „

Inferes ex his, I. Neminem posse paci-sci de pecunia per modum dotis ad in-gressum religionis solvenda, quia tunc res spiritualis pro temporali conceditur. II. Nec dotem exuberantem exigere licitum est, ut compertum habemus in multis Monasteriis, quæ nedum dotem sed pin-guissimam sic postulant, ut nisi confera-tur non pateat ad Conventum aditus, tunc enim ultra debitum & necessitatem solvitur, adeoque est simonia, jam enim professio religiosa alligata est magis pe-cuniæ solvendæ, quam virtutis exhibi-tioni.

Neque vero relaxiori opinioni favet ma-trimonii exemplum; cum enim sit es-sentialiter contractus civilis quo sit socie-tas non quæcumque, sed juxta statum & conditionem inter homines sustinenda, & ista de die in diem filiorum educandorum generatione accrescat, citra livorem, & simoniæ labem dos quæcumque exigi pot-est, cum ratio Sacramenti sit Matrimo-nio ut contractui naturali & civili ad-ventitia, e contra vero Professio Religio-sa per se rei spiritualis induit rationem, ita ut dos se habeat solum per accidens & ut conditio sine qua non in hypothe-si qua deficiunt pro victu & vestitu fa-cultates.

De Canonibus & actitatis decimo-quarto, & decimo-quinto Sæculo.

§. I.

De Sæculo XV.

Sub eodem Bonifacio VII.

CONCILIUM Romanum de disciplina & morum reformatione, anno 1302.

Sub Clemente V.

CONCILIUM Salisburgense I. an. 1310. de Decimis Sedi Apostolicæ solvendis.

Salisburgense II. eodem anno, ubi quæ-dam statuta penalia pro disciplina & mo-rum integritate facta sunt.

Concilium Moguntinum eodem anno ce-lebratum in causa Templariorum.

Concilium Viennense Œcumenicum con-tra hæresim Beguardorum & Beguina-rum, ubi & de Templariis extirpandis actitatum est, ann. 1311.

Concilium Ravennate II. eodem anno pro reformatione disciplinæ.

Ravennate III. eadem de causa, anno 1314.

Sub

Sub Joanne XX. vulgo XXII.

CONCILIUM Ravennate IV. an. 1317. Bononiæ celebratum.

Concilium Sabinense in Hispania ann. 1322.

Concilium Toletanum sub Joanne Archiepiscopo Toletano, ann. 1324.

Concilium Avenionense contra Nicolaum Antipapam.

Sub Benedicto XI. vulgo XII.

CONCILIUM Toletanum sub Ægidio Archiepiscopo, ann. 1339.

Sub Clemente VI.

CONCILIUM Toletanum alterum ab eodem Episcopo adunatum, ann. 1347.

Sub Innocentio V.

CONCILIUM Toletanum sub Blasio Archiepiscopo anno 1355.

Sub Urbano VI.

CONCILIUM Palæstinum in Hispania sub Petro de Luna, anno 1388.

§. II.

De Sæculo XV.

Sub Gregorio XII.

CONCILIUM Aquilejense in Austria pro tolendo schismate, ann. 1409.

Conciliabulum in Arragonia, eodem anno, auctoritate Benedicti Antipapæ.

Concilium Pisanum, eodem anno, quo Gregorius & Benedictus deponuntur & Alexander V. eligitur.

Sub Joanne XXI. vulgo XXIII.

CONCILIUM Constantiense generale, anno 1414. incoatum, finitum vero anno 1418. conta schisma & Hussitarum hæreses.

Sub Martino III. vulgo V.

CONCILIUM Romanum, anno 1059. Ibi Berengarius, ejurata hæresi, tertio fidem catholicam confessus est.

Synodus Engilenheimense in causa Hugonis & Arteldi Rhemensis Archiepiscopi, anno circiter 948. vel 1048.

Synodus Augustana pro reformatione disciplinæ, ann. 1452.

Sub Eugenio IV.

CONCILIUM Basileense Œcumenicum anno 1431.

Concilium Florentinum generale, ann. 1439. contra errores Græcorum.

Sub Nicolao V.

CONCILIUM Turonense pro reformandis moribus, ann. 1448.

Eodem anno Conciliabulum CP. adversus reunionem in Florentino factam.

Concilium Lugdunense, ann. 1449. pro schismate inter Nicolaum Papam, & Felicem Antipapam tollendum.

Concilium Coloniense, ann. 1452. pro disciplina.

Sub Calisto III.

CONCILIUM Suessionense, ann. 1456. pro disciplina.

Sub Paulo II.

CONCILIUM Eboracense, anno 1466. pro disciplina.

Concilium Coloniense 1470. ubi statuta judiciaria jamjam facta, confirmata sunt.

Sub Sixto IV.

CONCILIUM Toletanum 1473. pro reformandis moribus.

Sub Innocentio VIII.

CONCILIUM Senonense, ann. 1485. de veneratione erga Ecclesiam, & disciplinam Ecclesiæ.

§. III.

§. III.

Observationes in Concilium Basileense.

IN illo Concilio decretum emissum est contra frivole appellantes, tum concessa est Communio sub utraque specie Hussitis, ut adducerentur ad fidem, & cum Ecclesia reconciliationem: Sed nihil inde emolumenti ex eorum pertinacia contigit. Pragmatica Sanctio ibi incohata est, tum formam, & incrementum suscepit in conventu Cleri Gallicani Bituricensis sub Carolo VII. & postea abrogata pacto inito inter Leonem X. & Franciscum nomine Primum. Demum insigne sess. 36. dixit & fecit pro cultu sanctissimæ Virginis, cujus immaculatam Conceptionem agnoscit & prædicat.

§. I.

De Conciliis XVI. Sæculi, & actitatis in eis.

Sub Julio II.

CONCILIABULUM Turonense, an. 1510. contra Julium SS. Pontificem.

Conciliabulum Pisanum Œcumenicum contra eumdem Julium, indictum an. 1511.

Sub Leone X.

CONCILIUM Lateranense V. generale anno 1517. contra Pisanum, & Turcas, ac pro reformatione: ibi Pragmatica Sanctio abrogata est, fuerat autem inchoatum ann. 1512. & terminatum est ann. quo supra.

Concilium Bituricense anno 1518. adversus Lutheri errores.

Concilium Senonense pro reformatione Clericorum, tempore Clementis VII. celebratum sub R. P. Antonio Duprat versus eadem tempora.

Sub Paulo III.

CONCILIUM Coloniense ann. 1536. pro reformatione Clericorum.

Concilium Augustanum pro reformatione Cleri, ann. 1548.

Concilium Trevirense eodem anno pro reformatione.

Concilium Coloniense II. ann. 1549. pro eadem causa.

Concilium Moguntinum & Trevirense II. an. 1549. utrumque in causa fidei & morum.

Concilium Tridentinum Œcumenicum adversus Protestantes, & depravatos Cleri mores. Tot mira fecit pro fide explananda, maxime pro Sacramentis, cultu sanctarum imaginum, &c. ut sit ceterorum Conciliorum velut appendix. Sub Paulo III. ann. 1545. inchoatum, sub Julio III. Marcello II. & Paulo IV. continuatum. Denique sub Pio IV. absolutum est ann. 1563.

Sub Pio IV.

CONCILIUM Mediolanense I. a S. Carolo an. 1545. pro reformatione adunatum.

Sub Pio V.

CONCILIUM Mediolanense II. ab eodem Sancto, & pro disciplina an. 1569. celebratum.

Sub Gregorio XIII.

CONCILIUM Mediolanense III. pro eadem causa sub eodem sancto Carolo.

Concilium Mediolanense IV. V. & VI. pro eadem causa, & ab eodem beato Cardinali adunatum III. & IV. an. 1573. ann. 1579. VI. ann. 1582.

Recentiores Historiographi addunt Constantinp. & Tortosanum II. Rothomagense, Cairi, & aliud. Primum an. 1565. pro observatione Concilii Tridentini sub Pio IV. Constantinopolitanum II. eodem anno. Tertium ann. 1575. sub Gregorio XIII. pro disciplina. Quartum, an. 1561. pro disciplina. Quintum, an. 1582. sub eodem Papa ubi actitatum est de reconciliatione Coptitarum cum Ecclesia Romana.

Concilium Rhemense ann. 1583. pro disciplina, & executione Concilii Tridentini.

Concilium Burdigalense pro disciplina, & erectione Seminariorum, ad Instar B. Caroli, 1583.

Concilium Turonense, & Andegavense eodem ann. pro disciplina.

Con-

Concilium Bituricense pro disciplina, anno 1584.

Concilium Aquisgranense, ann. 1585. pro disciplina.

Concilium Mexicanum eodem anno pro disciplina.

Sub Sisto V.

CONCILIUM Tolosanum ann. 1590. pro disciplina.

Sub Clemente VIII.

CONCILIUM Avenionense an. 1594. pro executione Concilii Tridentini.

Concilium Aquilejense ann. 1596. pro eadem causa.

Concilium Diamperiense ann. 1599. ad stabiliendam obedientiam erga Sedem Apostolicam, & contra errores Nestorii.

§. II.

De Conciliis Sæculi XVII. & actitatis in eis.

Sub Paulo V.

CONCILIUM Mechliniense ann. 1607. pro disciplina.

Concilium Narbonense pro disciplina an. 1609.

Concilium Senonense ann. 1612. adversus librum, cujus titulus erat: *De potestate Ecclesiastica, & politica, adversante juribus Ecclesiæ Gallicanæ & regni.*

Concilium Aquisgranense eodem anno & pro eadem causa.

Concilium Mesopotamiense anno 1616. pro suscipienda confessione fidei a Paulo V. missa ad Eliam Babyloniæ Patriarcham.

Concilium Burdigalense ann. 1624. pro disciplina.

Sub Urbano VIII.

CONCILIUM Constantinopolitanum anno 1639. adversus Cyrillum Lucarem Patriarcham Constantinopol. qui abnegata fide, confessionem Genevensem adoptavit.

Concilium Constantinopol. alterum ann. 1642. a Parthenio juniore ad perstringendos Calvini errores.

§. III.

De actitatis Sæculo decimo-octavo.

Sub Benedicto XIII.

CONCILIUM Lateranense pro disciplina, & fide contra Novatores. In eo confirmata est Bulla *Unigenitus* Clementis XI. felicis recordationis contra Quesnelli errores.

De auctoritate Patrum & Sanctorum Doctorum, qua Ecclesia contra impugnantes defenditur.

CONSTAT ab enumeratione laudata controversiarum Ecclesiam ab omni ævo hostes habuisse infensissimos, nedum inter Paganos qui Martyrum sanguinem vi & tormentis eo fuderunt scopo, ut eorum fidem tentarent, verum etiam inter Christianos, qui ad spiritum erroris attendentes nova, ut carni & passionibus indulgerent in perniciem animarum sic prædicarunt, ut gemens & dolore suspirans exclamet Cant. 1. 5. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Sed Spiritus Sanctus cujus providentia in sui dispositione non fallitur, opposuit Patres, & sanctos Doctores, qui fidei depositum, & Ecclesiam quam Christus suo acquisivit sanguine, viva voce & scriptis contra obstrepentes defenderent. Eorum de aliqua veritate unanimis consensus nunc locus Theologicus, nunc fidei regula nuncupatur. Quomodo hoc sit intelligendum, in speciali aperiendum & explicandum est. Unde sit

DISSERTATIO ULTIMA,

De Sanctis Patribus & Doctoribus, quorum consensus est fidei regula.



HETERODOXI parvi faciunt Patres & Doctores sanctos, quippe qui Traditionem abjiciant, & spiritui privato etiam pro fidei dogmatibus vel astruendis, vel ad suam phantasiam explicandis attendant; sed contra quod dicit Apostolus Ephesiorum 4. 11. 14. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum... ut jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

Dogma de consensu Patrum & sanctorum Doctorum pro defendendis fidei articulis quatuor potissimum modis explicatur & propugnatur.

PRIMO, designando quinam Doctores & Patres Ecclesiæ vocandi sint.
Secundo, quomodo consensus Patrum & Sanctorum Doctorum sit fidei regula.
Tertio, exhibendo methodum pro intelligendis eorum scriptis.
Quarto, declarando eorum opera.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam nomine Doctoris & Patris Ecclesiæ donandi sint?

CONCLUSIO PRIMA.

Illi soli Doctores Ecclesiæ dicendi sunt, qui eminenti & doctrina, & sanctitate floruerunt, quosque uti tales declaravit Ecclesia.

PROBATUR isto brevi sed efficaci argumento. Id muneris est pro Doctore purgare, illuminare & perficere fidelium animas; hoc enim spectat Ordinem Hierarchicum: Sed ad hæc obeunda munia requiritur ut Theologus luceat simul & ardeat; luceat quidem doctrina & scientia, ardeat vero charitate & amore: Et probatur. Primo quidem Doctor debet ceteros illuminare, juxta illud Matthæi 5. 13. *Vos estis sal terræ . . . vos estis lux mundi*; quæ quidem verba, juxta Interpretes, intelliguntur de sanctis Doctoribus: dicit enim Augustinus Lib. 1. de sermone in monte cap. 6. " Per quos con„ diendi sunt quodammodo populi . . . „ per quos a vobis error auferatur. „ Debet quoque Doctor sanctitate fulgere; ibidem enim subditur Matthæi 5. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Et vers. 19. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*. Denique debet accedere declaratio Ecclesiæ; ad illam solam quippe spectat conferre honoris gradus & dignitates, cum non omnis Doctor Ecclesiæ nuncupetur, juxta illud 1. Cor. 12. 29. *Numquid omnes Apostoli? Num-*

Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Patres debent iisdem jam laudatis, gaudere dotibus, insuper & competentem habere antiquitatem.

PROBATUR ex Scriptura sacra. Legitur in libro Deuteronomii cap. 32. 7. *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi:* Nec mirum, Pater spiritualis gignit in Christo filios: juxta illud 1. Corinth. 4. 15. *Nam si millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Jesu, per Evangelium ego vos genui;* & de facto pater debet filios antecedere: Ergo &c.

Observandum est Apostolos, eorumque discipulos esse per antonomasiam Ecclesiæ Patres, quippe qui dicantur ejus fundamenta, Eph. 2. quocirca nomine Patrum intelligendi veniunt, non quilibet Episcopi, tametsi in Conciliis vocentur Patres, neque alii qui nonnumquam instruunt populos, sed illi qui & doctrina & sanctitate floruerunt, qui ex officio fidem adversus impugnantes defenderunt, qui populos in fide edocuerunt; qui denique ab Ecclesia isto præclaro donantur titulo.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES contra primam conclusionem: Non requiritur sanctitas ut aliquis Ecclesiæ Doctor celebretur: Ergo &c. Probatur antecedens. Theophilus Alexandriæ Episcopus, vir erat crudelis, & vindictæ cupidus, & tamen a Concilio œcumenico 5. collatione 8. inter sanctos Doctores annumeratur. Sic enim habetur: " Super " hæc sequimur per omnia & sanctos Pa- " tres, & Doctores Ecclesiæ, Athana- " sium, Hilarium ...... Theophilum. " Confirmatur: Theophilus fuit S. Chrysostomo ita infensus, ut eum e sede dejici, & in exilium mitti fecerit: Igitur nullo modo fuit Sanctus.

Respondeo I. distinguendo: Non requiritur ad Doctorem Ecclesiæ sanctitas omnimoda & universalis per totum vitæ spatium, concedo: finalis, nego. Nonnulli comperti sunt aliquando pro morali in Patribus nævi: nec ab eis Theophilum per omnia purgare contendimus, sed zelum fidei habuisse, & in pace Ecclesiæ ultimum clausisse diem, nemo diffitetur, cum & a Concilio laudato inter sanctos Doctores annumeretur; & beatum illum nominent ipsi Romani Concilii sub Gelasio habiti Patres.

Respondeo II. concesso antecedente, distinguendo consequens: Theophilus errore facti deceptus infensus fuit S. Chrysostomo, concedo: animo odii, nego. Epiphanius ipse noluit fundere preces cum S. Chrysostomo dum Constantinopolim appulit, eo quod crederet illum favere Origenistis; ipse vero quandiu vixit, adhæsit Theophilo, qui eodem detentus errore S. adversabatur Chrysostomo.

Repones: Si Ecclesiæ declaratio requiratur ad constituendum Doctorem, sequitur quatuor tantummodo esse Ecclesiæ sanctæ Doctores, videlicet SS. Gregorium Magnum, Augustinum, Ambrosium, & Hieronymum; hos enim solos, nulla facta de ceteris mentione, Doctoris Ecclesiæ honoribus celebrandos proposuit Bonifacius VIII. in sua Decretali, quæ incipit: *Gloriosus Deus in Sanctis suis.* Et habetur in 6. lib. 3. titulo: *De reliquiis & veneratione Sanctorum*, capite unico: Atqui tamen præter illos alii sunt SS. Doctores, videlicet S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem dico, Bonifacium ceteros non abnuere Ecclesiæ sanctæ Doctores: Sed solum statuere, ut per universas orbis Ecclesias, 12. Apostolorum, Evangelistarum, tum & 4. præfatorum Ecclesiæ Latinæ Doctorum festa solemniter sub duplici celebrentur officio; quem honoris gradum ceteris non contulit, qui tamen postea etiam & divo Thomæ, & S. Bonaventuræ concessus est; illi a Pio V. isti a Sixto V. tum omni consentiente Ecclesia, inter Doctores Ecclesiæ speciali Bulla annumerati sunt.

Oppones contra secundam conclusionem: Tertullianus, Origenes, Eusebius Cæsariensis, Rufinus, inter Patres annumerantur, & tamen certum est non fuisse Sanctos: Igitur sanctitas non requiritur ad hoc ut aliquis dicatur Ecclesiæ Pater.

Respondeo, laudatos Auctores ab Ecclesia nusquam fuisse inter Patres annumeratos: Sic scribit Alphonsus Baptista Ordinis

nis Prædicatorum in sua pro Patrum auctoritate apologetica defensione, pag. 85. his verbis: " Doctissimus fuit Tertullianus, sapientissimus Origenes, eruditissimus Eusebius Cæsariensis, & tamen Ecclesia numquam Doctores suos appellavit eos, nec aliquis ausus est eos tali titulo nuncupare, quod multis aliis contigit, non solum doctrina, sed etiam sanctitate præstantibus. " Ceterum tres priores habuisse nævos a quibus non deflexisse constat, norunt omnes.

Dices: Divus Bernardus inter sanctos Ecclesiæ Patres jure merito ascribitur, & tamen non est plurimum antiquus: Igitur antiquitas non est necessaria ut aliquis Patris Ecclesiæ titulo gaudeat & donetur.

Respondeo ad Ecclesiam spectare determinare antiquitatem, & ab ea etiam dispensare: sufficit ut declaret illos esse Patres, & uti tales propter eorum exanthlatos pro fide defendenda labores uti tales haberi velit. Porro secundum morem antiquitas prærequiritur, eo quod Patres primorum sæculorum magnis floruerint virtutibus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Illi soli Doctores Ecclesiæ dicendi sunt, qui scientia & virtute floruerunt, Patres vero his dotibus addunt antiquitatem.

PRIMUM patet, nam Doctor dicitur lux mundi; quia vero, teste divo Bernardo, lucere parum est, lucere simul & ardere debent Doctores, maxime cum virtus magis exemplo quam verbo edocenda sit.

Secundum utique claret; Pater enim, ut vox ipsa sonat, antiquitatem importat, juxta illud Deut. 32. 7. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Non requiritur omnimoda sanctitas ut aliquis dicatur Ecclesiæ Doctor, cum quidam nævi attribuantur Patribus, sed sufficit ut zelo fidei Doctores ducti sint, & in pace Ecclesiæ ultimum clauserint diem.

Secundo: Sufficit quoque ad antiquitatem, aliquorum sæculorum numerus, si accedat Ecclesiæ auctoritas, maxime cum ætas senectutis, teste Scriptura, Sap. 4. 9. sit vita immaculata.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum consensus Patrum sit regula infallibilis fidei?

PRÆNOTANDUM est ad hoc, unanimem prærequiri Patrum consensum, & quidem in dogmate: Si enim aliqui aliter de aliquo puncto quam ceteri opinarentur, modo Ecclesia non declarasset contrarium, aliorum sententia fidei regula nondum esset.

Notandum II. necessarium esse pro isto momento expressum vel saltem tacitum Ecclesiæ consensum: sicut enim ad illam spectat Scripturæ & Traditionis, ita & Patrum sensus prodere, ut non semel in Conciliis factum est, quum Ecclesia textus Hæreticorum a judicio comparativo cum sanctorum Patrum contextibus proscripsit.

CONCLUSIO.

Unanimis consensus Patrum est regula infallibilis fidei.

Probatur multipliciter.

PRIMO, ex veteri Testamento: Seniores quippe veluti consiliarii Moysis circa credenda, Deo ordinante, oracula pandebant: & his auditis, pronuntiabat Moyses, Num. 11. 16. 17. dixit Dominus ad Moysen: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium Tabernaculi fœderis, facies que ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Rursus Exod. 24. & Deuter. 17. legitur quoque in L. 2. Machab. 4. 9. fuisse apud Judæos Gymnasia, ut juxta Doctorum sententiam unanimem aperiretur genuinus Scripturæ sensus,

& hoc per Traditionem quæ vocabatur lex oralis, seu *Cabala*: non enim erat determinatus textuum sensus, hinc ad Doctores spectabat illum prodere & interpretari, qui quidem non habebatur ut genuinus, donec doctissimorum una esset sententia. Denique Septuaginta qui pro Rege Ptolemæo Scripturam sacram ex hebræo græce reddiderunt, in sententiis quoad omnia capita ita adunati sunt, ut veluti unus solummodo appareat interpres: quam quidem unanimitatem Hieronymus & alii Patres tanti fecerunt, ut illam Septuaginta editionem veluti inspiratam habuerint, idcirco & interpretatio Lxx. veluti fidei regula habetur: Igitur consensus Doctorum est regula fidei infallibilis.

Secundo ex novo Testamento: Christus Matth. 18. 20. ait: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et B. Petrus ait homines sanctos locutos fuisset ut a Deo inspiratos: quod certe negari nefas est de Patribus, dum in unum consentiunt: ille quippe in fide astruenda consensus absque speciali Dei protectione non est, maxime vero cum res religionis & captum in credendo, & vires in observanda moralitate Christi longe superent. Denique Apostolus Ephesiorum 4. totum declarat, cum ait de Christo: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis, plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*: Sed frustra Christus dedisset & Pastores & Doctores pro unitate fidei servanda, & defendenda contra impugnantes, si Patres alicujus sententiæ tenaces in hoc essent fallibiles: *Ergo &c.*

Tertio, ex ipsa Ecclesia quæ sic loquitur de S. Hieronymo: *Deus qui in exponendis sacris Scripturis S. Hieronymum Confessorem tuum Doctorem maximum providere dignatus es*: De sancto Thoma: *Deus qui Ecclesiam tuam S. Thomæ mira eruditione clarificas, &c.* Idem dicit de Hilario, Ambrosio, & aliis SS. Doctoribus, ac Patribus, quos veluti a Deo inspiratos audit: Sic enim ait: *Deus qui populo tuo æternæ salutis beatum Hilarium Ministrum tribuisti .... Præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis*: Ergo &c.

Quarto, ex Conciliis: Eadem Ecclesia testatur in eis se sequi sanctorum Patrum & Doctorum fidem atque mentem: sic loquitur in Chalcedonensi: *Hæc est fides Patrum*. Clemens V. in Viennensi conclamat: *Nos ad SS. Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus*. Tridentinum Decreto de Scripturis sacris sic loquitur: *Decernit, ut nemo, sua prudentia innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*. Tum idem Concilium opera divi Augustini & S. Thomæ cum sacris Scripturis præ oculis habet, ut in iis purissimis fontibus suas hauriat definitiones: Et de facto Canones Conciliorum circa fidem ex sententiis Patrum, immo & sæpissime ex verbis eorum & terminis desumpti sunt; sic Canones Concilii Arausicani secundi pro necessitate gratiæ ex scriptis beati Augustini desumpserunt Patres: Quid plura? Tridentinum Sess. 4. in decreto de editione, & Librorum sacrorum usu sub pœna anathematis prohibet, ne quis Scripturam sacram contra unanimem sanctorum Patrum sensum interpretari audeat: quæ quidem sententia magnum est infallibilitatis pro consensu Patrum argumentum: Ergo &c.

Quinto, ex ipsa Traditione, quæ tota innititur Patrum auctoritate, quæque ad nos usque eorum sententiis transmittitur: Sed Traditio est infallibilis fidei regula: Igitur & consensus Patrum; immo Pelagius II. declaravit scripta beati Augustini pro necessitate gratiæ esse normam fidei:

fidei: Idem dicit Gelasius de expositione beati Augustini in Scripturam sacram: Ergo &c.

Sexto, ratione eaque Theologica. Portæ inferi non possunt adversus Ecclesiam prævalere, juxta irrefragabile Christi effatum & oraculum: Sed si omnes Patres essent fallibiles, etiam dum in unum consentiunt, profecto portæ inferi prævalerent adversus Ecclesiam; nemo enim pro certo haberet Scripturarum sacrarum sensus, cum illi nobis per Patres manifestentur, vel ipsa Ecclesia in Conciliis adunata in suis quoque erraret definitionibus & judiciis, quippe quæ pro illis dandis attendat ad Patrum sententias, nec quicquam nisi prius, illis auditis, aut pro fide astruenda, aut pro hæresi aliqua damnanda decernat: namque contra Heterodoxos procedit a judicio comparativo cum scriptis Patrum ut videat quid sit cum eis vel conforme, vel dissonum; sic textus Nestorii in Concilio Ephesino a judicio comparativo cum textibus Athanasii, Ambrosii, & aliorum Patrum proscripti sunt: Ergo &c.

Diluuntur objectiones Hæreticorum.

OBJICIUNT I. Consensus Patrum est quid humanum: Igitur non est regula infallibilis fidei. Confirmatur: Sententiæ Patrum variis sæpius subteguntur involucris, tum vix potest genuinus eorum apperiri sensus. Justinus Martyr opinionem Millenariorum esse contra Ecclesiæ fidem, asserere non dubitat: neque vero intelligi potest Augustini sententia Lib. 7. de Baptismo circa requisitam ad tale Sacramentum intentionem: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Consensus Patrum est quid humanum materialiter & juxta litteram, concedo: formaliter, & quoad unanimitatem sensus, nego. In ipsis Prophetarum libris duo sunt attendenda, videlicet vox & litteræ scriptæ, deinde vero sensus: Primum quidem esto humanum sit, quippe scripserint in nota sibi lingua, sed posterius a Spiritu sancto processit, qui & quandoque litteram dictavit, ut non semel supra diximus: Idem dicendum de consensu unanimi Patrum pro aliquo fidei dogmate: Enim vero cum ibi tractent de rebus captum humanum excedentibus, non sine protectione Spiritus sancti, eaque speciali unanimis pro dogmate exurgit consensus.

Ad confirmationem, non diffiteor loca paululum & obscuriora & duriora in libris Patrum adinveniri, sed explicanda sunt per clariora & ad eorum attendendo principia; non semel tamen contingit altitudinem & profunditatem Mysteriorum parere in simplicibus obscuritatem, quæ quidem sane refundenda non est in Patrum textus.

Neque vero etiam diffiteor difficile ac fere impossibile esse explorare & invenire omnium Patrum consensum, cum multorum nos lateant opera, & plurium perierint scripta: verum, ut optime advertit Gammachæus & alii cum eo subnotant, ille unanimis consensus non est mathematice sumendus, ita ut ne unius quidem desit, sed moraliter; nempe ut sit consensus omnium circiter, & fere omnium, eo modo quo res morales sumi debent: maxime vero cum singulorum notiones de aliquo conveniant dogmate: Ita pronuntiat Cardinalis Perronius in responsione ad majoris Britanniæ Regem: " Tunc unanimis Patrum consensus cumu„ late probatus æstimari debet, cum sin„ gularum Nationum eminentissimi in ali„ cujus rei assertione consentiunt, ita ut in„ ter illos nemo, qui semper Orthodoxus, „ semper Orthodoxis adhæsit, dissentiat. „

Ad Justinum respondeo cum R. Patre Bernardo de Monfauconio in sua nova editione, S. Justini locum laudatum fuisse defloratum, nec haberi opinionem Millenariorum esse totius Ecclesiæ fidem: Sed dato & non concesso S. Justinum ita protulisse, in hoc illi non credit Ecclesia, quippe qui adhæserit Millenariis.

S. Augustinus ibidem cap. 58. suum clare prodit sensum, cum post varias explicationes de hoc momento, se manere pendulum & alicujus Concilii pro isto capite expectare definitionem dicat. Mitto alias difficultates petitas ex dissensione Patrum, modo circa festi Paschatis celebrationem, modo etiam de rebaptizatione, quæ certe nihil faciunt ad propositum, cum impræsentiarum agamus de unanimi pro aliqua re sanctorum Patrum consensu, & illum solummodo unanimem veluti infallibilem regulam conclamemus: Et ut omnis

tollatur æquivocatio, dicimus ad Ecclesiam spectare judicare de consensu Patrum, & suo usu, suaque sententia pondus infallibilitatis hujusmodi consensui imprimere.

Instabis: Nullus Patrum in particulari est infallibilis: Igitur neque omnes conjunctim sumpti. Probatur consequentia: Primo quidem, quia conjunctio novam non addit eorum scriptis virtutem: Secundo, non esset hæreticus qui negaret doctrinam aliquam nondum ab Ecclesia definitam ac propositam, tametsi omnes illam propugnarent Patres: Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam; non enim sine speciali S. Spiritus protectione evenit, omnes Patres de aliqua re circa salutem convenire; maxime vero cum dicat ipse Christus se esse in medio eorum, qui pro ipso legatione apud fideles funguntur, & ejus vacant gloriæ. Consensus igitur unanimis argumentum est Patres locutos fuisse ut a Deo inspiratos: hinc denotat illuminationem interiorem & Spiritus sancti protectionem in scribendo illos habuisse, quinimmo ipsa Ecclesia testatur Apostolum adsuisse S. Chrysostomo, ut bene de mysteriis scriberet.

Ad primam probationem patet responsio. Ad 2. distinguo: Qui negaret aliquam doctrinam ab omnibus Patribus assertam, sed nondum ab Ecclesia definitam, non foret hæreticus formaliter, & precise quatenus illam negaret contra unanimem sanctorum Patrum consensum, concedo: non foret hæreticus consequenter & illative, sive etiam præsuppositive, nego. Ratio est, quia præsumeretur negare infallibilitatem Ecclesiæ, quæ quidem est de fide, præsumeretur, inquam, istam negare infallibilitatem, si negaret doctrinam aliquam, contra unanimem SS.Patrum consensum, quem sequitur & proponit sequendum Ecclesia: quia tamen pro facto particulari nondum Ecclesia pronuntiavit; idcirco talis non censeretur formaliter hæreticus, sed certe & temerarius & errore detentus haberetur.

Urgent: Multæ Metaphoræ in scriptis SS. Patrum comperiuntur; alii enim caput sextum v.g. Evangelii secundum Joannem de sacra Eucharistia intelligunt mystice, ut S. Augustinus: alii vero & multo plures ad litteram de realitate explicant: Igitur consensus Patrum non est regula fidei infallibilis.

Respondeo I. Pro facto allato hoc fuisse ab Ecclesia de fide definitum, & ipsum Augustinum aliis in locis plurimis veritatem corporis Christi in Eucharistia prædicare & docere.

Respondeo II. distinguendo: Et Patrum sensus, juxta certas regulas aperiendus est, concedo: semotis regulis, nego. Quædam regulæ præscribuntur pro hoc momento. Prima est, quando res in sensu obvio explicari potest & litteraliter, sic debet explicari, teste ipso Augustino. Secunda, cum sensus apparet in omnibus metaphoricus, ut quando Christus, dicitur Petra: sane ad sensum metaphoricum solummodo attendendum est. Tertia, cum Patres vulgo explicant Scripturam in sensu naturali & obvio, alius non est quærendus: sic omnes explicant caput sextum Joannis de veritate & realitate corporis Christi in Eucharistia, quia tamen Scriptura multos subit sensus, potuit, litterali supposito, Augustinus mystice præfatum caput explicare. Quarta, quando brevi sermone Patres explicant sententiam, tunc sensus litteralis est; namque paraboliticus fusiori stylo delineatur. Quinta, cum oratio parit admirationem, argumentum est parabolam exprimi, v. g. cum Benjamin dicitur lupus rapax.

Quædam etiam ascribuntur regulæ ad dignoscendum, num dicta Patrum fidem spectent. Una quidem est, dum contrarium suæ Doctrinæ asserentes velut hæreticos perstringunt, sic qualificat Hieronymus Vigilantium adversus cultum & invocationem Sanctorum debacchantem. Altera, cum eorum verba fidei professionem continent, & explicant, puta quando dicunt: *Credimus*, *sic docuit Christus*, *sic tenet Ecclesia*. Hujus naturæ erant verba Sacerdotis, qui olim in Missa versus populum clamabat ad sacram Synaxim accedentibus, *corpus Christi*, & respondebant Fideles, *Amen*. Tertia, cum catecheses scribunt & componunt; eo enim solum scopo instituitur Catechismus, ut fides explicetur.

Urgent: Non semel contigit Ecclesiam modo tantum improbabilia, modo etiam falsa ea, quæ Patres veluti necessaria asse-

asseruerant habuisse : Igitur nihil certi pro fide saltem irrefragabiliter, ex consensione Patrum colligi potest. Probatur antecedens: S. Augustinus Lib. 1. de peccatorum meritis & remissionibus cap. 24. censet esse de necessitate salutis, ut parvuli baptizati sumant corpus Christi, quod & Orientales ad hæc usque tempora illis concedunt. Idem Innocentius I. in suo ad Patres Milevitanos rescripto, quod est inter Epistolas August. 95. cum Augustino sentit: Atqui tamen hoc nusquam credidit Ecclesia. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Et hoc solum probat unanimem Patrum consensum, non esse inconcussam fidei regulam, hoc est, non constituere fidei articulum, nisi accedat ipsius Ecclesiæ consensus & declaratio, concedo: si accedat, nego.

Respondeo II. S. Augustinum loqui de voto Eucharistiæ, nusquam vero de reali susceptione. Sanctus Doctor est sui ipsius interpres Lib. 3. de peccatorum meritis & remissionibus cap. 4. his verbis: "Numquid etiam illud quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam.... non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur. „ Igitur ex Augustino parvulus dum baptizatur corpus Christi sumit, saltem in fide & voto. Ita Concilium Trid. sess. 21. cap. 4. ubi ait: Nulla necessitate salutis, sed probabilem tantum ob causam, veteres parvulos usu rationis carentes ad communionem suscepisse: hoc modo explicandus est Innocentius. Ad Orientalium morem dico hoc esse tantummodo de disciplina, quæ in diversis Ecclesiis, ut plurimum etiam diversa est: immo & ipsa Ecclesia Latina antiquitus, hanc eamdem in gratiam parvulorum observabat consuetudinem; sed re maturius considerata, ab illo abstinuit ritu, eo quod parvuli non possint discernere corpus Christi, quam tamen dispositionem exigit Apostolus 1. Cor. 11. Ceterum præ oculis habendum est, non unum aut alterum Patrum unanimem omnium efficere consensum; quocirca Dallæus, nihil adversus nostram conclusionem probat.

Insistunt: Sententia Patrum non est infallibilis pro factis etiam dogmaticis. Ergo &c. Probatur antecedens: Philastrius illos credidit hæreticos, qui negabant Epistolam ad Hebræos esse divi Pauli fœtum: ita Lib. de Hæresibus cap. 41. & 79. ubi etiam dicit hæreticos qui Psalmos omnes negabant esse Davidis: sed tametsi Epistola ad Hebræos habeatur nunc ut Canonica, multi nihilominus Catholici de ejus auctore, quondam dubitabant: quoad Psalmos, certum est non esse omnes Davidis. Item Hieronymus Epistola 16. & Lib. 2. Apologiæ contra Rufinum animam immediate a Deo infundi dubitavit, sicut & S. Augustinus: sic Joannes Thessalonissensis in actione quinta Synodi Septimæ dixit Ecclesiam censere Angelos non esse omnino incorporeos, quod tamen contra fidem est: sic Fulgentius Lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 27. post Augustinum docet pueros sine Baptismo & vita migrantes ignibus subjici æternis, his verbis: " Firmissime tene, „ & nullatenus dubites.... etiam parvulos... qui sine Sacramento Baptismatis, de hoc sæculo transeunt, ignis „ æterni supplicio puniendos. „ Quod tamen Ecclesia numquam definivit. Sic V. Beda Lib. de Temporum ratione, scribit eam esse Ecclesiæ fidem, Christum anno suæ ætatis 33. obiisse: de quo tamen absque fidei discrimine disputant Historici. Ibidem contendit nulli catholico licere dubitare quin Christus luna decima quinta & feria sexta crucifixus fuerit; quod tamen Ecclesia nusquam definivit: immo variæ de isto capite inter Theologos circumferuntur sententiæ. Ergo &c.

Respondeo I. Hæc & similia nostræ non adversari assertioni, quandoquidem unanimem consensum Patrum pro regula infallibili fidei exigimus: quid plura? Consensus tametsi evadat regula pro fide irrefragabilis, contrarium tamen sentientes non habentur ut hæretici, donec accedat fidei definitio.

Respondeo II. Aliquos nævos in operibus Patrum quandoque reperiri, quocirca ad Ecclesiam loquentem semper attendendum est: ceterum auctores præfati sunt Doctores particulares quibus alii non consentiunt: Porro quilibet

in particulari infallibilitatis privilegio non donatur.

Dices: Infallibilitas quæ unanimi tribuitur consensui Patrum exurgit ex infallibilitate quæ debet esse in quolibet secundum particularem, seu singularem personam spectato: Sed nullus in particulari est infallibilis: Igitur nec est omnium consensus.

Respondeo: Infallibilitatem ex consensu unanimi resultantem exurgere quidem ex infallibilitate quam quilibet Pater in particulari habuit, quum inspiratus locutus est: sed hæc infallibilitas non dignoscitur donec accedat omnium consensio, quæ quidem unanimitas argumentum est quemlibet Patrem, ut inspiratum a Deo fuisse pro dogmate locutum, quatenus tam universalis consensus non sine speciali Dei providentia evenit; sic Hieronymus, & alii permulti septuaginta Seniores, tamquam a Deo inspirari sacram Scripturam ex Hebræo, vel græce, vel ex greco latine reddiderunt: & eorum in sententiis consensio arguit infallibilitatem.

Jam ad singula faciendum est satis. Dico ad I. Philastrium scripsisse ut Doctorem in sua sententia particularem; idem dicendum de aliis, cum nec Ecclesia, nec alii, tum Historiographi, tum Theologi unanimiter conveniant de capitibus supra laudatis. Quidam antiqui Patres de animæ creatione, non nihil dubitaverunt: Origenes posuit animas ante sua corpora multis sæculis creari, quod confutat Hieronymus, sed an educantur de materia sicut ceteræ formæ corporeæ, non movet Hieronymus de hoc quæstionem: Nonnulli Patres crediderunt Angelos subtilissima habuisse corpora, sed in hoc non fuere infallibiles, cum contrarium sanxerit Concilium Lateranense. Ergo &c.

Ad Augustinum & Fulgentium, respondeo, eos mutasse sententiam, & solum privationem Dei tribuisse parvulis absque Baptismo e vita migrantibus. Quoad Bedam certum est locutum fuisse solummodo præsumptive; non enim est de fide Christum vixisse triginta tribus dumtaxat annis, & luna quinta fuisse crucifixum: V. Beda tot & tanta scripsit, ut per tempus non fuerit ei licitum sua relegere & ponderare opera, hinc in multis non satis sibi constat: ceterum de auctore Librorum sacrorum dictum est in Tractatu de Scriptura sacra omnes Psalmos, juxta probabiliorem sententiam non esse a Davide; Epistolam, vero ad Hebræos non alium habere præter divum Paulum auctorem.

Reponunt: Patres, neque Prophetæ, neque Scriptores Canonici sunt: Igitur in quæstione de jure & facto dogmatico, uti fallibiles habiti sunt. Probatur antecedens ex S. Augustino, qui Epist. 19. ad Hieronymum, sic loquitur: " Ego fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum " libris, qui jam Canonici appellantur, " didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam.. Nec te mi, frater, sentire aliquid aliter existimo: prorsus, inquam, " non sic arbitror te legi libros tuos velle tamquam vel Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod " omni errore careant, dubitare nefarium est. " Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Quandoque Patres tametsi non Prophetæ, possunt a Deo inspirati eloqui, concedo; quod quidem nobis innotescit, dum adest unanimitas: & non possunt, nego. Verbum Dei non est aligatum, nec semel compertum est illos ita fuisse locutos, maxime cum per eos habeatur Traditio.

Persistunt: Patres unanimiter asserunt mortuos non esse vexandos: Atqui tamen Synodus V. generalis proscripsit Theodorum mortuum: Igitur non sunt infallibiles etiam, dum est omnium consensio.

Respondeo distinguendo majorem: Et sic loquuntur per indulgentiam & pietatem, concendo: statuendo pro hoc momento irrefragabilem regulam, nego. Nam ipse Augustinus scribens ad Bonifacium testatur eos qui in errore & peccato pertinaces defuncti sunt, etiam post mortem ad aliorum terrorem puniendos esse, eos scilicet sepulturæ honoribus, & suffragiis Ecclesiæ privandos: porro Theodorus ante mortem suos non abdicaverat circa Incarnationem, errores: Christum enim dicebat purum hominem, hinc jam jam in Concilio Ephesino proscriptus fuerat: quid mirum igitur si in Synodo quinta, & ipse specialiter fuerit proscriptus.

SY-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Unanimis Patrum consensus dogmate aliquo est regula infallibilis fidei.

PRIMO: Hoc colligitur Exod. 24. & Deut. 17. ubi non sine ordinatione Dei Moyses LXX. Seniores qui causas religionis discuterent, elegit; quibus auditis, sententiam de controversia mota pronuntiabat: tum ex Matth. 18. ubi Christus, ait: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Porro ubi est Christus, ibi erroris umbra protinus fugit.

Secundo: Sic habetur passim in Conciliis, quæ testantur, omnia dogmata juxta Patrum Traditionem definire; maxime Tridentinum in decreto de Scripturis sacris, præcipiens ne quis aliter quam per unanimem Patrum consensum eas explanare audeat.

Tertio: Ratio suffragatur: nam non sine inspiratione & protectione speciali Dei unanimis accedit Doctorum pro aliquo dogmate consensus, ut Hieronimus dicit de Versione LXX. maxime cum Scriptura in qua dogma fundatur plures possit subire sensus. Igitur quod multi in vero & connaturali adunentur, non seclusa inspiratione Spiritus sancti adeoque & infallibilitate fit.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Consensus Patrum in se quidem humanus est, secus reduplicative ut unanimis; sic Episcoporum consensio in Conciliis quid humanum redolet, attamen unanimis cum summi Pontificis calculo infallibilis fidei regula evadit.

Secundo: Dissensus Patrum, & quidam eorum nævi probant solum Patrum sententiam non esse fidei regulam, donec accedat consensus saltem tacitus Ecclesiæ.

Tertio: In hoc sensu intelligendus est S. Augustinus, quum Epist. 19. ait Hieronymo non esse crimen credere aliquos in eius libris scatere errores, nec ea infallibilitate, qua Scriptura donatur, illos esse celebrandos.

ARTICULUS TERTIUS.

De intelligentia Scriptorum Patrum.

QUONIAM Hetherodoxi in adulterinos sensus sanctorum Patrum auctoritates protrahunt, ut fucum faciant lectoribus, & in errorem inducant, si fieri potest etiam electos, operæ pretium est ut una falce metamus farraginem argumentorum quæ Centuriatores Magdeburgenses & cum eis Minister Dallæus adversus legitimum Sacramentorum a Christo institutorum numerum, maxime contra veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia aggerunt.

Ut igitur ordine procedamus duo potissimum, circa Patrum opera nobis examinanda & discutienda occurrunt; alterum quidem de his Operibus secundum se spectatis: alterum vero de iisdem in particulari consideratis; unde sit

SECTIO PRIMA.

De Operibus SS. Patrum in genere eorumque divisione.

OPERA Patrum sunt in duplici differentia; quædam dogmatica, quædam vero exhortatoria. In prioribus quidem clare semper locuti sunt: in posterioribus vero subobscure, & figurative, ne sancta canibus proferentur, eo quod vel coram Paganis, vel coram Catechumenis quibus mysteria non erant cito-citius committenda, propter eorum in fide infirmitatem, loquerentur. Hic res divinas pertractandi modus œconomiæ nomine a Græcis, dispensationis vero a Latinis celebratur, ut mysteria quibusdam, sicut sapientiam & prudentiam decet, occultarent.

Hæc methodus, ab ipso Christo Domino non semel celebrata est, quocirca suis ajebat Apostolis Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non .... ideo in parabolis loquor eis.* Quæ quidem ordinatio sic fundata in Christo supremo & Pastore, & Doctore, a nullo procul facienda est. Revera quidem

M 4 ipsa

ipsa posita, sensus Patrum in Controversiis fidei ex Operibus in quibus dogmatice locuti sunt, sumendus est; loca vero obscura & duriora explananda sunt & conciliandа, juxta locutionis scopum, sicque facile & absque negotio diluuntur hæreticorum sophismata, qui quidem pro more consueto loca admodum obscura & ænigmatica assumunt, & in pravos detorquent sensus, ut seducant incautos.

De divisione Operum SS. Patrum.

OCTO Operum sanctorum Patrum species vulgo distinguuntur.

Primo, Catecheses, quæ erant instructiones domesticæ & familiares, quæ solo Quadragesimæ tempore fiebant, tantummodo coram iis qui in vigilia Paschatis baptizandi erant; item & in octava Paschæ ad confirmandos initiatos in fide: in istis clare admodum & absque ænigmate loquebantur de mysteriis sancti Patres.

Secundo loco veniunt tractatus Polemyci ad fidem ab hæreticis impugnatam astruendam, & defendendam contra negantes. In iis Operibus absque ænigmate etiam loquebantur Patres. Ad hanc Operum speciem diffinitiones & confessiones fidei Conciliorum reducuntur.

Tertio, Apologiæ, quæ sunt in duplici differentia: quædam scilicet ad Ecclesiam a calumniis & Paganorum & hæreticorum purgandam fiebant, quales sunt Apologiæ duæ beati Justini Martyris, Apologia Tertulliani, & altera Athenagoræ, quæ quidem omnes, jubente & ordinante ipsa Ecclesia, juris publici factæ sunt. Quædam aliæ motu proprio auctorum compositæ sunt, ut Dialogi Minutii Felicis, & Arnobii Libri; nonnullæ etiam ad famam & honorem illustrium quorumdam Christianorum de Ecclesia non semel bene meritorum propugandum, eo quod vel de errore, vel etiam de variatione in fide falso accusarentur: ut Apologia sancti Pamphilii pro Origene, Dionysii Alexandrini, pro semetipso: duæ S. Athanasii in causa propria contra Arianorum calumnias: in his Operibus cuncta, omni seclusa ambiguitate, tractabantur.

Quarto, Homiliæ, quæ sermonis & enarrationis nomine celebrantur, quæ quidem cum catechesibus non sunt confundendæ. Enim vero Catecheses solummodo Quadragesimæ tempore & in octava Paschæ, ut dictum est, fiebant; soli Fideles & in brevi initiandi audiebant, sed non alii, ne quidem Catechumeni: Homiliæ vero in Conventu Ecclesiæ aut legebantur, aut pronuntiabantur, & hoc etiam coram Paganis, coram Judæis & Hæreticis; quocirca Patres mystice & subobscure in iis sermonibus de mysteriis loquebantur; nonnumquam tamen clare, videlicet cum soli astabant Fideles & Christiani. Sub hac specie continentur perorationes publice habitæ, similiter & ea quæ in Collationibus, in familiaribus colloquiis & disputationibus habebantur de mysteriis, de quibus aut parva, aut nulla etiam erat controversia.

Quinto: Epistolæ de diversis materiis, modo ad Fideles, modo etiam ad ceteros directæ, in quibus sancti Patres, nonnisi obscure & parabolitice suum prodebant sensum.

Sexto, Commentaria in Scripturam sacram.

Septimo, Historiæ Ecclesiasticę.

Octavo, Opera pietatis: in his & similibus œconomiæ causa propter rationem supra laudatam occultabant mysteria, nec de illis expressum habebant sermonem, si excipias Catecheses, Opera polemyca, Apologias, & quasdam etiam Homilias privatim, & coram solis Fidelibus celebratas.

Synopsis Sectionis.

INTER Patrum Opera quędam sunt dogmatica, quędam vero exhortatoria: prioribus fidem nunc explicabant, nunc etiam contra impugnantes defendebant, posterioribus utebantur ad ciendos pietatis affectus. Subdividuntur in octo generis opera, qualia sunt 1. Catecheses, 2. Tractatus Polemyci, 3. Apologiæ, 4. Homiliæ, 5. Epistolæ, 6. Commentaria in Scripturam sacram, 7. Historię, 8. Libri Spirituales.

SE-

SECTIO SECNDA.

De Operibus SS. Patrum in speciali.

ORDO rerum postulat, ut nunc opera sanctorum Patrum explanemus & discutiamus, ut cuncta ad claram methodum perducantur.

PUNCTUM PRIMUM.

De Catechesibus.

DUO hic veniunt explicanda, primum quidem de Catechesibus secundum se spectatis: alterum de accurata diligentia & œconomia, quibus sancti Patres utebantur ad explicanda mysteria: & ex utroque momento maximum eruitur argumentum pro veritate corporis & sanguinis Domini in sacra Eucharistia.

De Catecheseos Libris.

ECCLESIA ab omni ævo voluit & curavit adultos ad sanctum Baptisma accedentes prævie & ante omnia de Mysteriis nostræ Religionis edoceri. Rabanus Lib. 1. inst. cleric. cap. 25. ait eo scopo eoque fine Christum suis præcepisse Apostolis 1. docere, deinde vero aqua tingere. Justinus Apologia 2. non longe a fine, dicit illos solum baptizandos esse, qui prius fuerant inscripti. Similia profert Origenes Lib. 3. contra Celsum pag. 142. Hieronymus Lib. 4. comment. in Matthæum, Augustinus Lib. 4. de doctrina Christiana cap. 10. Isidorus Hisp. Lib. 2. de officiis Eccl. cap. 20. quocirca verba Catecheseos in sensu obvio sumenda sunt, quippe quæ ad instruendos fideles fierent; quod potest variis illustrari exemplis. Pater Æternus Matthæi 3. 17. edocens Apostolos divinitatem dilectissimi Filii sui, clarissime eam eis exponit, his verbis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Actuum 7. beatus Stephanus omni probationem genere Scribis & Pharisæis probat Christi & divinitatem & missionem.

Ex solo beato Cyrillo Jerosolymitano Catecheses ordinatas habemus; hinc præ ceteris in hoc momento audiendus est. Catecheses fieri incipiebant prima Quadragesimæ hebdomada, ut habetur præfatione Catechef. pag. 3. eo loci adhortatur Cyrillus Competentes, id est, initiandos, ut veterem exuant hominem. In tribus primis Catechesibus loquitur in genere de gratia Baptismi & pœnitentiæ; in quarta Symboli Mysteria explicat, tum pergit usque ad decimam octavam; quibus peractis, ultima hebdomada multa de Sacramentis, maxime vero de Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, quæ simul initiandis conferebantur, disserit: deinde vero Catechesi potissimum 18. pag. 224. de dispositionibus ad istorum Sacramentorum susceptionem prærequisitis habet sermonem: desunt S. Cyrilli aliorumque Patrum Catecheses, quæ de Sacramentis in particulari tractant, ea fortassis ratione quod breves admodum essent instructiones, quæ ante Pascha fiebant, eo quod solummodo complecterentur quæ fusiori calamo Catecheses post Pascha ad initiatos directæ summatim continebant.

Quintuplex genus Catecheseos post Pascha pronunciandæ apud B. Cyrillum Jerosol. invenitur: istæ vero Catecheses mystagogicæ vocantur: habemus quoque orationem Catecheticam sancti Gregorii Nysseni, tum sermones divi Ambrosii ad initiatos, & S. Gaudentii ad Neophytos. Ex hoc usu in Ecclesia Catechismum tempore Quadragesimæ in Parochiis fieri mos inolevit.

Illa particulares specialesque instructiones quæ Competentibus fiebant, consentientibus Patribus, scriptis mandabantur, ea conditione, ut nec quidquam de eis aut Paganis, aut hæreticis, aut etiam Catechumenis fideles manifestarent, ut habetur præf. Catechef. paulo post medium. S. Cyrillus ait Competentibus: „ Cum autem Catechesis recitatur, si Catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant Doctores, nihil dicas . . . . Non quod digna non sint narratione ea, quæ tibi dicuntur, sed quod indignus est ille audire, cui referres. „ Ambrosius eodem prope modo eos alloquitur Comment. in caput nonum Lucæ, ubi injungit Mysteria Catechumenis abscondere, donec ad sacrum Baptisma suscipiendum accincti sint.

Non omittendus S. Augustinus, qui præ cete-

ceteris Sermone 46. Tomo 10. per omnia se se explicat circa Eucharistiæ fidem : quo quippe loci veritatem corporis & sanguinis Christi mystice solum explicat Catechumenis, eo quod aures corporales tantummodo haberent, fidelibus vero & initiatis ad litteram explanat : „ Hi , *inquit* , qui impræsentiarum manducant „ carnem Domini , & ejus bibunt sanguinem , ponderent quid manducant , „ ne suum manducent & bibant judicium, „ ut ait Apostolus. : „ Incassum igitur Calvinistæ in suas trahunt partes S. Præsulem , ut realitatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia evacuent.

De prudentia & diligentia quam SS. Patres adhibuerunt in Catechesibus faciendis & texendis ad sensum proprium Scripturarum indagandum.

S. PATRES maturo examine prævio , in suis Catechesibus locuti sunt , ne audientes in adulterinos sacras Scripturas protraherent sensus , quocirca Neophytos & Competentes admonebant , ne metaphoras in sensu litterali assumerent ; quando vero Scriptura in sensu obvio sumi debebat , absque restrictione loquebantur ; hinc B. Cyrillus Jerosl. Catech. 10. illud pag. 84. ait de Christo: Dicitur enim ostium: „ Sed non putes ligneam esse appellationem : Sed ostium vivum , rationale , „ discernens ingredientes .... Ovis vocatur , non irrationalis , sed quæ per „ pretiosum sanguinem suum , mundum „ a peccatis mundat ... lapis vocatur , „ non inanimatus, manibus hominum ex- „ cisus , sed lapis angularis, & qui credit „ in eum , non confundetur. „ Tum vero Catech. Myst. 4. pag. 237. explicat clare & citra figuram realitatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, his verbis : „ Cum igitur Christus ipse sic „ affirmet atque dicat de pane , *Hoc est* „ *corpus meum* ; Quis deinceps audeat du- „ bitare? Ac eadem quoque confirmante „ & dicente , *Hic est sanguis meus* ; quis, „ inquam , dubitet , & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mu- „ tavit in vinum , quod est sanguini pro- „ pinquum , in Cana Galilææ sola voluntate : Et non erit dignus cui credamus, „ quod vinum in sanguinem transmutasset? „

Ex his sequitur pro astruenda veritate corporis & sanguinis Christi in sacro sancto altaris Sacramento adversus impugnantes hoc argumentum : Patres primorum sæculorum monent metaphoras nusquam in sensu obvio esse sumendas ; sed dum de sacra loquuntur Eucharistia sensum sequuntur litteralem : Igitur & corpus & sanguis Christi sunt realiter substantialiter in Eucharistia.

Fit satis objectionibus Heterodoxorum.

OBJICIUNT quidam ministri pondere auctoritatis Catecheseos beati Cyrilli superati & oppressi , hujusmodi Opera non esse tanti Patris fœtum : Igitur ex eis nihil potest concludi pro realitate corporis Christi in Eucharistia.

Respondeo negando Antecedens , quandoquidem a Patribus subsequentium sæculorum beati Cyrilli Catecheses , non semel laudantur: quinimmo iniquitas mentitur sibi , siquidem Casobonus inter Protestantes celeberrimus Exercit. 16. in Baronium cap. 103. pag. 473. eas veluti genuina S. Cyrilli opera celebrat , his „ verbis : Scio viros graves propter quæ- „ dam loca , cum in mystagogicis , tum „ in ceteris Catechesibus negare id opus „ esse γνήσιον , hoc est genuinum, Cyril- „ li ; nos præter testimonia vetustissimo- „ rum auctorum, qui ejus operis Cyrilli „ meminerunt , aut quædam etiam ex eo „ descripserunt ; Hieronymi , Theodore- „ ti , Damasceni , Photii Patriarchæ , alio- „ rum , rationes plurimæ & validissimæ , „ ut aliter sentiamus impellunt.

Instat Aubertinus : B. Cyrillus catechesi 3. Mystag. comparat Eucharistiam cum Chrismate Confirmationis , quod sicut post consecrationem panis non est communis , ita nec Chrisma , facta sanctificatione : Sed Chrisma per sanctificationem non evadit corpus Christi ; ita a pari nec panis per consecrationem.

Respondeo distinguendo : B. Cyrillus comparat quantum ad aliquid , videlicet quantum ad Sacramenti effectum transsubstantiationis cum Chrismatis sanctificatione , concedo : quantum ad conversionem & ipsius materiæ consecrationem , nego . Et concessa minore , nego consequentiam. Igitur sensus S. Præsulis est , quod sicut.

ficut Chrifma confecratum, eft Confirmationis materia, quæ juncta cum forma efficit Sacramentum operans gratiam, idem dicendum fit de pane fanctificato pro Euchariftia: Sed alia prorfus confecratio panis, alia vero Chrifmatis eft. Ille per confecrationem tranfubftantiatur in corpus Chrifti, nufquam vero Chrifma. S. Cyrillus loquitur de utraque confecratione folum relative ad effectum Sacramenti, nufquam vero ad ipfam confecrationem, quod quidem multa probant. Primo quidem eo loci S. Cyrillus folummodo per tranfennam de Euchariftia loquitur. Secundo, plura de Euchariftia quam de Chrifmate affirmat: ceterum ejus circa Euchariftiam fententia penfanda eft ex aliis Operibus, ubi ex profeffo tractat de tanto Sacramento; tunc enim plurimis, tum veteris, tum novi teftamenti fententiis ad probandam realitatem corporis Chrifti in Euchariftia utitur, quod certe inutile foret, fi Chriftus dumtaxat typice in facra Euchariftia reperietur. Denique ille Pater, cum fenfus Scripturæ figurative intelligendus eft, admonet lectorem, ut quando dicit, Chriftum non effe credendum & habendum ut portam ligneam: Atqué vero cum loquitur de corpore Chrifti, nullam admittit reftrictionem, nec monet lectorem verba inftitutionis non effe ad litteram fumenda, quod tamen ad impediendam Idololatriam, fi effent folum figurativa, facere debuiffet.

Urgent: S. Auguftinus Sermone ad infantes apud Fulgentium pag. 18. explicat Euchariftiam myftice: Ergo &c.

Refpondeo diftinguendo: Et ibi edocet initiatos de effectibus Euchariftiæ, fupponendo eos effe de myfterio realitatis fufficienter edoctos, concedo: fecus, nego. In Catechefi facta ipfo Pafchatis die, ex more perantiquo Patres inftruebant initiatos jam de realitate edoctos, de tanti Sacramenti miris effectibus, fimiliter & de effectibus tum Baptifmi, tum Confirmationis; hæc enim tria Sacramenta fimul conferebantur in vigilia Pafchæ; attamen non omnino fanctus Doctor omittit realitatis myfterium, ibi enim expreffe dicit panem fuper altare pofitum, effe corpus Chrifti, calicem vero ejus fanguinem. Idem repetit Auguftinus Sermone de diverfis 83. apud S. Fulgentium de Baptifmate Æthiopum.

Dices: Ex Patribus trium primorum fæculorum nullas habemus Catechefes: Igitur nihil certi concludi poteft ex illis momentis, aut pro realitate corporis Chrifti in Euchariftia, aut pro aliis myfteriis: quandoquidem certitudo debet ex Traditione promanare; Traditio autem ex primis fæculis habetur.

Refpondeo diftinguendo: Ex primis fæculis non extant Catechefes, eo quod fcriptis non mandarentur, concedo: eo quod nullæ extiterint, nego. Ne myfteria panderentur Paganis, vel ex fragilitate quorumdam qui cedebant perfecutionibus, aut aliis modis, & effent in fabulam, œconomiæ caufa Patres Catechefes fcribendi non faciebant licentiam. Sed reddita quarto fæculo Ecclefiæ pace, Patres Catechefes primorum fæculorum, quales audierant, retulerunt, eafque juris publici fecerunt. Tum Ambrofius Tractatu de Initiatis cap. 9. Gaudentius Brixianus ipfi coævus Sermone de ejus ordinatione Tomo 4. Bibliothecæ PP. & tractatu 2. de ratione Sacramenti, Gregorius Nyff. orat. Catechetica cap. 37. mirum in modum probant tranffubftantiationem.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Operibus Polemycis, & de Apologiis.

Duo circa hujufmodi libros obfervanda funt: Primo quidem Patres in iis operibus clare admodum loqui de controverfiæ capitibus, alias nihil probaffent contra impugnantes. Sic fanctus Ignatius animadvertens realitatem corporis Chrifti fub finem primi fæculi a nonnullis in dubium revocari, tum Epiftola ad Smyrnenfes eam ita propugnat, ut eamdem effe in Euchariftia Domini carnem cum ea quæ pro nobis in cruce paffa eft, verbis expreffis afferere non dubitet, ne fides fimplicium, hæreticorum molitione evacuaretur: alterum quod etiam prudenter obfervabant Patres illud eft, quod folummodo de capite controverfiæ agerent: fic cum Arius negavit Verbi confubftantialitatem, vocabulo *Homoufion* illam, ita explicarunt, & propugnarunt, ut ab eo abftinere non permiferint; fic S. Athanafius Epift.

Epist. de decretis Concilii Nicæni pag. 415. quocirca beatus Hilarius Lib. de Synodis sub finem, Semi-Arianorum fidei professiones, in quibus vocabulum *Homousion* reticebatur, rejecit, easque vocat fidem temporariam, seu temporum.

Ea potissimum ratione ita se se gessere Patres, quia Hetherodoxi ut fucum facerent legentibus, terminis subobscuris & involucris suam pandebant mentem, ut deciperent incautos. Sic Pelagius illusit Patribus Diospolitanis, Cœlestius Zosimo, Berengarius simplicioribus; quod quidem illi exprobrat Lanfrancus: ante ipsos idem fecere Valentiniani, de quo illos accusat S. Iræneus Lib. 1. parte 3. edit. Parif. 1639. Tertullianus Lib. contra eosdem cap. 1. & 2. Jovinianus apud Hieronymum Lib. 1. adversus eumdem, eum ejusdem insimulatur criminis: qua de causa Patres ad omnem æquivocationem tollendam, & omne hæreticis subripiendum aufugium clare semper de mysteriis in controversia motis loquebantur. Pari & consimili zelo suum acuerunt stylum adversus Priscillianistas, eo quod mendacium in gratiam religionis licitum esse propugnarent: ad hoc vitiatum evertendum principium S. Augustinus Librum de mendacio composuit, tum & Libro 7. Confessionum cap. 19. gratias agit Deo, quod adeo sit bonus & misericors, ut ad veritatis elucidationem permiserit hæreses.

Ut primum Patres fidem, grassante heresi, in periculum venire animadvertebant, statim atque prout tempus permittebat de mysteriis impugnatis edocebant fideles, ut videre est in Epistolis & summorum Pontificum ac sanctorum Patrum, quæ ut plurimum complectuntur responsiones ad dubia Christianorum circa fidem: sic S. Athanasius multas scripsit Epistolas contra perfidiam Arianam, S. Augustinus contra Pelagianos, Hieronymus adversus Helvidium, Jovinianum, & Vigilantium. Nihil aliud præcontinent Controversiarum tractatus.

Apologiæ sunt in duplici differentia, quædam pro fidei defensione, aut ejus explicatione: quædam etiam pro aliquorum Patrum justificatione datæ sunt. Primi generis est beati Justini, secunda quæ est prima, in qua quidem probat Eucharistiæ consecrationem esse ab omni crimine immunem: & hoc adversus Paganos, qui Christianos puerulum in Eucharistia occidere & mactare effutiebant. Ejusdem generis est Apologia quam Minucius Felix ad instruendum amicum composuit: Eo loci probat nostra mysteria ab omni superstitione discedere: Secundi generis est Apologia Origenis, & Dionysii Alexandrini: primus in suspicionem malæ fidei circa adorabilem Christi personam veniebat: ab hoc nævo sanctus Pamphilius martyr eum tametsi mortuum vindicavit, ne Ariani tantum doctorem in suas traherent partes. Sic referunt Vincentius Lirinensis Commonit. 1. cap. 23. Photius Codice 118. Eusebius Lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. Dionysius vero accusatus de nævis adversus sanctissimam Trinitatem, jubente summo Pontifice, ab hujusmodi conviciis se se purgavit, ne videretur adjuvare Arianorum partes. Sic refert Eusebius ibidem Lib. 7. capite 26. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 29. Athanasius de sententia Dionysii, Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Reponunt Protestantes, Epistolam beati Ignatii ad Smyrnenses non esse genuinam, adeoque nihil posse concludi ex ea pro realitate corporis Christi in Eucharistia, ubi clare explicatur & propugnatur.

Respondeo Epistolam laudatam esse genuinum beati Ignatii fœtum, cujus rei non unum argumentum est: I. Theodoretus Dialogo tertio locum supra laudatum citat, ut videre est apud Hospinier prima parte Historiæ sacræ pag. 10. Eusebius ibidem Lib. 3. cap. 36. Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, & Rufinus Lib. 4. Hist. Eccles. capite 34. illam epistolam annumerant inter Ignatii epistolas: quinimo Isaac Vossius tametsi Protestans Epistolas beati Ignatii ex manuscripto Græco undecim sæculorum vetusto fecit juris publici, & locum citatum de verbo ad verbum refert.

PUNCTUM TERTIUM.

De Homiliis Sanctorum Patrum.

HOMILIÆ SS. Patrum sunt in duplici differentia; quasdam post lectionem Scri-

pturæ sacræ, devote pronuntiabant: ut plurimum enim Scripturam sacram gradatim, unum versum post alterum, & hoc non solum præsentibus Christianis, verum etiam Catechumenis, hæreticis, Judæis & ipsis Paganis explicabant: in iis obscure admodum ne sancta darent canibus loquebantur, juxta illud Chrysostomi Orat. de S. Philogonio: " Qui mysteriis ini-„ tiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. „ Et istud S. Aug. in Psal. 109. pag. 5 7. " Fidelibus loquor. Si quid non intelli-„ gunt Catechumeni, auferant pigritiam, „ festinent ad notitiam: non ergo opus „ est mysteria promere. „ Deinde dimittebant extraneos & Sacrificium inchoabatur; ita habetur expresse Lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 57. ita apud Dionysium Lib. Eccles. Hier. cap. 31. Concilium Laodicense, canone 19. & S. Chrysostomum Homilia 17. in Epistolam ad Hebræos. Quidam quidem Africæ Episcopi volebant Judæos & Paganos arcere ab hujusmodi Homiliis, in quibus sacræ explicabantur Scripturæ; verum Patres, permultos ad fidem hujusmodi lectione converti animadvertentes, Concilium Carthaginense 4. canone 24. statuit eos admitti ad lectionem Scripturæ sacræ Homiliis explanatæ.

Quædam aliæ erant Homiliæ in quibus Patres absque figura, & parabola, & hoc solummodo coram Initiatis se se enuntiabant. Loquimur ait Theodoretus quæstione in Numeros interrog. 15. Tomo 1. obscure de mysteriis coram Catechumenis, sed illis dimissis, ea palam & clare initiatos docemus. Eadem prorsus dicit Augustinus Sermone primo in appendice De oleo sacro, & Sermone 82. de diversis Tomo 10. Cyrillus Hierosf. Catechesi 6. pag. 60. rursus Homil. 40. in primam ad Corinth. Tomo 5. Item Isidorus Pelusiota Lib. 1. Epist. 401. Chrysostomus Homilia 52. in Eustathium Antiochenum Tomo 1. Homil. 36. in 1. ad Corinthios Tomo 5. Homil. 60. ad populum Antiochenum seu Catechesi prima ad illuminandos: Homil. 24. in primam ad Corinthios: Augustinus in Psalmum 39. in his operibus omnis mysteriorum œconomia subtegitur. In his Patres reddunt rationes cur subobscure de mysteriis sermonem habeant: sed absque figura coram initiatis de sacramento Eucharistiæ mira dicunt.

Instar omnium sit sanctus Petrus Chrysologus, qui Sermone 33. sic habet: " Tetigit vestimentum mulier, & curata „ est. Miseri! qui quotidie corpus Do-„ mini tractamus & sumimus, & a nostris „ vulneribus non curamur; non Christus „ infirmantibus, sed fides deest. „ De œconomia unum Cyrillum Hierosf. Catech. 6. pag. 60. audire loquentem sufficit: " Dominus loquebatur, *ait*, in parabolis „ iis quidem qui poterant audire: disci-„ pulis vero privatim parabolas & similitu-„ dines explicabat ... Hæc mysteria Sa-„ cramentaque nunc patefacit Ecclesia ei „ qui ex Catechumenis excedit: nec mo-„ ris est Gentilibus exponere. Non enim „ Gentili cuiquam de Patre & Filio & „ Spiritu sancto arcana mysteria declara-„ mus: neque palam apud Catechumenos „ de Mysteriis verba facimus, sed multa „ sæpe loquimur occulte, ut Fideles qui „ rem tenent, intelligant, & qui non te-„ nent, ne lædantur.

Replicant Ministri tantis obruti testimoniis: Patres hyperbolice loquuntur. Ergo &c. Verum iniquitas mentitur sibi: namque hunc gerunt morem sancti Doctores: monent populos cum verba Scripturæ sacræ ad litteram & in sensu obvio non sunt sumenda; at vero cum mysteria aperiunt, in sensu obvio, & identico se se explicant.

Observandum est, quod ut primum aliquis Heterodoxus aliqua debellare mysteria incepit, tunc absque mora de iis etiam clare loqui satagerunt Patres: quocirca altum longo tempore fuit apud eos silentium de doctrina Sacramentorum, eo quod non nisi elapsis pluribus sæculis impugnata fuerit: unde non mirum si subobscure in multis Homiliis de sacra Eucharistia sermonem fecerint.

PUNCTUM QUARTUM.

De Orationibus eloquentia, & disputationibus publicis sanctorum Patrum.

In his Operibus SS. Patres œconomiæ causa non nisi de mysteriis obscure agebant, eo quod & orationes & disputationes coram extraneis ac nondum initiatis instituerent: hinc S. Gregorius Naz. Orat. 42. pag. 687.

687. ait mysteria non esse extraneis committenda: Rursus Orat. 33. pag. 532. contendit mortem potius subeundam esse, quam extraneis sacra Mysteria pandere, ea ductus ratione Theodoretus monet Eranisten in Dialogis, ut subobscure de mysteriis secum loquatur, eo quod sermonem etiam apud extraneos haberent.

Objicit Claudius Minister, S. Gregorium Naz. Orat. 17. pag. 273. non nisi mystice de Eucharistia loqui; maxime vero Orat. 11. pag. 187. quam habuit de funere sororis suæ Gorgoniæ; sed istud argumentum, quod habetur responsione ad secundum tractatum de Perpetuitate fidei prima parte cap. 40. certe claudicat: namque alibi S. Gregorius est sui ipsius interpres, præsertim vero Orat. 42. pag. 690. ubi expresse ait fideles manducare corpus Christi, & ejus bibere sanguinem: quis autem sanæ mentis dicet aliquem bibere Domini figuram: Igitur dum loquitur de antitypo Oratione undecima, non de re, sed de signo Sacramenti loquitur, cujus responsionis argumentum est, quod eamdem de Eucharistia fidem habuerit cum Ambrosio coætaneo; iste autem ut refert Theodoretus Hist. Eccles. Lib. 5. cap. 18. cum Theodosium Imperatorem ab Ecclesia propulsavit, clarissime de realitate corporis Christi disseruit, dicens non illi licitum esse corpus Christi tangere, ejusque sanguinem bibere.

PUNCTUM QUINTUM.

De Epistolis.

SANCTI PATRES iisdem innixi principiis iterum atque iterum supra & expositis & probatis, non nisi subobscure in suis Epistolis de sacris Mysteriis loquebantur, quandoquidem Epistolæ, aut subsunt omnium oculis, aut casu vel aliter ad omnium promiscue notitiam possunt pervenire: Non ita tamen mystice suam prodebant de mysteriis sententiam, quin verbis quibusdam ac terminis indirecte significarent quid vellent dicere, juxta illud tritum axioma, *pauca intelligenti*: & hoc cum ad Initiatos seu etiam Episcopos scribebant: Inter epistolas quædam ad consolationem, quædam ad Scripturæ sacræ interpretationem, quædam etiam ad solvenda religionis dubia erant directæ; & pro materiæ, personarumque varietate ac conditione, minus vel magis se se explicabant.

Hujusce œconomiæ multiplex exemplum atque probatio affertur. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum pag. 276. ait, multa omitto quæ scriptis mandare non est animus. Ibidem subdit quædam ab ipso sacra occultari. Ad hanc probandam œconomiam idem Pater Lib. 5. Stromatum pag. 276. multas adducit Apostolorum auctoritates, immo & ipsius Platonis qui Epist. 2. ad Dionysium Tyrannum, editionis vulgatæ, ait Philosophos non nisi enigmatice de Divinitate loqui debere.

Innocentius I. Epistola 1. ad Decentium Eugubinæ Ecclesiæ Episcopum, qui ab eo quædam circa Sacramentorum administrationem puncta elucidari expostulaverat, respondet se se Sacramentum Confirmationis per omnia explicare non audere, eo quod pro more antiquo Ecclesiæ Romanæ, non licitum esset omnia scriptis committere.

Eadem œconomia S. Augustinus utens Epist. 162. edit. novæ pag. 43. cap. 8. num. 23. de Eucharistia non aperte quidem se explicat, sed verbis quorum sensus capere poterant Initiati, eo quod sacrum Eucharistiæ Mysterium præcognoscerent, item & Epist. ad Dardanum: " Nosti, *inquit*, in quo sacrificio dici-„ tur gratias agamus Domino Deo no-„ stro. „ Eadem ductus œconomiæ ratione Epist. 23. edit. vero novæ 98. num. 8. scribens ad Bonifacium dicit illi Sacramenta nonnumquam significari nominibus rerum quas significant, quocirca eo loci ait Sacramentum corporis Jesu Christi esse quodammodo corpus Jesu Christi.

Ante ipsum Epiphanius in Ancoratonum. 57. ait multa in sacra Scriptura contineri de quibus nec ratio, nec modus explicatur. Mira de realitate corporis Christi in Eucharistia profert pag. 562. his verbis de Christo: " Evangelium habet, „ quod surrexit in cœna & accepit hæc, „ & ubi gratias egisset, dixit, hoc „ meum est, hoc & hoc: & videmus „ quod non æquale est, neque simile, „ non imagini in carne, non invisibili dei-„ tati, non lineamentis membrorum. Hoc „ enim

„ enim est rotundæ formæ & insensibile, „ quantum ad potentiam, & voluit per „ gratiam dicere, hoc meum est; hoc & „ hoc: Et nemo fidem habet sermoni. „

Non desunt alia ejusdem œconomiæ exempla, ut videre est in Epistola S. Augustini ad Honoratum quæ est 141, edit. novæ & Libro 2. Retract. cap. 36. ubi explicat quomodo ista Christi in cruce pendentis verba, Matth. 27. 46. *Deus meus ut quid dereliquisti me*, intelligenda sint, & quomodo Verbum factum sit Caro; quæ quidem omnia non nisi mystice explanat; Rursus Epist. 205. edit. nov. cap. 1. num. 2. ad Consentium, qui postulabat num Christus in cœlo carnem & ossa, & sanguinem haberet? utrumque obscure & similitudinibus explicat: ait quidem utendo Christi verbis Luc. 24. 39. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*; sed subdit numer. 3. Accedat fides & non relinquetur ambigendi locus, nisi fortassis de sanguine, quandoquidem cum Christus dixit, *Palpate & videte &c.* siluit sanguinem; ex quo sed perperam inferre volunt Calvinistæ, sanguinem non esse realiter in Eucharistia: concedant igitur juxta consequentiam ex verbis Christi profluentem adesse corpus, tum consequenter & sanguinem, cum corpus eo ipso quo vivum est, suum habeat sanguinem: Sed eo loci S. Augustinus ut mysterium occultet, ait quæstiones inutiles non esse instituendas; alibi vero clare admodum dicit & docet corpus & sanguinem Christi realiter esse in sacra Eucharistia; maxime Serm. ad Neophyt. his verbis: " Hoc accipite in „ pane quod pependit in cruce; hoc ac„ cipite in calice, quod manavit de Chri„ sti latere. „ Sic refert locum Paschasius Epist. ad Frudegardum.

PUNCTUM SEXTUM.

De Commentariis.

PATRES primorum sæculorum admodum Epistolas scripserunt, sed non sic de Commentariis quæ instituerunt & fecerunt modo ad Catechumenorum instructionem, modo ad genuinos Scripturarum sensus aperiendos adversus perfidiam hæreticorum, qui quidem illas non semel desloraverunt, & in pravos adulterinosque sensus detorquerunt; modo etiam ad contundendam Paganorum malam fidem, qui ex specie contradictionum in allegoriis affulgentium, Scripturas irridebant & evacuabant, ut legitur de Juliano Augusto, quem confutavit S. Hieronymus.

Inter Commentaria Patrum in Scripturam sacram quædam fusa, quædam vero brevia admodum comperiuntur: primi generis sunt Commentaria Origenis, & S. Cyrilli Alexandrini in Joannem, Ambrosii in aliqua Geneseos loca, & in Lucam: posterioris generis sunt veluti quædam notæ seu observationes in nonnulla Scripturæ loca, quales Theophili Antiocheni, Hilarii Pictaviensis, Hieronymi, Pelagii Ecclesiæ Romanæ Diaconi, Theodoreti, & Primatii.

Sanctus Ambrosius Libro de Paradiso cap. 12. versus medium dicit Scripturas sacras non esse absque interprete legendas; Hieronymus vero Epist. ad Paulinum, quæ est per modum præfationis in Vulgatam perstringit eos qui absque magistro duce sacras audent scrutari Scripturas; tum Augustinus Epist. 1. ad Volusianum adhuc infidelem quæ est 132. edit. nov. ait illi, quod si quid obscuri invenerit in Scripturis, illi os ad os explicaturus sit.

Patres plurimum desiderabant ut Pagani & Judæi, divinas cum interpretatione legerent Scripturas, eo quod compertum haberent multos hac lectione ad fidem fuisse conversos. Ad hanc provinciam adimplendam, & hunc attingendum scopum quatuor potissimum in suis Commentariis explanabant: Primo quidem ex mutua N. & V. Testamenti adinvicem relatione, Prophetias esse in Christo adimpletas probabant. Secundo, ex eodem prorsus principio demonstrabant auctorem utriusque Testamenti esse bonum; & Deum optimum esse visibilium & invisibilium auctorem & creatorem, & hoc contra Manichæos. Tertio, solvebant contradictiones apparentes, ne vana quædam & fucata ex ignorantia hominum Deo tribuerentur, quocirca Origen. Homil. 2. in Gen. ait non esse credendum Deum habere os, & brachia sicut homines habent: Christum non in sensu litterali & obvio petram esse, leonem, maledictionem, sed hæc allego-

legorice & mystice de Deo & Christo dici, ut homo capiat Deum se se hominibus manifestare, & insuperabilem habere fortitudinem, Christum vero esse veluti Petram angularem qua Fideles in Deo conjunguntur, illumque pro peccatis nostris fecisse satis justitiæ Patris, factum pro nobis in hoc sensu maledictum. Quartum, subnotant clare genuinum Scripturæ sensum contentum in capite cui contradicitur: de ceteris explicant solummodo, inquit Cardinalis Perronius Libro 1. de Eucharistia capit. 10. sensum collateralem & accessorium.

Minister Dallęus de usu Patrum 1. parte cap. 6. pag. 160. edit. Genevensis, anno 1632. asserit Patres non nisi obscure in Commentariis de Mysteriis fuisse locutos, & nihil ex istis Operibus concludi posse: contrarium propugnat Minister Claudius resp. ad secundum tractatum de Perpetuitate fidei 1. parte cap. 5. hinc ait realitatem corporis Christi in Eucharistia non esse credendam, eo quod transubstantiationem nusquam legerit in Commentariis Patrum, in quibus, inquit, ex professo explicantes Evangelistas, loqui debebant, sed certe fucum facit legentibus propter duo.

Primo quidem, quia ex dictis Patres testantur se se obscure in Commentariis loqui. Celebris est pro hoc momento Theodoreti locus, qui Comment. in caput 8. epist. ad Hebręos versu 4. & 5. Tomo 3. non nisi obscure de Sacrificio altaris, quod comparat Sacrificio Melchisedech, loquitur; subdit vero Initiatos bene capere quid dicere intendat. II. minister ille non precise ex Commentariis, sed ex aliis Patrum Operibus quædam loca subambigua assumit, ut realitatem corporis Christi in Eucharistia evacuet; ut ex Libro 2. Clementis Alexandrini capit. 2. ex Libro 4. S. August. contra Marcianum capit. 40. & contra Adimantum cap. 12. ex Lib. 9. Facundii Herm. de trium Capitulorum defensione, ex Concilio Nicæno 2. Iconomachorum actione 6. & sic iniquitas mentitur sibi.

Iterum igitur atque iterum inculcamus mentem Patrum circa mysteria ex Operibus in quibus ex professo ea tractavere aperiendam esse; quinimmo si quando verbis ea non explicaverint, quibus postea Ecclesia usa est, ad omnes hæreticos debellandos, eadem tamen quoad substantiam sufficienter clare tradiderunt, quod potest illustrari nominis consubstantialitatis exemplo, quæ vox licet a Nicæno primo fuerit solum in usu ad declarandam Verbi divinitatem, nihilominus Patres trium primorum sæculorum eam ex professo propugnaverant.

PUNCTUM SEPTIMUM.

De Historiis Ecclesiasticis & Libris pietatis.

INNIXI laudatis rationibus Patres obscure tantummodo in historiarum libris, & parabolice sermonem de mysteriis instituerunt, eo quod historiæ in omnium pene & Catechumenorum & infidelium ac Paganorum manibus sint; quem quidem gesserunt morem divinis edocti Scripturis: namque Septuaginta multa de mysteriis statuerunt, etiam de Christi divinitate, sed involucris subtexerunt, ne Rex Ptolemæus aliquod pateretur in eorum lectione scandalum, ut refert Josephus Lib. 12. Antiquit. cap. 31. ubi ait Regem alias demirantem leges a Moyse datas, expostulasse cur nullus Poeta aut Historicus ad sua usque tempora nihil de eis scripsisset, Demetrium vero ejus Bibliothecarium repondisse, illas leges esse divinas, quocirca neminem citra pęnam eo temeritatis devenisse, ut de tantis rebus dissereret, hac de causa Theopompon dementia triginta circiter dierum spatio agitatum fuisse, eo quod illi fuisset animus aliquid de eis in sua proferre historia; sed pœnitentia ductum oratione supplici avertisse a se Dei flagellum.

Hoc ipsum jamjam indigitaverat ipse Deus Exodi 3. ubi soli Moysi suum aperit nomen, & Judicum 13. 18. Manue sciscitanti ab Angelo loquente in persona Dei, quodnam esset, respondit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Eamdem servavere œconomiam Apostoli in suis scriptis. S. Paulus Act. 17. non Scripturas sacras, sed Poetas citat Atheniensibus, ut eis probet Dei existentiam, & in Epistola ad Hebræos multa de Sacerdotio Aaron pronuntiat, nihil vero de sacrificio Melchisedech, & de Eucharistia, eo quod sua Epistola deberet legi etiam coram Infide-

fidelibus, vel aliis non sufficienter de mysteriorum scientia edoctis. Triplici potissimum ratione nonnumquam occultabant mysteria Patres, primo quidem propter eorum sanctitatem, juxta illud Matth. 7. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant*; hoc est mysteria non sunt indiscriminatim omnibus & singulis manifestanda. Secundo, propter sublimitatem, idcirco omnes non poterant verbum capere. Denique propter audientium utilitatem; ad quid enim mysteria pandere iis qui ea irriderent? Hinc Scriptores Canonici quandoque utuntur metaphoris, ut cum Christus Petra & Leo vocatur, quandoque allegoriis, & figuris: sic sanctus Paulus utriusque Testamenti naturam & effectus per duos filios quos Abraham habuit, alterum de ancilla, alterum vero de libera: quandoque etiam explicat circumlocutionibus, ut soli Initiati intelligerent quid dicebant, ita Clemens Alexand. Lib. 5. Stromatum pag. 556. Augustinus Lib. 3. de Doctrina Christiana capit. 29. Denique tametsi Socrates Lib. 1. cap. 8. Theodoretus Lib. 1. cap. 12. Epiphanius in Ancorato retulerint Symbolum Nicænum, illud tamen siluit Sozomenus Libr. 1. capit. 20. de quo hanc reddit rationem, quia solis Presbyteris & fidelibus innotescere debebat.

Dices: Falsum est dicere SS. Patres occultasse mysteria in Operibus publicis; Justinus enim Apologia 2. de Eucharistia loquitur, Tertullianus exprobat Valentinianis quod occultarent mysteria, Constantinus Magnus adhuc Catechumenus adfuit Concilio Nicæno: Ergo &c.

Respondeo SS. Patres non siluisse mysteria in operibus Apologeticis; hinc Justinus de Eucharistia in Apologia sermonem habere debuit, eo quod Christiani vindicandi erant de homicidio supposititio in Eucharistia patrato: Ad Tertullianum dico, non exprobrasse Valentinianis præcise quod mysteria occultarent, sed quod ea etiam fidelibus, barbaris vocibus aperirent: Ad Constantinum vero nemo non novit non fuisse quemcumque Catechumenum, sed percelebrem jamjam de mysteriis nostræ Religionis edoctum: quid mirum igitur si Imperator de Ecclesia sæpius bene meritus adesset Concilio generali ut fidei protector.

Synopsis de contentis in Sectione.

PRIMO: Catecheses, ordinante Ecclesia, quondam fiebant, ut Initiandi disponerentur ad Baptismum suscipiendum, & ex hoc usus invaluit Catechismum in singulis Parœciis fieri, ut modo Catechumeni ad Baptismum, modo adulti juniores jam Christiani ad Eucharistiam in Paschate sumendam instruantur.

Secundo: S. Cyrillus Hierosolymitanus ordinavit Catecheses, & scriptis mandavit, quod prioribus sæculis Patres non permittebant, ne propter sævientem persecutionem fragiles cederent tormentis, & sacra Paganis panderent mysteria, quibus pro more in odium Christianorum illusissent.

Tertio: Tametsi Patres quandoque economiæ causa de realitate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia aut prorsus siluerint, aut subobscure locuti sint, data tamen occasione eam claris terminis exponebant.

Quarto: Incassum quidam Calvinistæ, Catecheses B. Cyrilli tentare volunt, cum Cassobonus inter Protestantes celeberrimus Exercit. 16. in Baron. cap. 103. pag. 473. candide fateatur ex ipsis subsequentium sæculorum Patribus constare, illas esse genuinum Cyrilli Hierosolymitani fœtum.

Quinto: Patres in Catechesibus ad Initiatos, tum & in libris Polemicis & Apologeticis clare de mysteriis, & omni seclusa metaphora & ambiguitate loquebantur, cum sermonem haberent vel apud fideles quibus datum fuerat nosse mysteria, vel contra Infideles & Hæreticos ad ea defendenda; in ceteris Operibus solum obscure, ne ignari, vel mali blasphemassent, quod ignorassent.

ARTICULUS QUARTUS.

De numero & qualitate Operum SS. Patrum.

AD plenam Patrum notitiam non absre erit hic texere celebriora eorum Opera, quibus Ecclesia quondam usa est ad fidem contra obstrepentes defendendam, & ut

& ut datur occasio, ad nostra usque tempora adhuc utitur.

§. I.

De Clemente Romano, anno 102.

S. CLEMENS patria Romanus, Apostolorum coadjutor & discipulus fuit, quartus post Petrum summus Pontifex, cujus meminit S. Paulus ad Philipp. 4. 3. septem urbis regiones divisit 7. Notariis, singulas singulis attribuens, qui Martyrum passiones & Acta colligerent: sequentia Opera illi vel tribuuntur, vel ejus nomine celebrantur.

Primo, duæ ad Corinthios Epistolæ. Duæ aliæ ad Jacobum fratrem Domini: Tres aliæ ad diversos. In secunda quæ est ad Jacobum, agit de Sacramentis & sacris vestibus.

Secundo, Libri decem Recognitionum.

Tertio, Libri octo Constitutionum Apostolicarum.

Quarto, Canones Apostolorum saltem ab ipso Clemente græce conscripti sunt, latine vero a Dionysio Exiguo, qui florebat ann. 540. traducti sunt.

Quinto, Liturgia S. Clementis.

Dubitatur num secunda Epistola ad Corinthios, & secunda ad Jacobum, sint fœtus S. Clementis. In prima quæ est ad diversos, agit de officio Sacerdotis & Clericorum. Aliæ duæ nomine quidem Clementis circumferuntur, sed ab ipso non fuerunt scriptæ. Libri Recognitionum inter apocryphos communiter sunt rejecti. Similiter & Libri Constitutionum Apostolicarum. Idem judicium ferendum de Canonibus Apostolorum: quia tamen hujusmodi opera sunt antiquissima & præclara tum ad fidem fovendam, tum ad disciplinam regulandam, & mores probe instituendos continent, sunt magni ponderis, & a Theologis sæpius celebrantur & citantur. Bellarminus existimat Liturgiam esse genuinam, & post ipsum R. P. Annatus Congregationis Doctrinæ Christianæ Præpositus generalis in suo apparatu ad Theologiam positivam Lib. 4. pag. 269.

§. II.

De Clemente Alexandrino, ann. 220.

CLEMENS Alexandriæ natus, istius Ecclesiæ Presbyter, Pantæni Philosophi Auditor, tum, illo defuncto, in Schola Alexandrina successor fuit, ubi & Origenis Magister extitit. Floruit sub Severo Imperatore, secundo cadente Sæculo, obiit vero ineunte tertio circa annum Christi 220. varia, miraque reliquit scripta, e quibus supersunt sequentia.

I. *Oratio* exhortatoria ad Gentes pro fide amplectenda.

II. *Libri* Pædagogi tres pro eodem fine concinnati.

III. *Libri* Stromatum octo, sic dicti ob miram rerum varietatem quam ibi sternit: " Ideo, *ait Annatus*, loco citato pag. 270. „ vulgo Clementis Alexandrini Stromata „ vocantur, hoc est, stragula, eo quod „ sicut stragulæ vestes sint veluti ex variis centonibus contextæ; & ab his pariter stromateus auctor ipse vocatur; „ in eo siquidem opere nedum varia de „ divinis Litteris sternit & contexit, sed „ si quid sit apud Græcos scitu dignum „ affert, sicque varia de Philosophia & de „ religione miscens, veram & Christiano „ dignam tradit scientiam. „

In primo libro ostendit Philosophiam utilem esse: in secundo agit de his quæ Græci ab Hebræis suffurati sunt. In tertio de Matrimonio. In quarto de Martyrio. In quinto debellat Valentinum & Basilidem. In sexto scribit Græcos nedum ab Hebræis, sed etiam a se invicem, alios ab aliis suæ doctrinæ mutuasse dogmata. In septimo impugnat Græcos & Ethnicos a quibus Christiani vocabantur Athei. In postremo ostendit veritatem demonstratione & ratiocinio comparari.

§. III.

De sancto Ignatio Martyre, ann. 111.

EVODIO a B. Petro Antiochiæ creato Episcopo e vivis erepto, ei in Pontificatu successit Sanctus Ignatius auditor Sanctis Joannis Evangelistæ, *Theophorus*, hoc est, Deifer: propter ardentem in Christum amo-

amorem dictus, Romæ damnatus ad bestias occubuit. Variæ sub ejus nomine circumferuntur Epistolæ: Septem genuinæ sunt, juxta sanctum Hieronymum, qui in Catalogo Auctorum Eccl. de illis sic loquitur: " Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ " tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commovente persecutionem " Trajano, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur: cumque navigans Smyrnam venisset, ubi Polycarpus auditor Joannis Episcopus erat, " scripsit unam epistolam ad Ephesios, " alteram ad Magnesianos, tertiam ad " Trallenses, quartam ad Romanos: & " inde egrediens scripsit ad Philadelphios, " & ad Smyrnæos, & propriam ad Polycarpum commendans illi Antiochensem " Ecclesiam. "

§. IV.

De S. Dionysio Areopagita, ann. 120.

DIONYSIUS Athenis oriundus, & Areopagi, ut ferunt multi, quondam Senator, adhæsit B. Paulo coram Senatoribus de Christo peroranti; sic enim habetur Act. 17. *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses ... Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis ... Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita*, &c. Parisios ad prædicandam fidem cum Rustico & Eleutherio appulit, ut suo loco probavimus, quod satis innuit Epistola Galliæ Præsulum ad Eugenium II. apud Baron. Tom. 9. in Concilio Parisiis adunato ann. circiter 824. sic enim scribunt: " Nec vobis tædium fiat, si ad " ostendendam rationem veritatis, sese " paulo longius sermo protraxerit, dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis " Patribus nostris, usque ad nos, inflexibiliter ducta est, beato Dionysio scilicet, qui a S. Clemente, qui B. Petri " Apostoli primus successor extitit, in " Gallias cum Duodenario numero primus Prædicator directus, & post aliquod tempus una cum sociis huc illucque, " prædicationis gratia, dispersis, martyrio coronatus est. " Hæc sunt ejus opera.

I. *Liber* de cælesti Hierarchia in 15. capita distributus, ubi docet in genere quid sit Hierarchia, tum ejus Ministros tam superiores, quam inferiores & singulorum munia in speciali delineat.

II. *Alter* de Ecclesiastica Hierarchia, de qua eadem prope methodo discurrit. Capita 17. complectitur.

III. *Liber* de divinis Nominibus: Eo loci mira & ineffabilia de perfectionibus Dei dicit, 17. habet capita.

IV. *Liber* de Theologia mystica in quinque capita partitus. Non absimilia tractat his, quæ de divinis nominibus scripserat: Ibi multus est sermo de Deo uno & trino, de perfectionibus Dei &c.

§. V.

De Dionysio Alexandrino, ann. 259.

DIONYSIUS successit Heraclæ Episcopo Alexandrino. Dum simplex erat Sacerdos Scholam Catecheseon summa cum laude occupavit, quippe qui fuerit Origenis auditor celeberrimus. Varia edidit opera.

I. *Commentaria* in Ecclesiasten; in primam ad Corinth. in Apocalypsim, & plura alia apud Eusebium & Hieronymum notata.

II. *Varia* ad varios Epistolæ. Prima ad S. Xystum Romanum Episcopum. Secunda ad Dionysium Papam. Tertia ad Paulum Samosat. Insignis sane Epistola paulo ante mortem scripta, additis responsionibus ad decem ejus quæstiones. Quarta ad Fabium de Pœnitentia, & ut quidam legunt ad Flavianum Antiochiæ Episcopum. Quinta ad Dionysium Romanum Pontificem Apologetica, apud quem se purgat a calumnia eorum qui scribendo contra Sabellium, de Arianismo eum insimulabant.

§. VI.

De S. Justino Martyre, ann. 165.

JUSTINUS patriam habuit Neapolim Palæstinæ urbem, professione Philosophus fuit, vitam angelicam Romæ degebat, ann. 150. Martyrio Romæ coronatus. Inter opera quæ illi tribuuntur quædam sunt supposititia. Genuina solum hic texere animus est.

I. *Oratio* Parænetica ad Græcos, ubi Gentiles ad fidem invitat.

II. *Apologia* pro Christianis ad Antoninum pium ex ordinatione Ecclesiæ directa, in qua eos a calumniis quibus erant impetiti, purgat.

III. *Altera* Apologia pro iisdem ad Senatum Romanum, seu oratio ad Senatum habita, qua conqueritur Christianos innoxios ad supplicia impune trahi.

IV. *Liber* de Monarchia Dei, ubi adhortatur Græcos ad fidem & legem Christi amplectendam. Hoc opus appellatur etiam oratio ad Græcos.

V. *Dialogus* cum Tryphone Judæo de veritate Religionis Christianæ.

VI. *Aristotelicorum* quorumdam falsorum dogmatum eversio.

§. VII.

De S. Irenæo, ann. 202.

SANCTUS iste percelebris Martyr & Episcopus Lugdunensis fuit. Exardescente persecutione Septimi Severi, & Antonini Caracallæ, missus est a Martyribus in carcere detentis ad S. Eleutherium SS. Pontificem ann. circiter 202. Die 28. Junii cum omni fere suæ civitatis Episcopalis populo, prope nonagenarius pro Christo obiit. Sequuntur ejus opera.

I. *Libri* quinque adversus hæreses.

II. *Liber* unus de Disciplina, inscriptus contra Gentes. De eo mentionem facit Eusebius Lib. 5, cap. 25.

III. *Ad* Marcianum fratrem liber unus de Prædicatione Apostolica.

IV. *Variorum* Tractatuum Liber unus, quibus Scripturæ & genuinis Traditionum auctoritatibus fractos animo, in pietate confirmat.

V. *Liber* de Ogdoade, sive de octonario numero occasione Florini Condiscipuli quondam sui sub Polycarpo, sed jam in Valentinianorum hæreses lapsi.

VI. *Epistola* ad Blastum de Schismate.

VII. *Epistola* ad Florinum de Monarchia dicta.

VIII. *Epistola* ad Victorem I. SS. Pontificem de festo Paschatis celebrando.

§. VIII.

De Tertulliano, ann. 216.

TERTULLIANUS Afer, primum Ethnicus, Rhetoricam Carthagine non sine magno omnium plausu docuit, versus ann. 196. Victore I. Pontifice, tum ad fidem conversus pro more christiano, dimissa toga, pallium indutus de ipso pallio librum exaravit, ad propellendam inconstantiæ labem sibi perperam objectam, quod a toga transiisset ad pallium, hoc est, ab Ethnico ad Christianismum, Presbyter Carthaginensis consecratus tot mira pro Religione scripsit, ut sanctus Cyprianus, teste Hieronymo in cap. 53. Eccles. nullum prætermitteret diem quin aliquid de Tertulliani operibus legeret. Sed tandem Procli cujusdam molitione, & Montanistarum insania delusus in tantos prolapsus est errores, ut qui Ecclesiæ Romanæ quondam decus & defensor extiterat, sic factus sit ejusdem inimicus, ut adversus eam scripserit: hinc non ut Pater Ecclesiæ habendus est, sed solum ut Doctor subtilis, qui dum in fide versaretur, præclara pro Christianis nunc contra Paganos defendendis, nunc pro probis moribus instituendis, scripsit. Nihil certi habetur de tempore quo mortuus est, nihil de conversione & salute. Sequentia elucubravit opera.

I. *Apologeticus* adversus Gentes: Opus sane egregium & mirabile, in quo vanitatem idolorum demonstrans, ostendit omni argumentorum genere, imperante & sæviente adversus Christianos Severo, religionem Christi solam esse veram & sanctam.

II. *Ad* Nationes libri duo. Istorum voluminum idem est argumentum ac Apologetici.

III. *Liber* unus de Testimonio animæ quasi naturaliter christianæ, ubi ostendit pluralitatem numinum contra rationem militare, unius Dei vivi & veri existentiam patescere, ipsam christianam religionem contradictionem non implicare, & quamlibet objectionem ipsi adversantem absque negotio solvi posse.

IV. *Ad* Scapulam Africæ Præfectum Carthagine degentem librum unum direxit, cui sapientissimis rationibus ostendit resi-

religionem christianam optimam & sanctissimam esse, ut tandem aliquando mitescerent, & a persequendis immaniter Christianis temperaret.

V. *Liber* alter de Spectaculis, quæ fugere hortatur Christianos, eo quod essent obscenarum voluptatum occasio, quibus emolliti fideles, ex illa flagitiorum pompa deficiebant a fide.

VI. *Liber unus* de Idololatria. Eo loci idololatriam profligare nititur, eamque non in solo idolorum cultu sitam esse demonstrat, verum etiam in spurcitiis carnis, in ebrietate, aliisque nefandis criminibus, quæ sensum pervertunt, & animam ad terrena amore prosequenda deflectunt.

VII. *De* Corona militis unus egregius liber, cujus occasio hæc fuit. Severo & Antonino Caracalla Imper. cuilibet exercitus militi corona in capite deferenda distributa, ex illis miles unus Christianus manu tenens coronam capiti non apponebat, rem istam novam demirans Tribunus, vocato milite, ab eo istius facti scifcitatus est rationem, qui candide confessus est se Christianum esse, adeoque pro more Christianorum non nisi post mortem, & post exantlatos pro fide labores expectare coronam, qua confessione facta excandescens Præfectus, jussit militem desertæ idololatriæ pœnas morte crudeli luere. Quia vero quidam Christiani improperabant Martyri, dicentes absque necessitate morti occurisse, ejus partes suscipere defendendas æquum duxit Tertullianus in isto libro, ubi mira de Traditione allegat, probans ex hoc efficacissimo argumento fuisse apud Christianos in more positum, nusquam in capite coronam gestare. Ibidem respondet objectionibus.

VIII. *Tractatus* de Pallio, qua data occasione, librum hunc scripserit, jam diximus.

IX. *Occurrit* suo ordine Liber unus de Pœnitentia, quam exomologesim nuncupat: Duplicem distinguit, alteram nimirum ante Baptisma, alteram vero post susceptum istud Sacramentum, maxime imponendam & subeundam ab illis qui in gravia prolapsi sunt crimina.

X. *Liber* de Oratione Dominica, ubi singulas petitiones explanat.

XI. *Alter* ad Confessores in carceribus vinculis propter fidem constrictos; ibi eos consolatur, & ad coronam in brevi per martyrium suscipiendam invitat.

XII. *Liber* quoque unus de Patientia eodem motivo quo postremus, mira elegantia concinnatus, in quo rationibus omni exceptione majoribus fideles compellit equo animo persecutionum flagella propter Christum sustinere.

XIII. *De* Habitu muliebri liber unus. Ibi suo perstringit stylo censorio mulierum vestimenti luxum, in quo ne quidem Gentilium feminis cedere nolunt; monet eas, ut invidiam humanæ perditionis causam, lugendo fugere potius, quam augere superbiendo meminerint.

XIV. *De* cultu feminarum alter liber de eodem argumento. In isto potissimum Tertullianus arguit in feminis, nimiam & christiano nomine indignam capitis, faciei & capillorum curam, dicens inter alia: " Si non pudet enormitatis, pudeat
„ inquinamenti.... Frustra laboratis orna-
„ tæ videri, frustra peritissimos quosque
„ structores capillaturæ adhibetis, Deus
„ vos velari jubet. „

XV. *Ad* Uxorem libri duo. Causa ea fuit, quod, cum antequam Presbyter foret, uxorem duxisset, a qua propter frequentes ad urbem Romam peregrinationes, sæpius absens erat, quia vero valetudinarius brevi se moriturum credebat, idcirco in casu mortis eam in priori a secundis nuptiis dehortatur; in posteriori vero, quod si tamen nubere velit, ne viro Gentili, sed potius Christiano monet nubere.

XVI. *De* velandis virginibus liber. Quia vero Virgines in Christianorum cœtibus discooperto capite non secus ac in choreis quæ maritum quærunt astare cerneret, ad præcavenda mala non solum mulieres, sed etiam virgines velandas esse contendit.

XVII. *Librum* unum adversus Judæos conscripsit, in quo quidem Legem Mosaicam adventu Christi extinctam probat.

XVIII. *Aureus* liber de Præscriptionibus, ubi una falce cunctas subvertit hæreses, & Novatorum dogmata non esse audienda demonstrat.

XIX. *Liber* unus de Baptismo in duas divisus partes. In priori ostendit efficaciam & utilitatem Baptismi contra Cajanitas Hære-

Hereticos, qui adhærentes cuidam Quintillæ feminæ Montani discipulæ, aquam auferebant ab illo Sacramento: in posteriori varias de disciplina Baptismi quæstiones solvit & dirimit, maxime duas: unam circa necessitatem Baptismi, quam nonnulli impugnabant, eo quod Apostoli fidei magistri preter Paulum non legantur baptizati: aliam circa Baptismi iterationem. Ad primam nihil determinat, sed uno verbo respondet, Apostolos, sive baptizatos, sive non, salvos esse; quia dato & non concesso quod non fuerint tincti, fidem eorum vivam & ardentem Baptismum supplevisse. Ad alterum quæsitum ait Baptisma non esse reiterandum, nisi sit ab Hereticis collatum; sed non distinguit de Baptismo ab Hereticis collato verbis Evangelicis, ab altero ab Hereticis deflorata forma concesso; quidquid sit, cum universim dicat nullum esse apud Hereticos Baptisma, non est in hoc audiendus.

XX. *Liber* unus adversus Hermogenem, cui ostendit materiam esse creatam.

XXI. *Adversus* Valentinianos liber, in quo eos irridet potius, quam debellet eorum de pluralitate deorum commenta.

XXII. *Liber* unus de Anima. Eo loci de animæ dotibus tractat, sed varios juxta Theologorum placita, errores commiscet, v. g. dicendo animam esse corpoream, & ex traduce fieri.

XXIII. *De* carne Christi egregius liber, in quo demonstrat Marcioni & aliis Hereticis Verbum assumpsisse naturam humanam.

XXIV. *Liber* de Resurrectione carnis. In eo debellat Saduceos, & probat resurrectionem sicut possibilem, sic & futuram.

XXV. *Contra* Marcionem libri quinque. In primo ostendit duorum primorum principiorum implicantiam. In secundo, Deum Creatorem mundi bonum & optimum esse, & cuncta bene fecisse. In tertio, Christum non alterius Dei esse intelligendum, quam Dei Creatoris. In quarto, vetus & novum Testamentum mutuo sibi consentire. In quinto, Paulum in suis Epistolis non alium predicare Christum, quam Creatoris seu a Deo Creatore missum, & a Prophetis annuntiatum.

XXVI. *Scorpiacum* liber unus contra Gnosticos, qui veluti scorpiones perverse sue doctrinæ virus effundebant; ibi remedium & veluti antidotum contra cunctas hereses fugiendas tradit.

XXVII. *Adversus* Praxeam liber unus. In eo, probata contra Marcionem Dei unitate, ostendit contra Praxeam tres esse in sanctissima Trinitate Personas.

Scripta Tertulliani contra Ecclesiam.

I. *De Exhortatione castitatis* liber unus. In quo amicum quemdam a secundis nuptiis ita deterret, ut inter disputandum quasi adulterium eas reprobet.

II. *De Monogamia* liber, in quo secundas nuptias aperte damnat.

III. *Liber* unus de fuga in persecutione, quem teste Hieronymo in Catalogo Script. Eccl. adversus Ecclesiam conscripsit, dicens nusquam esse tempore persecutionis fugiendum; istud Christi preceptum Matth. 10. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, esse mere temporale.

IV. *Liber* etiam unus de jejuniis adversus Psychicos: Ibi enim erroribus Montani irretitus, istius Heresiarchæ superstitiosa jejunia defendit, quæ quia Christiani abnuebant, eos calumniose vocat Psychicos, seu animales, qui manducationi addicti, non sapiunt, ut falso imaginatur, ea quæ sunt spiritus Dei. Ibi iterum debellat secundas nuptias, & Montano qui se Paracletum non sine ausu impio & temerario nuncupabat, adhærere non erubescit.

V. *De Pudicitia* liber unus. Hic celebratis pudicitiæ laudibus, iterum debacchatur contra Psychicos, & Ecclesie disciplinam inverecunde insectatur.

§. IX.

De Origene, ann. 254.

ORIGENES, non ut Ecclesiæ pater celebratur, quippe qui in varios prolapsus fuerit errores. Natione Ægyptius fuit, patria Alexandrinus, eruditione clarus, sancti Leonidis Martyris filius & discipulus, in sustinendis litteraturæ laboribus sic indefessus, ut *Adamantius* nuncupatus sit: post Clementem Alexandrinum Cate-

Catechistes factus octo-decim annis vix provectus, ficut viros fic feminas facram edocebat Scripturam & mysteria: ultra modum castus, namque ne in suspicionem impudicitiæ veniret seipsum castravit, tum & vesano abreptus spiritu, multa pro Christo passus, sed non perseveravit, & maluit fidem negare & thus Idolis offerre, quam læsa castitate impuro misceri Æthiopi & nefando contaminari crimine, utinam pro fide simul & castitate mortuus esset. Infinita prope teste Epiphanio scripsit Origenes, sed pauca duobus dumtaxat Tomis complexa supersunt Opera.

I. *Homiliæ*, sive tractatus, vel commentaria in Scripturam sacram, videlicet Homiliæ 17. in Genesim. 13. in Exodum. 16. in Leviticum. 28. in Num. 26. in Josue. 9. in librum Judicum. 1. in Librum 1. Regum. Lib. 3. in Job. Homiliæ 9. in Psal. 36. 37. & 38. Homiliæ 9. in Cantica. 9. in Isaiam. 14. in Jeremiam. 14. in Ezechielem: commentaria in Job. Homiliæ 4. in eumdem, quæ quidem omnia in 1. Tomo continentur.

Rursus, Tractatus 35. in Matth. Homiliæ 39. in Lucam: Tractatus 30. in Joannem: Homiliæ 10. in diversa novi Testamenti loca: libri, seu Tractatus 36. in Epistol. ad Romanos: & hæc in secundo Tomo edit. Paris. Genebrardi an. 1574. de quibusdam tamen dubitatur num sint Origenis fœtus. v. g. dubitatur de commentariis in Job. de Homiliis decem in diversa loca Evangelii, similiter & de Tractatu quinto in Matthæum.

II. *Periarchon*, seu de principiis Lib. 4. habentur in 1. Tom. a Rufino Presbytero latine translati sunt.

III. *De* recta in Deum fide, Dialogi tres contra Marcionistas.

IV. *Libri* 8. adversus Celsum Philosophum Epicureum & Gentilem, pro vera Religione impugnata ab isto Gentili, defendenda.

V. *Philocalia* de obscuris sacræ Scripturæ locis explanandis in variis quæstionibus propositis & solutis, ex variis commentariis Origenis a S. Basilio & Gregorio Theologo excerpta, & ad Theodorum Thyaneum Episcopum missa: hoc est, liber unus, hujusmodi complectens quæstiones.

VI. *De* historia Susannæ Epitome, cui adnexa est Julii Africani, de eadem historia ad Origene epistola.

VII. *Tetrapla*, *Exapla*, & *Octapla*. Tetrapla sunt quatuor veteris Testamenti editiones, videlicet LXX. Interpretum, Aquilæ, Symmachi & Theodotionis. Totidem diversis columnis exhibitæ: Exapla in sex distribuuntur ejusdem Scripturæ editiones, nimirum adsunt quatuor jam recensitæ, & duæ aliæ hebraicæ additæ, una quidem litteris hebraicis, altera Græcis in sex columnis. Octapla exhibent octo columnas, & totidem editiones: præcedentibus adduntur duæ aliæ, quarum auctorum nomina omittuntur.

§. X.

De sancto Cypriano.

CYPRIANUS ita celebris est in Ecclesia, ut ipsum nominare Encomium sit. Natione Africanus erat, patria Carthaginensis, Prosapia Senator, professione Rhetor eloquentissimus, & juxta Lactantium ita ingenio facili, facundo & suavi, ut discerni vix possit, an ornatior in loquendo, vel in explicando facilior, aut in suadendo potentior quisquam fuerit. Primum Ethnicus, deinde vero opera Cæcilii Presbyteri Christianus, tum eximias propter virtutes Carthaginis Archiepiscopus, & totius Africæ Primas extitit. Octava in Christianos sæviente persecutione, sub Aspasio Paterno Proconsule martyrio coronatus est. Tanti facit ejus sanctitatem Ecclesia, ut in Canone Missæ ejus quotidie, & perpetuo celebret memoriam; scripta ejus tribus Tomis comprehenduntur ordine sequenti.

In primo Tomo.

QUATUOR epistolarum Lib. numerantur 85. omnes utiles.

I. *Pro* privilegiis sedis Apostolicæ legatur ea quæ est ad Cornelium Papam de Primatu summi Pontificis, respectu Ecclesiæ universalis. Eo loci auream istam profert sententiam: " Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in

 „ Ec-

„ Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad „ tempus judex vice Christi cogitatur. „

II. *De* invocatione Sanctorum, & eorumdem pro vivis intercessione. Est altera ad S. Cornelium num. 57.

III. *Pro* firmandis Sanctorum Festis, insignis est ea quae est ad Clerum & plebem de Celerino lectore ordinato directa, num. 34. Ibi commendat sancti Martyris in Confessione fidei Constantiam.

IV. *Astruitur*, in ea quae legitur num. 66. memoria defunctorum, quos suffragiis nostris sublevare possumus a poenis quas in Purgatorio pro expiandis peccatis luunt.

V. *Purgatorii* fides specialiter defenditur in epistola, quae est numero 52. hoc dogma propugnat multis momentis, maxime ista innixus Matth. 5. 26. Christi sententia: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*.

VI. *Confessio* sacramentalis & auricularis firmatur epist. ad Antonianum quae est num. 86. ubi ait: " Admittendus est Plan„ gentium gemitus & poenitentiae fru„ ctus dolentibus non est negandus. „ Ex„ pressius Serm. de lapsis num. 98. „ Deni„ que quanto & fide majores, & timo„ re meliores sunt, qui quamvis nullo „ sacrificii, aut libelli facinore constricti, „ quoniam tamen de hoc vel cogitave„ runt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei „ dolentes & simpliciter confitentes, Ex„ omologesim conscientiae faciunt, animi „ sui pondus exponunt, salutarem mede„ lam parvis licet, & modicis vulneribus „ exquirunt. „

VII. *Veritatem* & realitatem corporis Christi in Eucharistia probat S. Cyprianus multis in locis: Inprimis epist. ad Caecilium, quae est num. 63.

VIII. *Ostendit* parvulos esse baptizandos in sua ad Fidum Episcopum epistola, quae est numero 59.

IX. *Jam* vero, si quis de antiqua Ecclesiae disciplina erga lapsos moveat quaestionem, id aperte docebunt, praeter librum de lapsis, epistola decima, undecima & duodecima S. Praesulis.

De secundo Tomo.

MULTI sunt egregii de diversis S. Cypriani indubitati Tractatus.

I. *De* disciplina & habitu Virginum liber, in quo assignat quid sit pudicitia & sanctimonia dignum.

II. *De* Lapsis liber. Ibi ostendit peccata scandali Poenitentia admodum luctuosa esse expianda.

III. *Egregius* de unitate Ecclesiae liber, quo cuncta removentur schismata, & pax Ecclesiae firmatur.

IV. *Liber* unus de oratione Dominica, quam coelestis Doctrinae compendium appellat.

V. *Ad* Demetrianum Ethnicum liber. Iste querebatur, & dicebat bella, famem, pestem, aliaque mala refundenda esse in Christianos, qui deorum cultum debellabant, Cyprianus isti Africae Proconsuli sapientissimis rationibus ostendit, tot calamitates potius esse effectus Idololatriae, in qua vitium & horrenda crimina consecrantur.

VI. *Sequitur* de Idolorum vanitate Tractatus.

VII. *Liber* de mortalitate grassante ubique peste, ex qua infinitorum prope hominum strages fiebat, consolatur amicos propinquos & ceteros Christianos spe futurorum bonorum.

VIII. *De* opere & eleemosynis Libri, ubi variis Scripturae testibus probat eleemosynarum merita.

IX. *De* bono Patientiae liber. Eo loci distinguit patientiam veram a fucata, Christianam a politica.

X. *De* zelo & livore.

XI. *De* exhortatione ad Martyrium, ad Fortunatum.

XII. *Testimoniorum* Libri tres ad Quirinum; duo priores militant adversus Judaeos, Tertius ad vitae instructionem spectat.

De tertio Tomo.

IN hoc Tomo dubio, vel etiam supposititia referuntur Cypriani opera, & sunt in triplici differentia: quaedam sunt talia, ut stylus & Scripturae citatae indicent esse Cyprianica, ut Lib. de *Spectaculis*: alter de *Disciplina & bono pudicitiae*: tertius de *laude Martyrii* ad Moysen & Maximum, ceterosque Confessores. Quartus, ad Novatianum haereticum de *spe venia* pro lapsis. Quaedam quorum sty-

lus

lus tametsi relinquat dubium, multa tamen non levius anuntiant esse Cypriani fœtus; qualis est liber de *Cardinalibus Christi operibus* ad Cornelium: alter de *Aleatoribus*: tertius *de Montibus Sina & Sion*. Carmen de *Genesi*, in quo quatuor prima Geneseos capita eleganti & heroico carmine reddit auctor. Carmen de *Sodoma*, carmen ad *Senatorem*, demum oratio pro *martyribus*. Postrema certis quibusdam argumentis probantur non esse Cypriani, hujusmodi sunt liber de *singularitate Clericorum*: *expositio Symboli Apostolorum*, Liber de *Judaica incredulitate* ad Vigilium: alter adversus Judæos qui Christum insecuti sunt, Liber de *revelatione capitis S. Joannis Baptistæ*, Liber de *duplici martyrio* ad Fortunatum, Liber de *abusionibus sæculi*. *De cœna libellus*.

§. XI.

De quintuplici Gregorio, videlicet Taumaturgo, Theologo, Nysseno, Turonico, & Papa Magno nominato.

De Taumaturgo, ann. 265.

ILLE sanctus primum Ethnicus, tum conversus ad fidem Neocæsariensis in Ponto inauguratus Episcopus, virtutibus præfulgens, eruditione præclarus, miraculis celebris, fuit vir potens opere & sermone, multos enim paganos ad fidem convertit. Multa sub ejus nomine circumferuntur opera, quorum alia certa, alia etiam dubia circumferuntur. De prioribus solum hic loquimur.

I. *Expositio* fidei de SS. Trinitate, quam Concilium V. generale ut revelationem habet.

II. *Oratio* panegyrica ad Origenem suum magistrum.

III. *Metaphrasis* sive translatio in Ecclesiasten.

IV. *Tres* sermones de Annunciatione BB. Virginis.

V. *Sermo* de sancta Theophania seu apparitione Domini.

VI. *Epistola* Canonica, qua adhortatur Fideles ad Pœnitentiam, propter peccata Idololatriæ & alia incursione Barbarorum facta.

De Gregorio Theologo, ann. 390.

GREGORIUS iste propter insignem eruditionem Theologus dictus: " Primo, " *inquit Hieronymus in Cat. de Script. Eccl.* " Sasimorum, deinde Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus, præceptor " meus, a quo Scripturas explanante didici. " Tum ad Constantinopolitanam adscitus Ecclesiam, cum eam erroribus purgasset, sponte Episcopatui cessit, atque in solitudine hæc sequentia exaravit Opera.

I. *Libri* Apologetici 4. seu orationes Apologeticæ, quibus se purgat ab convitiis quæ illi, aut objiciebantur, aut poterant objici de suo a patre recessu, & de ad eumdem postea reditu.

II. *Orationes* funebres octo: una in primis eloquentissima de Basilio Magno, altera de Gregorio Patre suo, tertia de Gorgonia sorore sua: una est etiam de Cæsario fratre suo, tum de S. Cypriano; una quoque in laudem S. Athanasii. His accedit alia in laudem Machabæorum: Postrema in laudem Heronis, qui primum Philosophus, tum Christianus factus virgis graviter cæsus pro fide exulaverat.

III. *Orationes* quinque de Theologia adversus Eunomianos, præsertim vero de Christi divinitate contra Arianos, postrema de Divinitate Spiritus sancti contra Macedonianos.

IV. *Orationes* tres egregiæ & doctæ de Pace.

V. *Oratio* in Plagam grandinis, Nazianzi habita, occasione grandinis qua Tiberinę regionis, jam maturę fruges percussę fuerant; consulit pœnitentiam ad placandum Deum, qui hujusmodi calamitate scelera populi puniebat.

VI. *Oratio* alia mirabilis adversus mulieres ambitiosius se se ornantes.

VII. *Oratio* de Moderatione in disputatione servanda.

VIII. *Oratio* in sancta Lumina, seu in Festum Baptismi Christi, quod octavo idus Januarii, tum a Græcis, tum a Latinis celebrabatur. Dicitur autem Festum Sanctorum luminum, eo quod per Christi Baptismum & nostrum purgamur

mur a peccatis, & illuminamur circa mysteria colenda, virtutem amandam, & Christi passionem in nobis pœnitentia adimplendam.

IX. *Oratio* contra Arianos, in qua eorum in Christi Fideles sævitiam exponit; tum insulsis eorum contra seipsum dicteriis respondet, ac demum ex forma Baptismi eorumdem coarguit in Verbum errorem.

X. *Oratio* in præsentia 150. Episcoporum habita pro suo a sede CP. recessu.

XI. *Epistolæ* variæ numero 80. inter quas duæ sunt ad Cledonium Presbyterum adversus Apollinarium.

XII. *Alia* sunt opera poetica piissima, quæ ad ciendos pietatis affectus S. Gregorius juris publici fecit: nimirum I. Tragœdia quæ inscribitur, *Christus patiens*. II. Poema ad Christum, quo nos ad ejus amorem & imitationem invitat. III. *Carmen de Virginitate*. IV. Poema alterum, quo utriusque sexus Virgines instruit præceptis, & præclaris instituit disciplinis. V. Varia Christi Opuscula carmine descripta, qualia sunt Christi miracula.

De Sancto Gregorio Nysseno, ann. 393.

GREGORIUS ille a Nyssena sede sic vocatur, fuit frater S. Basilii, S. Petri Sebastæ Præsulis, nec non & S. Macrinæ Virginis plurium Virginum Abbatissæ. Primum nupsit cum Theosebia femina sancta: postea vero ex mutuo consensu separati, ille Clericatus, ista Deo sponte dicata Diconissæ ordini nomen dedit: factus Episcopus pro fide contra Arianos defendenda insudavit, hinc jussu Imperatoris Valentis Ariani ann. 370. exulavit: elapsis 7. annis in exilio a Gratiano revocatus est. Adsuit Antiocheno Orthodoxorum Concilio in causa Antiocheni trium Episcoporum schismatis habito versus Christi annum 377. tum & Concilio II. generali contra Macedonium: a Synodo nominatus pro condendo Symbolo CP. hanc perfecte adimplevit Provinciam; mortuo vero Magno Meletio Antiocheno Episcopo, defuncta similiter Placilla Theodosii Imperatoris filia, ad eorum funebre celebrandum Encomium communi Patrum Concilii suffragio destinatus est. Tandem post multos exantlatos, pro fide defendenda & propaganda labores, obiit 9. Maji ann. circiter 393. Plura egregia conscripsit opera quę sequenti ordine referuntur.

I. *Explicatio* in Hexameron. Dicitur supplementum Hexameron Basilii Magni.

II. *De* Opificio hominis liber.

III. *De* vita Moysis, sive de vita perfecta.

IV. *Commentaria* duo, videlicet unum in *Ecclesiasten*, alterum vero in *Cantica Canticorum*.

V. *De* nomine Christiani, ad Harmonium epistola.

VI. *Altera* de perfecti Christiani hominis forma, Ad Olympium Monachum.

VII. *De* oratione Dominica Liber unus.

VIII. *De* octo Beatitudinibus Liber.

IX. *Oratio* de Subjectione filii, seu oratio qua explicatur illud Apost. 1. ad Cor. cap. 15. 28. dicentis: *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*.

X. *De* mortuis sive de Dormientibus oratio, in qua quidem docet non esse dolendum de obitu eorum qui ultimum claudunt in fide diem.

XI. *Altera* de Infantibus mature raptis.

XII. *De* anima & resurrectione cum sorore sua Macrina disputatio, seu liber.

XIII. *De* vera & incorrupta Virginitate liber, ubi explanatis Virginitatis eximiis dotibus, molestias & anxietates nptiarum non siet.

XIV. *De* S. Baptismate orationes duę.

XV. *Quinque* libri circa Mysterium SS. Trinitatis.

XVI. Sermones varii de diebus festis.

XVII. *Oratio* contra usurarios.

XVIII. *Oratio* de fornicatione fugienda.

XIX. *Orationes* funebres septem, elegantes quidem & admodum pię ac devotę.

De Gregorio Turonico, ann. 596.

GREGORIUS iste a suo Episcopatu dictus Turonicus, vir fuit miræ sanctitatis & humilitatis eximię, apud Arvernos Celticæ Galliæ populos patre Florentio & matre Armentaria genitus, S. Galli Arvernorum Episcopi nepos & alumnus, Galloque vita functo S. Aviti ejus post Cantinum, in sede successoris discipulus, & Trith. teste in Monasterio S. Mar-

S. Martini Monachus, ac tandem e Monacho, post Euphronium Turonum Episcopus decimus-nonus ann. 574. juxta Baronium consecratus est. Multa quidem scripsit. En ejus Opera.

I. *Libri* decem Historiæ Francorum.
II. *De* gloria Martyrum Lib. 2.
III. *De* miraculis S. Martini Lib. 4.
IV. *De* gloria Confessorum Liber unus.
V. *De* vitis Patrum Lib. 1.

De Gregorio Magno.

S. GREGORIUS, propter egregias dotes & miram eruditionem magnus cognominatus; Patria fuit Romanus nobilissimus, Gordiano Senatore & beata Sylvia matre genitus, Felicis III. pronepos, Romæ primum Præfectus, tum S. Benedicti Monacus, a Pelagio II. ad Ecclesiæ ministeria vocatus, Constantinopolim ad Mauritium Imperatorem missus est, ibique nuncii Apostolici munere præclare functus, mortuo Pelagio Romam reversus, summus Pontifex, ipso reluctante, electus & inauguratus est, ann. Ch. 590. Tum nomine Gregorii primus vocatus. Tot & tanta pro Ecclesia fecit & scripsit, ut Doctoris maximi appellatione celebratus sit. Sequentia elucubravit Opera.

I. *Expositio* moralis in Iob in 35. Libros distributa.
II. *Liber* Pastoralis, seu de Cura Pastorali, in quatuor partes divisus.
III. *Dialogi* cum Petro Libri 4. seu Dialogus cum Petro divisus in 4. Libros, in quibus rogatu Petri Diaconi sui, virtutes & miracula Sanctorum quos in Italia clariores nosse, vel audire potuerat, ad exempla vivendi posteris collegit.
IV. *Expositionis* in Canticum Cant. Liber unus, in quo Cantica Canticorum breviter quidem explicat, sed nihil intactum omittit.
V. *Homiliæ* super Ezech. 22. quibus primam & ultimam Ezechielis Prophetiæ partem, quæ videbantur obscuriores explanat. Hoc est, 22. Homiliis exponit tria prima Ezechielis capita, & decem alias quadragesimum caput.
VI. *Homiliæ* in Evangelia 40. ad Fidelium mores probe instituendos concinnatæ.
VII. *Explanatio*, sive Commentaria in 7. Psalmos Penitentiales.
VIII. *Expositio*, primi Regum libri in sex partiti libros, quibus sexdecim prima explanat primi Regum libri capita.
IX. *Epistolarum* ad diversos Libri 12. e quibus plures excerptæ sunt sententiæ quæ extant in Decretis.
X. *Undecim* responsiones ad totidem quæsita Augustini Cantuariensis Anglorum Episcopi: seu Epistolæ ad Aug.

§. XII.

De Eusebio Cæsariensi, ann. 340.

ABSIT inter Patres annumerare Eusebium Cæsariensem Episcopum, in Palæstina natum, cum eum adhæsisse Ario probabilissimum sit, quia tamen multa scripsit quæ Christi spectant Ecclesiam, idcirco hic annumeranda & referenda sunt ejus Opera.

I. *De* Præparatione Evangelica Lib. 15.
II. *De* Demonstratione Evangelica Lib. 20.
III. *De* Historia Ecclesiastica Lib. 10.
IV. *De Vita* Constantini Magni Lib. 4.
V. *Liber* contra Hieroclem, qui duos sæviente Diocletiano libros contra Religionem scripserat: in uno non sine blasphemia audet dicere Apollonium Tyanæum æque ac Christum miracula fecisse.
VI. *Contra* Marcellum Ancyranum Lib. 5.
VII. *De* Philosophorum dissensione Liber unus.
VIII. *Chronicon*, sive Historiæ compendium liber.
IX. *In* Isaiam Commentaria Lib. 10.
X. *Contra* Porphirium Lib. 30.
XI. *Pro* Origene Apologetici Libri 6.
XII. *De* vita Pamphilii Martyris Lib. 3.
XIII. *De* Martyribus Opuscula varia.
XIV. *In* Psalmos Commentaria, & alia plura.

§. XIII.

De S. Athanasio, ann. 371.

SANCTUS ille & eximius Ecclesiæ Doctor mira dixit, fecit, scripsit intra 40. annorum spatium pro fide catholica ad-

adversus Arianos obstrepentes, & sævientes defendenda. Piis & clarus parentibus Alexandriæ natus, primum ejusdem Ecclesiæ Diaconus ordinatus est. Adiuit in hoc gradu cum Episcopo Alex. in Concilio Nicæno, ubi fidem, annuentibus Patribus strenue contra impugnantes defendit: mortuo ejus Episcopo, communi cleri & populi voto pari in ejusdem locum suffectus est: sed Ariani in ipsum sævire non cessarunt. Multa sub ejus nomine circumferuntur opera. De certissimis hic solum loquimur.

I. *Oratio* contra Gentes, ubi ostendit Idolorum vesanam esse Religionem.

II. *Altera* de Incarnatione, ejusque fide & miris effectibus.

III. *Orationes* quatuor contra Arianos ad Episcopos Ægypti & Lybiæ in fide confirmandos.

IV. *Oratio* egregia in hæc Domini Verba: *Omnia mihi tradita sunt a Patre.*

V. *Oratio* de æterna substantia Filii & Spiritus sancti cum Deo.

VI. *Oratio*, qua ostendit unum esse Christum.

VII. *Epistola* ad Serapionem contra eos qui Verbum ut creaturam habebant.

VIII. *Altera* ad eumdem contra Arianos.

IX. *Una* ad Jovinianum, ubi mira de fide dicit & explanat, & variis quæsitis ab Imperatore factis respondet.

X. *De* Synodi Nicænæ decretis contra Eusebium Epistola.

XI. *De* sententia Dionysii Alexand. adversus Arianos epistola.

XII. *Epistola* ad Antiochenses, quæ nedum ab Athanasio, sed a pluribus aliis Coepiscopis qui ex Italia, Arabia, Ægypto & Lybia cum illo tunc conscripta creditur.

XIII. *Epistola* ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, contra hæreticos Arianos & ipsius Epicteti Commentaria, in quibus dicebat corpus Christi, ex BB. Virgine assumptum, esse cum Verbi divinitate consubstantiale.

XIV. *Ad Adelphium* Onupheos Episcopum & Confessorem epistola, contra Arianam perfidiam.

XV. *Ad* Solitarios altera, ubi recensitis vitæ solitariæ prærogativis & dotibus, eos ad hæresim Arianam fugiendam adhortatur.

XVI. *De* Synodis Arimini & Seleuciæ epistola.

XVII. *Ad* Africanos Præsules epistola pro Nicæno Concilio defendendo.

XVIII. *Ad* omnes ubique Orthodoxos epistola, dum adversus eos sæviret persecutio.

XIX. *Epistola* ad Dracontium Episcopatum fugientem; eum invitat ad obediendum Ecclesiæ, ne ex sua lucta Fideles patiantur scandalum.

XX. *Ad* Constantium Apologia, in qua egregie se purgat a confictis criminibus sibi attributis.

XXI. *Altera* Apologia, scilicet de fuga sua. Eo loci se purgat a timiditatis vitio sibi imposito.

XXII. *Altera* Apologia contra Arianos, qui eum exagitare non desistebant, ostendens suam causam ad metam feliciter jam jam adductam, nec ulteriori judicio indigere, ut suam probet Innocentiam.

XXIII. *De* SS. Trinitate, & Dominica Incarnatione Symbolum, quod Ecclesia ut suum habet, & decantat.

§. XIV.

De utroque Hilario, Pictaviensi, nimirum & Arelatensi.

De Pictaviensi, ann. 369.

S. Hilarius, Lampade nobilitatis non obscurus, ait Fortunatus Lib. 1. de ejus vita, in Aquitania Pictavis oriundus, ex Gentili factus in provecta ætate Christianus, tum suæ patriæ creatus Episcopus, in brevi & sanctitate & eruditione consummatus, sic multa implevit tempora, ut de illo reperiatur celebre illud dictum.

Pictavis Hilario multum radiata Magistro.

Hic est ejus operum Catalogus.

I. *Libri* 12. de Trinitate contra Arianos.

II. *Liber* de Synodis, dum in Phrygia exularet, quem conscripsit ad expostulationem Episcoporum Gallorum, qui fidem Orientalium & placita scire desiderabant.

III. *Epi-*

III. *Epistola* ad Abram filiam, quam dolentem de Patris absentia consolatur, & a connubio contrahendo conatur avertere.

IV. *Libri* duo ad Constantium. In priori commendat fidei libertatem, & eum ad Arianorum partes vi tormentorum Catholicos flectere deterret: in posteriori Regis expostulat præsentiam, ut de fide coram Synodo & Saturnino exilii sui auctore disputet.

V. *Liber* adversus Constantium, in quo præmissa exhortatione ad certandum, ostendit Verbi consubstantialitatem, Arianorum iniqua molimina, & in judicio Dei parata pro eis supplicia.

VI. *Liber* contra Auxentium, seu epistola ad Catholicos, qua eos monet de suis cum Auxentio Mediolanensi Ariano gestis.

De Hilario Arelatensi, ann. 441.

HILARIUS iste utique nobili prosapia in Galliis oriundus, primum professione monachus in cœnobio Lirinensis insulæ, tum post Honoratum Arelatensem Præsul, juxta S. Eucherium, clarus fuit eloquio, subtilis ingenio: adhuc juvenis jam maturus ad palmam, tanti nominis habitus in Gallia ut post obitum dici meruerit:

Hilarius, cui palma dedit, & vivere Christus,
Contemnens fragilem terreni corporis usum,
Perpetuis cœlum donis terrestribus emit,
Gemma Sacerdotum, plebisque, orbisque Magister.

MULTA egregie scripsit juxta D. Augustini mentem; ejus scripta sequenti ordine recensentur.

I. *Vita* S. Honorati Lyrinensis insulæ cultoris primi.

II. *Homiliæ* variæ pro totius anni festivitatibus.

III. *Expositio* Symboli.

IV. *Epistola* diversæ ad Germanum contra hæreses.

V. *Historia* Geneseos a primo capite usque ad septimum heroico carmine concinnata, quam ad S. Leonem SS. Pontificem direxit.

VI. *Juxta* multos una epistola de prædestinatione Sanctorum ad S. Augustinum adversus Pelagianos & Semi-Pelagianos, cujus occasione S. Doctor librum de prædestinatione SS. & alterum de bono perseverantiæ conscripsit: Nonnulli tamen eruditi hanc Epistolam non Hilarii Arelatensis, sed potius alterius S. Augustini discipuli fœtum esse autumant, eo innixi fundamento, quod Hilarius Arelatensis sit persona prorsus diversa ab altero qui S. Augustini discipulus ventilatur. I. Quia S. Prosper de eodem scribens momento contra Semi-Pelagianos ait, Hilarium Arelatensem fuisse Episcopum, alterum vero laicum. II. Qui laudatam scripsit epistolam discipulum Augustini in Africa se fuisse significat, Arelatensis vero nusquam vidit Africam; sed meritis clarus obiit in Gallia ann. 449.

§. XV.

De Sancto Basilio Magno, ann. 378.

S. BASILIUS natione Græcus, regione Ponticus, ex parentibus nobilitate clarus ann. 328. oriundus, frater S. Gregorii Nysseni & Petri Sebastæ Præsulum, insignis Ecclesiæ Pater fuit: Tametsi ab Imperatoribus & hæreticis multa passus, infirmitatum pondere oppressus, voluntaria pœnitentia, præsertim vero jejuniis sic fractus, ut præter pellem vix aliud ejus corpus exprimeret, mira tamen pro fide & Ecclesia fecit & scripsit. Ecce quænam ejus fuerint opera.

I. *Variæ* homiliæ.

II. *Libri* 5. adversus Eunomium.

III. *Liber unus* contra Sabellianos, Arianos & Anomæos.

IV. *Oratio* contra calumniam eorum qui dicebant Christianos tres Deos colere.

V. *Duo* libri de Baptismo.

VI. *Liber* de vera virginitate ad Letoyum Mitilensem Episcopum.

VII. *Liber* de sancto Spiritu ad S. Amphilochium Iconii Episcopum.

VIII. *Opera* Ascetica.

IX. *Ejusdem* moralia opera, ad quæ pertinent octo Moralium regulæ, seu liber Moralium octo continens regulas.

X. *Canonica* ad Amphilochium Epistolæ 3.

XI. *Aliæ* 212. Epistolæ ad varios de variis materiis missæ.

XII. *Lyturgia* a S. Proclo laudata.

De

§. XVI.

De SS. Optato, Ephræm, Paciano, Amphilochio & Phœbadio.

De Optato Milevitano, ann. 380.

S. OPTATUS natione Afer e Milevi, unde Milevitanus Episcopus dictus, quem SS. Hieronymus & Augustinus ut egregium fidei defensorem habent, suum acuit zelum contra hæreticos, in primis adversus Donatistas, quos viva voce & scriptis debellavit. Sequentia elucubravit opera: Sex, & juxta alios septem libros adversus Donatistas fecit, qui fuere Parisiis editi, ann. 1631. cum notis & observationibus Gabrielis Asbaspinæi Aurelianensis Episcopi.

De S. Ephræm, ann. 378.

SANCTUS ille Ecclesiæ Pater, natione Syrus, parentibus Catholicis Edessæ in Syria sub Constantino Magno ortus, eximia humilitate clarus, Eremi incola fuit, tum Diaconus, ac deinde Presbyter a S. Basilio ordinatus: nedum sanctitate, sed & eruditione sic floruit, ut *Orbis Magister* fuerit nuncupatus. Multa scripsit quibus varii errores propelli possunt.

I. *Tractatus* super 1. Cor. 7. 9. Apostoli verba, *melius est nubere quam uri*; ubi magnifice ostendit ista Apostoli verba solum spectare sæculares & liberos, minime vero religiosos, ceterosque voto castitatis adstrictos.

II. *Tractatus* de Natura Dei, ubi mirum in modum astruit præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia, quod argumentum est magni ponderis, cum fundatum sit in auctoritate Patris antiquissimi, quarti scilicet Sæculi.

III. *Ejus* Testamentum, quo suffragia vivorum mortuis eatenus prodesse ostendit, quatenus pro se ipso defuncto Deum exorare injungit: " Ex nunc volo, *inquit*, fratres commonefacere & rogare " vos, ut post meum exitum & transitum assidue memoriam mei in vestris " precibus faciatis. "

IV. *In* eodem testamento arma ministrat ad debellandos Arianos, Socinianos, aliosque hæreticos Christi divinitatem impugnantes.

De sancto Paciano, anno 380.

S. PACIANUS erat Hispanus, nobilitate celebris, eloquentia facundus, sanctitate & eruditione clarus; tandem Episcopus Barcinonensis inauguratus est. Quædam scripsit quæ in Bibliotheca Patrum continentur.

I. *Tres* ad Simphorianum contra Novatianos Epistolæ.

II. *Parænesis*, sive exhortatio ad Pœnitentiam.

III. *De* Baptismo Epistola una.

De sancto Amphilochio, anno 394.

S. AMPHILOCHIUS Iconiensis in Licaonia Episcopus, natione Cappadox, professione primum Rhetor magister, tum Forensis, sed foro postea relicto, secessit in eremum; inde extractus clericatus militiæ nomen dedit. Acerrimus fuit fidei, & Ecclesiæ defensor, adfuit Concilio secundo Generali, præfuit, teste Photio in sua Bibl. in Concilio Sydensi 25. Episcoporum adversus Messalianos hæreticos congregato, ann. 383. sub Damaso Papa.

I. *Varia* ab eo promanarunt Homiliæ, quas Theodoretus sæpius citat.

II. *Unum* librum de Spiritu sancto contra Macedonianos composuit.

III. *Scripsit* vitam S. Basilii.

De sancto Phœbadio, ann. 394.

S. PHOEBADIUS erat Gallus, & post S. Caprasium Aginnensis in Vasconia ad Garumnam Episcopus. Ut vir magnus sua habebatur ætate, quippe qui inter Orthodoxos Synodi Ariminensis Patres cum *Servatio* Tungrensi egregie contra Arianos fidem Nicænam defenderit. Sub Damaso Papa præfuit Valentino Concilio in Gallia 30. circiter Episcop. ann. 374. præfuit & Cæsaraugustano 12. Episcop. contra Priscillianistas ann. 380.

Scripsit Librum unum de Trinitate ad refellendam fidei formulam ab Arianis verbis dolosis in Concilio Sirmiensi cusam: habetur in Bib. PP. tom. 4. edit. Lugd.

Lugd. ann. 1677. In eo probat tres esse in Deo personas, & tamen unicum Deum. Egregie concinnatam fidei professionem emittit contra hæreticam pravitatem.

§. XVII.

De utroque Cyrillo.

De Hierosolymitano 368.

S. Cyrillus Hierosolymitanus inter Patres quarti Sæculi sicut sanctitate sic & eruditione eminet. Omnibus numeris absolutus Catecheseon magister apparuit, hinc defuncto Maximo Hierosolymorum Antistite, communi Episcoporum provinciæ suffragio Patriarcha in illius locum suffectus est an. circiter 350. sub Damaso SS. Pontifice, Constantio clavum imperii tenente. Bellum indixit perpetuum Arianis. Ab Accacio exagitatus, etiam e propria sede deturbatus, in eam vero restitutus, nusquam ejus pro fidei defensione zelus remissus est. Contra Macedonianos fidem in Concilio CP. secundo generali mirum in modum propugnavit: Die 1. Martii ann. circiter 386. plenus dierum quievit in Domino. Hæc sunt ejus opera.

I. *Catecheses* 18. ad illuminatos: hoc est instructiones familiares, quibus Catechumeni ad digne suscipiendum Baptismum instituebantur.

II. *Catecheses* mystagogicæ quinque, ad recens baptizatos directæ, ubi mira dicit ex veteri & novo Testamento, tum & de sacri Lavacri effectibus.

III. *Epistola* ad Constantium Imperatorem de crucis Domini apparitione Hierosolymis. Quam quidem Epistolam ut genuinam habet Bellarminus Catal. de Scrib. Eccles. Non injucundum erit hic texere S. Doctoris de isto momento verba: diebus: " Sanctæ Pentecostes, circa horam „ tertiam, omnium maxima crux ex lu„ mine constituto in cœlo supra sanctis„ simum montem Golgotham, & usque „ ad sanctum montem Olivarum extensa „ apparuit, non uni aut alteri, tantum „ visa, sed universæ civitatis multitudini „ manifestissime ostensa, neque ut aliquis „ forte putaret, celeriter secundum phan„ tasiam percurrens, sed quam pluribus „ horis supra terram aperte conspecta, co„ ruscis splendoribus radios superans so„ lares: nam si ab illis superaretur, cer„ te offuscaretur & lateret. „

De Sancto Cyrillo Alexandrino 444.

S. Ille eximius divinitatis Christi Apostolus dici potest, vel potius alterum diceres e cœlis emissum Angelum, qui a Deo veluti primæ Hierarchiæ Angelus illuminatus, arcana Verbi in se, & incarnati mysteria clare admodum in 14. Libris de Thesauro explicavit, tum in diversis Conciliis strenue adversus negantes defendit.

Ergo vir ille potens opere & sermone, primo Cyrillo posterior fuit decimus sextus a S. Marco, quartus vero a Magno Athanasio Patriarcha Alexandrinus. Omnes hæreticos occurrentes debellavit, ab urbe sua Patriarchali Novatianos fugavit, Judæos superatos expulit. Nestorianos primum in Concilio Alexandrino, tum in Ephesino œcumenico, ubi nomine Cælestini I. Papæ præsidebat, prostravit: ac tandem expletis duobus supra triginta Episcopatus annis in pace Christi ut Magnus Ecclesiæ heros ann. circiter 444. die 11. Junii, imperante Theodosio Magno, & Magno Leone SS. Pontifice, defunctus est. Hæc sunt ejus opera.

I. *Multa* in Scripturam sacram opera. I. In Genesim Libri 11. in quibus litteraliter simul & mystice textum explicat. II. Libri 16. in Leviticum non absimili Methodo concinnati. III. In Isaiam Libri 5. in quibus adsunt commentaria de iis rebus quæ tempore Prophetæ contigerunt. IV. Libri 5. in Evang. S. Joan. Eo loci enarrationibus egregiis textum elucidare non desinit. V. Dicta veteris Testamenti anagogice auctoritate Cyrilli Jerosf. & Maximi suffultus explanat. VI. Liber adversus Judæos cum disertis variarum quæstionum solutionibus. VII. Tandem breves Anagogæ de iis qui floruerunt ante legem, quales extitere Abel, Enos, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, &c. Et hæc in 1. Tomo concluduntur.

II. *Epistolæ* diversæ in 2. Tomo numero 39. plures sunt ad Nestorium, in quibus ad

ad fidei subscribendum invitat, sin minus exauctorationem comminatur.

III. *Homiliæ* elegantes 10.

IV. *Apologia* ad Theodosium, qua quidem se justificat & purgat de litteris ad Reginas scriptis; cum enim ad Imperatorem scripsisset, ut eum in fide firmaret contra invalescentem hæresim Nestorianam, eodem motivo scripserat & ad Reginas, videlicet ad uxorem ejus sponsam, & Pulcheriam ejus sororem, quod ægre ferentes Nestoriani eum ut aulæ perturbatorem apud Theodosium accusant, quasi scripsisset ad *Pulcheriam*, ut dissidium concitaret.

V. *Declaratio* 12. anathematismorum contra Nestorium & ejus asseclas fusior explicatio.

VI. *Liber* Apologeticus pro 12. istis capitulis, in quo ostendit se ab hæresi Apollinaris longe secedere.

VII. *Liber* alter Apologeticus ad Evoptium Episcopum pro iisdem 12. anathematismis.

VIII. *Expositio* Symboli Nicæni.

IX. *Synodales* epistolæ duodecim.

X. *Thesaurus* mirabilis in 14. Libros partitus, ubi angelice probat contra Arianos Verbi consubstantialitatem cum Patre, contra Nestorianos vero Verbi incarnationem & Christi divinitatem.

XI. Dialogorum cum Hermia Libri 7. de consubstantiali Trinitate.

XII. *De* adoratione in Spiritu & veritate libri 17. ad Palladium.

XIII. *Libri* 10. contra Julianum Apostatam Imperatorem pro fide defendenda.

XIV. *Libri* duo de recta in Christum fide ad Theodosium & Reginas.

XV. *Liber* unus adversus Anthorpomorphitas.

§. XVIII.

De Sancto Epiphanio, anno 403.

EPIPHANIUS ex obscuris parentibus & quidem Ethnicis ortus, a viro Judæo, Triphone dicto adoptatus, hæreditate copiosa ex paupere dives factus, a Luciano quodam virtute & professione vitæ monasticæ insigni, in fide eruditus, & postea baptizatus est. Distributis bonis fortunæ pauperibus, vitam utique monasticam amplexus est. Tum Salaminæ Cypri tametsi reluctans Episcopus inauguratus, sicut morum sanctitate, sic & eruditione claruit, maxime ob quinque linguarum, Hebraicæ scilicet, Latinæ, Syriacæ, Græcæ & Ægyptiæ peritiam; hinc & πεντάγλωττος vulgo dictus est. Hæreticos perpetuo debellavit, mortuus est ann. 403. Hæc sunt præcipua ejus opera.

I. *Pannarium*, seu opus contra 80. hæreses tribus Libris conclusum.

II. *Anchoratus*, hoc est Epistola, seu liber insignis, in quo vacillantes in vera fide firmat & roborat; hinc sicut anchora navis sistitur in mari, ne ventorum procellis commota versus rupes allisa frangatur & pereat; sic & isto opere fragiles figit in fide, hoc saltem est Libri scopus, idcirco Anchoratum inscribi voluit.

III. Anacephaleosis, hoc est Pannarii appendix.

IV. *Libellus* de mensuris & ponderibus, & de asterisco ac obolo, tum & de notis ac de characteribus in divinæ Scripturæ interpretibus per Originem usurpatis.

V. *Historia* de Prophetarum vita & interitu.

VI. *Epistola* ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum, qua apud eum se purgat de ordinato Presbytero in monasterio suam extra diœcesim, & intra diœcesim Joannis sito.

VII. *Libellus* adversus Marcionem, ubi subnotat hæreticum hominem Evangelium S. Lucæ & decem Epistolarum B. Pauli loca deflorasse.

§. XIX.

De sancto Ambrosio, ann. 397.

S. AMBROSIUS in Galliis natus est: Patrem habuit civem Romanum Galliarum Præfectum. Romæ primum liberalibus disciplinis imbutus, tum Lyguriæ & Æmiliæ Præfectus, ac tandem, mortuo *Auxentio* Episcopo Ariano, Episcopus Mediolanensis, acclamante populo, a clero electus ac deinde ordinatus fuit. Eloquentia magnus, mira pro Ecclesia ab Arianis exagitata dixit & scripsit opera, qualia sunt subsequentia tribus Tomis comprehensa.

In

In primo Tomo.

I. *Hexameron Libri sex*, seu sermones de operibus Dei in creatione factis, ut populum per visibilia quasi manu ducat ad invisibilium amorem.
II. *De* Paradiso Liber unus.
III. *Libri* duo de Cain & Abel.
IV. *De* Noe & Arca Liber unus.
V. *De* Abraham Patriarcha Libri duo.
VI. *De* Isaac & anima Liber.
VII. *Egregius* & mellifluus de bono mortis Liber unus.
VIII. *De* fuga sæculi Liber.
IX. *De* Jacob & vita beata duo Libri.
X. *De* Joseph Patriarcha Liber.
XI. *De* benedictionibus Patriarcharum Liber.
XII. *De* Elia & Jejunio Liber unus.
XIII. *De* Nabuthe Israelita Liber.
XIV. *De* Tobia Liber.
XV. *De* interpellatione Job & David Libri quatuor.
XVI. *Apologia* David. Eo loci ostendit Prophetam, dura & laboriosa pœnitentia duplex ab ipso commissum peccatum, homicidii scilicet & adulterii expiasse; quocirca inquit, quem Deus absolvit, accusare non licitum est.
XVII. *Altera* Ejusdem Apologia, sed dubitatur num sit Ambrosii fœtus.
XVIII. Enarrationes 12. in Psalmos.
XIX. *Expositio* in Psal. 118.
XX. Expositio Evangelii secundum Lucam.

In secundo Tomo.

I. *De* Officiis ministrorum Libri 3.
II. *De* Virginibus ad Marcellinam sororem suam, Libri 3.
III. *De* viduis Liber unus.
IV. *De* virginitate Liber.
V. *De* institutione Virginis ad Eusebium Liber.
VI. *Exhortatio* ad virginitatem Liber.
VII. *De* lapsu virginis consecratæ.
VIII. *De* Mysteriis Liber.
IX. *De* Sacramentis Libri sex.
X. *De* pœnitentia Libri duo.
XI. *De* fide Libri 5. ad Gratianum Imperatorem.
XII. *De* Spiritu sancto Lib. 3.

XIII. *De* Incarnationis mysterio Liber.
XIV. Fragmentum Ambrosianum ex Theodoreto desumptum; in quo quædam est fidei expositio, maxime de Incarnatione.
XV. *Variæ* Epistolæ numero 91.
XVI. *De* morte Satyri fratris sui Libri duo.
XVII. *De* obitu Imperatoris Valentiniani consolatio.
XVIII. *De* obitu Theodosii oratio funebris.

Tertius Tomus continet libros assutos.

§. XX.

De sancto Joanne Chrysostomo, ann. 407.

JOANNES ille ob eloquentiæ suavitatem Chrysostomus, seu os aureum nuncupatus, nobilibus parentibus Antiochiæ oriundus ann. 354. *Libanii* Sophistæ in Rhetorica, & Andragathii celeberrimi in Philosophia auditor fuit; tum forum secutus, sed litigantium rixis exacerbatus, abdicata toga, secessit in eremum, ut Deo totus vacaret. Sanctitatis fama Ecclesiæ notus ad clerum vocatus est, hinc ordinatus Diaconus a Magno *Meletio*, elapsis quinque annis Presbyter a Flaviano consecratus est ann. 387. Ibi prædicatione admodum claruit, hinc e vivis arrepto Nectario, cooperante Archadio Constantinopoleos Episcopus inauguratus est. Quia vero juxta Pastorale officium depravatos mores & Cleri abusus insectabatur, a se de invidia & calumnia, in Synodo ad Quercum juxta Chalcedonem habita molitione Theophili Alex. deturbatus, postea, exigente & mussitante populo in eamdem restitutus est. Iterum vero exigente Imperatrice Eudoxia, eo quod ludos ad ejus statuam in foro S. Sophiæ divinis Officii horis celebratos arguere non cessaret, ejectus fuit. Sed dum longius exulare cogitur, a S. Basilisco martyre de sua morte & gloria certior factus, ultimum in Domino gloriosus meritis & doctrinis clausit diem, 13. Sept. ann. 407. Jam de ejus indubitatis Operibus sequitur tabula.

I. *Variæ* quæ ejus nomine circumferuntur homiliæ eruditione & unctione percelebres.
II. *Libri* sex de Sacerdotio, quos in Eremo degens concinnavit.
III. *De* compunctione cordis Libri duo,

IV. *De* providentia Dei Libri 3.
V. *De* oratione Libri duo.
VI. *De* comparatione Regis & Monachi Liber.
VII. *Contra* impugnatores vitę monasticę Libri 3.
VIII. *Contra* Gentiles Liber unus.
IX. *Sermones* de variis argumentis.
X. *Multæ* Epistolæ, in primis septem: videlicet duæ ad Innocentium I. una ad Cyriacum Episcopum exulem: una ad Episcopos & Presbyteros ob pietatem in carceratos. Una ad Theodorum lapsum Ecclesiæ Mopsuestenæ Episcopum, quem tamquam condiscipulum adhortatur, ut facta pœnitentia, ad meliorem frugem redeat: una ad Eutropium per modum homiliæ: una ad Olimpiam virginem simul & viduam Nebridii quondam sponsam, sed illibatam & Ecclesiæ CP. diaconissam.
XI. *Liturgia* Egregia, in qua astruitur speciali modo præsentia realis corporis Christi. In forma enim consecrationis habetur: *Hoc est enim vere corpus meum: hic enim est sanguis meus vere.*

§. XXI.

De Sancto Hieronymo, ann. 420.

Inter omnes sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores celeberrimus est S. Hieronymus, Stridone in Dalmatiæ & Pannoniæ finibus ab honestis & Christianis parentibus natus circa ann. 329. liberalibus disciplinis Romæ operam dedit. Varias mundi lustravit regiones, videlicet Gallias & finitimas Provincias, Syriam, Palæstinam, in primis Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam. Studuit linguæ Hebraicæ, Græcam & Latinam apprime callebat. Tum in eremum secessit; ubi corpus jejuniis, cilicio & variis pœnitentiæ instrumentis excrucians, spiritum perpetuis sacrę Scripturę studiis & orationibus recreabat. Damaso Papæ fuit admodum charus: vetus Testamentum ex Hebræo, novum vero ex Græco Latinum fecit. Factus pietate & eruditione totius ferme orbis Christiani Magister, omnium utriusque sexus respondebat votis: hunc Augustinus ex Africa circa quæstiones difficiles sæpius consulebat: hunc ex Gallia Severus Sulpitius, tum & Hedibia & Algasia nobiles feminæ: hunc ex Italia Paulina & Eustochium piæ dominæ. Omnes ferme hæreses debellavit, Arianos, Pelagianos, Helvidium, Jovinianum, Luciferianos prostravit. Hæc in ejus laudes canit S. Prosper,

Hebræo simul & Grajo, Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique Magister.

S. Hieronimi Opera varietate jucunda emicant: quædam enim sunt laudatoria, multa Polemica, alia vero exegetica, seu sacræ Scripturę expositoria & gravium quæstionum resolutoria.

De Operibus laudatoriis, seu Epistolis.

I. Epistola exhortatoria ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ.
II. *Altera* ad Nepotianum de vita Clericornm rite instituenda.
III. *Una* ad Rusticum monachum de vivendi forma.
IV. *Insignis* ad Lætam de institutione filiæ, seu ad Lætam *Toxotii* Paulę vetulę filii viduam, cui præscribit modum instituendę filię Paulę, sibi ex *Toxotio* marito, & Paulę avię filio relictę.
V. *Ad* Demetriadem nobilem & divitem virginem Romanam de mediis illibatam servandi virginitatem, Una.
VI. *Ad* Salvinam viduam nobilem Una, in qua eam docet filios relictos, probis moribus & sanctis regulis instituere: tum ei præscribit modum in viduitate pie perseverandi, ne alium præter Christum sponsum habeat.
VII. *Una* ad Furiam ex *Læto* Consulari & Patricio Camillorum generis patre & *Titiana* matre procreatam, quam eam de mariti funere consolatur, & in viduitate permanere adhortatur.
VIII. *Altera* ad Ageruchiam viduam de monogamia, quam a secundis nuptiis inequndis avertit, ubi etiam argumentis in contrarium respondet.
IX. *Una* ad Gaudentium, qua Virginis adhuc tenellæ educationis modum præscribit, ut bene sic instituta Virgo permaneat.
X. *Una* ad Celantiam nobilem matronam de modo inter honores, divitias & Matrimonii solicitudines pie vivendi.

XI. Una

XI. *Una* ad *Marcellam* de laudibus *Asellæ*, quæ vix 12. annorum nata vitam monasticam Romæ profitebatur.

XII. *Ad* Principiam virginem, Marcellæ viduæ Epitaphium: Defunctam laudat in hac Epistola Marcellam nobilem Romanam Albinæ filiam, maxime quod Origenis errores ex urbe fugaverit, & Jerusalem pietatis causa advolaverit.

XIII. *Altera* ad eamdem Marcellam, qua Paula & Eustochium, quæ tunc in monasterio ad Præsepe domi vitam ducebant Cœlestem, Marcellam ut iterum illuc veniat invitant, cum ejus consilio & exemplo ipsæ venerint.

XIV. *Una* ad Eustochium, in qua de acceptis munusculis gratias agit.

XV. *Una* utique ad *Marcellam* de acceptis ab ea munusculis, tum pro se, tum pro Paula & Eustochio virginibus.

XVI. *Ad* Eustochium virginem, quæ Paulam matrem usque ad Bethlehem secuta, virginitatem professa, in bono proposito permanebat. In hac Epistola de modo virginitatem servandi eam eleganter docet.

XVII. *Iterum* ad Marcellam de ægrotatione Blasillæ. Blasillam Paulæ filiam & Eustochii sororem laudat, quod mortuo viro, monasticæ vitæ operam navaret.

XVIII. *Rursus* ad Marcellam de exitu Leæ religiosissimæ feminæ & monasterii præfectæ, quam magnis effert laudibus.

XIX. *Una* ad Paulam de obitu Blasillæ ejus primogenitæ filiæ. Defunctæ celebrat virtutes & sic matri solatium affert.

XX. *Una* ad Pammachium, ut eum de morte Paulinæ ejus sponsæ consoletur. Pammachium nobilissimum juvenem *Paulinæ* Paulæ & Toxotii filiæ maritum alloquens, amissam ejus uxorem magnis effert encomiis.

XXI. *Ad* Eustochium virginem Epitaphium Paulæ matris, quæ ex Toxotio quatuor susceperat filios, videlicet Blasillam, Paulinam, Eustochium cognomento Juliam, & Rufinam, insuper & Toxotium filium. Defuncto marito, vitam monasticam Romæ quinque annis duxit: inde Jerusalem profecta, erectis tam pro viris quam pro feminis monasteriis, 20. annorum spatio ad Præsepe Domini vitam monasticam quam Romæ jam jam professa fuerat, semper ducens, obiit matura ad gloriam & plena meritis. S. Doctor in Epistola de qua loquimur, paucis his verbis Heroinæ Christianę absolvit laudes: " Si cuncta corporis mei membra „ verterentur in linguas, & omnes artus „ humana voce resonarent, nihil dignum „ sanctę ac venerabilis Paulę virtutibus „ dicerem &c. „

XXII. *Ad* Oceanum Epitaphium Fabiolę nobilis Romanę, quę pro peccato graviori a marito derelicta, perperam alteri nupserat: Sed pœnitentia laboriosa & largis eleemosynis delictum expiavit, tum ad Christum conversa petiit Jerosolymam; reversa vero obiit in Domino.

XXIII. *Ad* Innocentium de muliere septies icta. Eo loci enarrat factum cujusdam mulieris, quæ adulterii a viro falso accusata, per sententiam judicis tortori ad mortem tradita, septies ab eo percussa mori non potuit.

XXIV. *Vita S.* Pauli eremitæ.

XXV. *Vita S.* Hilarionis Monachorum patris.

XXVI. *Vita* Malchi Monachi, qui dum a parentibus ad nuptias compellitur, fugit in eremum.

XXVII. *Liber* de viris illustribus.

Opera Polemica.

I. *Contra* Helvidium Liber unus.

II. *Contra* Jovinianum duo.

III. Pro his contra Jovinianum libris Apologia ad Pammachium, ubi nonnulla de matrimonio dura quæ scripserat Jovinianus ad Pammachii S. Paulæ generum, explanat in epistola, quæ veluti matrimonii inter Christianos celebrati est Apologia.

IV. *Ad* Domnionem Apologeticon, seu Epistola quinquagesima prima, in qua invehitur in quemdam monachum qui eum accusabat, quod in Libris adversus Jovinianum a Matrimonio aliquid detraxisset.

V. *Ad* Pammachium Epist. 52. ubi ejus laudat prudentiam in eo quod sua adversus Jovinianum Opera occultasset, quippe quæ ex eis multi offenderentur; quia vero id absolute semper fieri non poterat, pro eis vindicandis non semel ei Apologeticon a fidelibus legendum emittit.

VI. *Contra* Vigilantium ad Riparium Epistola numero 53.

VII. *Contra* eumdem Liber unus, in quo juxta severioris critices legem confutat hæretici volumen.

VIII. *Ad* Marcellam epistola ordine 54. adversus Montanum, ubi hæresiarchæ texuit errores.

IX. *Orthodoxi* & Luciferiani dialogus. Ibi debellat Luciferi Calaritani in Sardinia Episcopi nævos, qui nimio abreptus zelo nolebat Episcopos Ariminenses tametsi Pœnitentes ad pacem Ecclesiæ recipi.

X. *Epistola* num. 59. ad Avitum, in qua Origenis errores fugiendos explanat.

XI. *Epistola* num. 61. ad Pammachium adversus errores Joannis Jerosolymitani, qui octo præcipuas fovebat Origenis hæreses.

XII. *Epistola* num. 62. ad Theophilum contra Joannis Hierosolymitani nævos.

XIII. *Rufinus* in Præfatione ad Libros Periarchon quos latine reddiderat, auctorem ab errore vindicat: Hieronymus e contra contendebat in eis multos errores scatere: quia vero Rufinus erat amicus Hieronymi, ex Præfatione laudata in suspicionem hæresum Origenis nedum Rufinus, sed & S. Doctor veniebat, eo quod utrumque propter amicitiam unius esse labii autumarent viri eruditi; quocirca Hieronymus rogatus a Pammachio & Oceano Apologiam conscripsit; & ne quis crederet se Origeni adhærere, ejus prodit errores, & Rufini versionem multum arguit, quod fuit inter se & illum causa dissidii; nam ut fert adagium, *Amicus usque ad aras*. Nusquam enim licitum est veritatem in gratiam amici errantis, aut tegere, aut offendere.

XIV. *Epistola* 66. ad Rufinum, in qua respondet ei amicitiam reconciliatam a se non fuisse læsam, & monet quod viro orthodoxo non conveniat in periculum hereseos venire.

XV. *Epistola* num. 67. ad Pammachium & Marcellinum contra Rufinum; seu Apologia in tres libros divisa. In primo crimina sibi a Rufino ex amicitię læsione propellit: in secundo Rufini objurgationem sub nomine Apologiæ Anastasio Papæ missam debellat: in postremo Epistolis Rufini velut excusatoriis ad se missis respondet.

XVI. *Epistola* num. 68. ad Ctesiphontem adversus Pelagium.

XVII. *Libri* III. Dialogorum cum proœmio contra Pelagianos, quorum dogmata efficacissimis argumentis refellit.

Epistolæ S. Hieronymi Exegeticæ, seu sacrarum Scripturarum expositoria.

I. Epistola ad Paulinum Presbyterum de singulis divinæ Scripturæ libris.

II. *Ad* Desiderium in Pentateuchum Præfatio.

III. *Ad* Cromatium in Librum Paralipomenon Præfatio.

IV. *Epistola* 11. Ad Cromatium & Heliodorum Episcopos, in Tobiam. Altera ad eosdem quæ est 115. in Proverbia, & Ecclesiasten & in Cantica Canticorum.

V. *Epistola* 3. ad Paulum & Eustochium. Prima est ordine 116. & est præfatio in Ecclesiasten, quæ ex Hebræo transtulit. Secunda est 117. & Præfatio in Isaiam ex Hebræo translatum. Tertia quæ est num. 121. est Præfatio in 12. Prophetas.

VI. *Epistola* ad Damasum Papam numero 123. & est Præfatio in quatuor Evangelia.

VII. *Rursus* ad Damasum ordine 125. qua respondet quinque propositionibus seu quæstionibus de Genesi factis.

VIII. *Epistola* 126. ad Evagrium, in qua respondet, Melchisedech, nec Spiritum Sanctum, nec Angelum esse, sed hominem.

IX. *Ad* Fabiolam num. 127. de 42. Mansionibus, quas percurrens populus Israeliticus, sed mutatis castris pervenit ad terram promissionis: in his per analogiam ad istas mansiones explicat spirituales gradus quibus anima venit ad cœlum.

X. *Rursus* altera ad Fabiolam de vestitu Sacerdotum veteris legis, quæ est num. 128.

XI. *Ad* Dardanum num. 129. de Terra promissa Præfatio.

XII. *Ad* Marcellam num 130. Ibi explicat quid sit *Ephod*, *Bat*, & quid *Teraphim* apud Hebræos.

XIII. *Epistola* num. 131. ad Rufinum, in qua explicat judicium Salomonis de lite duarum mulierum per allegoriam de Ecclesia ex Gentibus & Synagoga Judæorum congregata.

XIV. *Epistola* ad Vitalem num. 132. ubi docet pro vero credendum esse Salomonem &

& Achaz, ut Scriptura commemorat, undecimo ætatis anno filios genuisse.

XV. *Epistola* ad Sophronium num. 134. in qua Psalmos ex Hebræo vertens, illum instruit de Psalmorum auctoribus & titulis.

XVI. *Ad* Suniam & Fretelam epistola 135. quæ ex Germania scripserant ad Hieronymum, in quibus multa notant Scripturæ loca Græca & Latina quorum non erant convenientia testimonia, ipsum deprecantes quatenus ad fontes Hebraicos ea ad veritatem & genuinum sensum aperiendum probare dignaretur.

XVII. *Epistolæ* tres aliæ ad Marcellam. In prima quæ est ordine 136. explicat decem nomina Dei quibus apud Hebræos designatur Deus: In secunda quid significent apud Hebræos, *Alleluia*, *Amen*, *Maranatha*. In tertia denique quid Diapsalma significet.

Porro decem Dei nomina Hebræa hæc sunt: El, Eloha, Elohim, Sabaoth, Elion, Heie, Adonai, Jah, Saddai, Jeova, *El* idem est ac fortis. *Eloha* Deus singulariter; *Elohim* Deus pluraliter, seu est plurale nominis *Eloha* quo utuntur Hebræi ad majorem Dei honorem. *Sabaoth* idem est ac *Exercituum*, & hoc non est nomen, sed cognomen, quocirca jungitur semper cum alio nomine, videlicet cum *Adonai*, & dicitur *Adonai Sabaoth* quod interpretatur, *Dominus exercituum*. *Elion* idem est ac *excelsus*: *Heie*, qui est: *Adonai* Dominus, *Jah* nomen Deo proprium & abbreviatum Jehova, *Saddai*, id est, sufficiens, munificus, omnipotens, *Jeova*, est nomen Dei primarium, ex quatuor solum syllabis coalescens, videlicet, *Jod*, *He*, *Vau*, & *He*, unde *Tetragrammaton* dicitur, & significat ipsam Dei essentiam, quocirca ineffabile vocatur; nec profertur ab Hebræis nisi Sacerdotibus in reverentiæ signum.

XVIII. *Epistola* 139. ad Cyprianum. Eo loci eleganter tametsi breviter explanat Psalmum 89. *Domine refugium factus es nobis*.

XIX. *Epistola* n. 140. ad Principiam Virginem, in qua explicat Psalmum 44. qui incipit: *Eructavit cor meum verbum bonum*.

XX. *Iterum* ad Damasum Epistolæ 3. una ordine 142. altera, 143. tertia, 146. In duabus prioribus, Trisagium & Isaiæ reliquum caput erudite exponit, in postrema vero parabolam de filio prodigo.

XXI. *Epistola* n. 147. ad Amandum Presbyterum directa, in quibus respondet quibusdam propositionibus ab Amando sibi factis, v. g. quid significet ista sententia Evangelii: *Nolite soliciti esse*, *&c*.

XXII. *Epistola* ad Hebidiam quæ est num. 150. in qua 12. quæstionibus de sacra Scriptura sibi factis respondet.

XXIII. *Epistola* n. 151. ad Algasiam, qua 11. questiones de novo Testamento sibi propositas solvit & explicat.

§. XXII.

De Sulpicio triplici, videlicet Aginnensi uno, & utroque Biturigum.

De Aginnensi Presbytero.

A Gennadio vocatur iste Severus Sulpicius, a Hieronymo, Paulino Nolano, & Gregorio Turonico Severus. S. Martini discipulus fuit, coævus Rufino, ex nobilibus Nitiobrigibus sive Aginnensibus Aquitaniæ parentibus ortus: Historiæ sacræ Scriptor celeberrimus extitit. Ista illi tribuuntur Opera.

I. *Duo* Libri de Historia sacra, quam a mundi cunis exordiens ad Aureliani usque Consulatum, hoc est, ad annum Christi usque 400. perduxit.

II. *Vita* S. Martini Liber unus.

III. *Tres* Dialogi, videlicet unus de conversatione, virtutibus, & miraculis Monachorum Orientis: Alter & postremus exhibent vitam & miracula S. Martini.

IV. *Epistolæ* multæ ad varias personas missæ.

De utroque Sulpicio Biturigum.

S. Sulpicius nomine Primus, Severo Sulpicio recentior, Biturigum Episcoporum 27. successit Remigio, sive Remedio in Patriarchali Biturigum Cathedra. Gregorius Turonicus Lib. 6. Hist. Francorum cap. 39. & Lib. 1. cap. 26. appellat eum ingenio & artis poeticæ fama clarum. Adfuit Matisconensi Concilio an-

no 585. & aliis pluribus suo ævo adunatis. Illum commemorat Martyrologium Romanum die 29. Januarii.

Alter Sulpicius Biturigum Archipræsul penultimo posterior, cognomento Pius, sedit in Sede Patriarchali trigesimus. Oriundus e Vastino Biturigum oppido, gallice *Vatan*, nuncupato. Successit Beato Austregesillo S. Aregii Nivernienssis Episcopi fratri. Interfuit Concilio Rhemensi anno 630. Mortuus est plenus meritis anno 640. Illius meminit Baronius in Martyrologio die 17. Januarii.

Duæ ex eo numerantur Epistolæ ad Desiderium Cadurcensem Episcopum directæ; tertia vero ad *Verum* Ruthenensem Episcopum. Desiderius Cadurcensis in sua ad eum Epistola quæ est n. 12. appellat illum Papam & Patriarcham; ne miremini; nomen Papę quod significat magnum Patrem, seu Patrem Patrum quondam honoris causa concedebatur Episcopis virtute & eruditione celeberrimis.

§. XXIII.

De sancto Augustino, anno 430.

Aurelius Augustinus Doctorum aquila propter altitudinem, latitudinem, longitudinem, profunditatem & universalitatem scientiæ dictus; alter fuit sua ætate vas electionis, qui potens opere & sermone omnis generis, nationis, conditionis, & sexus homines sic erudivit, ut veluti ineffabilis Doctor jure possit appellari, quippe qui rudes in fide instituerit, spirituales in scientia Christi erudierit, amantes inflammaverit. Quid plura? Malleus Hæreticorum, Ecclesiæ lumen, Religiosis forma perfectionis factus ex animo, Scholæ decus, Magistrorum Doctor, Theologorum Pater & eximius Ecclesiæ defensor extitit. Natione fuit Afer, patria Tagastensis in Numidia ex Patricio & Monica honestis parentibus natus, ad omnes scientias tam cito maturus, ut adhuc juvenis discipulus simul & Magister apparuerit. Primum Grammaticam Tagaste, tum Carthagine, & postea Mediolani Rhetoricam summa cum laude docuit. In Manichæorum hæresim lapsus, opera & prædicatione S. Ambrosii conversus, baptizatus est a Valerio Hipponensi Episcopo: Presbiter ordinatus, ipso mortuo ei successit in Episcopatu. Tandem post multos pro Ecclesia exhantlatos labores, obiit in Domino anno Christi 430. ætatis vero suę 76. Jam operæ pretium est dicere quænam fuerint ejus Opera. Alia nondum Christianus elucubravit, nonnulla baptizatus; multo plura Presbyter factus, infinita prope Episcopus inauguratus.

Opera Augustini Catechumeni.

I. Contra Academicos Libri 3. Tom. 1. vet. edit. de illis Lib. 15. de Trinit. cap. 12. sic loquitur: " Contra Academicos . . . qui nihil ab homine sciri posse contendunt, sunt libri tres nostri, primo nostrę conversionis tempore conscripti. „

II. *De* Beata vita Liber unus.

III. *De* Ordine Libri 2. de argumento librorum sic loquitur sanctus Doctor Lib. 1. Retract. cap. 3. " Per idem tempus „ inter illos qui de Academicis scripti „ sunt, duos etiam libros de Ordine scri-„ psi, in quibus magna quæstio versatur, „ utrum omnia bona & mala divinæ provi-„ dentiæ ordo contineat? Sed cum rem vi-„ derem ad intelligendum difficilem ... de „ ordine studendi loqui malui. „

IV. *Soliloquiorum* duo Libri. Ibidem Lib. 1. Retract. cap. 4. de motivo istos componendi libros ait: " Inter hæc scripsi „ etiam duo volumina secundum studium „ meum & amorem ratione indagandæ „ veritatis, de his rebus quas maxime „ scire cupiebam, me interrogans, mi-„ hique respondens, tamquam duo esse. „ mus ratio & ego, cum solus essem: „ unde hoc opus *Soliloquia* nominavi. " Observes velim alterum librum Soliloquiorum animæ ad Deum in Tomo 9. adesse. At non esse Augustini fœtum, sed potius auctoris longe recentioris ex eo liquido patet, quod cap. 32. refert caput primum 4. Concilii Lateranensis, in quo quidem affulget mira fidei de SS. Trinitate professio.

V. *De* immortalitate animæ Liber.

VI. *Varii* Disciplinarum libri: videlicet unus de Grammatica. De Musica sex. De aliis vero disciplinis quinque saltem inchoati, ut ait Lib. 1. Retract. cap. 6. „ De

„ De aliis vero quinque disciplinis illic similiter inchoatis, de Dialectica, de „ Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Philosophia sola principia remanserunt, quæ tamen ipsa perdidimus, „ sed haberi ab aliquibus existimo. „

Opera Augustini jam baptizati.

I. De moribus Ecclesiæ Catholicæ, & de moribus Manichæorum Libri duo.

II. *De* quantitate animæ Liber.

III. *De* libero arbitrio contra Manichęos Libri tres.

IV. *De* Genesi adversus eosdem Libri duo.

V. *De* Magistro, scilicet uno Christo Liber, de quo loquitur Libr. 1. Retract. cap. 12. " Per idem tempus scripsi librum „ cujus est titulus, de Magistro, in quo „ disputatur & quæritur & invenitur, „ Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundum „ illud etiam quod in Evangelio scriptum est, unus est Magister vester „ Christus. „

VI. *De* vera Religione Liber.

Opera Augustini Presbyteri.

I. De utilitate credendi ad Honoratum Liber unus egregius.

II. *Liber* 1. de duabus animabus contra Manic. Lib. 1. Retr. capit. 15. de his momentis hæc scribit: " Post hunc librum „ scripsi adhuc Presbyter contra Manichæos de duabus naturis, quarum dicunt unam partem Dei esse, alteram „ de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, & quæ sit Deo coeterna; „ & has ambas animas, unam bonam, alteram malam, in uno homine esse delirant.... & omnia quidem bona homi- „ nis illi bonæ animæ; omnia vero mala „ illi malæ animæ tribuunt. „

III. *Liber* unus contra Fortunatum Manichæum.

IV. *De* fide & Symbolo Liber.

V. *De* Genesi ad litteram Liber imperfectus.

VI. *De* Sermone Domini in monte Libri duo.

VII. *Psalmus* contra partem Donati.

VIII. *Contra* Epistolam Donati Liber unus, quod desideratur; de eo tamen fit mentio Lib. 1. Retr. cap. 21.

IX. Contra Adimantum Manichæum Liber.

X. *Liber* expositionis quarumdam Propositionum ex Epistola ad Rom.

XI. *Alter* Liber expositionis Epistol. ad Galatas.

XII. *Epistola* ad Romanos inchoata expositio.

XIII. *De* diversis quæstionibus octoginta tribus Liber.

XIV. *De* mendacio Liber.

Opera sancti Augustini Episcopi.

I. De diversis quæstionibus ad Simplicianum duo Libri.

II. *Liber* contra Epistolam Manichæi, quam vocant *Fundamenti.*

III. *De* Agone Christiano Liber.

IV. *De* Doctrina Christiana Libri 4.

V. *Libri* Confessionum 13.

VI. *Magnum* opus contra Faustum Manichæum, de quo sic loquitur Libr. 2. Retract. cap. 7. " Contra Faustum Mani- „ chęum blasphemantem Legem & Pro- „ phetas, & eorum Deum, & Incarna- „ tionem Christi, Scripturas autem novi „ Testamenti, quibus convincitur falsatas „ esse dicentem, scripsi grande opus, ver- „ bis ejus propositis reddens responsiones „ meas: triginta & tres disputationes „ sunt; quas etiam libros cur non dixe- „ rim? Nam etsi sunt in eis aliqui per- „ breves, tamen libri sunt. „

VII. *Contra* Felicem Manichæum Libri duo.

VIII. *De* natura boni contra Manichęos Liber.

IX. *Contra* Secundinum Manichæum Liber.

X. *De* Catechizandis rudibus Liber.

XI. *De* SS. Trinitate Libri 15.

XII. *Contra* Epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi Libri 3.

XIII. *De* Baptismo contra Donatistas Libri 7.

XIV. *De* opere Monachorum Liber unus.

XV. *De* bono conjugali adversus Jovinianum Liber.

XVI. *Liber* unus de sancta Virginitate.

XVII. *De* Genesi ad litt. Libri 12.

XVIII. *Contra* litteras Petiliani Libri 3.

XIX. *Contra* Cresconium Grammaticum & Donatistam Libri 4.
XX. *De* divinatione dæmonum Libellus.
XXI. *Liber* unus de unico Baptismo contra Petilianum.
XXII. *De* peccatorum meritis & remissione Libri tres.
XXIII. *Liber* unus insignis de Spiritu & littera.
XXIV. *De* fide & operibus Liber unus.
XXV. *Liber* de natura & gratia.
XXVI. *De* gestis Pelagii Liber unus.
XXVII. *De* gratia Christi & peccato originali contra Pelagium & Cœlestium Libri duo.
XXVIII. *De* nuptiis & concupiscentia Libri duo.
XXIX. *De* adulterinis conjugiis Libri duo.
XXX. *Contra* duas Epistolas Pelagii Libri 4.
XXXI. *Libri* sex adversus Julianum.
XXXII. *De* Prædestinatione Sanctorum & de bono perseverantiæ Libri duo.
XXXIII. *De* anima & ejus origine Lib. 4.
XXXIV. *De* origine animæ, & de sententia D. Jacobi Lib. 2. Augustinus Lib. 2. Retr. cap. 45. ait: " Scripsi duos libros ad " Hieronymum sedentem in Bethelehem, " unum de origine animæ hominis, alterum de sententia Jacobi Apostoli, ubi " ait, quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est " omnium reus."
XXXV. *Contra* Adversarium Legis & Prophetarum Libri duo.
XXXVI. *De* videndo Deo Liber.
XXXVII. *De* consensu Evangelistarum Libri 4.
XXXVIII. *De* Civitate Dei Libri 22.
XXXIX. *De* sex quæstionibus contra Paganos expositis Liber.
XL. *Locutionum* Scripturę sacrę Lib. 7.
XLI. *Ad Orosium* contra Priscillianistas Liber unus.
XLII. *Contra* mendacium Liber.
XLIII. *De* gestis cum Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo Liber.
XLIV. *Enchiridion* ad Laurentium Lib. 1.
XLV. *Breviculus* collationum cum Donatistis Libri 3.
XLVI. *De* cura pro mortuis Liber.
XLVII. *De* gratia & libero arbitrio Liber unus.
XLVIII. *De* correptione & gratia Lib. 1.
XXXXIX. *De* hæresibus ad Quodvultdeum Libellus.
L. *Plurima* Epistolæ.
LI. *Retractationum* Libri duo.

De Sancto Paulino, ann. 431.

PAULINUS floruit misericordia in pauperes, sanctitate & eruditione. Habet suarum virtutum Præcones Ambrosium, Martinum, Hieronymum, Severum Sulpicium, Augustinum, & alios permultos: erat natione Gallus in Aquitania *Ebromagi* ad Garumnæ fluminis ripam non procul a Burdigala ex claris parentibus ortus. Primo nupsit, mortuo post octavum diem filio ex Therasia divite & sapientissima uxore suscepto, tum inspirante Deo ad fidem se convertit, baptizatus a Delphino Burdigalensium Episcopo, venditis prædiis, ex consensu uxoris soli pietati & orationi operam dedit, tum sacris initiatus, Nolæ postea Episcopus inauguratus est. Tanta ejus erga afflictos commiseratio erat, ut cum nihil illi ad redimendum viduæ filium captivum superesset, seipsum pro pignore obtulerit & dederit, donec solveret pretium. Multa scripsit soluta & metrica oratione.

Opera soluta orationis.

I. EPISTOLÆ ad Severum Sulpitium 14.
II. *Ad* Delphinum Episcopum Burdigalensem 5.
III. *Ad* Amandum Delphini successorem 6.
IV. *Ad* Victricium Rothomagensem Episcopum 2.
V. *Ad* Aprum Tullensem in Lotharingia Præsulem 3.
VI. *Ad* Florentium Cadurcensem Episcopum, 1.
VII. *Ad* Alethium post Florentium Cadurcensem utique Episcopum, 1.
VIII. *Ad* Desiderium Lingonensem Episcopum, 1.
IX. *Ad* Macarium solitarium, 1.
X. *Ad* Pammachium virum Pro-Consularem, 1.
XI. *Ad* Jovium de Providentia philosophice, & non christiane de Providentia differentem, 1.

XII. *Ad*

XII. *Ad* militem quemdam una, qua illum adhortatur, ut relicta Cæsaris militia, ad Christi militiam transeat.
XIII. *Ad* Sebastianum Eremitam altera, qua ejus vitæ institutum laudat.
XIV. *Ad* sanctum Augustinum, 4.
XV. *Ad* Alipium una.
XVI. *Ad* Romanianum, 1.
XVII. *Ad* Licentium Romaniani filium, 1.
XVIII. *Ad* Rufinum, 1.
XIX. *Ad* Marcellam, una.
XX. *Ad* Celantiam nobilem Matronam, una.
XXI. *Ad* Eucherium & Gallam, una.

Opera metrica seu Poemata.

I. AD Jovium metrica Epistola qua invitat ad sacra legenda, fatum & fortunam nihil esse ducens.
II. *Ad* Ausonium quatuor Epistolæ metricæ.
III. *Ad* Cytherium de naufragio Martiniani, & de filii ipsius Cytherii eruditione carmen.
IV. *De* obitu *Celsi* pueri carmen panegyricum.
V. *Natalitia* carmina quibus S. Paulinus natalem sancti Felicis diem primo natalitio excoluit.
VI. *Panegyricus* Theodosii super victoria Tyrannorum.

§. XXV.

De Sancto Nilo, 440.

NILUS nobilitate magnus, eruditione clarissimus, dignitate Præfecti Constantinopoleos celebris, vita Monachali in Monte Sinai cum filio suo Theodulo illustrior fuit. Tum multorum Monachorum Abbas & pater, Theodoreti coætaneus sub Theodosio juniore circa annum 440. obiit. Sequuntur ejus Opera in Bibl. PP. inserta.
I. *Parænetica*, id est, liber varias complectens ad bonum operandum exhortationes.
II. *De* Oratione, seu de modo Deum orandi Liber.
III. *Liber* Asceticus, seu Christiana Philosophia, quo nomine monasticam intelligit.
IV. *De* Monachorum institutione Liber unus.
V. *Tractatus* de Monachorum præstantia. Eo loci vitam contemplativam & solitariam activæ quorumdam Monachorum longe anteponit.
VI. *Peristeria*, seu Tractatus de virtutibus excolendis, vitiisque fugiendis.
VII. *De* Paupertate voluntaria egregius Tractatus.
VIII. *De* vitiis fugiendis specialis Tractatus ad Eulogium Monachum.
IX. *Historia* de incursione Saracenorum, ubi & de martyrio multorum cum filio suo Theodulo in Monte Sinai in odium Christi occisorum. Epistolæ 657. de novo detectæ ab Allatio latinæ redditæ.

§. XXVI.

De Sancto Petro Chrisologo, ann. 450.

PETRUS ob eloquentiæ flumen dictus Chrysologus, fuit vir in omni disciplinarum genere instructus, clarus pietate & eruditione, floruit etiam miraculis. Monitu sancti Apollinaris Ravennatum Patroni a Sixto III. ann. circiter 433. Ravennatis Episcopus creatus est. Fuerunt ejus Homiliæ seu Sermones in Evangelia de Dominicis & Festis numero 176. Tum Epistola ad Eutychetem qua illum invitat ad obediendum fidei per sanctum Leonem & Concilium Chalcedonense expositæ: " In omnibus, *ait*, hortamur te, „ frater honorabilis, ut hisquæ a Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta „ sunt, obedienter attendas. Quoniam „ beatus Petrus qui in propria sede & „ vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. „

§. XXVII.

De Theodoreto, ann. 460.

THEODORETUS patria Antiochenus e Nobilibus, sed primum sterilibus parentibus ortus, adhuc juvenis Cyri anno circiter 423. Episcopus inauguratus est. Paganos, Judæos, Hæreticos & impios, indefesso labore viginti-sex annorum spatio infestatus est. Pagos multos a Marcionis hæresi purgavit, infinitos prope homines Arii & Eunomii lue contaminatos sana-

sanavit, ab Hæreticis quæsitus ad necem, ab Evangelio prædicando non abstinuit: Exauctoratus in prædatoria Synodo Ephesina per Dioscorum, in fide firmus permansit, Nestorium errore detentus ad tempus quidem defendit, sed detecta fraude, ipsum postea in Concilio Chalcedonensi astantibus & audientibus Patribus, proscripsit. Sic pauper propter Christum factus, ut ne quidem proprium habuerit sepulchrum, quippe qui in tumulo quem Jacobo Nisibeno venerando seni amico suo paraverat, prius ante illum defunctus positus sit circa ann. 460. & ut quidam scribunt 470. Ejus scripta quatuor in voluminibus concluduntur.

I. *Varii* de Scriptura sacra libri, videlicet unus de selectis Scripturæ locis, ubi plurimas difficultates de Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Josue, Judicibus, Ruth, de Regum & Paralipomenon libris explanat. Tum adsunt Commentaria clare admodum concinnata in Psalmos, Cantica Canticorum, Prophetas majores & minores, si unum excipias Isaiam.

II. *Commentaria* in omnes B. Pauli Epistolas, ubi ordinem, tempus, & loca in quibus conscriptæ sunt, subnotat.

III. *Historia* Ecclesiasticæ Libri 5.

IV. *Eranistes*, seu *Polymorphus*, id est, Liber in tres dialogos divisus; in quibus per modum colloquii familiaris Eranistes personam Eutychetis gerens proponit Orthodoxo dubia solvenda. Primus dialogus nominatur *immutabilis*, quia in eo Orthodoxus seu Theodoretus probat divinitatem esse immutabilem. Alter dicitur *inconfusus*, quia eo loci ostendit naturam humanam & naturam divinam in Christo impermixtas esse. Tertius nuncupatur *impatibilis*, quia ibi docet Orthodoxus Verbum nullis passionibus obnoxium fuisse.

V. *Hæreticarum* fabularum Libri 4.

VI. *Historia* sanctorum Patrum & Monachorum, qui in eremo vitam angelicam ducebant.

VII. *De* curandis Græcorum affectionibus Libri 12. hoc est, opus in libros duodecim distributum, in quibus contra Gentiles infidelesque Græcos Evangelicam Christi Religionem defendit, rationibus ex ipsa eorum Philosophia excerptis.

VIII. *De* Providentia sermones 10. in quibus debellat impios negantes Deum curam de omnibus habere.

IX. *Epistolas* numero 147. refert in sua editione Sirmundus.

X. *Duodecim* Capitula in gratiam Nestorii, quæ totidem B. Cyrilli fidem Dominicæ Incarnationis astruentibus opponit. Non inde tamen e numero Patrum Ecclesiæ expungendus Theodoretus: Primo quia, tametsi ejus capitula fuerint proscripta, non tamen fuit ejus persona: Secundo, quia ipse subscripsit damnationi Nestorii, quem errore detentus putabat Catholicum. Tertio tandem abjectis propriis anathematismis, adhæsit Cyrillianis; hinc Patres hanc demirantes fidem & Ecclesiæ loquenti obedientiam, Theodoretum veluti ab ipso Christo in propriam sedem, seu ad pacem susceptum dicere non dubitarunt, quod quidem non levius subindigitat sanctus Leo in sua ad ipsum Theodoretum directa Epistola, in qua quidem eum sic alloquitur: " Benedictus Deus noster, cujus invincibilis " veritas ab omni hæreseos macula mundum te secundum Sedis Apostolicæ judicia demonstravit. "

§. XXVIII.

De Sancto Leone Magno, 461.

Leo ob egregias dotes & præclara facta Magnus & nuncupatus, & ab utraque Ecclesia Latina simul & Græca habitus est. Secundum multos patria Romanus fuit, Prosapia nobilissimi Quintiani filius, eloquentia & sermonis lepore sic facundus, ut Attilam Hunorum Regem, cognomento flagellum Dei, a Romæ obsidione avertit, Gensericum vero jam Romam ingressum a cæde, bonorum & domorum dilapidatione temperare suaserit, obduratos emollire & pœnitentia scelera expiare induxerit; hinc alter morum suavitate & dicendi efficacia Paulus, omnibus omnia factus, fragiles in virtute firmabat, justos ad perfectionem invitabat, peccatores ad virtutem amandam. Homiliis unctione divina refertis sic compellebat, ut alterum dixisses Seraphim, namque ardebat, loquendo & alios accendebat, Trithemio teste de Scr. Eccl. *Fuit dictionis*

Eccle-

Ecclesiastica Tullius, sacra Theologia Homerus, rationum fidei Aristoteles, auctoritatis Apostolica Petrus, & in christiano pulpito Paulus. Quid plura adjiciam? In debellandis & profligandis Hæreticis nulli secundus, in fide propaganda indefessus, ac tandem in cultu Dei celebrando variarum Basilicarum erectione mirificus & magnificentissimus.

Canonici regulares sancti Martini Lovaniensis sequentia S. Leonis scripta ex manuscriptis codicibus emendata tradiderunt.

I. *Sermones* eloquentia & suavitate mirabiles de præcipuis tum Domini, tum Sanctorum festis.

II. *Epistola* Decretales multæ.

III. *Tractatus* adversus Eutychetis & ceterorum errores, quibus credenda de Trinitate & Dominica Incarnatione fideles edocet.

§. XXIX.

De Sancto Prospero, ann. 461.

UTRUM sanctus Prosper fuerit Episcopus vel non, disceptant auctores? Quidquid sit, erat natione Aquitanicus, doctrinæ sancti Augustini de gratia tenacissimus. In divinis Scripturis versatissimus, in sæcularibus nobiliter doctus, S. Leonis Magni ab Epistolis, sive Notarius quondam illustris, artis poeticæ non ignarus; fidei demum adversus Pelagianos & Semipelagianos defensor acerrimus. Sequentia scripsit Opera.

I. *Opus* de prædictionibus & promissionibus Dei, in tres partes seu Libros divisus.

II. *De* vita contemplativa Libri tres.

III. *Epistola* de gratia & libero arbitrio ad Rufinum.

IV. *Responsiones* ad Capitula Gallorum.

V. *Liber* de gratia Dei contra Collatorem.

VI. *Ex* Sententiis D. Augustini Epigrammatum Liber unus.

VII. *Poema* de providentia Dei: dubitatur num sit ejus fœtus.

VIII. *Carmen* de Ingratis, hoc est, liber versuum contra Pelagianos, centenis decies versibus diffusus.

IX. *Expositio* in Psalmum centesimum.

X. *Ad* sanctum Augustinum epistola una.

XI. *De* vocatione Gentium Libri duo: qui tamen communiter tribuuntur sancto Ambrosio.

XII. *Epistola* ad Demetriadem Virginem.

XIII. *Chronicon*, seu Eusebii & S. Hieronymi chronici Continuatio.

§. XXX.

De S. Cæsario Arelatensi, anno 544.

SANCTUS CÆSARIUS natione Gallus & patria Cabillonensis, Arelatensis Episcopus, floruit eruditione & sanctitate. Adfuit Conciliis multis, S. Agathensi anno 506. Carpentoracensi anno 527. Vasionensi & Arausicano: alteri ann. 529. uni Provinciali & contra contumeliosum Regiensis Ecclesiæ Præsulem ann. 534. in quo varia propter crimina exauctoratus est. Multa scripsit sequenti ordine numerata.

I. *Homilia* diversæ ad populum numero 461.

II. *Exhortatio* ad charitatem observandam.

III. *Epistola* ad quosdam Germanos quos ad castitatem colendam adhortatur.

IV. *Homilia* de decem Virginibus.

V. *Regula* pro Monialibus 43. capitibus diffusa.

VI. *Altera* pro Monachis in perfectione instituendis. Nonnulli illam tribuunt Tetradio Presbytero, ejus nepoti.

VII. *Homilia* 14. opera Stephani Baluzii Tutelensis e vetusto manu-scripto Bibliothecæ Regiæ excerptæ.

VIII. *Celeberrima* Epistola ad Cesariam Monialium Abbatissam.

IX. *Epistola* altera nedum Cesariæ sorori, sed toti Congregationi scripta.

X. *Epistola* hortatoria ad Virginem Deo dicatam.

§. XXXI.

De duplici Eucherio Lugdunensi Episcopo, anno 454.

ANTIQUIOR erat natione Gallus e nobili Senatorum ordine oriundus. Primum nupsit, & duos filios habuit, unum cognomento Veranum, alterum vero nomine Sa-

ne Salonium, utrumque Episcopum. Sanctus Hilarius Arelatensis in oratione panegyrica S. Honorati, ait: " Splendidus „ mundo, splendidior Christo, æmulus „ virtutis ejus beatus Eucherius. „ Tum vitam asceticam in Monasterio Lirinensi duxit. E Monacho vero factus est & consecratus Episcopus Lugdunensis anno circiter 432.

Alter Eucherius isto posterior, & in Episcopatu Lugdunensi successor, Senator similiter Ordine & sanctitate clarus, de quo loquitur Ado in suo Martyrologio 16. Novemb. eruditione suppar a quibusdam commemoratur. Non desunt tamen qui duos unum & eumdem autument. Quidquid sit senior sequentia dedit Opera.

I. *Liber* formularum divinæ intelligentiæ cum Præfatione ad Veranum filium suum.

II. *Libri* duo de difficilioribus veteris & novi Testamenti quæstionibus ad Salonium alterum filium suum.

III. *Parænetica* ad Valerianum cognatum suum de contemptu mundi & sæcularis Philosophiæ Epistola. Quidam illi tribuunt quędam explanationum in Genesim & Libros Regum volumina, sed de hoc momento non una est omnium sententia.

§. XXXII.

De sancto Fulgentio, anno 529.

VIR ille omnibus numeris absolutus apparuit. Natione Afer ex nobili prosapia satus, professione Monachus & Monachorum Abbas, magna virtutum supellectili ac eruditione celebris fuit, sub Trasimundo Vvandalorum Rege; hinc Ruspensis Episcopus inauguratus est. Pro doctrina gratiæ Augustino totus adhæsit, & alter suæ ætatis Augustinus ventilabatur. Pelagianos debellavit, Arianos sic insectatus est, ut eorum molitione, jubente Trasimundo, exulaverit: Sed isto defuncto, sedi propriæ restitutus est, ac tandem post magnos pro Ecclesia perpessos labores, obiit in pace Christi Kalendis Januarii anno circiter 529. Varia elucubravit Opera, quæ ordine subsequenti enumerantur.

I. *Ad* Monimum Libri tres: Prior est de duplici prędestinatione, altera ad gloriam, altera vero ad mortem & damnationem. Secundus de triplici questione, videlicet, una de sacrificii oblatione, una de Spiritus sancti Missione, una etiam de supererogatione S. Pauli. Tertius de vera expositione illius oraculi, *& Verbum erat apud Deum.*

II. *Liber* unus in quo respondet decem Arianorum quæstionibus.

III. *Libri* tres ad Trasimundum, quorum primus est de mysterio Mediatoris duas in se & quidem realiter distinctas in una persona naturas habentis: Secundus, de immensitate Filii Dei: Tertius de Sacramento Dominicæ Passionis.

IV. *Ad* Pintam Arianum Episcopum Liber unus, in quo novis argumentis confirmat ea omnia quæ Trasimundo in prioribus libris exposuerat.

V. *Ad* Donatum de fide orthodoxa & diversis Hereticorum erroribus Liber unus 20. complectens capita.

VI. *De* fide ad Petrum Diaconum Liber unus egregius, in quo pari facundia & claritate divina explicat Mysteria.

VII. *Rursus* ad eumdem Petrum Liber alter de Incarnatione & gratia Christi.

VIII. *De* Trinitate ad Felicem Notarium Liber unus.

IX. *Ad* Ferrandum Carthaginensis Ecclesiæ Diaconum suum discipulum de Baptismo Æthiopis morituri Liber unus.

X. *Ad* eumdem Liber alter de quinque quæstionibus ab illo Diacono illi propositis, quas erudite admodum solvit. I. An sicut Trinitas est in natura inseparabilis, sit etiam in personis? II. An sicut Filius dicitur natus & passus, similiter dicatur & divinitas? III. An Christus eamdem habeat de se notitiam, quam Pater, Filius & Spiritus habent de se invicem? IV. Cur orationes ad Patrem dirigantur & terminentur per Filium qui regnat cum eo in unitate Spiritus sancti, quasi Spiritus sanctus non foret æqualis in regno & dominatione respectu creaturarum cum ceteris personis? V. Quare sanctus Lucas cœnam Christi descripturus prius dicat eum accepisse calicem, tum discipulis inter se dividendum tradidisse: Postea vero accepto pane, dixisse: hoc est Corpus meum; & accepto similiter calice postquam cœna-

cœnavit, tunc dixisse, hic calix novum Testamentum est in sanguine meo qui pro vobis funditur. Numquid unus calix secundo datus est? An alius prius, alius postea? Et si ita est, ad cujus rei Sacramentum pertinet ille, de quo maxime cæteri qui scripserunt Evangelium, tacuerunt.

XI. *Ad* Euthymium de Remissione peccatorum Libri duo.

XII. *De* veritate prædestinationis & gratiæ Libri tres.

XIII. *Ad* Reginum Comitem Liber unus, in quo respondet ad quæstionem ab ipso sibi factam, num caro Christi esset incorruptibilis vel non, & hoc ad perstringendos quosdam Hæreticos, qui teste Liberato Brev. cap. 19. propugnabant carnem illam ex sua natura incorruptibilem fuisse? & consequenter Christum nec vere passum, nec vere patibilem extitisse.

XIV. *Epistolæ* familiares septem.

XV. *De* variis argumentis Sermones quondam dumtaxat decem, nunc vero præter illos 80. ex manuscriptis excerpti. Reperiuntur Tom. 9. Bib. PP. edit. Lugd. ann. 1677.

§. XXXIII.

De Maximo Episcopo Taurinensi, & de altero Martyre.

Primum de Episcopo.

MULTI percelebres Sancti nomine Maximi floruere. Inter ceteros Maximus Taurinensis Præsul. Adfuit Concilio Mediolanensi contra Eutychianos adunato tempore Leonis Magni, anno 465.

Homilias elegantissimas diversi generis protulit.

Homiliæ Hyemales.

I. *De* Nativitate Domini, 2.
II. *De* vigilia Nativitatis, 1.
III. *De* Natali Domini, 6.
IV. *De* Circumcisione Domini, 1.
V. *De* Epiphania, 8.
VI. *De* jejunio Quadragesimali & bono Latrone, 15.

Homiliæ Æstivales.

I. DE solemnitate Paschali, 5.
II. *In* Litaniis de jejunio, 1.
III. *In* Litaniis sancti Stephani, 1.
IV. *In* natali sanctæ Agnetis, 1.
V. *In* natali sancti Joannis Baptistæ, 1.
VI. *In* natali SS. Petri & Pauli, 5.
VII. *In* natali sancti Laurentii Martyris, 3.
VIII. *In* natali S. Eusebii Vercellensis Episc. 2.
IX. *In* natali sancti Cypriani, 2.
X. *In* festo S. Michaelis, 1.
XI. *In* natali SS. Taurinensium, Octavii, Aventitii & Solutoris, 1.
XII. *De* Communi Martyrum, 1.

Demum Homiliæ de diversis pro instituendis moribus, septem.

§. XXXIV.

De S. Maximo Abbate, & Martyre.

NON ab uno sed multiplici argumento clarus fuit S. Maximus vir nobilis, patria Constantinopolitanus, omnibus disciplinis, maxime Philosophia celebris; Heraclio Imperatore erat a secretis primus, tum, relicta aula, propter Monothelismum cui favebat Princeps, vitam monasticam professus est. Inter fratres tot floruit virtutibus, ut mortuo Abbate, omnium suffragiis, licet reluctans, Abbas electus sit: quia vero ut cancer serpebat per omnem fere orbem terrarum Monothelizantium error, multas Orientis & Occidentis plagas lustravit. Dialogum cum Pyrrho in Africa tunc temporis degente habuit; Romæ auctor fuit ut S. Martinus Concilium Lateranense contra grassantem hæresim convocaret, Catholicos ubique confirmabat in fide, sed tandem Monothelitarum factione, jubente Constante Heraclii filio Imperatore, exulavit, ac tandem in exilio miseriis & ærumnis attritus, anno circiter 662. die Augusti 13. obiit in Domino. Ejus opera duobus Tomis concluduntur. R. P. Combefis Ordinis FF. PP. ann. 1675. ea græce & latine Parisiis in lucem edidit.

I. *Liber* de variis Scripturæ quæstionibus ad Thalassium Presbyterum.

II. *Li-*

II. *Liber* Asceticus ad pietatem exercens.

III. *Liber* quadringentorum capitum de charitate.

IV. *Liber* alter totidem complectens capita. Ducenta Theologiam & Dei Filium spectant. Reliqua alia ad virtutes exercendas & œconomiam tendunt.

V. *Opuscula* Theologica & Polemica multa, maxime contra Monothelitas.

VI. *Disputatio* per modum Dialogi cum Pyrrho Monothelita.

VII. *Dialogi* quinque de sancta Trinitate. In duobus prioribus loquuntur Orthodoxus & Anomæus Arianus. In tertio disputat Orthodoxus cum Macedoniano de Spiritus sancti divinitate. In quarto Orthodoxus movet controversiam cum Apollinarista, num Christus habuerit corpus anima rationali actuatum. In quinto iterum disputat cum Apollinari Sectario, an Christus vere fuerit homo, hoc est, veram habuerit carnem?

VIII. *Orationis* Dominicæ brevis expositio.

§. XXXV.

De SS. Isidoro & Ildefonso.

Primo quidem de Isidoro, ann. 636.

MULTI Isidorum, ut Ducis Provinciæ Carthaginensis filium, Leandri vero, Fulgentii & Florentiæ virginis fratrem germanum habent. In Provincia Bœtica post sanctum Leandrum Hispalensis Ecclesiæ Episcopus fuit annorum 45. spatio, quo tempore refulsit pietate & doctrina. Migravit e vita anno circiter 636. relictis multis sui ingenii reliquiis, seu scriptis modo citandis & enumerandis.

I. *Præmiorum* Liber unus, seu totius Scripturæ sacræ appendix.

II. *Duo* Libri differentiarum, in quibus subtili discretione ea, quæ usu proferuntur confuse, sensu discrevit.

III. *De* ortu, morte & sepultura Prophetarum Liber unus.

IV. *Duo* Libri officiorum, in quibus officiorum Ecclesiæ originem & executionem discutit.

V. *Synonymorum* Libri duo, quos lamentationum ipse vocavit, in quibus ad consolationem & spem veniæ erigit animam.

VI. *De* natura rerum ad Sisebutum Regem Liber unus, in quo tam de Ecclesiasticorum Doctorum, quam de Philosophorum indagine obscura quædam de elementis absolvit.

VII. *De* Numeris Liber, in quo Arithmeticam ex parte tetigit, propter Numeros Ecclesiasticis Scripturis insertos.

VIII. *Contra* Judæorum nequitiam Libri duo.

IX. *Tres* Libri Sententiarum, quos floribus ex libris S. Gregorii Papæ moralibus decoravit.

X. *Chronicorum* a mundo condito ad sua usque tempora Liber unus.

XI. *De* viris illustribus Liber unus.

XII. *Etymologiarum* liber unus.

De S. Ildefonso, ann. 667.

SANCTUS ille Toleti in Hispania ex nobilibus parentibus ortus, B. Isidori fuit discipulus, tum egregias propter animæ dotes Toletanus Archipræsul inauguratus est. Præfuit Concilio octavo Toletano sub S. Martino summo Pontifice. Refulsit pietate erga BB. Virginem, cujus apparitione illustratus, ab ea veste sacerdotali e cœlo demissa meruit donari, ut refert Julianus ejus Diaconus Præf. in Librum Ildephonsi de laudibus BB. Virginis. Obiit in Domino gloriosus meritis 23. Januarii anno 667. quædam post se reliquit Opera, videlicet Librum de 14. viris illustribus, quem addit Libro S. Isidori de Scriptoribus Ecclesiasticis, maxime vero insigne opus unico libro conclusum de perpetua & illibata Beatæ Mariæ virginitate contra quemdam *Pelagium* & *Helladium* veteris *Helvidii* in Hispania hæresim renovantes.

§. XXXVI.

De S. Joanne Damasceno, anno 731.

JOANNES a Damasco patria Damascenus dictus fuit, vir nobilis simul, eruditione celebris, sanctitate notus, zelo denique in defendendis sanctis Imaginibus sub Leone Isaurico nulli secundus. Amputata sibi ab Iconomachis dextera, & Beatæ Virginis ope sibi restituta, secessit in eremum, factus in Monasterio S. Sabæ Mo-

na-

nachus, tum & Presbyter consecratus, post multos pro Ecclesia perpessos agones, obiit anno circitur 731. operibus & scriptis in perpetuum fulgendus.

I. *Parallela* ex selectis Scripturæ & Patrum Sententiis tres in Libros distributa. In primo quæ res divinas & fidem spectant continentur. In secundo de rebus humanis tractatur. In tertio multæ quæstiones de virtutibus & vitiis moventur.

II. *De* fide orthodoxa quatuor Libri.

III. *Oratio* de his qui in fide obierunt.

IV. *Oratio* de gloriosa Christi Transfiguratione.

V. *Oratio* de Nativitate BB. Virginis, 2.

VI. *Oratio* de ejusdem dormitione.

VII. *Carmina* de variis Christi Mysteriis.

VIII. *Dialectica* seu Logica Liber unus, alter vero de Physica.

IX. *De* Heresibus Liber unus.

X. *Dialogus* adversus Manichæos.

XI. *De* natura composita adversus Acephalos.

XII. *De* Trisagio Epistola.

XIII. *De* duabus Christi voluntatibus & operationibus Liber.

XIV. *Oratio*, in qua explicat modum quo ad imaginem factus est homo.

XV. *Orationes* tres de Imaginibus.

XVI. *Vita* S. Stephani junioris.

XVII. *Liber* inscriptus *Disceptatio Christiani & Saraceni*.

XVIII. *Historia* de Barlaam & Josaphat in uno Libro diffusa.

§. XXXVII.

De S. Petro Damiano, anno 1072.

PETRUS nobilis Ravennas ab uno fratre, qui mortuo patre, ejus invigilaverat educationi in gratitudinis argumentum nomen accepit. In Cœnobio S. Andreæ de Avellana, quod sanctæ Crucis hodie nuncupatur, vitam monasticam professus est: Cœnobii prior electus, tum S. R. E. Cardinalis & Ostiensis Episcopus a Stephano IX. Papa creatus anno circiter 1058. non levius insudavit ad extinguenda *Mincii* Antipapæ contra Nicolaum II. & Cadolai contra Alexandrum II. schismata. Deinde vero in Galliam & Germaniam Nuntius Apostolicus missus, Ecclesiæ plurimum profuit, pro disciplina Ecclesiastica simonia & incontinentia Clericorum detrita, restauranda. Quibus peractis, abdicata proprio motu Cardinalitiæ purpuræ & Episcopatus dignitate, reversus est ad Monasterium, ubi ultimum clausit diem 23. Februarii anno circiter 1072. Ejus Opera sunt in tribus Tomis diffusa.

Primus Tomus octo continet Epistolarum libros, quorum aliæ ad summos Pontifices, aliæ ad Cardinales, aliæ ad Episcopos, aliæ ad Abbates, aliæ ad Presbyteros & varii generis homines perillustres diriguntur.

Secundus complectitur sermones multos, variasque historias, in primis vitæ SS. Odilonis Abbatis, Romualdi, Mauri & quorumdam aliorum.

Tertius habet sexaginta & egregia de variis argumentis opuscula, videlicet de fide catholica, de perfectione Monachorum, de ordine Eremitarum, de cœlibatu Sacerdotum, de Sacramentis per improbos administratis, de multis Episcopis, qui, abdicata dignitate, vitæ contemplativæ & solitariæ vacare selegerunt.

§. XXXIX.

De sancto Anselmo Cantuariensi Episcopo, anno 1109.

ANSELMUS Augustæ prope Alpes in Italiæ Burgundiæque confinibus, honestis parentibus ortus, liberalibus a juventute imbutus disciplinis, Monachus Ordinis sancti Benedicti factus est in Monasterio Beccensi ubi *Lanfrancus* Prior erat, Abbas vero *Herluinus*. Tum elapsis quibusdam annis, Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia electus & consecratus est. Mira & varia juris publici fecit Opera. De sequentibus nullus est ambigendi locus.

I. *Monologium*, hoc est libellus de ratione meditandi divina.

II. *Prosologium*, hoc est libellus Sententiarum pondere gravis.

III. *Libelli* duo pro insipiente & contra insipientem inscripti.

IV. *Dialogus* de veritate, ubi de libero arbitrio tractat.

V. *Dialogus* de libero arbitrio inscriptus.

VI. *Dialogus* de lapsu diaboli.

VII. *Dia-*

VII. *Dialogus*, seu disputatio dialectica de Grammatico.

VIII. *Liber* de fide SS. Trinitatis & Dominicæ Incarnationis.

IX. *Libri* duo, *Cur Deus homo*.

X. *Liber* de processione Spiritus sancti contra Græcos.

XI. *Liber* de conceptu virginali, & de peccato originali.

XII. *Epistola* ad Valeranum de tribus quæstionibus, præsertim vero de Fermentato & Azymo.

XIII. *Epistola* ad eumdem de diversitate Sacramentorum.

XIV. *Liber* de concordia præscientiæ, prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio.

XV. *Liber* Meditationum.

XVI. *Epistolarum* Libri tres.

§. XL.

De Ruperto Tuitiensi Abbati.

RUPERTUS Abbas Tuitiensis ad Trajectum Rheni, sicut sanctitate sic & eruditione celebris est. Floruit 12. Sæculo. Pie educatus, tum sancti Benedicti Monachus factus est. Primum labore improbo Theologiæ studuit, sed tarditate ingenii depressus, vix aliquid ex studio tametsi indefesso colligebat, quocirca confidens Beatissimæ Virginis meritis, eam enixe deprecatus est, quatenus hanc a dilectissimo filio suo gratiam dignaretur ei obtinere, ut lumine desuper illustratus ad gloriam Dei cuncta posset & scrutari, & explanare; cujus votis annuens Deipara, Monachus tot & tantis disciplinis ac scientiis, præsertim vero notitia Scripturæ sacræ sic excultus refulsit, ut inter Patres paucos reperies, qui plura & majora nobis in Scripturam sacram sicut ipse dedit, suppeditaverint commentaria. Duos supra quadraginta de SS. Trinitate libros cudit, varias in vetus & novum Testamentum expositiones exhibuit, tum nonnullorum Sanctorum vitam conscripsit. Quædam paulo duriora de transubstantiatione scripsisse videtur, sed suo loco Disput. 3. de Euch. sect. 3. ejus mentem elucidatis omnibus & ponderato auctoris scopo, sic exponemus, ut transubstantiationem non solum non abnuisse, sed potius efficacissimis rationibus defendisse luce pomeridiana clarius appareat. Obiit in Domino ann. circiter 1135. ejus Opera in tres Tomos distributa sunt, juxta primam editionem Coloniæ factam ann. 1528.

Primus Tomus continet 42. de SS. Trinitate libros. Tres primi Patri divino tribuuntur: triginta, Filio: reliqui novem, Spiritui sancto, omnes de operibus SS. Trinitatis tractant. Quia vero a Scriptura sacra secedere non est illi animus, cuncta tribus personis applicat. Hæc sunt commentaria. I. In Genesim, II. In Exodum, III. In Leviticum, IV. In Numeros, V. In Deuteronomium, VI. In Josue, VII. In Judicum, VIII. In libros Regum adjunctis Psalmis, IX. In Isiam, X. In Jeremiam cum Threnis, XI. In Ezechielem, XII. In Danielem, adjunctis Aggæo, Zacharia, Malachia. De Evangelistis loquitur, ubi de Spiritus sancti operibus.

Secundus Tomus, habet commentariorum libros 32. in duodecim minores Prophetas. In eodem Tomo adsunt tredecim Libri de victoria Verbi incarnati.

Tertius 13. libros de gloria & honore Filii hominis concludit: de glorificatione SS. Trinitatis & processione Spiritus sancti Lib. 9. Commentariorum in Evangelium Joannis Lib. 14. Commentariorum in Apocalypsim Lib. 12. Commentariorum in Cantica Canticorum de Incarnatione Domini Lib. 7.

§. XLI.

De sancto Bernardo, anno 1153.

VEL nominare Bernardum Encomium omnibus numeris absolutum est, quippe qui fuerit prosapia nobilissimus, indole mitis, eloquentia facundissimus, amore Doctor Mellifluus, tenacitate sententiarum subtilissimus, ratiocinationis pondere nulli secundus, in rebus divinis penetrandis spiritualissimus, in humanis tractandis & enodandis acutissimus, in miraculis patrandis Occidentis Thaumaturgus, in peccatoribus convertendis Apostolicus, in hæreticis debellandis sagacissimus, in Ecclesia defendenda indefessus, in virtute suadenda Angelus; & ut paucis multa dicam, fratres & condiscipulos

pulos ad vitam Monasticam in Ordine Cisterciensi amplectendam auctor & dux fuit. Petrum Abailardum in Concilio Senonensi superavit, Gilbertum Porretanum in Rhemensi convicit, Guillelmum Aquitaniæ ducem impium ad meliorem frugem evocavit, schisma Petri Leonis in Concilio Stampensi coacto ann. 1130. sedavit, Innocentium II. in Synodo Pisis habita ann. 1134. sic adjuvit, ut genuinus Pontifex agnitus sit. A Regibus & Imperatoribus pro Ecclesiæ negotiis magna cum reverentia acceptus, S. vero Ludovico sic charus, ut ejus suasione, cruce amplexa, ad expeditionem Terræ sanctæ profectus sit; Monachorum Pater, Abbatum informator, Episcoporum Magister, summorum Pontificum lingua, dilectus Deo & hominibus, post multos pro Ecclesia exhantlatos labores migravit e terris in perpetuum triumphaturus in cœlis anno salutis circiter 1153. 20. Augusti ætatis suæ 63. habet pro ætate æternitatem beatam, pro præconibus omnes quoquot fuere in ordine Claravallis sanctos, pro Encomiis Opera subsequentia, in quatuor Tomos resperſa.

I. *Tomus primus* 44. continet epistolas, illam in primis qua Robertum consanguineum, qui vitæ forsan strictioris horrore a Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat, reprendit.

II. *Tomus secundus* comprehendit I. Libros quinque ad Eugenium III. de consideratione. II. Epistolam ad Henricum Archi-Præsulem Senonensem de moribus & Officio Episcoporum. III. Librum de conversione ad Clericos. IV. Librum de præcepto & dispensatione ad Abbatem Columbensem. V. Apologiam ad Abbatem sancti Theodorici, quam scripsit ad expostulationem Guillemi Cluniacensis Abbatis S. Theodorici, ut sedaret nonnullos Cluniacenses inquietos, qui querebantur de ipso, aliisque Cisterciensibus Monachis, tamquam ordinis Cluniacensis detractoribus. VI. Librum de laude novæ militiæ ad milites Templi, ut illos ad Turcarum tyrannidem propulsandam provocet. VII. Librum de gradibus humilitatis & superbiæ. VIII. Librum de diligendo Deo. IX. Tractatum de gratia & libero arbitrio. X. Epistolam, seu Tractatum de Baptismo aliisque quæstionibus ab Hugone a S. Victore illi propositis. XI. Epistolam, seu Tractatum ad Innocentium II. Papam contra quædam capitula errorum Abailardi. XII. Librum de vita & gestis S. Malachiæ Hiberniæ Episcopi, & in Claravallensi Monasterio, quo secundo peregrinus venerat, præsente & assistente S. Bernardo, defuncti. XIII. Tractatum de cantu, seu de correctione Antiphonarii Cisterciensis.

III. *Tomus tertius* habet Sermones de tempore, & aliis diversis argumentis, eleganti sane unctione refertos, & nonnumquam utique Propheticos.

IV. *Tomus quartus*, complectitur Sermones in Cantica Canticorum numero 86. in quibus ad ciendos pietatis affectus de unione mystica animæ cum Deo sponso amantissimo præclara enarrat. Tum cetera quæ pro virtutum comparatione, vitiorum vero exterminatione in ceteris Operibus dixerat, ibi colligit. Alia momenta quæ Tomus quintus & Sextus referunt, sunt dubia opuscula.

§. XLII.

De Sancto Thoma Aquinate.

Sic mirabilis fuit ille Doctor, ut virum ineffabilem asserere fas sit, cum vel ipsa ordinante Ecclesia, ob scientiarunt universalitatem, in exponendis sacris Scripturis facilitatem, in mysteriis, quæ Theologia tractat, explanandis claritatem, Doctoris Angelici nomine celebretur. Natus est Neapoli e clara comitum Aquinatum Prosapia, ann. 1224. vix decimumquartum attigerat annum, quod factus S. Dominici religiosus, expleto novitiatus anno, votis & professione summa cum pietate & devotione emissis, Deo serviendo se totum mancipaverit. Tum Philosophiæ & Theologiæ incubuit, & citocitius Magister summo omnium applausu extitit. Namque absque mora sacræ Facultatis Parisiensis Doctor factus, libros Magistri Sententiarum summa cum profunditate & eruditione explicavit, Theologiam per multos annos in urbe regia eo felici semper exitu docuit, ut habeatur tamquam ingeniorum supremus apex, doctrinæ miraculum, Theologiæ meta, humanæ intelligentiæ mensura,

sura, gratiæ simul & libertatis nuntius, Christiani orbis Bibliotheca, Ecclesiæ lumen, Hæreticorum malleus, antiquorum Doctorum compendium, omnium Theologorum facile princeps, cujus Doctrinam cœlum approbat, dicente Christo: *Bene scripsisti de me Thoma*: Ecclesia commendat, injungit Urbanus V. SS. Pontifex in Bulla pro transferendis ejus Tolosam reliquiis: *Ut B. Thomæ Doctrinam tamquam veridicam & Catholicam sectamini*. Inferorum turma formidat, ait quippe impius Bucerus: *Tolle Thomam & dissipabo Ecclesiam*. Ne miremini igitur, si sub ejus vexillo ubique Gentium Theologi militent. Animam emisit die 7. Martii ann. 1274. infinitus forem, si omnia solum appellarem in particulari ejus Opera; hinc juxta Tomos diffusa breviter dicam.

Tomus primus continet, I. Vitam S. Thomæ ex diversis collectam, II. Commentarium, seu expositionem in primo & secundo Perihermenias, cum duplici textus interpretatione antiqua, & Argyropili, III. Commentarium, seu expositionem in primum & secundum posteriorum Analyticorum, cum interpretatione antiqua & Argyropili.

Tomus secundus habet, I. Commentaria in octo Physicorum Libros, II. In quatuor Libros de Cœlo & mundo, III. In duos de Generatione.

Tomus tertius, comprehendit, I. Commentaria in quatuor Meteororum Libros, II. In tres de anima, III. In parva naturalia.

Tomus quartus, complectitur, I. Commentaria in duodecim Metaphysicorum Libros, II. Tractatum de ente & essentia, cum commentariis Thomæ de Vio Cajetani Card.

Tomus quintus exhibet, I. Commentaria in decem Ethicorum Libros, ad Nicomachum, II. In octo Politicorum Libros.

Tomus sextus præ se fert, I. Commentarium in primum & secundum Sententiarum Librum Petri Lombardi vulgo nuncupati.

Tomus septimus præhabet Commentaria in tertium & quartum Sententiarum ejusdem Magistri.

Tomus octavus. I. Continet quæstiones disputatas, seu quæ a S. Thoma discussæ & disputatæ sunt, II. Quodlibetales, seu quodlibeta, vel etiam de quolibet.

Tomus nonus, inscribitur Summa contra Gentiles in quatuor libros divisa, cum Commentariis Francisci Ferrariensis Ordinis FF. Prædic.

Tomus decimus, fulgentem exhibet Theologiæ Summam in tres partes diffusam, eamque mirabilem & omnium Scriptorum Theologicorum appendicem. Prima parte tractat de Deo uno, Trino, Creatore, de Opere sex dierum, de Angelis, de homine. Secunda pars, quia diffusior subdividitur in primam secundæ & secundam secundæ. In prima secundæ agit S. Doctor de Beatitudine & actibus humanis in communi: de habitibus bonis & malis, videlicet de virtutibus moralibus & vitiis. De peccatis, de principiis actuum humanorum, nempe de legibus & gratia. In secunda secundæ discutit in speciali virtutes & vitia, & tractat. I. De virtutibus Theologicis & donis annexis, tum de mirabilibus earum effectibus, atque vero de vitiis illi oppositis. II. Similiter de virtutibus Cardinalibus, donis & aliis virtutibus ad illas subsequentibus, & pari methodo de vitiis cuilibet virtuti contrariis. III. De singulis virtutum & vitiorum actibus juxta ordinem suum, maxime de actibus Religionis quam esse justitiæ partem potentialem docet: & ibi de Oratione, de jejunio, de decimis, de cultu Dei, tum interiori, tum exteriori mira dicit. In tertia parte fuso calamo tractat de Incarnatione & de Sacramentis, tum in genere, tum in particulari, usque ad quæst. 90. inclusive de partibus Pœnitentiæ in genere. In Suplemento ex ejus scriptis excerpto absolvuntur quæstiones de Pœnitentia in speciali, & de reliquis Sacramentis: tum opus illud aureum Summæ Angelicæ clauditur variis quæstionibus de quadruplici hominis fine.

Tomus undecimus, exhibet Commentaria. I. In Job, II. In primam quinquagenam Psalmorum Davidis. III. In Cantica Canticorum. IV. In Isaiam, Jeremiam & Lamentationes, & in Danielem; quandoquidem in separatis voluminibus Commentarium in Danielem reperitur.

Tomus duodecimus, continet Commentarium in S. Evangelium secundum Matthæum & Joannem.

Tomus

Tomus decimus-tertius, includit expositionem Evangelii secundum quatuor Evangelistas; & dicitur Catena aurea.

Tomus decimus-quartus, Expositionem in omnes B. Pauli Epistolas exhibet, quod opus Catenæ aureæ nomine etiam celebratur.

Tomus decimus-quintus, omnia complectitur Opuscula: docti inter omnia illud multi faciunt de Euch. & aliud ubi de diversis amoris Dei gradibus differit egregium est. His omnibus accedunt varii Sermones exquisitis divisionibus & subdivisionibus ex Scriptura sacra eruti & adornati: ac tandem officium in festo corporis Christi, demirandum magis quam explanandum.

§. XLIII.

De Sancto Bonaventura, ann. 1274.

S. BONAVENTURA natione Italus Balneoregii in Tuscia Italiæ flore, claris parentibus ortus. Ab adolescentia futuræ sanctitatis specimen dedit. Gravi morbo correptus, ope S. Francisci emisso a parentibus voto de eo in ordine Patris Seraphici consecrando, sanatus est: promissioni stetit, & in brevi coaluit ejus doctrinæ & eruditionis fama: sic enim in studiis Theologiæ refulsit sub Alex. Alensi Magistro, ut eodem die, quo sanctus Thomas Aquinas Doctoris insula fuerit adornatus, tum publice omnibus applaudentibus simul & demirantibus Parisiis Theologiam docuit; hinc & Doctoris Seraphici titulo insignitus est, dicente Gersonio: *Fuit enim Bonaventura in scribendo solidus & securus, pius, justus & devotus.... Sunt alii Doctores qui dicantur Cherubici, Bonaventura Seraphicus simul & Cherubicus, quia inflammat affectum & erudit intellectum*. Vix decimum-tertium attigerat professionis annum, quod Minister generalis Ordinis Seraphici, præsente Alexandro IV. Romano Pontifice communi fratrum suffragio electus fit. Omnibus profuit, maxime Ecclesiæ, dum e vivis erepto Clemente IV. per triennium fere unum, seu per duos annos & menses novem Cardinales Viterbii congregati non convenirent inter se de successore eligendo: Tum una erumpente voce promiserunt, ut is unus verus Pontifex esset, quem Bonaventura designaret, etiamsi seipsum eligeret: ipse vero Deum præ oculis unice habens nec seipsum, nec ullum e Cardinalibus præsentibus, sed absentem & in Oriente pro Christi, & Ecclesiæ causa degentem nominavit, scilicet, Theobaldum Placentinum Gregorium X. postea nuncupatum e familia Vicecomitum, & Leodiensem Archidiaconum, virum sane omnibus numeris absolutum, qui pro reuniendis Ecclesiæ Græcis Concilium Lugdunense secundum indicavit anno 1274. cui adfuit S. Bonaventura & claruit; hinc ibi tametsi reluctans, S. R. E. Cardinalis simul & Episcopus Albanensis a SS. Pontifice creatus est. Elapsa prima sessione, obiit in Domino die 15. Julii ann. 1274. ætatis suæ 53. quem eleganti oratione funebri laudavit Petrus a Tarentasia S. R. E. Cardinalis & Episcopus Ostiensis, qui in locum Gregorii postea defuncti suffectus est sub nomine Innocentii V. Sumpsit pro themate Sermonis ista 2. Reg. cap. 1. 2. Davidis verba, *Doleo super te mi frater Jonatha...* A Sixto IV. anno 1482. Doctor Seraphicus in albo Sanctorum adscriptus, a Sixto vero V. inter Ecclesiæ Doctores annumeratus est. Fusior essem, si cuncta ejus Opera vellem hic recensere, celebriora solum, ea maxime quæ Theologiam spectant, appellabo.

I. *Varia* in Scripturam sacram expositiones, videlicet Liber inscriptus principium Scripturæ sacræ, expositio in Exameron, expositio in Ecclesiasten, Sapientiam, & Lamentationes Jeremiæ. Item expositio in sextum caput S. Matthæi: Tum demum expositio in Evangelium S. Lucæ.

II. *Commentaria* in quatuor Libros Magistri sententiarum.

III. *Quatuor* Magistri sententiarum Libri carmine digesti.

IV. *Sermones* de diversis argumentis.

Opuscula præcipua.

I. *Opusculum*, seu Liber de reductione artium ad Theologiam.

II. *Breviloquium*, ubi Theologiæ instituta atque præcepta summatim exponit.

III. *Centiloquium*, quod Theologiæ compendium nuncupatur.

IV. *Pharetra*, seu Opusculum, in quo reconduntur miræ Patrum auctoritates.

V. *Declaratio* terminorum Theologiæ.
VI. *De* septem donis Spiritus sancti.
VII. *Dicta* salutis.
VIII. *Meditationes* vitæ Christi.
IX. *Speculum* BB. Mariæ Virginis.
X. *De* gradibus virtutum formula aurea.
XI. *De* pugna spirituali contra septem vitia capitalia.
XII. *Seculum* animæ rationalis.
XIII. *Confessionale*, in quo Opere edocet Sacerdotem modum cum quo debet audire Confessiones, ut pœnitentibus prosit.
XIV. *Expositio* Missæ, ubi cuncta quæ Sacrificium celebrandum spectant adamussim explicat.
XV. *Expositio* in Regulam Fratrum minorum.
XVI. *Determinationes* quæstionum, quæ Religiosos omnes, specialiter vero Minoritas spectant, explicat.
XVII. *Libellus* Apologeticus in eos, qui Ordini S. Francisci adversabantur.
XVIII. *De* paupertate Christi, videlicet de paupertate, quoad abrenuntiationem, & mendicationem.
XIX. *Apologia* pauperum, seu paupertatis Evangelicæ.
XX. *Biblia* pauperum, seu tractatus omnibus, quibus Verbum Dei munus prædicandi incumbit, perutilis.
XXI. *Compendium* Theologicæ veritatis. Dubitatur an sit S. Bonaventuræ fœtus.
XXII. *Mystica* Theologia. Creditur opus viri cujusdam Christiani, paucis tamen immutatis & actis S. Bonaventuræ adscriptum.



TRA-

TRACTATUS DOMINICÆ INCARNATIONIS;

In quo quidem fuso calamo Profetiæ Jacob, & Testimonium Josephi pro Christo propugnantur; deinde innumeris prope positivis Dissertationibus singula defenduntur Dogmata.

PRÆFATIO.

MYSTERIUM Dominicæ Incarnationis post sanctissimam Trinitatem omnium Mysteriorum nobilissimum est, immo & eorum radix, fons ac principium: inde enim emanant omnia, tum gratiæ, tum gloriæ Mysteria. De tanto Mysterio loquens Apostolus 1. ad Timotheum 3. 16. ait: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Hic est liber scriptus intus & foris, signatus sigillis septem, quem Joannes vidit in dextera sedentis in Throno: liber, inquam, propter excellentiam Doctrinæ divinæ, quam hominibus Filius Dei attulit, scriptus intus & foris propter sublimia Divinitatis & Humanitatis, quæ in eo continentur: signatus sigillis septem, hoc est humiliatione Nativitatis, ignominia Circumcisionis, paupertate & dependentia vitæ, humilitate Baptismi, opprobriis Passionis, infirmitate mortis, & obscuritate sepulturæ, quibus hoc mysterium veluti tot velis dæmonibus occultatum est. In dextera quidem sedentis in Throno, quia Verbum divinum, dicitur & dextera Dei, & sedere ad dexteram Patris; inde venturum est ad judicandum Orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate. Tale est insigne illud mysterium. Utinam sciamus Jesum Christum & hunc crucifixum, in quo uno gloriabatur Apostolus. Illum ea qua par est charitate & dilectione toto corde amemus, donec occurramus in virum perfectum, & plenitudinem, tum scientiæ, tum gratiæ, tum etiam gloriæ ipsius Domini nostri Jesu Christi.

DISSERTATIO PRÆAMBULA,

De nomine, & definitione Mysterii, de Hæresibus ipsi contrariis, & de partitione Tractatus.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & definitione mysterii Incarnationis.



INCARNATIO vocatur ab Apostolo *Missio* Filii Dei ad nos, juxta illud ad Gal. 4. v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Tum *Exinanitio*: sic enim habetur Philipp. 2. 5. *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset ... semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Deinde *Exitus a Patre*; ita Joan. 16. v. 28. his verbis: *Exivi a Patre, & veni in mundum. Descensus de cœlo*, ita docet idem Joan. Cap. 6. v. 6. ubi sic loquitur Christus: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.*

Incarnatio ab Ecclesia nuncupatur mirabile commercium, & merito: non enim est solummodo omnium miraculorum maximum, verum etiam ceterorum appendix & veluti compendium; in illo siquidem relucent stupenda prodigia Omnipotentis, qui in hoc fecit potentiam in brachio suo, ut hominem Deo reconciliaret, immo & deificaret.

Dicitur etiam Oeconomia, seu dispensatio: Dispensatio quidem, quia est accommodatio aliqua, sive condescensus Dei ad hominem, ut in humanitate, ea quæ saluti nostræ congruebant operaretur. Ita Athanasius & Basilius. Damascenus Lib. 3. de fide cap. 10. Incarnationem vocat descensum seu demissionem; & hoc juxta mentem Apostoli, qui eam appellat humiliationem, & Verbi incarnati exinanitionem. Ab aliis Patribus Græcis nuncupatur Epiphania & Theophania, id est, Dei apparitio, eo quod Deus se præbuerit videndum hominibus in tali Mysterio, juxta illud Baruch 3. 38. de Filio Dei: *Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Patres Latini hoc celebrant mysterium nomine Incorporationis, a corpore quod sumpsit Verbum divinum ut posset & pati, & mori pro nobis. Ita Tertul. Lib. de carne Chr. Cyprianus Lib. 2. contra Judæos, Ambrosius & alii. Patres Nicæni hoc mysterium nominant Incarnationem propter rationem mox allatam, juxta illud Symboli sui: *Et Incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est.* Vocabulum istud ab hoc tempore fuit specialiter consecratum ad significandum tantum Mysterium, & quidem propter multas rationes. 1. Quia debuit significari apparitio Verbi in nobis, non præcise ratione animæ, quæ spiritualis & invisibilis est, sed ratione carnis utpote sensibilis. 2. Quia debuit exprimi summa extremitas & hujus Mysterii profunditas, quæ plurimum emicat in unione Verbi cum carne propter extremam & infinitam unitorum distantiam. III. Quia hoc modo declaratur magis infinita Dei Bonitas se usque ad vilitatem carnis propter nos demittentis, ut fuse docet Aug. Lib. 83. qq. Denique quia debuit omnis tolli dubitatio de veritate carnis Verbi incarnati; quod fit optime per nomen istud a carne desumptum.

Quandoque Patres primorum sæculorum abstinuerunt a vocabulo carnis loquendo de

de hoc mysterio , ea quidem intentione eoque scopo, ut fortius revincerent Apollinaristas & Arianos, qui solum corpus in Christo esse effutiebant, contendentes humanitatem & sine anima , & sine mente in illo existere , Verbumque utriusque supplere vices . Igitur non est verum dicere mirabile istud mysterium , esse Incarnationem in eo sensu , quod Verbum assumpserit tantum corpus ; siquidem est de fide assumpsisse totum hominem , id est , Verbum esse unitum & corpori , & menti & animæ sanctæ humanitatis.

Ceterum Incarnatio potest considerari tripliciter , nempe ratione principii a quo promanavit ; deinde ratione termini ad quam fuit. III. Ratione sui . Primo modo considerata definitur Missio Filii Dei a Patre, Exitus ab ipso, & Descensus ejusdem de cœlo. Secundo modo spectata definitur a Patribus Græcis & dicitur Epiphania ; a Latinis vero Incarnatio, ut modo diximus. Si tandem secundum se spectetur, est unio Verbi divini substantialis cum humanitate . Ita Fulgentius Lib. de Incarnatione cap. 4. S. Leo Sermone 1. de nativitate Dom. Gelasius Papa in libro de duabus naturis & alii communiter Patres. Totam hæc definitio explicat mysterii naturam atque essentiam . Quod enim sit unio , convenit cum aliis commerciis , quæ Deus celebrat per gratiam cum animabus justorum : quod vero sit substantialis & hypostatica , differt ; siquidem in solo Christo Deus assumit ad unionem suam substantialem hominem .

ARTICULUS SECUNDUS.

De Hæresibus.

APOSTOLUS loquens de mysterio Incarnationis , 1. Cor. v. 23. ait : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum , Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Revera quidem, nam Satanas omnia movit ut lumen illuminans omnem hominem, aut obnubilaret , aut etiam penitus extingueret , & hoc per impios , sed maxime per hæreticos . Ita refert S. Leo Sermone 8. de Nativit. his verbis : " Alii etenim Domino solam humanitatem , alii solam adscripsere Deitatem . Alii veram quidem in ipso divinitatem, sed carnem dixerunt fuisse simulatam . Alii professi sunt Deum veram suscepisse carnem : sed Dei Patris non habuisse naturam , & deitati ejus , quæ erant humanæ substantiæ deputantes , majorem sibi Deum , minoremque finxerunt , cum gradus in divinitate esse non possit, quoniam quidquid Deo minus est, Deus non est. Alii cognoscentes Patris & Filii nullam esse distantiam , quia non poterant unitatem deitatis intelligere , nisi in unitate personæ, eumdem asseruerunt Patrem quem Filium , & nasci , & nutriri , pati & mori , sepeliri & resurgere , ad eumdem pertinere , qui per omnia & hominis personam impleret & Verbi . Quidam putaverunt Dominum Jesum Christum non nostræ substantiæ corpus habuisse , sed ab elementis superioribus & subtilioribus sumptum . Quidam autem æstimaverunt in carne Christi humanam animam non habitasse , nec fuisse ; sed partes animæ ipsam Verbi implesse deitatem . Quorum impudentia in hoc transiit, ut animam quidem fuisse in Domino faterentur, sed eamdem dicerent mente caruisse , quia sufficeret hominis sua Deitas ad omnia rationis officia. Postremo iidem asserere præsumpserunt, partem quamdam Verbi in carnem fuisse conversam ; ut in unius dogmatis varietate multiplici , non carnis tantum , animæque natura , sed etiam ipsius Verbi solveretur essentia. "

Ad quatuor Hæreticorum genera revocantur hi qui erraverunt circa dominicam Incarnationem. Primum, comprehendit Gentiles , qui istud derident mysterium ; Judæos , qui negant adimpletum ; Cerinthum & Socinianos , qui credunt Christum purum hominem . Secundum includit Sabellium , qui unicam admittens in Trinitate personam, Patrem & Filium & Spiritum indiscriminatim incarnatos asserebat . Ita colligitur ex Epiphanio hæresi 55. Paulum Samosatenum Antiochiæ Episcopum , qui eodem teste Epiphanio hæresi 65. cum Sabellio confundebat personas , quique Verbum descendisse ad Jesum , & postea ab eodem recessisse autu-

mabat, hinc Christumque Maria posteriorem non sine magna blasphemia prædicabat. In tertio genere annumeratur Dyodorus Tarsensis, postea Theodorus Mopuestenus, & utriusque sectarius Nestorius, qui omnes duas volebant esse in Christo personas, & Verbum uniri sanctæ humanitati solum per gratiam & affectum, sicut unitur ceteris justis. His adde Felicem & Elipandum Hispaniarum Episcopos, qui Christum dicebant Filium Dei adoptivum, & consequenter duas utique in Christo personas admittebant. In eodem ordine delineantur Eutyches & Dioscorus cum suis; qui dicebant Verbum in carnem conversum ex illo Joannis loco, *Verbum caro factum est*, quem in pravum trahebant sensum. Inter istos quidam tantum naturarum commixtionem, sed insano impetu propugnabant, factam fuisse in Ascensione Domini per absorptionem naturæ humanæ a divinitate, qui quidem sensus tribuitur Eutycheti, alter vero Apollinari. Quartum, complectitur Manem & Marcionem, qui tellibus Epiphanio & Tertulliano, docebant carnem Christi solum fuisse phantasticam. Complectitur etiam Apellem & Valentinum, qui quidem agnoscebant veram in Christo carnem, sed pure cœlestem, & a Maria minime desumptam. Quidam alii credebant Verbum supplevisse mentem & animam, quibus naturam humanam in Christo caruisse contendebant.

Tribuitur Ario, quod sustinuerit naturam humanam caruisse anima rationali, Apollinari vero, etiam caruisse mente. Ita Epiphanius hæresi 77. Etiam in illo ordine comprehenduntur Monothelitæ, qui unicam in Christo & voluntatem & operationem prædicabant, quod Eutychianismum redolet.

ARTICULUS TERTIUS.

Debellantur summatim errores circa divinam Incarnationem.

CONFUTANTUR I. Gentiles, quibus tantum Mysterium stultitia est: Ille enim minus de Deo sentit, teste Augustino, qui de Divinitate ea credit solum, quod suo potest metiri ingenio: enim vero Deus utpote Omnipotens, plura potest quam homo capere valeat: Igitur Incarnatio non implicat, cum Deus posit omnia, etiam quæ humanum superant captum.

Secundo Judæi, qui negant Incarnationem adimpletam; siquidem omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod Christus sit Messias, a sanctis Patriarchis & Patribus tandiu expectatus, juxta illud Isaiæ 9. 6. *Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est Principatus ejus super humerum ejus. Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.*

Tertio, ii qui Christum dixerunt purum hominem; scriptum est enim Joan. 1. *Deus erat Verbum..... Verbum caro factum est & habitavit in nobis*. Et 1. 5. ad Hebræos: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Unde Sanctus Leo dicit de Christo, Sermon. 1. de Nativ. *Nisi esset verus Deus; non afferret remedium; nisi esset homo verus non præberet exemplum*.

Quarto: Propelluntur confundentes Personas, ex illis Chr. verbis Matth. 38. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Cum ergo admittat Sabellius filium esse Deum, sequitur & eum esse incarnatum, quia juxta verba laudata, tres sunt Personæ realiter distinctæ.

Quinto: Perstringuntur duas in Chr. admittentes Personas, & unionem Verbi cum humanitate puram accidentalem, quandoquidem Christus est verus Deus, juxta illud Ephes. 4. 9. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ?* Si autem Christus esset purus homo, & divinitati unitus tantum sicut ceteri justi, ascendisset quidem, inquit D. Thomas Opusc. 2. cap. 202. sed de cœlo minime descendisset. Omne dubium tollit Apostolus Rom. 9. *Ex quibus*, scilicet Patriarchis, *Christus est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*.

Sexto: Excluduntur impii, dicentes, Verbum dereliquisse Christum; dicit omnia Apostolus Hebr. 13. *Christus heri & hodie, ipse & in sæcula*. Unde Damascenus hoc protulit oraculum de Verbo incarnato: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit*. Bene igitur &c. 1. Joan. 4. 3. legitur:

gitur: *Omnis spiritus qui solvit Jesum ... hic est Antichristus*. Duas autem admittere in Christo personas, est Christum dividere, & divinitatem separare ab humanitate: Ergo &c.

Septimo: Procul pelluntur ii qui negant Christum habuisse animam & mentem. Enim vero Matth. 26. 28. habetur de Christo: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Et Joan. 12. 27. *Nunc anima mea turbata est*. Igitur Christus habuit animam & intellectum: Siquidem tristitia tribuitur intellectui. Habuit etiam voluntatem, juxta illud Luc. 22. 42. de eo: *Non mea voluntas, sed tua fiat*.

Octavo ostenditur contra Eutychianos Christum habuisse duas naturas, quia in Scripturis dicitur Deus & homo. Refutantur & Monothelitæ, qui negant Christum habuisse & duplicem voluntatem, & duplicem operationem, juxta illud Luc. 22. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat*, & Joan. 6. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Et illud Ecclesiæ de Incarnatione Verbi. *Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ, Deus homo factus est: quod fuit permansit, quod non erat assumpsit, non commixtionem passus neque divisionem*.

Nono: Etiam impugnantur asserentes carnem Christi phantasticam, ex ipso Christi oraculo Luc. 24. 39. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et passim legitur in Evangelio, quod Christus esurierit, biberit, & manducaverit: Igitur veram habebat carnem.

Denique confutantur Hæretici, qui carnem Christi cœlestem crediderunt, siquidem Rom. 1. 3. habetur de Chr. *Factus est ei ex semine David, secundum carnem*; & ad Gal. 4. 4. *Deus misit Filium suum factum ex muliere*: Igitur Christus habebat carnem sicut nos. His omnibus opponimus fidem Incarnationis explicatam in primo Concilio Antiocheno.

PROFESSIO FIDEI,

Primi Concilii Antiocheni, juxta Binium.

DECREVIMUS *fidem scripto edere & exponere, quam a principio accepimus, & habemus traditam & servatam in Catholica & sancta Ecclesia usque in hodiernum diem, a beatis Apostolis, qui viderunt ipsi, & Ministri fuerunt Verbi, prædicatam ex lege & Prophetis, ac novo Testamento: Esse unum* DEUM *ingenitum, sine principio, invisibilem, immutabilem ... Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius revelaverit, contenti esse debemus. Filium vero qui est apud Patrem, Deum quidem & Dominum omnium creaturarum dicit, a Patre autem missum de cœlis, & carne assumpta factum esse hominem. Quamobrem corpus ejus ex Virgine sumptum, in quo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit, divinitati immutabiliter unitum & deificatum est. Qua de causa idem Deus & homo Jesus Christus prophetabatur in Lege & Prophetis, & ab omnibus in Ecclesia quæ sub cœlo est, creditus est Deus quidem, qui seipsum exinanivit, cum esset æqualis Deo, homo vero ex semine David secundum carnem. Signa quidem & prodigia quæ in Evangeliis descripta sunt, Deus operabatur: participatione vero carnis & sanguinis tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato. Sic & Christus ante incarnationem in divinis Scripturis tamquam unus nominatus est: in Hieremia quidem, Spiritus ante faciem nostram Christus. Dominus autem Spiritus est secundum Apostolum. Et secundum eumdem Apostolum: Bibebant autem ex spirituali petra: petra autem erat Christus: Et rursus: Neque tentemus Dominum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt. Et de Moyse: Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Et Petrus: De qua salute exquisierant Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, &c.*

ARTICULUS QUARTUS.

Dogmata fidei de Incarnatione Verbi explicanda & defendenda contra Hæreticorum pravitatem.

EX dictis resultat in octo præcipue capitibus circumferri errores de Dominica Incarnatione. Enim vero negant possibilitatem Gentiles: existentiam Judæi: unionem substantialem Nestoriani: unionem

nem sine confusione naturarum & commixtione Eutychiani : causam motivam impii, qui dicunt apud Proph. Malac. 1. 2. Deo, *in quo dilexisti nos?* excellentiam & preclaras sanctæ humanitatis dotes Ebionitæ : Necessitatem satisfactionis Sociniani : quibus opponimus sequentia dogmata.

Primum Fidei dogma de Incarnatione Verbi est illud, Incarnatio est possibilis.

Secundum : Adimpleta est in Christo Jesu Nazareno.

Tertium : Christus est Filius Dei naturalis per unionem hypostaticam Verbi cum humanitate.

Quartum : Unio facta est sine naturarum confusione & commixtione.

Quintum : Utraque natura divina scilicet & humana habet suam voluntatem & operationem propriam.

Sextum : Verbum assumpsit veram carnem, & non pure phantasticam.

Septimum : Verbum assumpsit carnem humanam, & non de materia cœlesti compaginatam.

Octavum : Verbum assumpsit totum hominem, nempe corpus & animam, intellectum & voluntatem.

Nonum : Solus Deus est causa efficiens Incarnationis.

Decimum : Christus fuit plenus gratiæ & veritatis.

Undecimum: Christus est Dei & hominum Mediator, & satisfecit pro nostris peccatis.

Duodecimum: Christus fuit impeccabilis.

Decimum-tertium: Christus meruit nobis gratias ad salutem necessarias, sibi vero corporis gloriam.

Partitio Operis.

PRÆTER fidei dogmata de eisdem varias instituimus quæstiones ad fidei tum explicationem, tum defensionem, quæ quidem omnia septem comprehendimus Dissertationibus, quas veluti murum & antemurale præcedentibus opponimus erroribus.

Prima erit de possibilitate Incarnationis contra Gentiles.

Secunda, de existentia, contra Judæos.

Tertia, de substantia seu essentia, contra Nestorium & suos, sicut & contra Socinianos.

Quarta, de modo assumptionis, contra Eutychetem & Dioscorum, & consequenter contra Monothelitas.

Quinta, de causa tum physica, tum morali Incarnationis, ubi & de motivo contra incredulos, & ingratos.

Sexta, de Dotibus quibus homo assumptus cumulatus est, & supra omnem creaturam elevatus, contra Cerinthum, Cerdonem & Ebionitas.

Septima, de officio & functione Mediatoris, ubi de satisfationis necessitate atque valore, contra Socinianos.



DIS-

DISSERTATIO PRIMA
DE POSSIBILITATE
INCARNATIONIS
CONTRA GENTILES.



RÆDICAMUS, inquit Paulus 1. Cor. 1. 23. *Christum crucifixum Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Quomodo enim, inquiunt Pagani, fieri potest quod Verbum immensum abbrevietur? Immensum corpore concludatur? Immortale morti subjiciatur? Quasi vero hæc mediante homine hypostatice assumpto fieri non possent: Igitur contra Gentilium commentum & incredulitatem est illud quod legitur Luc. 1. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Dogma possibilitatis Incarnationis quatuor probatur argumentis.

PRIMO, quia Incarnatio non repugnat.
Secundo, quia est credibilis.
Tertio, quia est conveniens.
Quarto, quia est necessaria & perutilis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Incarnatio implicet contradictionem?

INTER Gentiles, quidam nullum agnoscunt Deum: quidam agnoscunt, sed multiplicem, & sunt Idololatræ, quorum alii adorant militiam cœli, alii homines vitiosos, alii etiam artefacta, ut habetur Sapient. 13. Nonnulli agnoscunt quidem Deum, sed minime Christum, ut Mahometani. Hi omnes nedum credunt Incarnationem impossibilem, sed & irrident; contra quos omnes sit

CONCLUSIO.

Probatur rationibus, eaque multiplici.

PRIMA sic exponitur: Per Incarnationem Verbi intelligimus unionem personæ divinæ cum natura humana, quam in sua trahit subsistentiam: Atqui hoc opus mirabile potest operari Deus: Igitur Incarnatio est possibilis. Probatur minor: Supremum Numen est omnipotens, & de hoc ipsi Pagani conveniunt, immo & hoc attributum Jovi tribuere non erubescunt: Igitur Deus utpote omnipotens potest hypostatice uniri naturæ humanæ. Hanc rationem attulit Mariæ demiranti mysterium Gabriel Archangelus, dicens Luc. 1. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Secunda sic se habet: Quod est intra sphæram agentis, hoc possibile dicitur: Atqui supplere vices subsistentiæ creatæ est intra sphæram virtutis Dei: Igitur Deus potest uniri hypostatice humanitati; & sic Incarnatio est possibilis. Probatur minor: Subsistentia Verbi est infinita, nec potest aut claudi terminis, aut in sua infinitate exhauriri per effectum finitum creatum: Et vero quia Deus est in se omni virtute & perfectione infinitus, ideo potest se communicare ad extra infinitis modis sine ulla imperfectionis aut limitationis labe: Igitur subsistentia Verbi per suam infinitam virtutem potest supplere effectum creatum subsistentiæ in humanitate, & hoc dubio-procul est intra suæ activitatis sphæram.

Tertia: Illud est possibile, & nullam implicat contradictionem, quod ab ipso Deo quasi naturaliter promanat: Atqui præ-

præbere subsistentiam naturæ humanæ ab ipso Verbo quasi connaturaliter promanat: Igitur potest uniri absque divinitatis dispendio humanitati sanctæ. Probatur minor ex illo trito Philosophorum axiomate: *Quod est primo per se tale, cetera non sunt talia nisi per ordinem ad illud*; sic quia sol est primum agens in genere lucidi, cetera non sunt lucida nisi per ordinem ad ipsum: Atqui Deus Verbum est primum agens in genere subsistendi: Igitur potest supplere subsistentiam creatam, sive de facto illam producat dum producit creaturam, sive gerendo immediate per seipsum vices subsistentiæ creatæ: quod quidem principium edocetur ab Apostolo Ephes. 3. 15. dicente: *Ex quo*, scilicet Deo, *omnis paternitas in cælis & in terra nominatur*. Expressius Heb. 1. 3. de Verbo incarnato ait: *Portansque omnia verbo virtutis suæ*.

Quarta: Deus potest immutare creaturam in perfectionibus, ut ignem proprio & actuali spoliare calore; & in ipsa substantia, scilicet vel destruendo hominem, vel post destructionem illum revocando ad vitam: quam quidem potestatem ipsi Gentiles concedunt etiam falsis numinibus: Igitur Deus potest impedire ne propria subsistentia fluat a natura humana, & illam propria virtute supplere, quia potest se solo facere, quod facit cum causa secunda.

Quinta: Major est improportio inter ens & nihil, quam inter naturam humanam & effectum subsistentiæ creatæ: Atqui tamen Deus eduxit e nihilo creaturas: Igitur a fortiori potest ita operari in humanitate, ut propria spolietur subsistentia, & divina subsistat, præsertim vero cum rei conservatio sit iterata productio, adeoque non est major difficultas conservare humanitatem sine propria subsistentia, quam illam creare & e nihilo producere.

Sexta: Supremum numen potest elevare creaturam ad ordinem superiorem; & hoc ipsum etiam agnoscunt Pagani, qui docent aliquos homines præ amore Jovis ad supera fuisse vocatos, juxta illud Virgilii Æneid. 6.

Pauci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Igitur Deus verus a fortiori potuit ad suam divinitatem mediante unione hypostatica elevare hominem, adeoque Incarnatio possibilis est.

Septima: Si hoc mysterium implicaret, maxime vel ex parte Dei unionem producentis: vel ex parte Verbi quod unitum est: vel ex parte naturæ assumptæ. Atqui ex nullo capite implicat: Ergo &c. Probatur minor: non quidem implicat ex parte Dei, quippe qui omnia possit: neque ex parte Verbi, quia non unitur ut pars, aut ut forma informans; hinc non circumscribitur ab humanitate cui unitur; sed neque aliquid indecorum illi ex hoc advenit, siquidem pati & mori, similesque infirmitates ei conveniunt solum ratione humanitatis, in qua quidem sola & mors & infirmitates recipiuntur. Non implicat etiam ex parte naturæ assumptæ, tum quia per unionem cum Verbo perficitur & elevatur; tum quia propria ejus subsistentia ab ipsa realiter distinguitur, & est substantiæ creatæ effectus quasi secundarius, adeoque ab ipsa natura separabilis, ac consequenter supplebilis ab alia superiori & eminentiori: Igitur a primo ad ultimum Incarnatio non implicat contradictionem.

Octava: Plus efficaciæ debemus in Deo agnoscere quam possumus comprehendere; cum enim cognoscamus infinitam esse ipsius virtutem, non debemus negare quod nostram superat mentem, sed potius & judicare omnia Deo esse possibilia: Igitur & concludere mysterium esse possibile. Et vero videmus varios siderum cursus, & sentimus virtutem elementorum, propriis intuemur oculis fluxum & refluxum maris, magnetem ad se ferrum attrahere, & tamen quis ad hæc usque tempora saltem clare eorum omnium comprehendit causam? non ideo tamen negamus eorum effectus: Igitur nec neganda est Incarnatio, licet eam capere non valeat animus.

Nona: Est argumentum negativum, & sic procedit. Nulla est Gentilium objectio contra ineffabile Incarnationis mysterium, quæ non possit per negationem solvi; nam si impossibile illud prædicent, dicimus quidem esse impossibile de via ordinaria & per virtutem creaturæ, sed non de via extraordinaria per Omnipoten-

tentis virtutem. Quam rationem explanat B. Virgo in suo mirabili Cantico, in quo gratias agens Omnipotenti, qui ea uti voluerat ad tanti mysterii executionem, & compelementum, dixit, Luc 1. 15. *Fecit potentiam in brachio suo*. Si vero Gentiles addant multas ex hoc commercio in Deum resultare imperfectiones atque defectus, respondemus, hæc se tenere ex parte hominis in quo Filius Dei passus est.

Solvuntur objectiones.

Objicies I. Deus est immutabilis: Sed si Verbum fieret caro, mutaretur Deus: Ergo &c. Probatur minor ex ipso Ecclesiæ de Incarnatione testimonio: *Innovantur*, inquit, *naturæ*, *Deus homo factus est*. Suffragantur Patres, dum asserunt omnia per hoc mirabile commercium, nova facta esse: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Nova facta sunt per Incarnationem omnia in mundo, quatenus reparatus est homo, & de inimico factus est amicus, immo & Deus, concedo: in ipso Verbo, subdistinguo: extrinsece, concedo; intrinsece, nego minorem & consequentiam. Duplex est mutatio: altera intrinseca, altera vero extrinseca. Prima fit per deperditionem alicujus perfectionis, vel per aliquam virtutis acquisitionem; extrinseca vero ea est quæ fit per extensionem ad novum aliquem terminum. Prima non est in Verbo, nihil enim aut deperdit, aut acquirit in Incarnatione, sed tantum secunda quatenus supplet vices subsistentiæ creatæ & ejus effectum. Solutio est D. Thomæ 4. contra Gentes, cap. 49. num. 1. ubi respondens ad hoc argumentum, Deus neque corpus, neque virtus in corpore esse potest, adeoque implicat Incarnatio, ait: " Ostensum „ est enim Incarnationem Verbi non sic „ esse intelligendam, quod Verbum sit in „ carnem conversum, aut sit corpori uni„ tum ut forma, unde non est consequens „ ex hoc quod Verbum est incarnatum, „ quod vere Deus sit corpus, vel virtus „ in corpore. „

Instabis: Atqui Deus mutaretur, si Verbum fieret caro: Et probatur. Verbum inciperet esse in tempore, & clauderetur terminis tum temporum, tum locorum, immo corpore concluderetur: Igitur mutaretur.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo antecedens: Verbum clauderetur terminis ratione humanitatis assumptæ, concedo; ratione sui, nego. Unde non desinit esse immensum & ubique, quia in Incarnatione solum tangit terminum quem antea non tangebat, nec extenditur extra naturam divinam in qua subsistit, sed solum trahit humanitatem ad suam hypostasim & personalitatem, quocirca tota mutatio se tenet ex parte naturæ humanæ; ita D. Thomas ibidem num. 3. his verbis: " Hypostasis „ enim non extenditur extra terminos il„ lius naturæ, ex qua subsistentiam ha„ bet; non autem Verbum Dei subsisten„ tiam habet ex subsistentia humana, sed „ magis naturam humanam ad suam sub„ sistentiam vel personalitatem trahit; „ non enim per illam, sed in illa subsi„ stit: unde nihil prohibet Verbum Dei „ esse ubique. " Hoc totum potest illustrari exemplo lampadis lucentis in cubiculo, cujus quidem lumen se extendit de novo ad eos qui adveniunt & intrant in cubiculum absque eo quod mutetur absolute, nam mutatio proprie se tenet ex parte hominum, qui de novo intrantes, etiam de novo illuminantur, cum ante non essent illuminati, ita proportionaliter dicendum in facto mirabili Incarnationis Dominicæ, in qua natura humana incipit subsistere subsistentia Verbi divini.

Urgebis: Atqui mutatio intrinseca etiam se tenet ex parte Verbi in hypothesi Incarnationis: Ergo nulla solutio: Probatur subsumptum. Natura humana intrinsece mutatur: Igitur & Verbum mutari debet, quia eadem est extremorum conditio. Probatur consequentia & paritas: Sicut natura humana transit ad subsistentiam divinam, ita Verbum transit a non esse incarnatum, ad actum Incarnationis.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem nego consequentiam & paritatem; natura enim humana accipit in Incarnatione esse, & subsistere quod non habebat antea, Verbum vero nihil recipit; unde ad ulteriorem probationem distinguo secundam partem: Verbum transit a non esse incarnatum ad esse incarna-

tum

tum active, & naturam humanam immutando, atque verbo virtutis suæ portando, concedo: passive & subjective aliquid recipiendo, nego. Hac solutione omnia solvuntur sophismata, quæ perpetua laborant æquivocatione. Solutio est D. Thomæ ibidem num.2. ubi ait: "Non sequitur quod Verbum sit substantialiter mutatum per hoc quod naturam humanam assumpsit, nulla enim mutatio in ipso Verbo Dei facta est, sed solum in natura humana, quæ est a Verbo assumpta, secundum quam competit Verbo & generatum esse temporaliter & natum, non autem secundum seipsum."

Insistes: Atqui Verbum mutaretur etiam passive in hypothesi de qua nunc: Et probatur: Denominaretur intrinsece & vere homo: Sed denominatio intrinseca infert mutationem realem & intrinsecam: Igitur Verbum mutaretur etiam passive, & aliquid recipiendo.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Verbum in hypothesi denominaretur intrinsece homo a natura assumpta, quam in suam attraheret subsistentiam, minime vero aliquid in se recipiendo, concedo: secus, nego. Ad id vero quod subjicitur denominationem realem inferre mutationem, distinguo: in termino ad quem, concedo: in termino a quo, subdistinguo: si ejusmodi mutatio petatur a relatione intrinseca, concedo: si solum ab extrinseca, nego. Verbum non correfertur ad creaturam, scilicet ad humanitatem nisi extrinsece. Et vero relativa sunt simul natura; Verbum autem est infinite supra hominem elevatum: Igitur denominatur quidem vere homo a relatione intrinseca quæ est in humanitate ab ipso dependente, & per relationem extrinsecam in se, seu rationis ad humanitatem. Solutio traditur a D. Thoma in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 1. his verbis: "Dicendum, quod contingit aliquando in relativis aliquid relative dici, non quia illud ipsum referatur, sed quia alterum refertur ad ipsum, ut dicitur in 5. metaph. sicut scibile relative dicitur ad scientiam. Et in talibus aliquid incipit dici de novo quod prius non dicebatur, nulla mutatione facta circa ipsum, sed circa alterum; nulla enim mutatione facta circa scibile, incipit a me esse scitum, per mei mutationem; & similiter dicitur res scibilis, non per potentiam passivam quæ sit in ipsa, sed per potentiam quæ est in sciente; & sic est in proposito, non enim potest esse ut Creator ad creaturam referatur, nisi quia creatura ad ipsum refertur, in qua relatio realiter existit; & ideo Deus dicitur uniri non per mutationem sui, sed ejus cui unitur, & similiter cum dicitur unibilis, hoc dicitur non per potentiam aliquam passivam in Deo existentem, sed per potentiam quæ in creatura est, ut uniri possit." Idem dicit hic 3. parte q. 16. art. 6. ad 2. docet enim ea, quæ absoluta sunt, non advenire sine mutatione, secus quæ relative dicuntur. Et concludit denominationem hominis advenire Verbo sine sui mutatione.

Repones: Relatio hominis est intrinseca Verbo in hypothesi Incarnationis: Igitur mutatur intrinsece Porbatur antecedens. Primo, quia fundamentum, scilicet unio Verbi cum humanitate est intrinsecum ex parte utriusque extremi. Secundo, quia est mutuus respectus, nempe Verbi ad humanitatem, & vicissim humanitatis ad Verbum: Sed ubi est fundamentum relationis intrinsecum relato, & mutuus respectus, ibi relatio est intrinseca ex parte utriusque extremi: Igitur & mutatio. Sic lucerna lucens in cubiculo se extendit ad homines de novo intrantes, licet nihil absolutum acquirat, mutatur tamen intrinsece relative, in quantum realiter refertur ad objecta ad quæ non se extendebat antea: Ergo a pari Verbum mutatur intrinsece relative si uniatur humanitati, quia tunc realiter refertur ad illam.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Fundamentum relationis est Verbo intrinsecum per modum terminantis, & sine dependentia ex parte sui: item respectus est mutuus quoad aliquid, sed non quoad omnia, quia Verbum refertur ad humanitatem solum per relationem rationis & extrinsece, concedo: secus, nego. Sola enim humanitas refertur ad Verbum realiter. Ad exemplum lucernæ, nego paritatem: Enim vero lucerna realiter refertur ad eos quos illu-

illuminat: Quid mirum igitur si mutetur intrinsece, cum nova relatio intrinsece illi adveniat: Verbum autem nihil accipit intrinsece neque absolute, neque relative, sed simpliciter unitur terminando humanitatem.

Replicabis: Atqui non potest Verbum sic uniri etiam terminando humanitatem, nisi mutetur intrinsece: Ergo &c. Probatur subsumptum: Si Angelus uniretur humanitati, ut illam sua subsistentia sustentaret, mutaretur intrinsece, & tamen illi uniretur per modum terminantis: Igitur licet Verbum uniatur naturæ humanæ per modum terminantis, sequitur tamen Verbum in hypothesi mutari non solum extrinsece, sed & intrinsece.

Respondeo negando subsumptum & paritatem. Ratio disparitatis est, quia subsistentia Angeli, utpote creata, reciperetur in humanitate, & ab illa circumscriberetur, sicut anima circumscribitur a corpore: At vero Verbum non recipitur in humanitate, sed illam ad se assumpsit, & portat Verbo virtutis suæ manens semper infinite activum, & potens terminare alias in infinitum humanitates.

Instabis: Atqui Verbum in hypothesi limitaretur: Ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Omne individuum est limitatum: Atqui Verbum constitueret individuum, nam Christus esset hic homo, & non homo vage: Ergo &c.

Respondeo negando subs. Ad probat. distinguo: Verbum esset individuum terminative, concedo: in se, nego. Verbum supplet vices subsistentiæ creatæ; hinc unio est finita & limitata, constituit igitur individuum solum in humanitate, sed non in se; manet enim semper incircumscriptum.

Instabis: Prædicatur de Verbo res individua, nempe quod Deus sit hic homo, quod moriatur & patiatur, quæ quidem affectiones sequuntur individuum, & ens materia circumscriptum: Igitur in hypothesi Incarnationis Verbum foret secundum se individuum.

Respondeo distinguendo: Prædicatur de Verbo, quod sit vere hic homo, quod patiatur & moriatur, mediate & ratione humanitatis, concedo: immediate & ratione sui, nego. Quia tamen hic homo est talis & singularis in Christo, qui in illo patitur & moritur, in quantum subsistit; homo enim non subsistens non foret a parte rei, adeoque patibilis, bene prædicatur de Deo quod sit homo factus, quod patiatur & moriatur. Sic in humanis, licet mater v. g. Petri non producat ipsius animam, quandoquidem infunditur a Deo, quia tamen concursus ipsius passivus terminatur ad animam quæ unitur corpori præparato per generationem, dicitur vere mater Petri, ita & in proposito, ex eo quod Verbum terminet hominem, Filius Dei dicendus est homo patibilis. Neque vero aliquid aut imperfectum, aut indecorum ex hoc in ipsum redundat, quia omnis imperfectio, omnisque defectus se tenet ex parte humanitatis assumptæ.

Insurges: Atqui etiam imperfectio se teneret ex parte Verbi: Et probatur. Suppleret rationem formæ: Sed forma recipitur in materia, & ab ipsa circumscribitur: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: In hypothesi Verbum supplet rationem formæ metaphysicæ, concedo: formæ physicæ, nego. Duplex distinguitur forma, alia metaphysica, alia physica: Metaphysica ut plurimum est purus naturæ terminus, & modus substantialis illam subsequens: Talis est subsistentia, unde si non sit creata, non recipitur in substantia, sed est ex se per se subsistens, ut personalitas Verbi, quæ pure terminat & actuat naturam, & hoc munus solum ratione sui habet: Forma vero physica causat se dando compositio tamquam pars, unde limitatur ab alia comparte; sic anima unitur corpori, & ab ipso limitatur. Verbum autem non supplet vices formæ physicæ, sed tantum metaphysicæ, & hoc sine ulla imperfectionis labe, licet enim subsistentia creata limitetur, quia est modus & terminus in creatura receptus, secus subsistentia divina, quæ non est simplex modus, sed ipse Deus.

D. Thomas hanc explanat solutionem ibidem num. 12. his verbis: "Neque „ autem hypostasis Verbi dicitur esse sup„ positum humanæ naturæ, quasi subji„ ciatur ei ut formaliori... Hoc enim „ esset

„ esset necessarium, si hypostasis Verbi „ per naturam humanam simpliciter con„ stitueretur in esse: quod patet esse fal„ sum. Dicitur enim hypostasis Verbi „ humanæ naturæ supponi, prout eam „ ad suam subsistentiam trahit, sicut ali„ quid trahitur ad alterum nobilius cui „ unitur. „

Oppones II. Si Verbum unitur humanitati sanctæ, erit compositum: absurdum consequens: Ergo & antecedens. Probatur major: Christus constaret extremis, quorum unum se haberet ut perfectibile, alterum vero ut perfectivum: Minor autem est absurda, quia extrema se mutuo limitant: Verbum autem circumscribi non potest.

Respondeo distinguendo: Verbum faciet compositionem cum his, concedo: compositum ex his, nego. Duplex est compositio, alia ex his, & constat duobus extremis, quæ se habent ut partes, quæque uniuntur ad faciendum unum totum, unde se mutuo limitant & circumscribunt: Altera cum his, & est compositum, cujus unum extremum se habet quidem ut perfectivum, sed terminando naturam, quæ jam habet sua prædicata essentialia, unde advenit essentiæ, non ut constituat naturam, sed ut illam terminet & perficiat, quocirca illud extremum si sit infinitæ virtutis, non circumscribitur a natura; sic se habet subsistentia increata respectu humanitatis: Igitur ex unione Verbi cum humanitate nullum sequitur absurdum.

Dices: Licet subsistentia creata faciat compositionem cum his, tamen limitatur a natura: Ergo & in hypothesi subsistentia Verbi limitaretur.

Respondeo negando paritatem: Subsistentia enim creata non limitatur quia est subsistentia, sed quia est modus creatus ab ipsa substantia quam terminat, dependens; siquidem non est a parte rei nisi dependenter a natura, secus vero subsistentia Verbi, quia est ipse Deus; hinc compositio agnoscitur in Christo sine ulla imperfectionis labe, ita Concilium quintum generale Act. 8. can. 8. his verbis pag. 586. col. 2. *Sancta Dei Ecclesia unitionem Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam*.

Insistes: Verbum illam compositionem non potest ingredi etiam terminative: Et probatur. Primo, quia Deus non potest supplere munus formæ creatæ absque eo quod limitetur: Secundo, quia subsistentia Verbi habet terminum infinitum, naturam scilicet divinam quam actuat: Igitur non potest alteram actuare naturam: sic nulla alia persona præter primam dicitur Pater, eo quod relatio paternitatis habet in Patre terminum adæquatum: Tertio, quia admissa hypothesi, daretur effectus omnium perfectissimus in Christo; hinc exhauriretur potentia divina, ita ut nihil amplius posset producere ad extra.

Respondeo negando sequelam: Ad primum factum est satis supra; dictum est enim Verbum non posse supplere vices formæ physicæ, quæ informando constituat compositum, se dando per modum partis; unde limitatur a subiecto, minime vero munus formę metaphysicę, quę se habet solum per modum termini.

Ad secundum distinguo: Subsistentia Verbi non potest habere alium terminum ad intra pręter naturam divinam, concedo; quum enim ista sit infinita, adęquate terminatur subsistentia divina per eam: ad extra, nego; immo quia habet terminum infinitum in Deo, potest habere ad extra, non dicam unum, sed infinitos terminos; siquidem creaturæ sunt emanationes a Deo; nec unquam ipsius fecunditatem exhaurire queunt.

Ad tertium, nego paritatem: Ideo enim relatio paternitatis perfecte terminat naturam divinam in linea Patris, quia fundamentum relationis paternitatis, scilicet generatio activa, reperitur solum in prima persona, unde solum primam personam denominat Patrem, adeoque non præcise quia est infinita. Verbum autem nullum habet impedimentum neque absolutum, neque relativum ut terminet ad extra humanitatem, quia non exit in hoc extra sphæram suæ activitatis; licet enim non communicetur Spiritui sancto ut Filius, quia relative opponitur, potest tamen communicari humanitati, & ut Filius, quia illi relative non opponitur, & ut habet rationem subsistentiæ absolutæ, quæ quia est infinita, potest terminare infinitas creaturas, & illis dare subsistentiam.

Ad

Ad quartum distinguo : Daretur effectus perfectissimus ratione Verbi, quod sanctæ humanitati unitur, concedo : ratione humanitatis, nego. Tum quia aliæ humanitates etiam in infinitum perfectiores possunt a Deo creari, tum quia Verbum terminans humanitatem Christi potest terminare sine fine alias hominum naturas.

Persistes : Sequeretur in hypothesi aliud inconveniens, nempe personam esse finitam & infinitam: Sed hoc non potest admitti : Igitur nec unio Verbi cum humanitate.

Respondeo distinguendo: Sequeretur personam Christi esse finitam & infinitam sub diverso respectu, concedo : sub eodem, nego. Persona unita est infinita in se, finita vero ratione effectus, quia supplet vices subsistentiæ creatæ : Persona igitur est in se & active infinita : passive vero & in effectu producto finita : hoc est effectus ab ea productus est quid finitum.

Repones : Non est proportio inter Verbum & humanitatem: Igitur Verbum non potest illi uniri. Probatur antecedens : Inter infinitum & finitum non datur proportio: Sed Verbum est infinitum, humanitas vero finita: Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Non est proportio entitativa & arithmetica, concedo : habitudinis & geometrica, nego. Prima reperitur inter duas entitates ejusdem naturæ, qualis est ea quæ reperitur inter Petrum & Jacobum, quorum natura est una specifice in illis : Altera vero reperitur inter duo, quorum unum est tamquam superius inferiori dominans, talis est inter Verbum & humanitatem : unde infinitas non obest quin natura humana a Filio Dei terminetur, immo quia Verbum est infinitum, ideo potest illam terminare, siquidem ordo rerum postulat, ut inferiora hauriant perfectiones a superioribus: tum quia inest potentia obedientialis in creatura, ut ipsa subjiciatur actioni Dei : hinc aquæ quandoque e petra eruperunt, ignis proprio privatus est calore, quidni per simile miraculum similemque obedientiam, natura humana propria privaretur subsistentia, ut subsistat subsistentia Verbi?

Instabis : Non est tanta distantia inter sonum & coloratum, quanta inter Verbum & humanitatem : Sed oculus corporis etiam de potentia extraordinaria nequit videre sonum : Ergo nec Verbum terminare humanitatem.

Respondeo distinguendo : Non est tanta distantia entitativa, concedo : habitudinis, nego. Sonus enim & color sunt disparata, & sensus est ad unum determinatus, quia est singularis ; unde non mirum si oculus non possit videre sonum: At vero subsistentia creata & increata sunt in eadem linea, & Verbum est infinitum : Igitur potest supplere subsistentiam creatam. Nec refert utrum sit superioris ordinis ; hoc enim arguit solum infinitam in Verbo virtutem, minime vero impossibilitatem ad terminandam naturam humanam : Et vero licet subsistentia creata sit ordinis naturalis, non ideo est extra objectum adæquatum Verbi, quia sub eodem genere supremo continetur, nempe sub genere subsistendi, adeoque suppleri potest per subsistentiam realem & divinam.

Instabis : Verbum continet etiam perfectiones formæ physicæ, immo & rationalitatem, & tamen neutrum supplere valet : Igitur a pari licet contineat perfectiones subsistentiæ creatæ, non ideo illam supplere potest.

Respondeo negando utramque paritatem, quia ostensum est supra, formam physicam dicere imperfectionem, secus vero metaphysicam. Item rationalitas in suo conceptu formali dicit inquisitionem, quod ignorantiam non nihil sapit, unde & hæc a Deo removenda est ; dare vero naturæ humanæ ut subsistat subsistentia divina summam arguit perfectionem, cum isto mirabili commercio Christus sit Deus.

Objicies III. Si Verbum uniretur humanitati, resultaret aggregatum per accidens : Sed est inconveniens dicere Christum esse aggregatum per accidens : Absit igitur dicere Incarnationem esse possibilem. Probatur major : Humanitas adveniret Verbo, quod est ens completum, illa etiam esset ens completum : Igitur resultaret aggregatum per accidens.

Respondeo negando majorem. Ad probationem, distinguo secundam partem: Natura humana est in se completa essentialiter, concedo : omnimode, nego. Ca-

ret enim parte integrante, scilicet subsistentia, quæ a Verbo suppletur: Igitur Christus non est ens per accidens.

Instabis: Ens per accidens est ens compositum ex entibus pluribus completis: Atqui humanitas adveniret & uniretur non solum Verbo, sed & Patri, & Spiritui sancto; Verbum enim est idem cum Patre & Spiritu sancto. Ergo &c.

Respondeo negando absolute minorem; unio enim fit solum cum Verbo, unde ad id quod dicitur, Verbum idem esse cum Patre & Spiritu sancto, distinguo: est idem identice, concedo: virtualiter, nego. Distinctio autem virtualis in divinis sufficit, ut unum tribuatur uni personæ, & non alteri; sic quia paternitas virtualiter distinguitur a natura divina, Pater communicat naturam suam Filio, minime vero paternitatem. Quid plura adjiciam? Verbum terminat paternitatem ut Filius Dei: porro Filius distinguitur a Patre secundum relationem filiationis. Merito igitur Incarnatio dicitur facta in persona Filii, & non in persona Patris, aut Spiritus sancti.

Insistes: Opera ad extra sunt communia toti Trinitati: Igitur in hypothesi tres Personæ dicendæ sunt incarnatæ, adeoque Christus foret ens per accidens.

Respondeo distinguendo Antecedens: Omnia sunt communia toti SS. Trinitati efficienter, concedo: formaliter, nego. Verbum autem habet rationem formæ metaphysicæ, & per modum termini in Incarnatione, minime vero ceteræ personæ, unde sequitur non totam SS. Trinitatem, sed solum Verbum esse incarnatum: Igitur Christus nec est ens aggregatum per accidens.

Replicabis: Atqui est hujusmodi in hypothesi Incarnationis. Ergo &c. Probatur subsumptum: Natura humana habet propriam subsistentiam. Ergo &c. Probatur Antecedens: Eodem tempore quo anima unitur corpori resultat persona: Sed humanitas in Christo habet corpus & animam: Igitur & propriam subsistentiam. Tum quia subsistentia propria est perfectio, qua non debet privari humanitas, utpote ceteris humanitatibus præeminens; tum quia natura humana in Christo non est minoris virtutis & efficaciæ, quam ceteræ humanitates.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem nego Antecedens. Ad ulteriorem probationem distinguo majorem: Ex unione corporis, cum anima resultat subsistentia, de via ordinaria, concedo: si impediatur ne resultet, nego. Tale est Incarnationis factum miraculosum, unde non arguit in humanitate aut virtutis imperfectionem, aut ignobilitatem, quod propria careat subsistentia, sed privilegium, quo elevatur ad statum superiorem; ita D. Thomas ibidem num. 7. his verbis: " Non pertinet ad minorationem virtutis . . . sed ad dignitatem majorem; unumquodque enim melius esse habet, cum suo digniori unitur, quam cum per se existit, sicut anima sensibilis nobilius esse habet in homine, quam in aliis animalibus, in quibus est forma principalis, non tamen in homine. "

Urgebis: Christus est hic homo, & constituitur talis per corpus & animam: Igitur natura humana propriam habet subsistentiam. Probatur consequentia: individuatio petitur a subsistentia: Igitur si Christus est hic homo ab anima & corpore, propriam & humanam habet subsistentiam, quæ quidem definitur naturæ rationalis individua substantia.

Respondeo distinguendo secundam partem antecedentis: Christus constituitur hic homo per corpus & animam essentialiter & inadæquate, concedo: integraliter & adæquate, nego. Natura quippe humana non censetur plene individuata & singularis, donec accedat subsistentia quæ potest impediri, sicut de facto impedita est in Incarnatione, unde præter corpus & animam requiritur subsistentia ad perfectam & completam individuationem. Porro quando subsistentia definitur rationalis naturæ individua substantia, definitur in concreto, & ut dicit compositum subsistens. Solutio colligitur ex D. Thoma, ibidem num. 9. ubi loquitur: " In Christo enim vere fuit hæc anima, & hoc corpus, non tamen ex eis constituta est persona aliqua præter personam Verbi Dei, quia sunt ad personalitatem Dei Verbi assumpta; sicut & corpus cum est sine anima, propriam speciem habet: sed cum unitur animæ, ab ea speciem sortitur. "

Insta-

Instabis: Ex hoc sequeretur, humanitatem esse accidens: falsum consequens, ergo & antecedens. Probatur sequela: Adveniret Verbo, non ut per se subsistens: Igitur ut accidens.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem, distinguo: Adveniret non ut per se subsistens, sed ut subsisteret subsistentia substantiali in Verbo, concedo: ut illi inhæreret sicut accidens in subjecto, nego. Illi quippe adjungitur, ut habeat subsistentiam, unde in Christo subsistit per se, id est, subsistentia substantiali, non propria quidem, sed appropiata. Ita Sanctus Thomas, ibidem num. 13. his verbis: " Non tamen sequitur, quod huma-„ na natura accidentaliter Verbo adve-„ niat ex hoc, quod Verbum ab æterno „ præexistit.... Sic enim Verbum huma-„ nam naturam assumpsit, ut vere sit ho-„ mo; esse autem hominem est esse in „ genere substantiæ. „

Replicabis: Non debet admitti humanitatem esse in violentia; sed foret in violentia, si propria careret subsistentia, quia illam perpetuo appeteret, ut anima separata a corpore illud absque fine appetit. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Tunc enim natura non censetur esse in violentia, quando omnia sibi requisita habet, immo & perfectiora: subsistit autem in Verbo, & quidem longe nobilius, quam si subsisteret propria subsistentia. Unde nego paritatem; ideo enim anima appetit corpus, quia non censetur perfecta in ratione hominis donec illi iterum conjungatur; at vero humanitas est perfectissime completa in ratione subsistendi per Verbum, unde propriam non appetit subsistentiam; quasi vero Rex appeteret esse de ordine plebis, & homo Deus appeteret esse purum hominem.

Dices: Humanitas non potest intelligere intellectione increata: Igitur nec subsistere subsistentia divina.

Respondeo negando paritatem: Ratio discrepantiæ est, quia intellectio est actio vitalis a principio vitali fluens, unde intellectio increata supponit in potentia vitali vim & virtutem infinitam illam producentem; sed supplere vices subsistentiæ creatæ dicit solum dependentiam & obedientiam in creatura; a persona vero assumente infinitam energiam, ex quo sequitur humanitatem non posse intelligere intellectione increata, bene tamen subsistere per subsistentiam Verbi.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Incarnatio est possibilis.

PRIMO, ut habetur Luc. 1. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum*; quibus verbis, vel ipse Gabriel Archangelus probavit beatissimæ Mariæ hujus mysterii possibilitatem.

Secundo: Non repugnat ex ulla parte: non quidem ex parte Dei, quippe qui omnia possit: non ex parte Verbi, cum ad hoc non requiratur ut sit pars velut forma informans a quo limitetur: neque ex parte naturæ humanæ; subsistentia enim propria distinguitur realiter a natura, hinc ab ea separari potest, & per eminentiorem suppleri.

Tertio: Deus se solo potest facere quidquid facit cum causa secunda: sed dat homini subsistere mediante supposito creato: Igitur isto secluso, hunc per se & immediate potest effectum supplere.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Incarnatio juxta legem communem fieri non potest, bene tamen de potentia Dei absoluta.

Secundo: Tametsi Deus fiat homo, nihil dedecoris ex hoc in divinitatem refunditur; omnes quippe defectus, ut pati & mori de Verbo non dicuntur ratione sui, sed ratione naturæ assumptæ; neque vero ex unione Verbi cum humanitate limitationis labes resultat in Verbum, quandoquidem non se habet ut forma informans, sed solum ut persona quæ terminat humanitatem, & dat illi subsistere, juxta illud Hebr. 1. 3. de Filio Dei: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ.*

Tertio: Implicat quidem humanitatem intelligere intellectione increata; cum enim hujusmodi intellectio sit operatio vitalis, supponit vim infinitam in causa quæ illam producat; sed non sic ut huma-

nitas subsistat subsistentia divina, ad hoc enim satis est ut sit a Verbo perfectibilis, & terminetur, & actuetur ab eo.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Incarnatio sit credibilis?

CONCLUSIO.

Dicimus contra Gentiles Incarnationem esse credibilem, immo & adimpletam.

Probatur multis momentis.

ILLUD est credibile, quod habet omnia credibilitatis signa & argumenta; enim vero signa teste Apost. 1. Cor. 14. dantur infidelibus, cum enim fide careant, non aliter mysteria credibilia sunt apud eos, quam per quædam signa quibus contradicere, aut insipientiam, aut stoliditatem redoleret: Atqui Incarnatio omnia habet credibilitatis signa & argumenta, tum ut concipiatur ut credibilis, tum etiam ut adimpleta censeatur: Igitur est credibilis a Gentilibus. Probatur minor: Signa Incarnationis & ejusdem credibilitatis argumenta quinque præcipue annumeratur. Primum quidem petitur, ex confessione eorum, qui inter Gentiles fide digni sunt. Secundum, ex silentio eorum oraculorum in adventu Christi. Tertium, ex testimonio ipsorum Judæorum Religioni Christianæ hostium infensissimorum. Quartum, ex miraculis veris. Quintum, ex propagatione Religionis Christi. Et vero quis sanæ mentis Incarnationem negabit credibilem, immo & adimpletam, cum in testimonium adducitur cœtus ipsorum Gentilium, eorum saltem, qui apud eos tum scientia, tum virtute floruerunt; dum ostenditur Deos inanes siluisse omnes in conspectu Christi; dum proferuntur Judæorum libri quos pro focis & aris, tamquam genuinos defendunt, quippe eo majori digni sunt fide, quo faciliori impetu producuntur ab ipsis Christi hostibus, & ideo ab omni suspicionis labe immunes; cum patrantur miracula ad confirmationem veritatis hominum mentem excedentis. Denique cum ipsius Verbi incarnati Religio per universum diffunditur orbem, ita ut crucis inimici eam in fronte portent, ut August. dicit de Imperatoribus Paganis ad fidem conversis: Atqui his omnibus fulcitur argumentis Incarnatio. Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex Sybillis & aliis inter Gentiles doctissimis depromptum.

SYBILLÆ apud Gentiles fuerunt in honore, & quidem eo prope modo quo Prophetæ fuerunt in Judæa: sed multa de Christo prædixerunt, maxime Cumea & Erythrea, scilicet eum ex Virgine nasciturum, colaphis cædendum, spinis coronandum, felle & aceto potandum, moriturum, & post triduum ad vitam gloriosam evocandum; ita referunt Lactantius L. 1. institutionum, August. L. 18. de civitate Dei cap. 23. 26.-46. & 47. Hieronymus Lib. contra Jovinianum dicit dono prophetiæ fuisse præditas in Virginitatis præmium, & suo loco Dissert. 3. de unitate Dei art. 3. fuso calamo exquisitis monumentis probavimus, non assutas & phantasticas Filias Virgines, sed veras, & multas de Christo carmina concinnasse. Constantinus Augustus in oratione ad Sanctorum cœtum, apud Euseb. cap. 18. hos versiculos de Erythrea refert.

Unus & æternus hic Servator & idem Christus pro nobis passusque carmina signant.

CICERO Lib. 2. de divinatione num. 111. & 112. multa præclare disserit de Sybillis, illasque vindicat ab insaniæ, seu stultitiæ labe, contra eos, qui quasi furentes, sine ratione, Deorum instinctu locutas fuisse autumabant.

Nec uni Ciceroni, verum & Virgilio nota fuere Sybillarum vaticinia: quamvis mysteriorum nescius ea Asinii Pollionis novi Consulis filio Sanonino accommodaverit in Eglog. 4. his versiculis.

Ubi-

Ultima Cumæi venit, jam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Detinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita, perpetua solvent formidine terras.

Quæ quidem carmina egregie accommodat Constantinus Augustus oratione prædicta ad Sanctorum cœtum cap. 20. cui mire consonat Aug. Lib. 18. de civit. Dei, cap. 46. pag. 1258. ubi sic loquitur: " Proinde cum Scripturis nostris „ non credunt *Ethnici* complentur in eis „ suæ, quas cæci legunt: nisi forte quis „ dixerit, illas prophetias Christianos fin„ xisse de Christo, quæ Sybillæ nomine, „ vel aliorum proferuntur. „ Quod certe non potest dici, cum & Cicero, & Virgilius aliique inter Gentiles litterati mentionem percelebrem faciant de Sybillis. *Theoderetus* Lib. 6. de curandis Græcorum affectionibus circa finem, refert Incarnationis mysterium a multis Philosophis fuisse approbatum: hinc Platonicus quidam Philosophus litteris aureis fententiam illam Joannis, *Verbum caro factum est*, describendam esse dixit. Et vero, ut ait Tertullianus Apologet. 21. Gentiles non possunt negare illud mysterium, qui Jovem sæpius in pluviam auream, in Agnum, in Aquilam & Taurum demutatum esse crediderunt; immo ex seipso per operationem mentis Esculapium genuisse, qui postea specie humana apparuit in terris: Quibus factis prælusam Incarnationem apud Infideles fuisse testatur Justinus in dialogis: Igitur constat tum ex Sybillis, tum ex conclusionibus erutis ex Paganorum doctrina de falsis numinibus, Incarnationem esse credibilem, immo & adimpletam.

SECUNDUM ARGUMENTUM

Ex silentio falsorum Numinum.

Historici referunt Idola Ægypti siluisse, cum ibi Christus infans profugus demoraretur, Is. 19. 1. istud portentum annuntiatur, his verbis: *Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægytum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus.* Tum Lib. 1. Reg. cap. 5. Dagon idolum Philisthinorum corruit in conspectu arcæ fœderis quæ erat Christi typus: Nec desunt auctores fide dignissimi qui scripserint, vel in præsentia Martyrum siluisse dæmones oracula ad seductionem reddentes. Quis autem cordatus revocaverit in dubium ejusmodi veritatem, cum & ipsi Pagani concedant fidem adhibendam esse historicis prophanis, quorum de sinceritate non ita constat, sicut de scriptoribus Canonicis & Ecclesiasticis, qui sola pietate moti, Deum solum præ oculis habentes, acta Martyrum collegerunt; sed ut argumentum istud sit irrefragabile ad ipsos historicos prophanos appellamus, qui testimonium perhibent de silentio oraculi Apollinis; namque tempore Christi nativitatis oracula reddere renuit. Ita refert Suetonius cap. 94. Plutarchus, qui Lib. de hoc silentio conscripsit. Nicæphorus Lib. 1. cap. 17. & alii quamplures: referunt etiam Cæsarem Augustum, facto sacrificio, Apollinem Delphicum consuluisse de futuro post ipsum in Imperio successore, sed Apolline, seu potius demone obmutescente, aliud adhibuisse sacrificium, tunc hujus insoliti silentii causas requirens, oraculum tribus istis versibus respondisse scribunt.

Me puer Hebræus divus Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum;
Aris ergo de hinc tacitus abscedito nostris.

TERTIUM ARGUMENTUM

Petitur ex testimonio ipsorum Judæorum Religioni Christianæ adversantium.

ILLUD argumentum tanti fuit ponderis apud Philosophos, ut multi cordati ex eis, relictis Idolis, conversi sint ad Deum verum & Christum ejus Filium: ita Justinus Martyr, Irenæus, Lactantius & alii bene multi: & vero cum ipsi Judæi nobis Christianis ipsas dederint Prophetias, quæ testimonium perhibent de Christo, quæque in eo adimpletæ videntur, veritas sine falsitatis aut dubii umbra apparet; unde istud sequitur contra Gentiles argumentum pro credibilitate, immo pro Incarnationis adimpletione.

Prophetæ multis sæculis ante Christi adventum Incarnationem adimpletam prædicaverunt: Igitur Gentiles debent illam credere possibilem, immo adimpletam. Probatur consequentia & quidem multipliciter.

Primo, quia futura, eaque abscondita, quæ superabant captum humanum prædixerunt Prophetæ de Christo, ita ut, non dicam solum idiotis, sed & sæculi sapientibus appareret quoddam magnum a superis emanatum prænunciare.

Secundo, quia publicatæ sunt, vel apud ipsos Gentiles prophetiæ. Enim vero Chaldæi eas audierunt a Judæis captivis in Babylonia, sicut & Ninivis Reges ab Israelitis, quos Salmanazar transtulerat in suam terram. Insuper Scripturæ sanctæ non solum Chaldæo idiomate, sed & Græco redditæ sunt; Ptolemæus enim Philadelphius Rex Ægypti a 70. Senioribus accepit Scripturas in linguam suam translatas, Deo sic ordinante, ut testimonium quoddam quasi redderent ipsi Gentiles de prophetiis circa Verbum incarnatum.

Tertio, Prophetiæ auctores habuerunt vetustissimos, ut Moysen, qui primus, & ante ipsos Græcos scripsit, auctores in virtute & pietate, & consequenter in sinceritate nulli secundos, unde & fide dignissimos, quippe qui vitam in terris ducerent cœlestem, quique sermones suos portentis & miraculis confirmarunt: quid enim de prodigiis a Moyse in Ægypto patratis dicemus? Quid de factis a Daniele in conspectu Nabuchodonosor, Darii Regis & Balthasar? Quid de mortuis ad vitam evocatis ab Elia & Eliseo? Quid de aliis eorum miraculis, quæ quidem omnia argumenta sunt, prædicta ab eis de Verbo incarnando fuisse verissima: Igitur Gentiles Incarnationem esse credibilem, immo & in Christo adimpletam ultro fateri debent.

QUARTUM ARGUMENTUM

Petitur a miraculis, & Christi, Apostolorum & Martyrum.

TOT & tanta eaque continua miracula ab ipso Christo patrata sunt, & ab ejus discipulis ut signa sint irrefragabilia de ipsius Incarnatione: hinc ipse Christus Joan. 10. 38. dicit Judæis: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Et Jo: 3. Nicodemus ex persona Judæorum, sic loquitur Christo: *Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Immo Turcæ quamtumvis a fide alieni varia Christi miracula in Alcorano agnoscunt, ut refert Galatinus, L. 8. c. 6. nempe eum ex Virgine natum fuisse, muortuos suscitasse, & leprosos mundasse. Etiam legitur solam Petri umbram ab omnibus languoribus sanasse eos, qui ipsam transeunter levius tangebant. Sed quod mirabile dictu, qui crediderunt in Christum, opera quæ ipse fecit, immo & majora patrarunt. Denique Martyres, non solum portentis & prodigiis comprobarunt fidem Incarnationis apud Gentiles, sed & sanguinis effusione eam consignaverunt. Quod quidem miraculum animos vel superstitione, vel odio seductos ita suasit atque devicit, ut demiratus sit orbis se totum esse Christianum.

Denique, omnes creaturæ Christum agnovisse Deum satis constat; refert enim sanctus Gregorius Papa homil. X. in Evang. num. 2. Infinitum atque perspicuum gloriæ decus contestante Deo signis, portentis & virtutibus hoc annuntiare. "
„ Omnia quippe elementa, *ait*, aucto-
„ rem suum venisse testata sunt: hunc
„ cœli esse cognoverunt, qui proti-
„ nus stellam miserunt. Mare cognovit,
„ quia sub plantis ejus se calcabile præ-
„ buit.

„ buit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia „ lucis suæ radios abscondit. Saxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt. Infernus agnovit, „ quia hos quos tenebat mortuos reddidit. Et tamen hunc quem Deum „ omnia insensibilia senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum esse minime cognoscunt. „

QUINTUM ARGUMENTUM

Ex conformitate quæ inter utrumque Testamentum adest, eruitur.

ILLUD mysterium est credibile, quod sicut in se & circumstantiis prælusum in veteri lege, sic & in nova adimpletum est: Atqui ea est inter utrumque Testamentum consociatio, ut sicut multis retro sæculis mysterium annunciatum fuit, sic & contigisse ostenditur: Igitur mysterium Incarnationis est credibile. Tanta quippe inter antiquam & novam legem consensio citra miraculum pro veritate astruenda haberi non potest. Probatur minor: Conformitas credibilitatem Incarnationis in lege veteri & nova annuntians penes tria capita assulget, nempe, I. Ex relatione figurarum veteris Testamenti, cum Dominica Incarnatione. II. Ex relatione quæ intercedit inter Sacramenta utriusque legis. III. Ex relatione Scripturarum, tam veteris quam novi Testamenti.

Relatio inter figuras veteris Testamenti & Christum.

PRIMA figura est Abel, qui fuit Christi typus, nedum innocentia, sed & sacrificio, quod de melioribus & exquisitis fructibus obtulit; hinc & ab ipso Deo celebratus est; legitur enim Genes. 4. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*. Christus vero Sanctus Sanctorum, & primus Prædestinatorum, ita propter opera sua bona a Deo acceptus est, ut vox Patris in Monte Thabor intonuerit 2. Petr. 1. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*.

Altera figura est Noe vir justus, qui mundi reliquias primum virtutis merito, deinde Arca, durante diluvio salvavit; fuit typus Christi, qui, teste Apostolo, homines salvavit, tum a peccati, tum ab inferni damnatione.

Tertia Christi figura est Abraham: Dominum enim eatenus præfiguravit, quatenus extitit Pater multarum Gentium, a quo & Judæi, & ipsi Gentiles ad fidem conversi benedictionem acceperunt: Christus vero fuit omnium Pater, juxta illud Isaiæ de ipso 9. 6. *Pater futuri sæculi*, id est legis gratiæ, siquidem ut habetur Joan. 1. 17. *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est*.

Quarta ejusdem figura habetur in Melchisedech, qui panem & vinum obtulit in sacrificium; similiter & Dominus Jesus, qui nedum panem & vinum, sed utramque substantiam convertit in corpus & sanguinem suum, ut duplici substantia totum, ait D. Thomas, cibaret hominem, quod David plenus Spiritu sancto intonuit, dicens Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*.

Quinta figura reperitur in Agno Paschali in Ægypto, pluribus retro sæculis immolato. Ipse prælusit Christum, qui Joan. 1. 29. dicitur, Agnus Dei tollens peccata mundi.

Samson annumeratur inter eos, qui Christum in propria persona prænuntiarunt, quippe qui salvaverit populum ab inimicis, scilicet Philisthim, namque eos dum viveret, non semel compescuit, sed multo plures propria morte devicit; ita & Christus vere Salvator mundi extitit, qui nos & a captivitate temporali, & servitute peccati, ut dictum est, liberavit, tum vero quod mirum est, teste Apostolo Hebr. 10. 14. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Sic figura præsignavit veritatem, & utriusque concordantia non modicum probat Incarnationem esse credibilem, immo & adimpletam.

Relatio intercedens inter Sacramenta veteris & novæ Legis.

CONFORMITAS ista in cultu & cæremoniis utriusque legis non sine miraculo fieri potuit, saltem consonantia hæc non sine prodigio Gentilibus ostendit, Christum per omnia ante adventum fuisse designa-

tum. Legitur in Scripturis, maxime in libris legalibus veteris Legis varia fuisse Sacramenta. Circumcisio, teste Innocentio III. & habetur cap. *Majores* erat sicut Baptismus noster ad delendum peccatum originale. Agnus Paschalis habebatur ut magnum & præcipuum veteris legis Sacramentum: Enim vero specialiter præfigurabat gratiam per Christum dandam; sanctificabat quidem solum ex opere operantis, attamen erat verum signum sacrum: Huic sacramento respondet Sacramentum altaris, in quo Agnus non jam in figura, ut olim in lege, sed in veritate & realitate sumitur ad sanctificationem animarum Sanctarum. Legitur utique in libro Levit. multa expiationis instituta fuisse & sacrificia & Sacramenta pro remissione peccatorum; his in nova lege successit Pœnitentiæ sacramentum, quod quidem ex opere operato & virtute propria super nivem dealbat animas peccatrices. Ergo &c.

Relatio Scripturæ veteris Testamenti cum Scripturis novi.

INTER omnia argumenta concordia librorum novi Testamenti cum libris veteris Testamenti est unum efficacissimum, quia non sine vero & maximo miraculo fieri potuit, ut quæ prænuntiata fuerant ante multa sæcula, in Christo ad litteram adimplerentur; ex quo sequitur veritatem totius Religionis fundamentalem, nempe Verbum Dei factum esse carnem. Quod autem sit ejusmodi concordia universalis ostensum est supra, ubi de Prolegomenis ad Scripturam sacram agitur Diss. 1. sec. 2. Ad abundantiam tamen juris aliqua momenta hic texere non abs re erit.

Primo: Christus dicitur de semine Abraham Matth. 1. & Luc. 3. Ita prædictum fuerat Gen. 12. 3. *Benedicentur in te universæ cognationes terræ.*

Secundo: Dicitur natus de Virgine, Matth. 1. 18. Luc. 2. 6. illud promiserat Deus Isai. 7. 14. Jerem. 31.22. Ezechiel. 44. v. 2. & 3.

Tertio: Dicuntur Magi venisse ab Oriente ut adorarent Jesum Matth. 2. 1. 2. Id David. prædixit Psal. 71. 9. & sequentibus. Id Isaias 60. 2. 6.

Quarto: Saturatus est opprobriis, ut singuli referunt Evangelistæ; hoc ipsum prædixerat David Psal. 34. Mortuus resurrexit, ut in Evangelio habetur: id etiam prænuntiat Propheta regius Psal. 3. 6. ejusdem in cœlum Ascensionem prænotione Spiritus Psal. 23. 7. verbis expressis conclamat, & sic de aliis. Ergo &c.

Sextum argumentum sumitur ex propagatione Christianæ Religionis.

PROPAGATIO miraculosa Religionis Christi est etiam unum inter omnia argumenta efficacissimum ad probandam Incarnationis tum possibilitatem, tum adimpletionem. Unde sic exponitur: Incarnatio est possibilis si sit adimpleta, nam ab actu ad posse consequentia valet: Atqui ex propagatione miraculosa religionis Christianæ constat Incarnationem esse adimpletam; Ergo &c. Tota difficultas in eo sita est, ut probetur propagationem esse miraculosam; quod quidem ostenditur ex septem capitibus. Primo, quia habuit auctorem humilem, & sapientiæ mundanæ absconditum. Secundo, ejus propagatores fuerunt viri sine potentia, & auctoritate. Tertio, quia propagata est sine arte, absque industria, sed cum simplicitate. Quarto, prædicata absque eloquentiæ lepore & evidentia rerum propositarum. Quinto, suscepta est in mundo adversante Idolorum religione per universum orbem ad hæc usque tempora prævalente. Sexto, proposita est citra ullum vitæ commodum & emolumentum. Septimo, in brevi coaluit in magnam arborem: Igitur fuit miraculosa. Probatur Antecedens quoad singulas partes.

Primum: Quod ponderat apud homines est auctoris præfulgens nobilitas, quæ intellectum captivat etiam doctissimorum: Sed religio Christiana habuit auctorem ipsum Cristum, Filium quidem Dei & Dominum dominantium, sed velatum, tum ignobilitate Nativitatis, tum paupertate Parentum, ita ut etiam Filius hominis sicut ceteri homines haberetur; hinc & ipsius Incarnatio Gentilibus stultitia, scandalum vero Judæis fuit.

Alterum: Quod apud homines valet, est excellentia & potestas Magistri, cujus auctoritas terret rebelles, cujus potentia nationes ferocissimas sibi subdit, ut

videre

videre est in propagatione religionis Mahumetanæ; cujus denique eloquentia etiam subtilissimos convincit: Sed hæc omnia in Doctoribus Evangelii nusquam apparuere; siquidem Christi discipuli & numero pauci erant, & fortuna obscuri, & arte quasi viles atque abjecti. Enim vero inter eos quidam erant Piscatores, quidam textores, quidam etiam Publicani, omnes nullius auctoritatis; omnes simplices, qui tamen & Regibus, & Doctoribus, & ipsis tortoribus suaserunt, ut abjectis omnibus, crucem tamquam amicam & sponsam haberent, quod & felici exitu contigit. Igitur non sine magno miraculo propagata est religio Christiana.

Tertium: Quod apud homines in pretio apparet, est ars, prudentia & politica, quæ quidem omnia defuerunt Apostolis, siquidem ipsis ad religionem propagandam, non erant aut orationis illecebræ, aut sermonis fucatus nitor, non verba ad fallendum concinnata, aut rationum subtilitas, aut denique industriæ sagacitas. Non cogebant dissentientes, non fraude texebant sermonem, ut incautis & imprudentibus illuderent: non minis repetitis & terroribus, reluctantes subjiciebant Religioni: fidem postulabant liberam, aut nullam, doctrinam simpliciter exponebant, miraculis comprobabant, sanguinis effusione obsignabant, maxime vero erga inimicos charitate, ita ut benedicerent persecutores & pro ipsis tortoribus orarent. Quod quidem tanti fecit Trajanus, ut tantæ charitatis exemplum a Plinio Juniore audiens de Christianis, cito persecutionem cessari voluerit.

Quartum: Quod invitat homines ad aliquam religionem suscipiendam est species rerum propositarum, quando scilicet religio arridet passionibus, sed & hoc doctrinæ Satanæ condimentum deerat doctrinæ ab Apostolis propositæ: immo religio Christiana contra carnem & sanguinem leges sancit rigorosas; beatos solum dicit pauperes spiritu, beatos mites, beatos misericordes., beatos mundo corde, beatos pacificos, beatos qui persecutionem patiuntur propter justitiam, beatos, qui relictis omnibus, seipsos abnegant, ut tollant crucem suam.

Quintum: Quod multum etiam inservit ad religionem aliquam, aut fundandam, aut propagandam est antiquitas: Religio autem Christiana, nedum antiqua, sed & antiquam ab omni fere ævo acceptam, Patriæ, legum, Parentum, Regum, Philosophorum auctoritate confirmatam abrogabat, & tamen adversantibus omnibus suscepta triumphavit de mundo: Igitur ejus propagatio est omnimode miraculosa.

Sextum: Apud homines motivum ad suscipiendam aliquam religionem est spes & promissio aut honorum, aut divitiarum, aut aliquarum vitæ commoditatum, sed Apostoli post Christum promittebant pro ista vita vincula & carceres discipulis, qui & ipsi amplectendo religionem ad certam bonorum dilapidationem, martyrium & mortem properabant: quo igitur modo fieri potuit, ut Doctores Evangelistæ nisi Deo omnipotente protegente, religionem propagare potuerint?

Denique non modicum conducit ad novæ religionis propagationem tempus, sed longo tempore opus non fuit, ut in omnem terrarum orbem religio Christi se se diffunderet; vix enim a Christi morte triginta effluxerant anni, non modo Romani Imperii partes occupabat religio Christiana, sed etiam ad Indos usque pervenerat. Quod si post hoc Gentiles religionem hanc sanctissimam absque miraculo propagatam defendant, erit inter omnia miracula maximum, quod Piscatores pauci, adversantibus sæculi potestatibus, & sapientibus, religionem tam duram naturæ, sensibus tam austeram, sine divitiis, absque auctoritate, in brevi disseminaverint, & ita firmaverint, ut Crux, inquit Augustinus, in fronte Regum emicaverit.

FIT SATIS OBJECTIONIBUS.

OBJICIES I. Quod dicitur de Sybillis est apocryphum: & opus quod illis tribuitur non nisi secundo sæculo apparuit. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens propter rationes in probationibus allatas. Certe S. Hieronymus erat in antiquitate versatissimus, cum Hebræis, Rabbinisque varia habuerat litterarum commercia: Igitur veritatem melius scire potuit quam nostri temporis critici. Ceterum citantur Sybilla-

billarum opera etiam a Cicerone & a Virgilio: Igitur non sunt assuta, sed genuina.

Objicies II. Silentium Apollinis refertur solum a prophanis: Sed hujusmodi auctores non sunt, saltem pro rebus religionis, fide digni: Ergo &c.

Respondeo: Et in hoc auctoritatem magis ponderare contra Gentiles, cum testes habeamus de hoc ipsos Paganos, insuper & auctores posthumi de hoc faciunt mentionem.

Oppones III. Paganis irrident miracula Christi. Igitur ex hac parte non habetur credibilitatis motivum.

Respondeo distinguendo: Et hoc sine fundamento, concedo: secus, nego. Et vero ipsi Gentiles petierunt a Philippo videre Christum, Pilatus pro Romanis Praeses ipsius audivit miracula, & contra conscientiam morti damnavit; Centurio revertens e Calvarii Monte dicebat Matth. 27. 55. *Vere Filius Dei erat iste*: denique Justinus Philosophus, & alii primorum saeculorum Patres ad fidem conversi, immo & ipsi Martyrum tortores de repente mutati, & Christum, & ipsius miracula agnovere.

Oppones IV. contra concordiam Prophetarum: Non est consensio prophetiarum veteris Testamenti cum libris novae Legis. Ergo &c. Probatur Antecedens: Primo, quia sunt obscurae. Secundo, tribui possunt alteri quam Christo, Ecclesiae & Apostolis. Habent enim sensum litteralem, qui res & personas spectat. Tertio, plures videntur sibi contrariae.

Respondeo negando Antecedens. Ad primam probationem distinguo: Prophetiae sunt obscurae collective sumptae, nego. Una enim explicatur per alteram, quia circumstantiae Messiae circa quem potissimum versantur, sunt inter se connexae. Distributive sumptae, subdistinguo: sunt obscurae secundum quid, & respectu aliquorum quibus non datum est nosse explicite mysteria, ne ea irriderent, sed majoribus, inquit D. Thomas, concredita est fides explicita omnium Mysteriorum, concedo: Secundum omnia, nego. Solutio colligitur ex Apostolo, qui 1. Cor. 2. 14. 15. 16. ait: *Animalis autem homo, non percipit ea qua sunt Spiritus Dei: Stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia... Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.*

Ad 2. distinguo: Prophetiae alteri possunt convenire secundum aliquem sensum litteralem; quandoque enim litteram & personam respiciunt: ut cum Apostolus Gal. 4. 22. dicit: *Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem, qua sunt per allegoriam dicta*; concedo: secundum sensum spiritualem, & intentum a Propheta, nego.

Ad 3. utique distinguo: Prophetiae quandoque sunt contrariae secundum expressiones, & extrinsece, transeat: intrinsece subdistinguo; secundum aliquam circumstantiam accidentalem, concedo: capitalem, nego. Quilibet scriptor habet suum stylum & scribendi modum, qui saepius diversus est in diversis. Fieri etiam potest ut appareat contrarietas secundum aliquam circumstantiam accidentalem. V. G. in Prophetia comminationis, quae suum quandoque non sortitur effectum: nonnumquam etiam prophetia substantiam rei solum respicit, sed non alia quaedam levioris momenti: sic pro vocatione Gentium capitale fuit Magos venisse ad praesepe adorare Dominum, de quo conveniunt Isaias, David & Evangelistae. Sed ex quo loco praecise venerint, diversi diverse opinantur, & hoc nihil facit ad prophetiam, quae adimpleta est in adoratione Magorum.

Instabis: Ipsi Christiani non consociantur in expositione veteris & novi Testamenti: Ergo &c. Probatur Antecedens: Idem fit judicium de omnibus Prophetiis ac de Prophetia Judae: sed Doctores Christiani diversimode illam exponunt; quidam enim illam explicant de tota Gente Judaica: quidam solum de Tribu Juda: Nonnulli per sceptrum intelligunt regiam dignitatem: Alii auctoritatem dumtaxat principalem. Nec desunt qui per eam intelligant solum Beli praefecturam, alii etiam rerum domesticarum administrationem. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Non consentiunt in levioribus, concedo: in capitali, nego. Capitalis est adventus Messiae, quem

quem Jacob respicit in suo vaticinio, & de hoc consentiunt omnes, quando cessavit sceptrum. Jam vero quod per sceptrum intelligatur, vel una tribus, vel tota Gens, nihil refert. Semper significat potentiam & dominium quod certe a Judæis adveniente Christo penitus ablatum est.

Dices: Hæc & similia Vaticinia nihil probare videntur pro Christi & divinitate & missione, cum non absimilia tribuantur a Paganis falsis numinibus. Ergo &c. Probatur Antecedens: si agatur de sapientia quæ sermo Dei appellatur, Mercurius quoque sermo deorum prædicatur. Si de cruce & passione quam pro hominibus subiit Christus, filios Jovis pro hominibus quicquam simile passos fuisse referunt Gentiles: Quinimmo Perseum e Virgine natum habent. Æsculapium claudos erexisse, vel ipsos mortuos ad vitam evocasse propugnant. Hæc & alia scribit Justinus Apologia 2. pag. 161. edit. Basileæ 1555. de Gentilibus: " Agnoscitis, *inquit*, simile quiddam in vestro Mercu-" rio, quem sermonem inter nuntium Dei " dicitis. Quod si crucifixus displicet, " hoc quoque commune habet cum cla-" dibus supradictorum Jovis filiorum, si " vera narrant vestri auctores, nam & " illorum varias mortes legimus, ut nec " quantum ad passionem attinet hujus " nostri conditio deterior, immo potior " etiam, sicut procedente sermone de-" monstraturos nos polliciti sumus. Ex " actis enim judicium fit de præstantia. " Porro quod e Virgine natum credimus, " idem apud vos fertur de Perseo. Item " quod dicimus eum claudos, paralyti-" cos, a nativitate cæcos persanasse, mor-" tuos ad vitam revocasse, hæc similia " videntur illis quæ jactantur de Æscu-" lapio. " Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem vero dicimus, mirabilia quæ Gentilium auctores scripsere de suis numinibus meras esse fabulas. Sic solvit difficultatem Justinus. Illa enim sola quæ de Christo dicuntur, vera esse probat duobus potissimum momentis. Primo quidem eo quod oracula Prophetarum precesserint multis retro sæculis Christum: Et sicut pronuntiaverant, sic & res non sine magnis miraculis evenerunt: e contra historia actuum deorum Gentilium illis posterior est, & ideo non nisi humana & commentitia. Secundo, quia auctores multo antiquiores scripserunt de Christi mirabilibus ut Moysen, & ideo ceteris veraciores, cum teste Tertulliano, veritas mendacio antiquior sit. Ibidem igitur hæc subdit Justinus: " Ut autem " jam declaremus vobis, quod quæcum-" que loquimur instituti a Christo & Pro-" phetis qui eum antecesserunt, sola ve-" ra sint, & antiquiora scriptoribus om-" nibus: Et quod nostra placita, non ut " vestris consona; sed ut vera admitti po-" stulemus, nempe a Jesu Christo accepta, " qui proprie filius Dei primogenitus, " mens, virtusque ipsius ex voluntate Pa-" tris homo factus hæc nos docuit, ad " liberandum & in viam reducendum ge-" nus humanum: & quod priusquam ille " inter homines versaretur, quidam in-" stincti a prædictis dæmonibus, & abusi " Poetarum opera, sparserunt pro rebus " gestis fabulas a se confictas, quemad-" modum hodieque conantur nos redde-" re infames opprobrando impia facino-" ra, quorum nec testis extat, nec pro-" batio. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Incarnatio est credibilis.

PRIMO: Miracula a Christo, Apostolis, & sanctis Martyribus facta, annuntiant Incarnationem esse credibilem, cum Deus causa principalis miraculorum ad falsitatem astruendam ea non faciat; unde Christus Joan. 10. 38. dicebat Judæis incredulis: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

Secundo: Sybillæ Gentium filiæ multa nedum de Incarnatione, sed & de vita, morte & triumpho Christi prædixere, quod non sine Spiritus sancti afflatu, ajunt Hieronymus & Augustinus, factum esse constat.

Tertio: Vel ipsi profani auctores scribunt oraculum Apollinis siluisse, adveniente Christo: Sed inter motiva credibilitatis non levius est istud, quod religio Christiana, sæviente mundo, & terrente diabolo per totum terrarum orbem in brevi diffusa sit.

SY-

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

Primo : Incassum rejiceretur Sybillarum testimonium, cum earum opus & ab ipsis Paganis & a Christianis recipiatur : Illud ut genuinum habent Cicero & Virgilius, illud Hieronymus, Augustinus & alii quidam Patres.

Secundo : Diffident quandoque, vel ipsi Doctores Christiani in explicandis circumstantiis quibusdam accidentalibus prophetiarum, nusquam vero in substantia.

Tertio : Commentiuntur Pagani dum prærogativas & mirabiles Christi dotes suis falsis numinibus applicant, cum Scriptores eorum sint falsis diis posteriores, de quibus conficta dixere. Sed Prophetæ multis ante Christum fæculis mira de eo prænuntiaverunt, quæ & sicut prædixerant, contigerunt, quod est irrefragabile veritatis Messiæ argumentum. Non enim citra miraculum res antiquitus annuntiatæ, sicut prædictæ fuerant evenire potuerunt. Ex quo concludit Justinus Apol. 2. pag. 161. Christum esse verum Messiam.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Incarnatio sit conveniens?

Quoniam Gentiles tantum irrident Mysterium, operæ pretium est ad illos revincendos agere de ejus convenientia ; quia vero multipliciter considerari potest, nempe respective ad Deum qui incarnatus est, ad hominem qui redemptus fuit, ad tempus quo executioni salus demandata est ; ideo quoad singula momenta convenientiam Incarnationis demonstrare & explicare juvat.

Quæres primo, utrum Incarnatio sit conveniens? Sanctus Thomas istud momentum fuso tractat calamo 3. p. a q. 29. usque ad 58. inclusive. Sed brevitatis causa juxta ejus inconcussam doctrinam ad omnia ipsius innixi rationibus quædam respondemus.

Ad quæsitum primum respondeo affirmative, & quidem ex parte Dei, & hominis & universi. Ita D. Thomas hic 3. p. q. 1. art. 1.

Primo : Ex parte Dei conveniens est propter duo, ait D. Thomas. Primo quidem; quia summum bonum est infinite sui diffusivum, in aliis autem creaturis non se diffundit ita perfecte sicut in Incarnatione. Et vero in creatione fecit Deus hominem creaturam rationalem, in justificatione sanctum, in beatitudine gloriosum; Sed in Incarnatione facit illum Deum, unde sanctus Augustinus dicit & scribit, cum Deus sit Omnipotens, plus dare non potuit, cum sit sapientissimus, plus dare nescivit, cum sit ditissimus, plus dare non habuit. II. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta debent conspici, omnia autem attributa mirum in modum relucent in Incarnatione, quod explicans Damascenus Lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 1. dicit : " Monstrantur simul " bonitas & sapientia, & justitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem " quoniam non despexit proprii plasmatis " infirmitatem ; justitia vero, quoniam " homine victo, non alio quam homine " fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit " ex morte hominem ; sapientia vero, " quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem: Potentia vero sive " virtus infinita, quia nihil est majus, " quam Deum fieri hominem.

Secundo : Ex parte hominis conveniens est Incarnatio. I. Propter doctrinam quam *Unigenitus*, qui est in sinu Patris nobis enarravit propter liberationem a servitute dæmonis, qui ejectus est foras. II. Propter facilem quem obtinuimus aditum ad Patrem & filiationem adoptivam, unde ab Incarnatione homo non dicitur servus, sed amicus & filius. III. Denique propter sublimationem naturæ humanæ, quæ ad consortium divinæ naturæ erecta est: unde Augustinus Lib. de Præd. SS. cap. 15. ait tam excelsa & tam summa est hæc humanæ naturæ subvectio, ut quo attollatur altius non habeat.

Tertio: Ex parte universi, utique conveniens: sic enim Deus dilexit mundum, ut Unigenitum suum miserit, & propter ipsum, & propter ipsius utilitatem & splendorem, unde tota natura nobilitata est per Incarnationem ; dum enim prodest homini, prodest & toti mundo, quan-

quandoquidem homo est mundi compendium, habet enim esse commune cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis; unde patet Verbum divinum convenientius assumpsisse naturam humanam, potius quam Angelicam, quia sapientia Dei voluit medelam ferre hostis unde læserat; quia vero homo ægrotabat, sanandus erat tum in anima, tum in corpore per utriusque partis ad divinam naturam assumptionem.

Quæres II. An convenientius Incarnatio operata sit pro salute hominum, quam pro reparatione angelorum Apostatarum.

Respondeo affirmative, & quidem propter multas rationes. Primo quidem, quia minor pars Angelorum corruit: tota vero natura humana per peccatum primi hominis sauciata est, hinc sine redemptione sicut tota lapsa, ita etiam & tota absque Incarnatione in massa perditionis succumberet, & funditus periret. Ita colligitur ex August. in Enchyr. capit. 29. Secunda, quia Angeli mali sponte & sine tentatione peccaverunt, Adam vero fuit seductus a muliere, & mulier a serpente. Præterea, lapsus unius hominis ceterorum ruinam post se trahebat, unde conveniens fuit, ut homo ex misericordia redimeretur... Tertia, ne dæmon gloriaretur de lapsu hominis.

Quæres III. An convenientius fuerit Filium potius incarnari, quam Patrem & Spiritum Sanctum?

Respondeo affirmative: Cum enim homo per Verbum Dei conditus fuerat, decuit ut & lapsus repararetur per idem, ad eumdem enim spectat artificem opus ab ipso factum, simul & collapsum reparare. Præterea Incarnatio facta est ad constituendos homines filios Dei adoptivos, quod convenienter fit per Filium Dei naturalem: denique homo peccavit per inordinatum scientiæ appetitum: Igitur convenientius reparatur per Verbum, quandoquidem est ipsa Dei sapientia & scientia.

Quæres IV. An conveniens fuerit Incarnatio ratione temporis, quo executioni demandata est?

Respondeo affirmative, cum Apostolo, Galat. 4. 4. dicente: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Porro plenitudo temporis est tempus a Deo præfixum, ut filium suum mitteret, ait D. Thom. hic tertia p. q. 1. art. 5. ubi allatis Apostoli verbis, subdit: " Ubi dicit Gloss. quod plenitudo temporis est „ quod præfinitum fuit a Deo Patre, „ quando mitteret Filium suum: sed Deus „ sua sapientia omnia definivit. Ergo convenientissimo tempore Deus est incarnatus. „ Juxta illud Habac. 3. 2. *In medio annorum notum facies, salutare tuum, cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*. Non debuit igitur Verbum incarnari, inquit D. Thomas ibidem articul. 5. statim creatis primis parentibus, non enim opus erat medicina bene habentibus; neque paulo post peccatum, quia homo humiliatus debuit aliquandiu sic manere, ut suæ infirmitatis, & miseriæ conscius, sui cognosceret Salvatoris & medici necessitatem, adeoque illum vehementiori prosequeretur desiderio & amore, tum quia Christus utpote Rex regum, & cunctarum Gentium legifer, debuit iteratis Patriarcharum suspiriis desiderari, magno & digno Patrum præcedi apparatu, tunc & prænuntiari a Prophetis, ut magis appareret gloria, sicut magis effulget majestas Regis, quando magno famulorum præceditur comitatu: Non debuit etiam differri Incarnatio ad ultima usque tempora, quibus teste Div. Joanne, refrigescet charitas multorum, unde & tunc parum profecisset homini: " Si autem, *ait D. Thom. ibid. art.* 6. hoc remedium differretur usque in finem mundi, totaliter Dei notitia, & reverentia & morum honestas abolita fuisset in terris. „

Hoc ipsum fusiori calamo exponit Div. Thom. 3. p. q. 1. art. 5. " Magno Dei consilio factum est, *inquit*, ut post hominis „ casum, non illico Dei filius mitteretur, „ reliquit etiam Deus prius hominem in „ libertate arbitrii in lege naturali, ut „ sic vires naturæ suæ cognosceret, ubi „ cum deficeret, legem accepit, qua data invaluit morbus non legis, sed naturæ vitio, ut ita cognita sua infirmitate clamaret ad Medicum, & gratiæ „ quæreret auxilium. „ Idem explicat Comm. in cap. 3. Epist. ad Gal. tum 1. 2. q. 106. art. 3.

Quæ-

Quares V. Utrum in hypothesi quod Deus voluerit redimere hominem, conveniens fuerit hoc opus ab ipso Deo fieri?

Respondeo affirmative, & probatur: Epiphanius in Anchorato numer. 75. dicit Deum decuisse, ut has in se partes susciperet, ne, inquit, spem suam mundus in homine collocaret. Cyrillus Alex. Lib. 5. Thes. cap. 7. " Quoniam opus Dei non „ potest aliter reparari, necessario Deus „ homo factus est. „ Suffragatur D. Anselmus Lib. *Cur Deus homo*, cap. 5. ubi observat non fuisse consentaneum, ut homo redemptus, alterius quam Dei fieret servus, eo quod redemptionis beneficium longe si majus quam creationis.

Quares ultimo: Utrum convenientes sint circumstantiæ, tum conceptionis, tum nativitatis, tum vitæ & mortis Christi?

Respondeo affirmative, scilicet conveniens fuisse primo Christum assumere carnem Adæ, quia venerat reparare naturam Adæ, ut medelam igitur ferret, hostis unde læserat. Conveniens fuit, ait S. Thomas hic q. 31. art. 1. carnem ex Adam seclusо peccato assumere, juxta illud Hebr. 2. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abraha apprehendit*.

Secundo, nasci ex Desponsata, ne, ait D. Thomas hic q. 29. art. 1. ab infidelibus, tamquam illegitime natus, abjiceretur, ne Maria lapidaretur ut adultera, & ut haberet in vita solatium; tum ut testimonium de Virginitate sua firmaretur per testimonium Joseph.

Tertio, hoc debuit fieri per annunciationem ab Angelo; sic propugnat D. Thomas ibid. qu. 30. art. 1. ut mens Virginis de mysterio prius instructa, prius etiam conciperet mente & corde, quam carne, & in hoc beatior, teste Aug. Lib. de Virginitate cap. 3. his verbis: " Beatior Maria percipiendo fidem Christi, „ quam concipiendo carnem Christi...... „ Materna propinquitas nihil Mariæ pro- „ fuisset, nisi felicius Christum corde, „ quam carne gestasset. „

Quarto, conveniens fuit Christum nasci in Bethlehem, quæ domus panis dicitur, quia panis est, qui de cœlo descendit, ut esset prædestinatorum cibus. De hoc momento D. Thomas hic qu. 35. art. 7. sic discurrit: " Christus in Bethlehem na- „ sci voluit duplici ratione. Primo qui- „ dem, quia factus est ex semine David „ secundum carnem, ut dicitur Rom. 1. „ Cui etiam facta fuerat repromissio spe- „ cialis de Christo.... & ideo in Bethle- „ hem, de qua natus fuit David nasci „ voluit.... Secundo, quia ut Gregorius „ dicit in homil. Bethlehem domus panis „ interpretatur. Ipse autem Christus est „ qui ait, ego sum panis vivus, qui de „ cœlo descendi. „

Quinto, debuit manifestari hominibus prælectis & ordinatis a Deo cujuscumque status & sexus, ut nullus posset dubitare de ipsius adventu; unde Pastoribus per Angelos, Annæ Prophetissæ, & Simeoni per Spiritum Sanctum, Magis vero per stellam miraculosam revelatus est; sic propugnat D. Thomas hic q. 36. art. 1. 2. 3.

Sexto, Christus convenienter circumcisus est, ait D. Thomas hic q. 37. varias propter rationes, quas hic art. 1. explanat. I. Ut ostenderet veritatem carnis suæ, quam præsciebat a Manichæis impugnandam. II. Ut approbaret circumcisionem, quam Deus quondam Abrahæ dederat. III. Ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo. Ibidem ex eodem S. Doctore in circumcisione recte Jesus nominatus est, quia venit ut Salvator: item & oblatus est in templo, tum ut legem adimpleret, tum ut honorandi Deum exemplum relinqueret, tum etiam ut sacrificia vetera suo aboleret. Item & baptizatus a Joanne, non in remissionem quidem peccatorum suorum, utpote impeccabilis, sed ut sanctificaret aquas. Item & debuit cum hominibus conversari, quod probat Sanctus Thomas hic qu. 40. art. 1. Primo quidem, quia veniebat ad Patrem hominibus annunciandum, juxta illud Joan. 18. 37. *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. II. Venit etiam ad hoc ut homines vias vitæ edoceret, & a peccato liberaret, ut dicit Apostolus 1. ad Tim. 1. III. Ut per eum accessum haberemus ad Patrem, ex quibus liquet finem Incarnationis & scopum expostulasse, ut Christus ad hos mirabiles effectus producendos cum hominibus conversaretur: sic concludit S. Thomas: " Ideo familiariter cum hominibus con- „ versando, conveniens fuit, ut omnibus „ fidu-

„ fiduciam daret ad se accedendi. „ Item & tentatus est, ut suo exemplo nos stimularet ad prælium simul & præmium: item & convenienter transfiguratus est, ut præveniret gloriæ suæ manifestatione passionis scandalum, & mentium suorum futuram commotionem sedaret.

Septimo, convenienter passus est. Hoc probat D. Tho. hic ex professo q. 46. art. 1. hoc argumento: " Dicitur Joan. 3. sic-„ ut Moyses exaltavit serpentem in de-„ serto: sic oportet exaltari filium homi-„ nis, ut omnis qui credit in eum, non „ pareat, sed habeat vitam æternam. „ Quod quidem de exaltatione in cruce „ intelligitur. Ergo videtur, quod Chri-„ stum oportuerit pati. „ Hæc convenientia ex effectibus ulterius probatur. Primus enim passionis effectus est liberatio a peccato: Secundus, ejectio dæmonis e mundo. Tertius, solutio a pœna. Quartus, reconciliatio hominum cum Deo. Quintus, aditus & apertio januæ cœlestis ... Et vero, *Omne quod est in mundo*, ait S. Joannes Epist. 1. cap. 2. 16. *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: pro his varie passus est ut nos & a peccato, & a morte perpetua liberaret, namque pro satisfactione triplex excessus apparuit in passione Christi; pro superbia quidem excessus tristitiæ, juxta illud, Matth. 26. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*: pro concupiscentia carnis, excessus dolorum; habetur enim Thr. 1. 12. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus*: pro concupiscentia vero oculorum, derelictio ab omnibus, & ab ipsis discipulis, immo & apparenter a cœlo per subtractionem consolationis in parte inferiori, juxta illud Christi ad Patrem Matth. 27. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ecce passionis acerbitas: jam sequuntur effectus. Liberatio quidem a peccato ait D. Thomas hic q. 49. art. 1. juxta illud Apoc. 1. 5. *Dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Tum liberatio a potestate diaboli, quod ibidem probat S. Doctor art. 2. in arg. *sed contra* his verbis: " Domi-„ nus dicit Joan. 12. imminente passione: „ Nunc princeps hujus mundi ejicietur „ foras: Et ego si exaltatus fuero a ter-„ ra omnia traham ad meipsum. Est au-„ tem exaltatus a terra per passionem. „ Liberati utique sumus a pœna per passionem, quia ut legitur Isa. 53. de Christo: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Hic & nos Deo reconciliavit, dicente Apostolo Rom. 5. 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.* Quid plura? Aperuit nobis per eamdem passionem regnum cœlorum; sic enim scriptum est Heb. 10. 19. *Habentes fiduciam in introitu sanctorum*: scilicet cœlestium in sanguine suo, ait D. Th. hic q. 49. art. 5.

Octavo, convenienter Christus descendit ad inferos, non quidem damnatorum, sed Patrum, ut eos ab illis locis eriperet, quandoquidem ipsum expectabant ut suum Salvatorem & Redemptorem. Item seipsum resuscitavit, ut plene de morte triumpharet, juxta illud Joan. 10. 17. 18. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, &c.* sed resurgere est iterato animam sumere. Ergo &c. Item Christus ascendit propria virtute in cœlos, ut de his possessionem caperet, & pro se & pro nobis; sic enim habetur, Joan. 20. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*: Ergo &c.

Diluuntur objecta.

OBJICIES I. Remittere totam culpam sine ulla satisfactione per puram condonationem extrinsecam, seu offensæ relaxationem, dicit aliquid nobilius in condonante & generosum magis, quam exigere satisfactionem: Igitur non videtur conveniens Incarnatio, quæ facta est ut plena daretur Deo satisfactio pro peccatis nostris.

Confirmatur: Non apparet justitiæ consonum, quod innocens puniatur pro reis, sicut de facto Christus vulneratus est, teste Propheta, propter iniquitates nostras.

Respondeo distinguendo antecedens: Si cetera sint paria, concedo: secus, nego. Deus non solum est Pater misericordiarum, sed & Deus ultionum, & debitor suis omnibus attributis, quorum omnium jura servare debet; si autem Verbum incarnatum non fuisset, non fieret satis justitiæ, nec in hoc impeditur aliorum attributorum splendor; major enim

amor

amor apparet, quandoquidem cum adhuc inimici essemus, reconciliavit nos in Christo Jesu Deus Pater, supra omnem modum amabilis: major apparet liberalitas, namque homo per Incarnationem magis confirmatus est in bono, faciliusque a peccato recedit, scilicet per reverentialem justitiæ timorem: tum quia etiam per hanc rigorosam satisfactionem exhibitam, melius homo cognoscit offensæ suæ gravitatem.

Ad confirmationem etiam distinguo: Innocentem puniri pro reo coacte & vi non est justitiæ consonum, concedo: si sponte & per amorem & charitatem hoc velit, ut captivum de se incapacem ad seipsum a vinculis solvendum liberet, sicut fecit Christus, juxta illud Isa. 53. 8. *Oblatus est, quia ipse voluit*; & iterum alia Scriptura ad Tit. 3. 4. *Cum autem apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei; non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*, nego.

Instabis: Attributa divina obscurantur per Incarnationem: Ergo &c. Probatur Antecedens: Majestas quidem deprimitur; indecens quippe est Deum sub Angelis minorari; immensitas vero intra angustias humani corporis quasi coarctatur: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens: Ad probationem distinguo: Majestas & immensitas deprimuntur & coarctantur secundum humanitatem, transeat; secundum se, nego. Christus quidem ut homo paulo minus minoratur ab Angelis, sed non ut Deus; manet enim semper quod erat, unde Apostolus ad Hebr. 1. 5. ait de Patre æterno: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rursus v. 6. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Unde dixi, transeat, nam Christus in concreto, id est ut subsistens, supra Angelos est, quia subsistit subsistentia Verbi, & est vere Dei Filius. Præterea in omni Christi humiliatione apparuit semper aliquis sublimitatis radius. Enim vero concipitur in carne, sed de Spiritu sancto, sed de Virgine: jacet in præsepio, sed a Regibus adoratur: fugit in Ægyptum, sed ibi idola subvertit: vivit pauper & absconditus, sed miracula patrat: rapitur a militibus, sed prius eos prosternit ad terram: crucifigitur, sed terra concutitur: moritur, sed sol obscuratur: sepelitur, sed propria virtute resurgit.

Ad id quod dicitur coarctari immensitatem: Respondeo negative, quia quem cœli capere non poterant, portavit quidem, sed non conclusit, id est, limitavit uterus Virginis, immo per Incarnationem, dubio-procul novam acquirit sua erga homines thesaurorum diffusione gloriam, quod passim innunt Patres dicendo, quod Christus cum per naturam divinitatis non haberet quo cresceret, quia ultra Deum nihil est; per descensum quo cresceret invenit.

Urgebis: Hoc mysterium dat occasionem male sentiendi de Divinitate; quis enim credet Deum immunem a materia, si corpori uniatur; immortalem, si mortem subeat; independentem, si omnibus subdatur, ut Christus qui fuit parentibus subditus: Igitur Incarnatio non est conveniens.

Respondeo negando absolute Antecedens; immo est magnum misericordiæ & amoris argumentum, quod sensibilem se præbeat nobis Deus, ut nos & reconciliet & consoletur; unde D. Thomas hic toto art. 2. ostendit fidem nostram maxime roborari per Incarnationem, tum quia prophetiæ & miracula tollunt scandalum crucis & humiliationis, ostendendo divinitatem: tum quia est magna consolatio audire ab ipso Dei ore, quæ de Deo sentire debemus: unde Petrus Joan. 6. 69. ad Christum dixit: *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Et ideo solis obcæcatis Judæis, & Gentilibus incredulis Incarnatio est scandalum & stultitia: Augustinus Lib. 11. cap. 2. pag. 649. de civitate Dei paucis his verbis factum explicat: "Ut „ homo fidentius ambularet ad veritatem, „ ipsa veritas Deus Dei Filius homine „ assumpto, non tamen, Deo consumpto, „ eamdem constituit atque fundavit fidem, „ ut ad hominis Deum iter esset homini per hominem Deum. „

Instabis: Ordinare majus bonum ad minus non est conveniens: Sed Verbum incarnari ad satisfaciendum pro homine, illumque reconciliandum, est ordinare majus bonum ad minus: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Ordinare majus bonum ad minus ut ad finem ulti-

ultimum, non est conveniens, concedo: ut ad finem intermedium, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Deus autem ordinat Incarnationem propter hominem solum ut propter finem intermedium, seu proximum, in quantum medela hominis misericorditer curandi fuit mysterii motivum. Ad suam vero gloriam ut ad finem ultimum, juxta illud 1. Cor. 3. 23. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

Insistes: Incarnatio non videtur conveniens saltem in modo executionis: Igitur non fuit conveniens Deum incarnari. Probatur antecedens: Peccatum redimi non debet alio peccato: Sed redemptio facta est morte Christi, quem occidendo graviter peccaverunt Judæi: Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo: Redemptio facta est ex charitate Christi, concedo: per peccatum Judæorum, nego. Solutio est S. Thomæ Libr. 4. contra Gentes cap. 55. num. 22. his verbis: " Sciendum autem " est, quod mors Christi virtutem satisfaciendi habuit ex charitate ipsius, qua " mortem sustinuit, non ex iniquitate " occidentium, qui eum occidendo peccaverunt: quia peccatum non deletur " peccato. "

Repones: Deus non complacet in hominum morte, juxta illud Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris*: Igitur Incarnatio non videtur conveniens in morte Christi; tum quia videtur magna crudelitas in morte innocentis.

Respondeo distinguendo: Deus non complacet in morte hominum pro ut est malum, concedo: pro ut cedit in bonum hominis, & ex charitate procedit, nego. Sic respondet D. Thomas ibid. num. 15. his verbis: " Sciendum est etiam, quod " licet voluntas Dei non sit ad mortem " hominum, est tamen ad virtutem, per " quam homo mortem fortiter sustinet, " & ex charitate periculis mortis se objicit: & sic voluntas Dei fuit de morte Christi, in quantum Christus eam ex " charitate suscepit, & fortiter sustinuit. "

Ad probationem distinguo: Foret crudele, innocentem occidi, si invitus moreretur, concedo: si ipse ex charitate mortem acceptaret ad salvandos a morte æterna infinitos prope homines, nego. Hanc etiam rationem delineat D. Thomas ibid. num. 16. his verbis: " Non fuit " impium & crudele, quod Deus Pater " Christum mori voluit ... non enim coegit invitum, sed complacuit ei voluntas, qua ex charitate Christus mortem " suscepit: & hanc etiam charitatem in " ejus anima operatus est. "

Instabis: Si incarnatio sit conveniens: Igitur & ab initio mundi fieri debuit; Item & usque ad finem mundi continuari debuit, immo & fieri & iterari quotiescumque aliquis hominum peccat mortaliter. Ratio est, quia homo fuit peccator ab initio: quia perseverat in peccato, quia denique & usque ad consummationem sæculi erunt in mundo peccatores, ut remedium adsit, ubi imminet & cruciat morbus.

Respondeo, non esse conveniens Filium Dei ab initio fuisse incarnatum, ut rationes in probationibus allatæ ostendunt: Sic censet D. Thomas ibidem num. 9. his verbis: " Licet autem saluti totius hu" mani generis Dei Incarnatio necessaria " foret, non tamen oportuit quod Deus " a principio mundi incarnaretur. " Rationem hic affert multiplicem. I. Quia prius homo debuit cognoscere Medici necessitatem, ut ipsum ardentius & amaret, & expeteret. II. Quia homo superbiendo peccaverat, decebat igitur humiliari ut experiretur quod ipse sibi non sufficiat ad salutem.

Respondet ibidem Doctor Angelicus num. 10. non fuisse conveniens Christum incarnatum manere nobiscum in carne passibili usque ad mundi finem: " Licet, *inquit*, adventus Dei incarnati in mun" dum, esset maxime necessarius humanæ " saluti, tamen non fuit necessarium, " quod usque ad consummationem mundi " cum hominibus conversaretur .... Hoc " enim derogasset reverentiæ quam ho" mines debebant Deo incarnato exhibe" re: dum videntes ipsum carne indutum " aliis hominibus similem, nihil de eo ul" tra alios homines æstimassent: Sed eo " post mira, quæ gessit in terris, suam " præsentiam hominibus subtrahente, " magis ipsum revereri cœperunt: pro" pter quod etiam suis discipulis, plenitu" dinem Spiritus sancti non dedit, quan- diu

„ diu cum eis conversatus fuit quasi per „ absentiam eorum animis ad spiritualia „ munera magis præparatis; unde & ipse „ eis dicebat : Si non abiero, Paracletus „ non veniet ad vos : Si autem abiero, „ mittam eum ad vos. „

Ad tertium : Non opus est Christum mori quotiescumque aliquis peccat mortaliter, quia mors ejus, inquit D. Thomas ibid. sufficiens, immo & superabundans satisfactio est pro omnibus peccatis : Sic enim loquitur num. 23. " Quamvis mors „ Christi pro peccato satisfactoria fuerit, „ non tamen toties eum mori oportuit, „ quoties homines peccant .... quia mors „ Christi sufficiens fuit ad omnium ex„ pianda peccata : tum propter eximiam „ charitatem, qua mortem sustinuit, „ tum propter dignitatem personæ satis„ facientis, quæ fuit Deus & ho„ mo. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Incarnatio conveniens fuit & ex parte Dei, & ex parte hominis, & ex parte tum loci, tum temporis circumstantiarum.

PRIMO QUIDEM ex parte Dei, cum in Incarnatione cuncta colluceant ejus attributa. Potentia affulget, quatenus homo fit Deus : amor, tametsi enim Deus ditissimus sit, plus dare non habuit, &c.

Secundo, ex parte hominis, quippe qui & a peccato per Incarnationem salvatur, & per eamdem a laqueo mortis æternæ eripiatur.

Tertio, ex parte Matris : decebat Deum hominem ex Virgine immaculata nasci : ex parte etiam temporis; homo enim superbia elatus peccaverat, unde conveniens fuit, ut humiliatus morbo, Redemptorem quæreret diligentius, & amaret ardentius, idcirco non ab initio mundi, sed in plenitudine temporis oportuit nasci Christum, ut daretur locus illum desiderandi, & consequenter magis colendi & venerandi.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Tametsi condonare injuriam sit actio nobilissima, sed heroica est, condonando, inimicum Filium Dei adoptivum constituere.

Secundo Verbum sese incarnando & moriendo peccatum delevit, sed non ideo necesse est Christum toties mori, quoties homo peccat, quia una oblatione in sempiternum consummavit sanctificatos : hoc est mors ejus, ut pote infiniti valoris, fuit ad omnia hominum peccata delenda plusquam sufficiens.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Incarnatio ita sit necessaria, ut homo purus non potuerit satisfacere Deo de condigno pro peccato?

NOMINE hominis puri non intelligimus hominem gratia destitutum, sed potius omni gratiarum supellectili adornatum concipimus, idcirco solum relative ad Christum dicitur homo purus, seu qui est dumtaxat homo, & non Deus.

Prænotandum est satisfactionem duplicem distingui, unam congruam, alteram vero rigorosam : Prior sita est in bono opere justi quod creditori placet, sed quam rejicere potest defectu conditionum ad plenam satisfactionem requisitarum : Posterior istas omnes habet, quippe quæ non solum restituat ablatum, verum etiam & injuriam irrogatam perfecte restauret.

Certum est Incarnationem Dominicam non esse absolute necessariam ad delendum peccatum : Potuit enim Deus cedendo suo juri remittere peccatum per condonationem extrinsecam, ut faciunt quandoque patresfamilias, qui rigorosam non exigunt a filiis pro offensa sibi illata satisfactionem; sed supposito quod illam velit Deus, & ut est de fide, Incarnatio Dominica absolute necessaria est, ad cujus intelligentiam unum momentum explican-dum

dum est: scilicet, an purus homo gratiis omnibus excultus possit satisfacere adæquate pro peccato?

CONCLUSIO.

Purus homo quantumvis donis supernaturalibus decoratus, non potuit satisfacere de condigno & pro peccato.

Probatur auctoritate & ratione.

Probatio ex Scripturis.

HABETUR Psal. 48. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam*; scilicet homo purus. S. Basilius in illa verba, ait: " Non homo nudus, sed „ homo Deus Jesus Christus qui solus pro „ nobis omnibus propitiationem dare potest. „ Ambrosius eamdem Psalmistæ sententiam expandens dicit: " Ipse est „ solus, qui redimet hominem vincens „ pietate germanos, qui pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest „ offerre pro fratre. „

Rursus eamdem celebrat veritatem idem Propheta Psal. 36. 21. his verbis: *Mutuabitur peccator, & non solvet.* Hoc est, tametsi omnibus donis veluti per mutuum a Deo acceptis insignitus foret justus, plenam tamen & rigorosam non daret pro peccato satisfactionem.

Apostolus Roman. 11. 35. non absimilia profert: *Quis prior*, inquit, *dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula.* Quibus verbis hanc mirabilem reddit rationem cur homo purus Deo ad apices juris nonpossit satisfacere, quod a Deo ut a primigenio fonte sunt omnes gratiæ & bona; hinc non nisi ex bonis creditoris homo solvere potest pro peccato debitum, nusquam vero rigorose, & de condigno.

Probatio ex sanctis Patribus.

IRENÆUS Lib. 3. cap. 20. pag. 284. sic habet: " A qua enim ratione filiorum adoptionis ejus participes esse possemus nisi per filium, eam, quæ est ad ipsum, „ recepissemus ab eo communionem, nisi „ Verbum ejus communicasset nobis, caro factum? „

Accedit D. Ambrosius in cap. 9. Epist. ad Hebræos, ubi sic loquitur: " Tantum fuit „ peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi Unigenitus Filius „ Dei moreretur pro nobis. „

S. Chrysostomus Homil. 20. in Joan. " Cecidit, *inquit*, natura nostra eo casu, ut „ restitui non posset, nisi ab illa potentissima manu. „

D. Augustinus Enchir. cap. 8. ait: " Neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum Christum „ Jesum, nisi esset Deus.

S. Cyrillus Alex. Lib. de fide ad Reginas: " Pretium pro universorum peccatis, nequaquam sat magnum fuisset, si purus „ homo tantum extitisset. „

Proclus Episcopus Cyzicenus in homilia, quæ est initium Ephesinæ Synodi pag. 3. " Duorum, *inquit*, alterum oportebat fieri: vel omnes sententiæ mortis subjici, eo quod omnes peccaverunt, vel „ ejusmodi pretium rependi, quod ad illam rescindendam damnationem pleno „ jure valeret. Jam vero salutem conferre non poterat: quippe qui & ipse peccati debitum contraxerat. Sed nec Angelus humanum genus poterat redimere, nam talis pretii inops erat. Restabat igitur ut pro iis, qui peccaverant, impeccabilem mori oporteret „ Deum. „

Non omittendus S. Leo Serm. 1. de Nativit. Domini, de quo ista profert: " Nisi „ esset verus Deus non afferret remedium, & nisi esset homo, verus non „ præberet exemplum. „

S. Fulgentius Libr. 2. ad Trasimundum cap. 2. hæc profert verba: " Quis enim „ homo posset existere Medicus humani „ vulneris, cum omnes in radice vitiata „ communio circumplecteretur vitii naturalis? Vel qualiter posset per se solum medelam vulneratis afferre, cujus „ ortus teneretur in vulnere? Quove modo beneficentiæ largitor universalis existeret, quem alienæ opis indignum natura monstraret. „

Rupertus Lib. 11. de Vict. cap. 25. sibi objiciens cur Deus ad salvandum genus humanum venerit, cum hoc idem fieri potuisset per alium; cur non potius misit

aliquem legatum? Cur non misit Angelum, vel Archangelum? Respondet: " Quia nulli alii, nulli nisi soli naturæ „ divinitatis hoc fuit unquam possibile, „ assumere quod non erat, & manere „ quod erat. Et unde illi hoc possibile? „ Videlicet, quia natura, vel substantia „ divinitatis tanto sublimior est anima ra„ tionali, ut eam penetrare possit. „

His adde D. Thomam, qui hic 3. parte quæst. 1. art. 2. ad 2. conclusionem confirmat, his verbis: " Aliqua satisfactio pot„ est dici dupliciter sufficiens, uno modo „ perfecte, quia est condigna per quam„ dam adæquationem ad recompensatio„ nem culpæ commissæ, & sic hominis „ puri satisfactio sufficiens esse non po„ tuit pro peccato. Tum quia tota hu„ mana natura erat per peccatum corru„ pta, nec bonum alicujus personæ, vel „ etiam plurium poterat per æquiparan„ tiam totius naturæ detrimentum recom„ pensare. Tum etiam quia peccatum „ contra Deum commissum, quamdam „ infinitatem habet ex infinitate divinæ „ Majestatis: tanto enim offensa est gra„ vior, quanto major est ille in quem „ delinquitur, unde oportuit ad condi„ gnam satisfactionem, ut actus satisfa„ cientis haberet efficaciam infinitam, ut„ pote Dei & hominis existens. „

Probatio, ex rationibus.

PRIMA est: Ad satisfaciendum requiritur, quod persona sit grata; maxime si agatur de satisfactione pro injuria illata; in hoc enim differt a satisfactione, quæ est pura restitutio, quod restituendo rem ablatam, plena censeatur satisfactio: Sed in alia oportet ut persona læsa acceptet, non acceptabit autem, nisi persona satisfaciens sit ejusdem secum status & conditionis. Quam quidem condignationem exaltat in Christo Apostolus Epist. ad Hebr. dicens: *Exauditus est pro sua reverentia*. Atqui nullus homo est gratus, saltem sufficienter, ut Deo pro peccato satisfaciat, quia ipse peccator est aut actu, aut saltem in radice: ipse gratia & misericordia indiget, ut habetur Rom. 3. 23. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*. Igitur purus homo non potest satisfacere de condigno.

Secunda: Servus in vinculis constitutus seipsum redimere non valet, tum quia est semper inimicus, tum quia est vindictæ objectum, quomodo igitur ex se suisque bonis posset satisfacere, cum & ipse & sua sint vindictæ objecta? ipse quidem, quia vinculis constringitur, sua vero, quia amisit jus ad bona propria, quandoquidem Dominus habet plenum dominium & in vitam, & in bona servi: Atqui homo etsi justus, est tamen per peccatum originis servus; quæstio enim procedit de homine nondum redempto: Igitur non potest satisfacere, quia non potest se redimere. Hanc egregiam rationem affert Augustinus Tract. in Psal. 129. his verbis: " Ideo recessit ille, nempe Christus, sine „ peccato, ut deleat peccata sequentium... „ Quia Israel vendere se potuit, & fieri ve„ nundatus sub peccato, redimere se ab „ iniquitatibus non potest. Ille potuit re„ dimere, qui se non potuit vendere, „ qui non commisit peccatum, ipse est „ redemptor a peccato.

Tertia: Ille non potest digne satisfacere, qui tendit semper ad peccatum; quis enim Rex inimici acceptabit satisfactionem, quem scit paratum semper esse ad Bellum? Atqui sic est purus homo, juxta illud Gen. 8. 21. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Ergo &c. Hanc rationem delineat Athanasius Orat. 2. pag. 175. his verbis: " Cumque alii transgrediendo, alii „ non obediendo peccaverint; nec illorum „ constans sit actio, sed plerumque accidat, ut qui modo bonus est, postea „ mutetur, & alius fiat ex alio, velut „ ille, qui nunc justus est, post paulo de„ prehendatur injustus; propterea opus „ ejusmodi quoniam fuit, quiescet immu„ tabilis... Etenim quia primus hominum „ Adamus mutatus est, per peccatum „ mors intravit in mundum, ideo dece„ bat, immutabilem esse secundum Ada„ mum: ut si denuo sæviens aggrede„ tur, ipsius quidem fraus, & calliditas „ irrita fieret: Porro ex eo quod Domi„ nus immutabilis & invariabilis esset, „ serpentis adversus omnes conatus & in„ sultis irriti & imbecilles essent. „

Quarta: Fieri non potest justa satisfactio Deo, nisi detur illi aliquid omni creatura majus, quia dignitas divina læsa exigit ad repa-

reparationem aliquid sibi proportionatum: Sed quidquid potest dare creatura, est finitum, etiamsi omnibus decorata donis foret: Igitur non potest condigne Deo satisfacere. Hanc rationem magni facit Anselmus Lib. 2. ad Trasim. cap. 6. " Nisi sit, *inquit*, qui solvat Deo pro " peccato hominis aliquid majus, quam " omne quod Deus non est, illum quoque qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod superat omne quod sub " Deo est, majorem esse necesse est, " quam omne quod non est Deus. "

Quinta: Ad satisfactionem condignam requiritur, ut tanto humilietur creatura expiando, quanto se exaltavit peccando, juxta illud Apoc. 18. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Humiliatio autem maxime requiritur in satisfactione injuriæ, quia injuria in rebellione inferioris contra superiorem potissimum sita est: Sed purus homo non potest sufficienter humiliari ad expiandum peccatum, quia etiamsi foret justus, numquam in dignitate Deo æqualis esset: Igitur nequit satisfacere. Hanc rationem delibat Richardus a S. Victore Lib. 2. de Incarnatione cap. 8. " Ad hanc, *ait*, plenitudinem oportuit, " ut tanta esset humiliatio in expiatio- " ne, quanta fuerat præsumptio in præ- " varicatione: rationalis autem substantiç " Deus tenet summum, homo vero " imum. Quando ergo homo præsumpsit " erga Deum, facta est delatio de imo " ad summum. Oportuit ergo ut ad " expiationis remedium fieret humiliatio " de summo ad imum: sed hoc omnino " non potuit, nisi aliqua in Triniate per- " sonarum. "

Sexta: Ad satisfactionem requiritur ut solvatur sufficiens pretium pro omnibus: Atqui purus homo non potest solvere pro omnibus, ne quidem pro seipso: Igitur non potest condigne satisfacere. Major patet, quia nisi adsit æqualitas inter injuriam & satisfactionem, ipsa satisfactio non erit condigna. Probatur igitur minor, in qua est difficultas, & quidem dupliciter.

Primo: Omnes homines peccaverunt in Adam; unus autem non potest satisfacere pro omnibus, quia ejus bona non sunt universalia.

Secundo: Injuria est infinitæ malitiæ, quippe quæ personæ in dignitate & excellentia infinitæ, irrogata est, nempe Deo. Quod quidem fundatur in illo juris axiomate, *Injuria est in offenso, honor in honorante*; id est, injuria desumitur a dignitate personæ læsæ, satisfactio vero a persona satisfaciente: jam vero, quidquid potest exhibere pura creatura, etiam sanctissima, etiam Angelica, est finitum: Igitur nulla creatura, ne quidem Angelus, potest satisfacere Deo de condigno pro peccato. Rationes istæ sunt divi Thomæ supra citati.

Postrema ratio: Ad rigorosam satisfactionem variæ multæque requiruntur conditiones, videlicet I. Ut non fiat ex bonis creditoris. II. Ut non sit ex alias debitis. III. Ut sit perfecta inter offensam & satisfactionem æqualitas: Quartam addo, ut creditor illam teneatur acceptare: Atqui istæ omnes conditiones in justo, quantumvis gratiis exculto prorsus deficiunt. Ergo &c. Probatur minor: Primo quidem, hominis puri satisfactio, nonnisi ex gratiis, adeoque ex Dei offensi & creditoris donis fieri potest. Secundo, quidquid boni justus operari valet, illud totum Deus titulo & creationis, & conservationis exigere potest. Tertio, nulla est inter Deum & hominem proportio; ubi igitur foret, & ex quo capite proflueret in satisfaciente æqualitas? Ceterum Deus cunctorum Dominus est, nec nostris bonis indiget, hinc & satisfactionem puri hominis acceptare nullo modo tenetur. Ergo &c.

Fit satis objectionibus.

Objicies I. Qui reddit quod offensa irrogata ablatum est, dubio procul perfecte, & ad apices juris creditori satisfacit. Atqui justus ab omni etiam originalis peccati labe purus, & per omnia Deo gratus restitueret quod ablatum est. Et probatur: Ratio ultimi finis per peccatum ablata, prorsus restitueretur, quandoquidem in ipso Deo per summam dilectionem quiesceret homo. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Restitueretur Deo ultimi finis ratio physice: concedo moraliter, & juxta juris apices & regulas, nego.

Actus illius justi potest spectari dupliciter, videlicet physice seu entitative, & moraliter: priori modo spectatus reddit quidem quod ablatum est, sed materialiter tantum, quatenus pro aversione conversionem ponit: posteriori vero consideratus modo a plena deficit satisfactione, cum ablatum per æquale obsequium non reddat: namque offensus infinitæ dignitatis est, satisfaciens vero finitæ; idcirco æqualitatem non habet ejus satisfactio, quæ tamen inter conditiones requisitas una recensetur. Hanc egregiam rationem delibat sanctus Athanasius Lib. 3. contra Arianos, his verbis: " Si quæ „ propria sunt carnis, Verbi propria non „ dicerentur; non ab illis prorsus libe- „ ratum esset humanum genus. „ Qua quidem innixus ratione probat solam Christi satisfactionem fuisse rigorosam & plenam quia infinitam, juxta illud juris axioma: *Honor est in honorante, offensa in offenso*. Quo quidem axiomate statuitur meritum alicujus actionis desumi potissimum a dignitate personæ: offensæ vero gravitatem a persona læsa; ita ut juxta ejus dignitatis gradum crescat & injuria: quod quidem isto illustrari potest exemplo. Injuria facta militi non est tanta ea quæ fit Duci: quæ vero ipsi irrogatur Regi in immensum excedit illam quæ fit Duci, propter dignitatis plenitudinem, quæ inest in Monarcha; ex quo concludit D. Thomas hic quæst. 1. art. 2. offensam contra Deum esse infinitam, ea ductus ratione, quod Dei dignitas sit infinita. Quibus stabilitis principiis sequitur hominem purum, nusquam posse ad apices juris pro peccato solvere, quandoquidem satisfactionem, nonnisi intrinsece finitam præbere potest.

Instabis: Atqui homo laudatus rigorosam daret satisfactionem. Ergo &c. Probatur subsumptum: Deus de potentia absoluta potuit unum hominem, non solum omni gratiarum supellectili adornare, & omni instructum justitia creare, sed & ceterorum caput constituere: qua facta hypothesi, istud efformatur argumentum. Iste homo posset mereri de condigno gratiam peccati remissivam. Igitur & satisfacere de condigno ad æqualitatem.

Respondeo, admissa hypothesi, distinguendo consequens: Iste homo posset satisfacere de condigno, si non plura requirerentur ad satisfactionem rigorosam, quam ad remissionem peccati, concedo: si multo plura exigerentur, nego. Homo ille eatenus posset quidem mereri de condigno remissionem peccati, quatenus ipsius actus haberet moralem cum præmio æqualitatem, sed non satisfaceret rigorose, eo quod obsequium non esset tantum in bonitate, quantum erat peccatum in malitia. Actus hominis tantum quidem placeret Deo secundum se in esse physico, quantum displiceret peccatum in esse physico, at non in esse morali. Hoc ipsum subindigitat Honorius Augustodunensis Lib. de Prædest. his verbis: " Quod autem Filius Dei est incarnatus, „ seu pro homine immolatus, quantum „ ad ipsum sola fuit voluntas, quantum „ ad hominem, summa necessitas. Nisi „ enim incarnaretur, ille numquam salvaretur. „

Urgebis: Atqui daret satisfactionem, etiam in esse morali plenam: Ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Actus amoris Dei v. g. ab illo justo elicitus promanaret a justitia commutativa. Ergo &c. Probatur antecedens: Si non esset a justitia commutativa, maxime ex eo quod justus non posset elicere talem actum realiter: Sed hæc ratio nulla est. Et probatur: Liberalitas potest esse in paupere, teste D. Thoma, tametsi defectu pecuniæ virtutis laudatæ actus exercere non valeat: Igitur & a pari, ut justus ille actum justitiæ commutativæ produceret, sufficeret, ut illum haberet in præparatione animi: sic enim ex desiderio ejus satisfactio in immensum, & usque ad æqualitatem cresceret. Confirmatur: Si quis quantumvis peccator in actum contritionis intensissimum prorumperet, & absque mora tunc e vivis eriperetur, non transacto Purgatorio, ejus anima in cœlum evolaret, eo quod doloris affectus pro sufficiente satisfactionis gradu haberetur. Igitur cum ille justus posset affectu suam in infinitum perducere satisfactionem, de facto ad apices juris solveret.

Respondeo, negando antecedens & paritatem. Ratio discrepantiæ ea est, quod omnis virtus indigeat regulari per rationem, quia in medio consistit: Porro licet liberalitas in paupere careat materia sua

sua remota, scilicet thesauris, habet tamen proximam & formalem, quatenus ratione regulatur; quinimmo habet justus in præparatione animi suum exercendi actum circa materiam extrinsecam, si adesset: verum hanc regulationem non habet justus ille pro justitia commutativa ad Deum, quippe qui non possit habere regulationem rationis ad impossibile; cum enim sit inferioris dignitatis Deo, non potest habere præparationem animi ad satisfaciendum ei ad æquale. Quamvis igitur producat actum Religionis, quæ habet pro objecto primario honorare Deum, quia tamen non honoraret infinite, consequenter nec ad æquale satisfaceret.

Ad confirmationem, nego utique consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quod actus intensissimæ contritionis, de qua fit sermo, nonnisi a Christo valorem hauriret, unde non mirum si ille impius pœnitens vix mortuus gloria donaretur æterna; ast in hypothesi magnificus ille justus ex gratia illi data meritum dumtaxat haberet, videlicet solummodo finitum; adeoque & a condigna satisfactione prorsus deficiens, juxta illud Romanorum 8. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Et istud Augustini Tractatu 4. in epistolam Joannis: " In „ quo, non est peccatum, ipse venit au„ ferre peccatum, nam si esset & in illo „ peccatum, auferendum esset illi, non „ ipse auferret. „ Non absimili modo loquitur Eusebius Cæsariensis Lib. 1. adversus Sabellium, his verbis: " Homo non „ poterat totius mundi peccata tollere, „ quia omnes homines ex Adam, & non „ ex Deo. „ Igitur solus homo Deus potuit pro nobis condigne satisfacere.

Instes: Non requiritur dignitatis æqualitas in persona satisfaciente: Igitur ruit fundamentum pro conclusione laudatum. Probatur antecedens multipliciter: Primo quidem, rusticus qui suum graviter offenderet Principem, si postea illum in prælio a morte imminente liberaret, certe satisfaceret pro injuria facta, tametsi dignitate foret inferior. Secundo, quadraginta actus amoris verbi gratia eliciti, videntur præponderare uni peccato mortali, cum quadragesies solveret pœnitens debitum, quandoquidem pro una tantummodo aversione quadraginta ad Deum redderet conversiones. Hæc instantia isto illustratur exemplo. Licet aurum & argentum sint diversi ordinis, potest tamen dari tantum argenti, ut ad valorem auri ascendat.

Respondeo distinguendo consequens: Homo justus satisfaceret physice, concedo: moraliter, nego. Redderet quidem actum physicum pro actu physico, sed non per æquale obsequium; quocirca satisfactio ejus non foret in merito ad juris apices.

Ad primam confirmationem, nego paritatem. Rusticus satisfaceret quidem, eo quod Rex non sit dignitatis infinitæ, namque compensaret injuriam per magnum obsequium beneficio omni exceptione majori munitum: at vero justus ut non semel dictum est, finitam tantum pro infinita offensa exhiberet satisfactionem.

Ad alteram confirmationem, nego quoque paritatem eadem ductus ratione. Et vero pœnitens multiplicatis, pro una aversione conversionibus ad Deum, nonnisi tamen finitam præberet satisfactionem. Ad exemplum auri & argenti absque negotio respondetur, multiplicationem argenti, tandem pertingere ad auri valorem, quippe qui sit finitus.

Solvitur argumentum infinitati peccati adversum.

OPPONES: Ideo justus in hypothesi non satisfaceret, quia peccatum mortale est injuria simpliciter infinita: Atqui hæc ratio nulla est. Et probatur ex Divo Thoma, qui hic 3. parte quæst. 1. art. 2. ad 2. ait, peccatum habere quamdam infinitatem: Sed quædam infinitas est tantum infinitas secundum quid & objective, quatenus peccatum objecto infinite amabili adversatur. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo antecedens: Ex D. Thoma peccatum habet solum quamdam infinitatem objective in esse physico sumptum, concedo: formaliter, nego. Peccatum potest considerari multipliciter; primo quidem physice, & ut est actus elicitus a creatura. II. Per ordinem ad obje-

ctum, creaturam scilicet ad quam tendit. III. Ut est privatio gratiæ. IV. Formaliter, ut est offensa Dei, sub quo respectu Majestas divina est veluti forma informans per modum aggravationis, in quantum est persona læsa: primo modo est quid finitum, quia est actus creatus; item secundo modo, quia tendit finito modo ad creaturam, immo & in tertia acceptione; tametsi enim sit tendentia in Deum per modum offensionis, actus ille tamen sic active sumptus, eatenus quid finitum est, quatenus est tendentia, seu actus a creatura physice elicitus, & ideo finitus: at vero passive spectatus, offensa in Deo moraliter subjectatur, ex quo haurit propter Majestatem infinitam læsam, utique & in ratione offensæ infinitatem.

Ad confirmationem distinguo: Actus creaturæ est quid finitum in esse physico, concedo: in esse morali subdistinguo; est quid finitum ut est tendentia ad objectum regulis morum dissonum, & terminatur ad Deum ut ad objectum læsum, concedo: ut passive consideratur, & quatenus offensa in Deo moraliter recepta, nego. Tria veniunt ponderanda in actu peccaminoso, vel etiam moraliter spectato, nimirum I. Tendentia in objectum dissonum regulis morum. II. Tendentia in objectum bonum ut offendatur. III. Ipsa offensa ex utroque in Deum resultans: priori modo habet moralitatem malam, sed finitam: posteriori modo induit infinitatem extrinsecam seu objectivam, in quantum est actus infinitam offendens Majestatem. III. Demum modo infinitatem moralem simpliciter simplicem, quandoquidem est offensa in Deo juxta viri prudentis judicium moraliter recepta, & sic aversio a summo bono privat peccatorem gratia; deinde vero inducit reatum pœnæ æternæ propter infinitam offensam divinæ Majestati illatam, cui non potest fieri satis; hinc peccatum inducit reatum pœnæ æternæ.

Replicabis: Atqui peccatum etiam moraliter sumptum non habet infinitatem nisi finitam, & ad summum objective infinitam. Ergo &c. Probatur subsumptum: Actus specificatur a tendentia in objectum: sed illa est finita. Et probatur: Est actus a creatura elicitus: Igitur quid finitum.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Actus moralis speciem habet a tendentia in objectum, tam active quam passive sumpta, concedo: sumpta tantummodo active, nego. Ostensum est autem offensam posteriori modo spectatam seu passive, haurire propter Deum offensum infinitatem.

Persistes: Atqui actus moralis suam tantum sortitur speciem a principio activo: Ergo &c. Probatur subsumptum: Ideo opera Christi erant infiniti valoris, quia a Verbo divino physice & active promanabant. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Opera Christi infinitum hauriebant valorem ex eo, quod essent a Verbo tum active, tum etiam passive, concedo: active tantum, nego. Actus amoris Christi erga Patrem, v. g. duplici modo spectari potest. Primo quidem, secundum se, deinde vero ut Verbum reflectitur super illum. Priori modo est quid intrinsece finitum, cum procedat & a Verbo tantum ut supplet vices subsistentiæ creatæ, & ab ipsa natura humana in se finita. Et vero tametsi actiones sint suppositorum, non aliter tamen Verbum est principium activum operum Christi, quam finito modo, quippe quod suum adtemperet influxum ad naturam assumptam, quæ quidem non est capax actus realiter & physice infiniti; sed dignitas Verbi reflectitur, & quasi subjectatur in illis, ex quo infinitum desumunt valorem. Solutio est Div. Thomæ hic quæst. 1. art. 2. ad 2. his verbis: " Peccatum contra Deum commissum, quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ Majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur. " Quamdam dicit, quia non infinitam physice, sed & tantum moraliter induit. Rursus 1. 2. quæst. 87. art. 4. sic loquitur: " Pœna proportionatur peccato: in peccato autem duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum, unde ex hac parte peccatum est infinitum. "

Insurges: Quidquid faciant homines intentio judicat omnes: sed ex S. Thoma peccator ut plurimum non intendit Deum offendere, sed suis tantum satisfacere sensibus:

sibus: Igitur peccatum non haurit infinitatem ex persona læsa.

Respondeo distinguendo minorem: Peccator non intendit primario offendere Deum transeat; quandoque enim perditi homines directe intendunt Deum offendere: & peccatum non se habet primario ex natura peccati, & in esse offensæ considerati ad Deum offendendum, nego. Et vero contemptus Dei est causa conversionis ad creaturam, juxta illud Jerem. 12. 11. *Nullus est qui recogitet corde*. Et illud Psalmistæ Psal. 35. 4. *Noluit intelligere ut bene ageret*.

Insistes: Si peccatum lethale infinita esset offensa, inde sequeretur, omnia peccata mortalia esse æqualia: falsum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela majoris. Infinito non datur aliquid majus in eadem linea: Igitur si peccatum haberet infinitatem moralem simpliciter simplicem, omnia peccata essent æqualia.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem, distinguo: Infinito physico non datur majus, concedo: infinito morali, nego. Duplex distinguitur infinitum, alterum scilicet physicum; alterum vero morale. Primum illud est quod nullis clauditur in sua natura physice sumpta, aut temporum, aut locorum, aut etiam existentiæ & subsistentiæ terminis: & solus Deus ista gaudet infinitate: postremum vero est tantummodo infinitum relative ad aliud a quo suam habet infinitatem; & cum peccatum juxta circumstantias habeat relationem per modum conversionis ad creaturam, aversionis vero ad Deum, inde fit juxta circumstantias magis, vel minus aggravantes, peccatum esse quoque in esse morali majorem, vel minorem offensam.

Dices: Si res ita se habeat, ut peccatum sit infinita offensa, jam satisfactio Christi, tametsi infinita, non fuit superabundans: sed hoc nedum Scripturæ sacræ, verum etiam & Sanctis Patribus adversatur. Ergo &c.

Respondeo, istam utique negando sequelam: Cum enim satisfactio Christi fuerit fundata in unione morali simul & physica, seu substantiali cum Verbo, & proflueret ab homine Theandrico gratiæ & veritatis pleno in immensum, tum in valore, tum in amoris intensione omnem peccatorum quantitatem & intensivam & extensivam superavit: quod isto potest illustrari exemplo. Lampades accensæ quantumvis multiplicatæ, nusquam tamen Solis adæquabunt lucem, quippe quæ a primo & universali luminis principio promanet; lux vero cujuscumque lampadis, nonnisi a causa particulari admodum limitata fluit: pari & consimili ratione, quodlibet Christi opus satisfactorium ab universali gratiæ & amoris principio emanabat; quantitas vero cujuslibet peccati, amoris scilicet creaturæ in Dei contemptum eliciti est a causa particulari, quocirca satisfactio Christi major est in ratione meriti, quam omnia omnium creaturarum peccata in ratione offensæ & demeriti.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Homo purus non potuit ad apices juris pro peccatis Deo satisfacere.

PRIMO: Hoc ipsum innuit Scriptura Psal. 48. 8. his verbis: *Frater non redimit, redimet homo: Non dabit Deo placationem suam.* Quæ verba SS. Ambrosius & Basilius explicant de satisfactione Christi, quæ sola potuit esse ad apices juris.

Secundo: Concinunt ceteri SS. Patres. Irenæus Lib. 3. cap. 20. Augustinus Enchyr. cap. 8. Proclus Homil. in Concilio Ephes. prædicata. S. Leo Serm. 1. de nativ. Dom.

Tertio: Ratio suffragatur. S. Thomas 3. p. 1. art. 2. ad 2. duplicem de hoc momento affert rationem. Prima, quia tota natura humana per peccatum fuit sauciata, unde homo particularis non potuit satisfactionem sufficienter universalem pro peccatis omnium hominum expiandis præbere. Altera est; peccatum censetur offensa infinita, quippe quod majestatem Dei infinitam lædat; quidquid autem purus homo quantumvis gratia excultus potest pro satisfactione dare, erit semper in valore finitum, & consequenter ad satisfaciendum rigorose prorsus insufficiens.

SYN-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur S. Thomam 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. dicere peccatum habere quamdam infinitatem, hoc est non esse infinitum physice, bene tamen moraliter, quia juxta juris axioma, *offensa est in offenso*; hinc ex majestate Dei infinita læsa, haurit peccatum gravitatem infinitam.

Secundo: Ex eo quod peccatum sit tendentia finita in objectum regulis morum dissonum, sequitur physice & active esse quid finitum, secus vero passive, & ut est offensa in Deo moraliter recepta, quatenus per peccatum offenditur.

Tertio: Tametsi peccatum sit offensa infinita, quia tamen est quid infinitum relativum, non inde sequitur omnia peccata esse æqualia, quia relativa secundum circumstantias aggravantes suscipiunt magis & minus.



DIS-

DISSERTATIO SECUNDA
DE EXISTENTIA
INCARNATIONIS
DOMINICÆ.



UDÆI credibilem quidem esse Incarnationem fatentur, sed in Christo adimpletam sic negant, ut eam velut scandalum habeant. Sed contra quod dicitur Joan. 1. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Dogma Incarnationis in Christo adimpleta adversus Judæos cæcutientes, quatuor probatur momentis.

PRIMO : Ex illo Jacob morientis vaticinio Gen. 49. 10. *Non auferetur sceptrum Juda, &c.*

Secundo : Ex isto Isa. 7. 14. oraculo : *Ecce Virgo concipiet.*

Tertio : Ex Prophetis conglobatim sumptis.

Quarto : Ex testimonio Joseph doctissimi Rabbini Judæi.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum illud Jacob Vaticinium NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA &c. *sit in Christo adimpletum?*

HÆc Prophetia in gratiam Judæ facta sic refertur Geneseos 49. *Vocavit autem Jacob filios suos, & ait eis : Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis...... Juda, te laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.... Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.*

Notandum est primo, ad hujus prophetiæ intelligentiam Patriarcham Jacob cum morte proximus esset, convocatis filiis suis, Spiritu sancto afflante, vaticinatum fuisse, quæ singulis eventura essent in novissimis diebus : *Congregamini* inquit, *ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Cum autem ad Judam venisset, sic eum allocutus est : *Juda, te laudabunt &c.* Igitur prophetia non proxime, sed novissimis tantum temporibus, quod maxime observandum est, adimpleri debebat.

Subnotandum est II. in hoc Vaticinio quatuor potissimum prædicari excellentias Judæ : prima est laus & adoratio fratrum, quæ annuntiatur his verbis : *Juda, te laudabunt fratres tui.* Altera de hostibus victoria ulterioribus istis verbis : *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.* Tertia, imperii & principatus diuturnitas ad Messiæ usque adventum celebratur, quum ait : *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec &c.* Quarta demum est bonorum omnium veluti Paradisi fluvius, abundantia perennis; hæc enim subdit Jacob : *Ligans ad vineam pullum suum &c.*

Tertio loco prænotandum venit, nomine Scepti intelligi duplicem gubernandi potestatem apud Judæos ; aliam scilicet regiam, quæ Sceptri nomine designatur, aliam vero judiciariam, quæ exprimitur

ista

ista voce, *dux*, ut sonat vox ipsa Hebraica, *legislator*, vel *judex*, vel *scriba*. Hebræum enim sic legit: *Non deficiet sceptrum de Juda, nec legislator de subpedes ejus, donec veniat Silo, & ipse erit expectatio, vel congregatio populorum*: Potestas autem judiciaria erat penes Septuaginta Seniores, quorum Concilium *Sanhedrim* appellabatur, instar supremi cujusdam consistorii, seu Senatus; hujusce Concilii & judiciariæ potestatis institutio auctoritate Dei facta habetur Numerorum 11. 14. cum enim Moyses dixisset: *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi, & dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri .... ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*. Munus autem & officium Seniorum illorum erat, ut colligitur ex antiquis Rabbinis, populum judicare, ferre leges, & etiam per singulas civitates judices ordinarios, eosque delegatos instituere. Ad quatuor mortis genera reos astringere & damnare poterant, videlicet ad ustulationem, lapidationem, strangulationem, & occisionem: jejuni debebant mortis judicium proferre, nec tunc pauciores esse debebant quam viginti tres, tametsi in levioribus negotiis tres sufficerent: Si vero de pace, bello, summo Sacerdote deponendo, pseudo Propheta damnando, & ceteris ejusmodi rebus ageretur, universum cœtum congregare pro more positum erat.

Notandum est quarto, talem Senatum a tempore suæ institutionis ad Christi usque tempora viguisse, quippe qui vel ipso Christi passionis tempore extaret, attamen sine legitur auctoritate in vitam; legitur enim in Evangelistis Pontifices, Scribas & Pharisæos consilium iniisse ut perderent Jesum: quinimmo Dominum ad Annam primum, deinde ad Caipham tamquam ad Judices adductum fuisse, qui etiam auditis falsis testimoniis tametsi eum innoxium, mortis tamen reum non sine horribili crimine inique judicarunt.

Demum non abs re erit iterum subnotare ad prophetiæ & veritatem, & adimpletionem requiri ut *Messias* ultimis veniat temporibus, quando scilicet a Juda sceptrum penitus auferetur. Sensus igitur est: *Non auferetur sceptrum de Juda . . . donec veniat qui mittendus est*; Id est, deficiet sceptrum & a Juda prorsus excidet, quando veniet *Messias*, His prælibatis, sit

CONCLUSIO.

Incarnatio adimpleta est in Christo Jesu Nazareno.

Probatur hoc argumento.

Ex prophetia allata *Messias* venire debet, qui sit expectatio gentium, quem fratres & laudent & adorent, qui sit victor de inimicis omnibus, & in cujus diebus veniat abundantia pacis; denique ut auferatur sceptrum a Juda: Atqui istæ omnes conditiones adamussim in Christo Domino adimpletæ sunt. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo quidem: Christus fuit expectatio gentium, quandoquidem ad lumen suum admirabile vocavit Gentiles, qui, abjectis idolis, ipsi magna cum fide adhæserunt, juxta illud Lucæ 2. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel*. Est istud Isaiæ 60. *Surge illuminare Jerusalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo &c.*

Secundo: Eum quoque sui adoravere fratres, nempe Apostoli, Joseph ab Arimathia nobilis Decurio, Nicodemus, nobilissimæ mulieres Martha & Magdalena, aliique innumeri, quibus & Gentiles multi adjuncti sunt.

Tertio: Ipse devicit humani generis hostem infensissimum, mundi nimirum principem, tum a mortuis resurgendo, tum devicta morte universum orbem suæ subjiciendo ditioni, sicut ab Osea cap. 13. 14. Propheta prænuntiatum fuerat his verbis *Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero inferne*.

Quarto: Dominus Iesus mundo caetenus adduxit abundantiam, quatenus teste Apostolo Hebr. 10. 4. *Una ... oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Et iterum ex eodem, reconciliavit ima summis. Alteram de hoc momento affert rationem Ecclesia; Christus inquit,

cœli

cœli aditum nobis clausum misericorditer aperuit.

Quinto: Ablatum est sceptrum de Juda Christo nascente: quod quidem multis probatur argumentis, quorum istud est irrefragabile.

Christus natus est regnante Herode Ascalonita qui erat alienigena.

Hoc ipsum non una evincit ratio.

Primo quidem: Id constat ex Scriptura sacra, cum Herodes Idumæus esset, hoc est ex prosapia Esau oriundus, ut auctores modo laudandi una voce conclamant. Porro Psal. 107. 10. habetur: *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt.*

Secundo: Ex Josepho, qui Libro 14. Antiq. cap. 27. Antigonum ab illo oppressum Herode sic loquentem inducit: „ Ad hæc Antigonus ita respondebat verso sermone ad Sylonem ac Romanos milites, iniquum eos facere, qui Herodi regnum astruant homini privato & Idumæo, hoc est semi-Judæo, cum id more gentis debeatur successioni generis. " Rursus ibid. cap. 2. Scribit Josephus Antipatrum Herodis parentem fuisse Idumeum: " Amicus autem, *inquit*, quidam Hircani Idumeus nomine, Antipater vir pecuniosus, natura factiosus ... hic igitur Antipater primum vocabatur Antipas eodem quo Pater ipsius nomine, quem ab Alexandro Rege & ejus uxore constitutum ducem totius Idumeę. " Et id clarius patet ex libro primo de Bello Judaico capite 5. „ Erat autem genere Idumæus & nobilitate ac opibus gentis suæ princeps. „

Tertio: Idem testantur, Justinus adversus Triphonem, Origenes Homilia 17. in Genesim, Eusebius Lib. 1. Hist. cap. 7. Ambrosius Libro 4. in Lucam, & Libro de Benedictionibus Patriarcharum cap. 9. Hieronymus Comment. in caput 3. Oseæ, Augustinus Libro 12. contra Faustum cap. 47. Theodoretus q. 110. in Genesim, Sulpitius Severus Libro 2. Historiæ sacræ cap. 27. Et sanctus Thomas 3. p. q. 35. art. 8.

Quarto: Herodem fuisse alienigenam colligitur ex secta Herodianorum, qui, ut scribunt Tertullianus & Epiphanius isto celebrabantur nomine, ex eo quod Herodem ut Messiam haberent, quippe qui ablato a Juda sceptro, ipse & quidem invitis Judęis, ex Romano Senatusconsulto faventibus illi Augusto & Marco Antonio clavum regni teneret.

Quinto: Non ex his solum momentis evincitur Herodem, tametsi religione Judæum & Hircani Pontificis socerum, fuisse tamen alienigenam, sed & hoc ipsum rursus declarant ea quę, teste Josepho Lib. 15. antiq. cap. 11. fecit postquam fuit a Romanis in Regem inauguratus. Nam Judæorum instituta peregrinis ritibus violavit, instituit athletica certamina, anno 5. redeunte, in honorem Cęsaris, Theatrum in urbe, & amphitheatrum in campo extruxit, ad Sacerdotium, quos voluit, promovit; Davidis sepulchrum reclusit, ex stirpe Juda oriundos interimi jussit. Demum Judæi sic persuasum habebant Herodem esse alienigenam, ut multi ex Essenis, aliisque Judæorum sectis adduci nusquam potuerunt, ut ejus fidem jurarent.

Quid plura pro eodem adjiciam momento? Vel ipsius Herodis filius, illo mortuo, nec alii pacifice regnarunt, quandoquidem Aristobulus Rex captus Romę veneno obiit, filius ejus Alexander securi percussus est, & ipse Hircanus honore Regis nominis abnegato, a Pompejo Pontifex creatus est; ita omnes auctores. Quis jam cordatus dixerit potestatem vel Regiam, vel Ducalem apud Judæos tunc fuisse, qui, amisso sceptro, nequidem eligendi Pontifices potestatem habebant.

Rursus probatur eadem veritas Christi nascentis tempora ejusdem sceptri ablatio: Habemus pro isto momento testes omni exceptione majores. Lucæ 3. 1. legitur: *Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris*, Pilatum fuisse Judææ procuratorem, Judæam quippe veluti provinciam suo adjunxerant imperio Romani, qui & diversos assignavere gubernatores; ibidem enim refertur Herodem Tetrarcham Galileæ extitisse, Philippum ipsius fratrem Tetrarcham Ituręe, & Trachonitidis regionis, Lysaniam vero Tetrarcham Abilinę. Idem patet ex Joan. cap. 19. 15. Pilatus enim tempore Passionis Christum eripere volens e manibus inimicorum, Judęis dixit: *Regem vestrum crucifigam?*

Re-

Responderunt Pontifices : *Non habemus Regem*, *nisi Cæsarem*. Igitur ipsis fatentibus Judæis, sceptrum Christi tempore ablatum est.

Confirmatur : Jacob sancto afflatus spiritu prædixit sceptrum de Juda tempore *Messiæ* auferendum : Atqui de facto ita factum est Christi tempore : Ergo &c. Duo quidem habemus hic probanda, videlicet & majorem & minorem. Ad primum autem sic proceditur : Græci Scripturæ sacræ interpretes, videlicet Septuaginta, Aquila, Symmachus, verterunt, *auferendum*, sic & tres Chaldaicæ paraphrases : sic & ipsi Judæorum Doctores in *Talmud*: scilicet Rabbi Moyses, Maymonides libro ultimo capite 4. .... Rabbi David Kemchi in voce *Schebeth*, Abenezara apud Rabbi Manasse, Mosi Gerumdensis, Rabbi Ezechias, Abravanel.

Nunc vero ad probationem minoris gradum facimus. Quotidiana enim a Christo nato probat experientia, Sceptrum esse a Judæis prorsus ablatum, quippe qui nunc sint fine Rege, sine Duce, sine jure; e contra vero servi mancipales utique vivant, omnibus Nationibus exosi, & per totum terrarum orbem vagabundi. Justinus Apologia 2. scribit hanc calamitatem eis contigisse immediate post Christi mortem; Caiphas quippe ultimus prophetavit : quidquid sit, citra dubium est hanc in Christi mortis vindictam Judæos habuisse sortem, vastata a Vespasiano & Tito Imperatoribus Romanis Hierosolyma : tunc illa Osee prophetia capite 3. adimpleta est : *Quia dies multos sedebant filii Israel sine Rege*, *& sine Principe*, *& sine sacrificio*, *& sine altari*, *& sine Ephod*, *& sine Theraphim*. Quod certe perdurat a Christi nativitate ad nostra usque tempora. Hoc ultro fatentur Judæorum Doctores. Rabbi David Kemchi in Osee 3. 4. " Hi „ sunt, *inquit*, dies exilii in quo hodie „ sumus, nec Regem habemus, nec „ Principem ex Israel, in potestate si- „ quidem Gentium sumus. „ Rabbi Manasse in conciliatore ad Genesim 49. suffragatur his verbis: " Quam pœnam nunc „ fatemur, sine Rege, sine Principe, „ sine Imperio agentes &c. „

Incassum reponunt Judæi regnum se habere in Monte Caucaso, cum constet ut jamjam prænotavimus, eos in orbe terrarum nullius esse juris, quippe qui sint ubique servi mancipales.

Probatio ulterior Prophetiæ, *Christus est de Tribu Juda*.

Una e prærequisitis conditionibus ad prophetiæ adimpletionem est, quod *Messias* sit de Tribu Juda, quandoquidem Patriarcha Jacob aliquid speciale filio suo Judæ promisit, videlicet Messiam ex ejus prosapia oriundum. Atqui Christus erat de Tribu Juda ; & probatur multis momentis.

Primo quidem hoc ipsum significatur Geneseos 12. 3. & Psal. 88. In priori quidem loco Christus de semine Abrahæ, in altero vero de semine David proclamatur. Et vero Deus Abrahæ sic loquitur : *In te benedicentur universæ cognationes terræ*. Rursus ibidem cap. 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Quæ quidem verba Apostolus Gal. 3. 16. de Christo explanat, dicens: *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, *& semini ejus*, *Non dicit*, *& seminibus*, *quasi in multis*; *sed quasi in uno*, *& semini tuo*, *qui est Christus*. Psal. vero 88. 30. ait Deus ad David: *Ponam in sæculum sæculi semen ejus .... Semen ejus in æternum manebit*; scilicet per Christum. Et clarius Isaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Jesse*, *& flos de radice ejus ascendet*. Quæ quidem oraculi verba Rabbi Abenezra, Rabbi Salomon, Rabbi Kinchi, Rabbi Arbabenel, Rabbi Arama, de Messia interpretantur. Concinunt Lipomanus in Nizzachon, & plerique recentiores Hebræi.

Secundo : Sanctus Thomas hic 3. p. q. 31. articulo 2. probat ex professo Christum esse ex semine David. Primo quidem illo Rom. 1. 3. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Deinde sic loquitur : " Dicendum, quod Christus ipe- „ cialiter duorum antiquorum Patrum fi- „ lius dicitur esse, Abrahæ scilicet & „ David : ut patet Matth. 1. cujus est „ multiplex ratio : Prima quidem, quia „ ad hos specialiter de Christo promissio „ facta est : dictum est enim Abrahæ „ Geneseos 22. Benedicentur in semine „ tuo omnes gentes terræ ; Quod Apo- „ stolus de Christo exponit, dicens ad „ Galat. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones,

„ nes, & semini ejus: non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, „ & semini tuo, qui est Christus. Ad „ David autem dictum est, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, unde & populi Judæorum ut Regem honorifice suscipientes, dicebant Matth. „ 21. Osanna filio David. „

Eamdem annuntiat veritatem Malachias capit. 3. qui quidem de Messia sermonem instituens ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis*. Deinde vero hæc subjungit: *Et placebit Domino sacrificium Juda, & Jerusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui*. Quodnam est illud sacrificium Juda, nisi illud quod Christus in ara crucis obtulit?

Tertio: Concinit specialiter novum Testamentum. Luc. 3. habetur: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli...... qui fuit Juda*. Et Matth. 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David*. Observes velim S. Matthæum suum scripsisse Evangelium in gratiam Judæorum, qui quidem integras Genealogias in tabulis sacris & scriniis publicis habebant de prosapiis, tum Levi, tum Judæ, ne altera ex aliis tribubus dignitatem, aut Sacerdotii præter posteros Aaron, aut regiæ potestatis præter Judæ Nepotes sibi assumeret, ut testatur Julius Africanus in epistola ad Aristidem apud Eusebium Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7. quocirca si Matth. aliquid falsi contra Genealogiarum jura scripsisset, Hebræi absque mora eum impugnassent: Sed nullibi legitur vitio ab eis versum fuisse in hoc Matthæo: Igitur nec ipsis diffitentibus Judæis Christus erat de Tribu Juda oriundus.

Confirmatur isto ulteriori irrefragabili argumento. Juxta illud Summistarum adagium, *Partus sequitur ventrem*; sed beatissima Virgo Christi dignissima mater erat de Tribu Juda: Igitur & ipse Christus. Probatur min. ex S. Luca cap. 2. ita scribentes: *Ascendit autem & Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*. Ex qua quidem sententia concludunt SS. Patres, beatissimam Virginem juxta legem non nisi homini de sua tribu conjugio fuisse consociatam. Ad quid enim Virgo jam Spiritus sancti operatione fœta tanto itinere fatigari necesse opus fuisset, ut Cæsaris edicto obediret, si non fuisset e Regio Davidis sanguine edita? Cum ideo Bethlehem venerit, ut pro more concivium tamquam ex prosapia David suum ducens ortum profiteretur?

Unius Augustini sufficiat pro isto momento texere auctoritatem Libr. 23. contra Faustum Manichæum. Illum debellat hæreticum propugnantem Mariam ex Tribu Levi fuisse oriundam, eo quod in quibusdam scripturis apocryphis legisset, Joachim Patrem BB. Virginis fuisse Sacerdotem, unde insulse concludebat Christum esse de genere Aaron. Cap. 9. sic loquitur S. Doctor. " Quisquis itaque dicit, Mariam ad „ consanguinitatem David non pertinuisse, manifestum est quod istarum scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur, ipse ergo convincat non eam „ pertinuisse ad semen David, & hoc ostendat non ex quibuscumque litteris, „ sed Ecclesiasticis, Canonicis, & Catholicis. „ Ergo &c. S. Joan. Damascenus ait Joachim habuisse pro Patre Barpantherem, pro avo Pantherem & pro atavo Levi omnes de Tribu Juda, qui forsan non discrepant ab Heli, Matha, & Levi a S. Luca adductis quousque Patrem & avos S. Joseph constituit.

Nec minus cæcutit quam auctor Alcorani cap. 2. ubi BB. Virgo de familia Amrami dicitur, & Lib. 3. cap. 1. cujus titulus est *de Maria*, ubi asseritur eam fuisse Aaronis sororem, & filiam Amrami: quandoquidem BB. Maria mater Christi nata est tempore Zachariæ, quo certe ævo, nec in Judæa, nec in Israel erant Reges. Jam enim sceptrum ad Herodem Ascalonitam alienigenam erat translatum; Maria autem quæ fuit filia Amrami soror Moysis & Aaronis, nata est tempore Pharaonis in Ægypto, & mortua est in Cades, ut hab. Num. 20. cum igitur inter utramque Mariam plures sæculorum myriades intercesserint, non sine supina sacrarum Scripturarum ignorantia auctor Alcorani Mariam Christi Matrem cum altera confundere ausus est.

Pro-

Probatio prophetiæ juxta Rabbinorum interpretationes & ipsorum Judæorum Paraphrases.

IN Vaticinio sic dicitur in Hebræo : *Non recedet sceptrum de Juda, neque Dux de inter pedes ejus donec veniat Siloh*. Quæ quidem vox idem sonat ac mittendus, filius ejus pacificus : Sed & hoc juxta Paraphrases & Judæorum interpretes Christo optime congruit : & probatur multipliciter. Primo quidem, secundum multos *Siloh* idem est ac mittendus : ita vulgatus interpres : Eusebius Lib. 7. Demonst. Rabbini quidam, videlicet Stuchus Hunnelaus & Crosves, quasi vox illa derivetur a verbo *Scalach*, quod hebraice est mittere, eo prope modo quo *Siloe* Joan. 9. v. 7. interpretatur, *Missus* : alii contendunt eo nomine significari pacificum, sic habet Samaritanus codex, sic Oleaster, & Huetius; nempe a verbo *Scalach*, quod est quiescere in pace, & in otio permanere. III. Plures alii illud nomen exponunt per filium ejus a Zihel, seu *Scihlac*, quod idem significat ac semen & filium; ita cum plurimis de gente sua doctoribus Rabbi David Kemxi, in lib. radicum, Rabbi Bechai & Jonathas, quod sequitur Ludovicus de Dieu, de quo etiam vide Rabbi Manasse in Consiliatore. Abnesra & Mozin Gerundinensis, denique alii explicant, *donec veniat ille cui*, supple, *repositum est regnum*. Vel *ille qui ei*, scilicet Judæ, *promissus*. Ita Lxx. interpretes : *Non deficiet*, inquiunt, *princeps ex Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei. Et ipse est expectatio gentium*. Targum Jerosolymitanum sic legit : *Usque ad tempus, quo veniet rex Messias*. Textus vero Samaritanus : *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de vexillis ejus, donec veniat pacificus, & ad ipsum congregabuntur populi*. Quid plura? Prophetiam de Messia intelligendam esse ultro concedunt vel ipsi Rabbini in Talmude tractatu Sanhedrin cap. 12. Rabba in Genesim, Raschi Salomon, Jarchi arabs interpres, & Syrus, Onkelos & alii.

Jam vero, quocumque modo vocem exponas, totidem sunt *Messiæ* proprii characteres, qui non alteri quam Christo conveniunt. Ergo &c. Probatur Antecedens ab enumeratione partium. Primo quidem *Messias* mittendi ac venturi nomine passim in Scripturis designatur, juxta illud Isaiæ 16. v. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*. Matth. vero 11. v. 3. de Christo habetur : *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Secundo etiam pacis titulo *Messiæ* Ætas commendatur, Psal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis*. Item Isaiæ 9. 6. *Vocabitur nomen ejus .... Princeps pacis*. Porro testibus Evangelistis, & S. Paulo totum orbem ita in pace composuit Christus, ut de eo solo dicatur : *Imma reconciliavit summis*. Tertio, nullus alius est, aut esse debuit Judæ filio, scilicet *Messia*, illustrior : cum sessurus esset super sedem David : Christus autem utpote Deus & homo omnes in immensum in dignitate excedit creaturas. Denique ipse *Messias* ille est qui Abraham, Isaac, Jacob ac Judæ promissus fuit, cui quidem repositum erat regnum æternum; sic enim habetur Danielis 7. v. 14. *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur*. Quod quidem oraculum non nisi de filio Dei incarnato intelligi potest, cum cuncta hominum imperia evanescant & pereant, & juxta Apostolum Hebr. 1. veterascant, solus autem Christus in æternum permaneat : Ecce verba : *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli : ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent*.

Ex his ad revincendos recentiores Judæos triplex exurgit auctoritas domestica, videlicet Targumistica seu Paraphrastica, qua nulla apud eos major est : altera non minoris ponderis Thalmudica nuncupatur : tertium occupat locum Rabbinica, quam vel ipsi multi faciunt.

Solvuntur objectiones Judæorum, ex obscuritate Prophetiæ.

OBJICIUNT : Illud Jacob Vaticinium nihil pro adventu *Messiæ* probat, quod varios, eosque obscuros subit sensus, qui quidem vix ad aliquem determinari aut figi possunt : Atqui tale est benedictionis *Judæ* Vaticinium. Et probatur : Instar omnium sint illa verba : *Manus tua in cervicibus*

tibus inimicorum tuorum .... Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Quæ quidem verba non unum offerunt sensum, namque posteriora verba de terra promissionis lacte & vino manante Bonfrerius in cap. 49. Gen. interpretatur. Priora vero de victoriis David: Ergo &c.

Respondeo I. Ultro concedendo Scripturam sacram sensus habere multos, litteralem scilicet, moralem, & mysticum; sed contendimus juxta sensum obvium, ista verba: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*; intelligenda esse de adventu Messiæ, Jesu Christi Nazareni, qui solus fuit expectatio gentium, quippe qui solus ad unius Dei fidem & vocaverit, & converterit Gentes.

Respondeo II. distinguendo majorem: Vaticinium Jacob quoad prima & ultima vocabula varios obscurosque complectitur sensus, concedo: quoad ista verba modo laudata, *non auferetur, &c.* nego. Hæc enim sententia est clarissime ad *Messiam* determinata, videlicet Christum, ut credimus, qui ita fuit expectatio Gentium, ut omnis ad alium determinatus sensus a Prophetia sit prorsus alienus.

Instant: Atqui vaticinium præ se fert sensum obscurum atque indeterminatum: Ergo &c. Probatur subsumptum. Vox hebræa *Scheveth*, quam Latinus Interpres vertit, *sceptrum*, virgam significat: Sed virga non consolationem, sed potius afflictionem importat, juxta illud Psalmi 88. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam ... visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*.

Respondeo distinguendo: Et eo loci vox *virga* sumitur pro sceptro, concedo: pro afflictione, nego. Istud vocabulum utrumque subit sensum, sceptri quidem, juxta illud Psal. 44. *Virga directionis, virga regni tui*. Quandoque etiam oppressionis ut in Psalmo pro objectione laudato. In priori significatione sumi in vaticinio non una evincit ratio. Primo quidem Jacob quid Faustum per modum benedictionis annuntiat Judæ. Secundo, Hebræum legit: *Non auferetur sceptrum ... & Dux &c.* Septuaginta ponunt: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femeribus ejus*. Hanc lectionem secuti sunt Theodotion, Aquila, & Symmachus, quibus succinunt Paraphrastæ Chaldæi; sic enim vertit Onkelos: *Non deficiet exercens dominium*. Paraphrasis Jonathas sic habet: *Non cessabunt Reges, & Principes*. Targum Jerosolymitanum: *Non cessabunt Reges*. Denique absurdum est dicere vocem, *Scheveth*, in Prophetia, *virgam* afflictionis subindigitare, cum Judæi non in afflictione, sed cum gloria & abundantia multis sæculis sub Regibus Juda prosperati sint.

Urgent: Atqui ex verbis subsequentibus nihil clare habetur in gratiam Judæ: Ergo &c. Probatur subsumptum. Non est legendum, *non auferetur*; sed, *non declinabit sceptrum ad Judam donec veniat, &c.* Ita ut sit sensus, Sceptrum nonprius accessurum ad Tribum Juda, quam Messias venerit, quandoquidem vox hebraica *Jasour*, significat, *declinare ad*: Atqui declinavit sceptrum ad Judam ab ipso tempore David: Igitur versus illa tempora venit *Messias*.

Respondeo I. Vulgatam quæ cum hebræo textu convenit in substantia, legere, *non declinabit ex Juda*; sic enim hebræum latine reddit VValton: *Non recedet virga ex Juda, & Legislator inter pedes ejus, usquequo veniat Siloh, & obedientia populorum*. Xantes Pagninus Ordinis Prædicatorum: *Non recedet virga ex Juda, & Legislator de inter pedes ejus, donec veniat Messias, & erit illi aggregatio Gentium*. Septuaginta sic vertunt: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femoribus, donec veniant quæ reposita sunt ei, & ipse est expectatio Gentium*. Onkelos in Targo seu paraphrasi Chaldaica ait: *Non auferetur habens Principatum ex domo Juda, neque Scriba a filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi*. Audis omnes a primo ad ultimum legere ex Juda, nusquam vero ad Judam. His accedit auctoritas sanctorum Patrum, Chrysostomi, utriusque Cyrilli, Theodoreti, Augustini, &c.qui vaticinium in Christo adimpletum prædicant.

Respondeo II. distinguendo: Et vox hebræa *Jasour*, ibi significat, *non declinabit sceptrum ex Juda*, concedo. Significat, *declinabit ad*; nego. Non diffitemur *Jasour*, utrumque significare juxta diversam præpositionem illi conjunctam:

Si ponatur *El*, quæ vox latine redditur *ad*, tunc quoque significat, *Jasour*, *declinabit ad*; e contra vero, *declinabit ex*, si conjungatur cum præpositione *min*: Porro ita habetur juxta hebræum in vaticinio: *Lo Jasour scheveth min ouda*, id est, *non declinabit sceptrum ex Juda*, *donec veniat qui mittendus est*. Hoc est Sceptrum erit semper in Juda, donec veniat qui mittendus est, & cum venerit, cessabit.

Insistunt: Rabbini recentiores post Aquilam, reponunt vocem *scheveth* non solum, *virgam*, sed etiam *Tribum* significare, adeoque hunc esse vaticinii sensum, *non auferetur Tribus de Juda*, *&c.* Sed nondum ablatus est Juda: Et probatur. Primo quidem testes sunt universi orbis nationes Judæos numero prope infinitos etiam nunc existere: Secundo, Rabbi Beniamin Tudelensis, qui tempore Alexandri III. summi Pontificis & Friderici Ænobarbi Imperatoris varias orbis regiones perlustravit, in sui itinerarii historia scribit propriis vidisse oculis in urbe *Bagdad* quondam Babylone multa Israelitarum millia ubertate rerum omnium affluentium, amœnissima loca incolentium, & ab omni reliquorum hominum societate & aditu seclusorum propter vastissimas solitudines interjectas, aitque etiam ibi sedem habere quemdam Æcmalotharcam, seu Principem e tribu Juda oriundum, & in Asia Judaicum Imperium tenentem, cujus dignitatem perpetua successione ad *Messiam* usque duraturam scribit: Ergo &c.

Respondeo fidem non esse adhibendam Aquilæ Pontico, qui primus post septuaginta vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transtulit, dum non sceptrum, sed Tribum legit, quippe qui ex Judæo Christianus factus sit, & alternata vice ex Christiano postea iterum Judæus, hinc ejus versio nonnihil suspecta est: Si tamen intelligitur de Tribu Juda regnante vel per Reges, vel per Duces, optima est; si vero de tota Tribu, prorsus rejicienda, utpote absurda; hunc enim identicum redderet sensum: *Non auferetur Tribus Juda de Tribu Juda*. Observes velim duas circumferri Aquilæ versiones; una legit, *non auferetur sceptrum Juda*: & recipitur atque ponderat: Altera quæ est ipsius commentarium: *non auferetur sceptrum de Tribu*: & recipitur cum addito, seu sic distinguendo, *sceptrum de Tribu Juda*; concedo. *Sceptrum de Tribu*, ut sic, hoc est, *Tribus de Tribu*, nego. Tum quia ista Aquilæ versio repugnat versioni LXX. quæ legit: *Non deficiet Princeps ex Juda*, *& Dux de femoribus ejus*, *&c.* Repugnat & Paraphrasi Chaldaicæ jamjam laudatæ.

Ad primam probationem distinguo: Etiam num plurimi extant Judæi, sed dispersi, & omnium nationum servi mancipales, concedo: & extant sui juris, nego. Hanc solutionem esse veram non una est ratio. Primo quidem ex adimpletione istius Osee prophetiæ c. 3. 4. *Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege*, *& sine Principe*, *& sine sacrificio*, *& sine altari*, *& sine Ephod*, *& sine Teraphim*. Quæ verba explicans sanctus Augustinus Lib. 18. de civitate Dei cap. 28. ait: "Quis non videat „ nunc sic esse Judæos. „ Vel ipse David Kemchi Rabbinus vaticinium istud in eodem prorsus sensu explicat: " Hi sunt, „ *inquit*, dies exilii, in quo hodie sumus, „ &c. Abrabaniel, alter Judæorum doctissimus Rabbinus, exponens versum octavum cap. 33. Isaiæ, ait: " Præterea me„ minit Isaias tertii generis malorum, „ exilii nempe, quod penes Israelitas non „ sit regnum, nec dominium, nec sceptrum „ judiciale. „ His assentiunt Rabbi Bechai, Rabbi David Gantzy, & Rabbi Manasses, ut observat Huetius propositione 9. Demonstrationis Evangelicæ.

Ad alteram probationem dico, ea omnia quæ de regno præsenti nonnulli scripsere Rabbini, meras esse fabulas, ut observat Buxtorfius in Præfatione ad librum *Cosri*. Vel ipse Benjamin Tudelensis ultro fatetur Æcmalotorcham illum, seu Principem a Mahumetanorum Calipho potestatem per sigilli traditionem accipere solitum esse. Non ergo proprium, & absolutum, sed precarium, & fiduciarium est illius dominium.

Replicant: Tametsi Judæi multis cladibus ante Christum fracti, ad propria tamen rediere: Igitur & nunc tandem aliquando finita præsenti captivitate clausaque, adveniente Messia suum cum gloria recuperare confidunt.

Respondeo distinguendo: Et tunc erat Dei promissio de recuperando regno, conce-do:

do: & nunc affulget, nego. Utrumque probavit effectuum eventus: Primum quidem cum Judæi post varia adversus Reges Syriæ bella, ducibus Machabæis, iterum tandem diademata sibi imposuerint quidam ex eis, ut Hircanus, Aristobulus & nonnulli alii; alterum vero quatenus juxta laudatam Oseæ prophetiam ubique sint abjecti & exosi. Hoc ipsum clare admodum dicit Daniel cap. 9. asserens, elapsis septuaginta hebdomadibus, populum qui eum erat negaturus, non futurum amplius ejus populum, sed omnino prorsus opprimendum esse calamitatibus.

Solutio colligitur ex Tertulliano, qui in Apolog. cap. 12. pag. 21. Edit. Paris. sic Judæos perstringit ostendens solum Christum esse Messiam, nec de altero expectando eis spem affulgere: " Iste igitur " Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in Virginem quamdam, " & in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mistus. Caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, " docet, operatur, & Christus est ... Sciebant & Judæi venturum esse Christum, " scilicet quibus Prophetæ loquebantur. " Nam & nunc adventum ejus expectant, nec alia magis inter nos & illos compulsatio est, quam quod jam " venisse non credunt: duobus enim adventibus ejus significatis, primo qui jam " expunctus est in humilitate conditionis " humanæ, secundo, qui concludendo " sæculo, imminet in sublimitate divini- " tatis exertæ. "

Persistunt: Quidam Rabbini sic vertunt: *Donec veniat Scriba inter pedes ejus*; videlicet de partibus generationis inter tibias & pedes existentibus: Igitur non Rex aut Dux in vaticinio prænuntiatur, sed quidam e Judæis Consiliarius.

Respondeo distinguendo: Et nomine *Scribæ* intelligitur potestatem habens aut Regalem, aut saltem Ducalem, concedo: secus, nego. Solutio patet ex dictis juxta textum Hebræum, & quidem primigenium, tum ex Targo Jerosolymitano & Paraphrasibus.

Reponunt: Atqui res non sic constat: Ergo &c. Probatur subsumptum: Septuaginta sic vertunt: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei*. Sed ista reposita in gratiam Judæorum prænuntiantur pro tempore sempiterno, ita ut numquam ab eis excidant, cum semel eis advenerint; vox enim hebraica, *ad Ki*, reddi potest, scilicet *ad*, significans, *in æternum*, & *Ki*, *quando*, & tunc reddet sensum; *Non excidet sceptrum a Juda in æternum, quando venerit Messias*: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem liquet, priora verba luce pomeridiana clarius de Principe ex Juda oriundo esse intelligenda. Concinit Paraphrasis Chaldaica, quæ nomine *Scribæ* intelligit Ducem & Principem; sic enim vertit: *Non auferetur habens principatum a domo Juda, neque Scriba de filiis filiorum ejus, donec veniat Messias*. Ceteræ Versiones si quando *Messiæ* nomen taceant, illud tamen subindigitant, & juxta verborum substantiam idem dicunt.

Ad postrema ista verba, *Donec veniant quæ reposita sunt ei*, distinguo: Et istis verbis, *Messiæ* privilegia annuntiantur, concedo: & aliquid vagi indiscriminatim pro Judæis dicitur, nego. Tres sunt lectiones hujus versionis. Prima ponit: *Donec veniant reposita ei*. Altera: *Donec veniat cui repositum est*. Tertia: *Donec veniat quo & quod reservatur*. Omnes optimæ sunt, & Christo non modicum accommodatæ.

Ad ulteriorem probationem, negamus, *ad*, reddi posse, *in æternum*, nec *Ki*, verti *quando*, cum id sit inauditum Interpretibus: vel si velis, intellige de regno Christi cujus potestas, teste Daniele, æterna est.

Persistes: Particula, *donec*, non significat post, vel ante adventum *Messiæ* auferendum esse Sceptrum Judaicum, sed e contra, sensus est, numquam defectum esse de Tribu Juda statim atque Messia venerit: Ergo &c. Probatur antecedens: Primo quidem ex eo quod de *Messia* Luc. 1. 33. habeatur: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*. Secundo vox illa, *donec*, non semper finem aut cessationem, sed quandoque & innovationem significat. Sic Gen. 8. 7. legitur de corvo: *Non revertebatur donec siccarentur aquæ super terram*. Eo quippe loci non significat Corvum esse ad Noe reversum desiccatis aquis, cum nullo modo reversus sit. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Particula, *donec*, quandoque non significat rei alicuius cessationem, concedo: in Vaticinio, nego. Expositio quippe Rabbinorum prophetiæ sensum pervertit; Jabob enim sic locutus est: *Non auferetur sceptrum de Juda ... donec veniat qui mittendus est*. Isti vero vertunt: *Postquam venerit*: hæc autem duplex locutio diversa est. Prior futurum Messiæ adventum respicit: Posterior vero jam præteritum designat. Unde ad illud: *Regnabit in domo Jacob in æternum*, distinguo: spiritualiter & moraliter, concedo: temporaliter & physice, subdistinguo; post secundum adventum sub finem sæculorum, cum orbem universum in æquitate judicaverit, concedo: in tempore dum erat adhuc viator, nego. Ita Huetius in Demonstrationibus Evangelicis proposit. 9. ubi quatuor prophetica verba sic explicat, & distinguit: Prima parte oraculi: " *Non auferetur sceptrum* „ *de Juda*; in spem æterni regni pos„ sessionis erigitur Juda: Altera: *Nec* „ *Dux de femore ejus*: temporarius & „ caducus Judæ significatur Principatus: „ Tertia: *Donec veniat qui mittendus est*; „ finis hujus temporarii regni, scilicet, „ & *Messia* adventus prædicitur: Quarta: „ *Et ipse erit expectatio Gentium*: *Messia* „ regnum non angustiis Chananææ terræ „ claudendum, sed omnem per orbem „ patens, & spiritale futurum prænun„ tiatur, quod intelligitur de Ecclesia „ triumphante & militante. „ Hoc ipsum ab effectibus notum est: fides quippe in Christum per orbem universum disseminata fuit, & ad consummationem usque sæculi in mundo perseverabit, juxta illam Christi promissionem in gratiam suæ Ecclesiæ, Matt. 16. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Ecce regni spiritualis perpetuitas. Tum in fine mundi veniet cum potestate & majestate magna vivos & mortuos judicaturus, & cunctorum dominabitur in æternum; in Electis quidem per effusionem gloriæ, in reprobis vero per vindictam. Ecce gloriam & physice & moraliter æterna: & sic patet solutio ad alteram probationem.

Solvitur argumentum ex incertitudine personæ cui applicanda est Prophetia.

OBJICIUNT Judæi: Non est certum de quo loquatur Jacob cum *Messiam* annuntiat: Igitur illud oraculum in JESU CHRISTO NAZARENO non est adimpletum. Probatur Antecedens: sicut Judæ ex quo suam Christus duxit originem, sic & Joseph, ex quo Tribus Ephraim & Manasse etiam promanarunt, convenit promissio Messiæ. Igitur cum ex Joseph non procreatus sit Christus secundum carnem, citra fundamentum prophetia illi applicatur. Probatur Antecedens, in qua potissimum sita est difficultas: Jacob in gratiam Joseph sic locutus est Genes. 49. 26. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt, benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum*. Multa sunt in hac difficultate discutienda: Primo quidem juxta illud oraculum, benedictiones Joseph ceterorum fratrum benedictionibus prævalent. Secundo, eas usque ad *Messiam* sese extendere ista denotant verba, *Donec veniret desiderium collium æternorum*.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem nego paritatem propter multa. Primo, gratia uni jam concessa, ordinante Deo, alteri non confertur: Porro, ante benedictionem Joseph, Jacob, sancto afflante Spiritu, promiserat Judæ *Messiam* ex ipso oriundum. Secundo, sensus obvis & litteralis benedictionis Judæ spectat *Messiam*, juxta illa verba: *Non auferetur sceptrum de Juda .... donec veniat qui mittendus est*. Sensus vero benedictionis Joseph non nisi mystice terminatur ad *Messiam*, cujus quidem vel ipse fuit figura, deinde vero per fidem filiorum suorum; quidam enim ex Ephraim & Manasse Tribubus e captivitate Ninive, Deo duce & miserante, erepti ad fratres suos, scilicet Judæos confugerunt, & eorum adhærentes fidei, in ea per suos nepotes ad *Messiam* usque perseveraverunt; & sic, inquit Bonfrerius, benedictiones Joseph permansere, *Donec veniret desiderium collium æternorum*.

Instant :

Instant: Atqui hoc ipsum probat *Messiam* non ex Juda, sed saltem ex Joseph nasciturum: Igitur nihil pro Jesu Nazareno ex Tribu Juda oriundo evinci potest. Probatur subsumptum: In benedictione Joseph vers. 24. hæc in ejus gratiam habentur: *Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob: inde Pastor egressus est lapis Israel*. Igitur Christus qui fuit Mediator, Pastor Pastorum & Dominator inferorum, e Joseph prodiit, adeoque prophetia Judæ nihil pro adventu Messiæ probat.

Respondeo I. dato & non concesso *Messiam* ex Joseph oriundum esse, citra dubium jamjam venisse constat, cum a multis retro sæculis nihil de regia aut ducali potestate filiorum Joseph supersit: & sic vel in ipsa luce cæcutiunt Judæi expectantes *Messiam*.

Respondeo II. negando antecedens. Ad probationem distinguo: Joseph fuit Pastor Ægypti, quam jussu Regis Pharaonis gubernavit, & suæ propriæ firmamentum familiæ, quam utique tempore famis & suscepit, & aluit, concedo: In hoc sensu inde Pastor, scilicet ex Jacob egressus est Joseph, qui fuit quidem lapis seu firmamentum totius populi Israelitici, ex Jacob Israel nominati: ex Joseph ortus est *Messias*, nego. Hunc sensum exhibet auctor Libri Ecclesiastici cap. 49. 17. his verbis: *Joseph . . . . natus est homo, Princeps fratrum, firmamentum gentis, Rector fratrum, stabilimentum populi*.

Respondeo iterum aliter distinguendo Antecedens: Inde, id est, ex Joseph prodibunt lapides, & Pastores, scilicet Duces, Judices & Reges Israel, Josue, Debora, Gedeon, Jephte, Jair, Abimelech, Jeroboam & Reges decem Tribuum: hi enim omnes ex prosapia Joseph erant, concedo: id est, *Messias* ex Joseph orietur, nego. Et hoc evincunt probationes.

Urgent: Atqui verba prophetiæ ad JESUM CHRISTUM NAZARENUM non terminantur: Et probatur: in textu hebræo sic legitur: *Non recedet sceptrum de Juda, neque Dux de inter pedes ejus, donec veniat Silo*; quidam vertunt, *donec veniat Siloh civitas*, seu, *donec veniant Saul & Jerobeam*; quos in urbe Siloh in Reges inauguratos confingunt: Alii legunt, *Donec veniat Moyses*: cui sententiæ concinunt illa verba unius aut alterius Paraphrasis: *Non auferetur sceptrum donec veniat Legislator*. Nonnulli hoc de David qui floruit victoriis, multo plures de Salomone interpretantur, quippe qui fuerit Rex pacificus, quod vel ipsa vox *Siloh* sonat, immo & *expectatio gentium*, quem Regina Saba de longinquo adiit, ut sapientiæ ejus oracula audiret. His adde, ipsa testante Scriptura, ad eum gloriæ gradum regnum Israel, regnante Salomone, pervenisse, ut nec ante, nec post ipsum similis fuerit Princeps. Neque vero desunt Rabbini qui vaticinium non intelligi de *Messia* propugnent, sed potius de aliquo Rege, qui Sceptrum Judæ ad puniendam Judæorum idololatriam ablaturus venire debebat: unde inter eos alii de Nabuchodonosor, qui capta Hierosolyma transtulit Judam captivum Babylonem: alii de Jeroboam, qui decem abstulit Tribus intelligi commentiuntur: aliqui demum de Cyro Persarum Rege prophetiam explicant, eo quod Isaiæ 45. 1. vocetur CHRISTUS, his verbis: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*; & populum a captivitate Babylonica relaxaverit, templumque ejus expensis reædificari cœperit: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem dico, vocem *Siloh*, eo loci non intelligi de urbe, sed de persona. Et idem sonat ac *missus*: sic enim legunt paraphrases Onkelos & Jonathæ. Prioris habet: *Usque dum veniat Messias*; posterioris vero: *Usque ad tempus quo veniet Rex Messias*. Igitur *Siloh*, quandoque sumitur pro urbe Tribus Ephraim, ubi ductæ sunt sortes super divisionem terræ promissionis, ut habetur Josue 18. quandoque etiam est nomen personæ appellativum, & sic juxta varias radices e quibus promanat vox *Siloh*, varias quoque habet explicationes. Porro in Prophetia legendum est *Siloach* per *chet*, id est, *legatus missus, vel mittendus*, a radice *Schalach*, hoc est, *misit*; non secus in Evangelio, *Siloe* interpretatur, *missus*. Ceterum fabulantur Rabbini: tum quia absurdum est dicere, hunc esse

esse vaticinii sensum : *Non auferetur* . . . . *donec veniat civitas*. Neque vero vox intelligi potest, aut de Saule, aut de Jeroboam : præterquam quod enim Saul, electus est Rex in *Maspha*, confirmatus in *Galgala* & unctus a Samuele in *Ramathain Sophin*, ut habetur 1. Regum 10. Jeroboam vero in Sichem, ut legitur 3. Regum 12. & neuter in *Siloh* civitate; primus non erat de Tribu Juda, alter vero blasphemare Idololatria sua fecit Israel, dum in Bethel erexit vitulum adorandum; ambo mali, & ne minimum quidem expectatio Israel. Igitur vaticinium de illis nusquam intelligendum venit.

Neque vero explicari debet, aut de Moyse, aut de David, aut etiam de Salomone. Moyses quippe erat de Tribu Levi, David vero fuit primus e Regibus Juda : Igitur non in ipso desiit sceptrum, cum tamen hæc una conditio sit ut adimpleatur prophetia : eadem ratione de Salomone non est; tametsi enim pacificus fuerit cum vicinis Regibus, sed non erga populum quem vectigalibus oppressit. A fortiori nec intelligenda de Nabuchodonosor qui vastavit Judæam : Jacob quippe non adversa sed fausta Judæ prænuntiabat; nec denique de ipso Cyro qui quidem solvit populum a captivitate temporali, sed non ab æterna, nec fuit expectatio gentium, quippe qui crudelissimus, & dorsa Regum terræ contriverit.

Tertullianus in Apologetico Christum esse Messiam a Jacob annuntiatum luculentissimis probat rationibus, præsertim vero Lib. 5. adversus Marcionem pag. 593. ubi ostendit vaticinium de Salomone non posse intelligi, sed tantum de Christo : " Est, *inquit*, & alius Psalmus ita „ incipiens : Deus judicium tuum Regi „ da, id est, Christo regnaturo : & justitiam tuam filio Regis, id est, populo „ Christi : Filii enim ejus sunt, qui in „ ipso renascuntur : sed & hic Psalmus „ Salomoni canere dicetur; quæ tamen „ soli competunt Christo, docere non „ poterunt etiam cetera non ad Salomonem, sed ad Christum pertinere? Descendit, inquit, tamquam imber super „ vellus, & velut stillæ distillantes in „ terram. Placidum descensum ejus, & „ insensibilem describens de cœlo in carnem : Salomon autem etsi descendit „ aliunde, non tamen sicut imber, quia „ non de cœlo; sed simpliciora quæque „ proponam. Dominabitur, inquit, a „ mari ad mare, & a flumine usque ad „ terminos terræ : hoc soli datum est „ Christo. Ceterum, Salomon uni & modicæ Judææ imperavit. Adorabunt illum omnes Reges : quem omnes, nisi „ Christum? Et servient ei omnes nationes : cui omnes, nisi Christo? Sit nomen ejus in ævum; cujus nomen in „ æternum, nisi Christi? Ante solem manebit nomen ejus : ante solem enim sermo Dei, id est Christus; & benedicentur in illo universæ gentes : in Salomone nulla natio benedicitur; in Christo vero omnis. Quid nunc si & Deum „ eum Psalmus iste demonstrat? Et beatum eum dicent : quoniam benedictus „ Dominus Deus Israelis, qui facit mirabilia solus. Benedictum nomen gloriæ ejus, & replebitur universa terra gloria ejus. Contra, Salomon, audeo „ dicere, etiam quam habuit in Deo gloriam amisit, per mulierem in Idololatriam usque pertractus. „

SOLVITUR ARGUMENTUM

De ablatione Sceptri multis retro sæculis, ante Christum natum.

Devictis iterum atque iterum Judæis pro adimpletione vaticinii Jacob in Christo, ad alia se se convertunt commenta, concedendo quidem Messiam venisse, sed multis ante Christum sæculis : si hæc Judæi non asserant, saltem propugnant impii, quorum est illud ratiocinium. Juxta Jacob morientis eloquium, ablato a Judæis sceptro, *Messias* venire debuit : Sed hoc contigit tempore Judicum, vel saltem Jechoniæ : Judicum quidem, cum inter quatuordecim nonnisi duo fuerint ex Tribu Juda, scilicet Othoniel, & Obesam; Jechoniæ vero Regis Judæ, quo quidem extincto, nullus e Juda post ipsum sedit in Throno. Et probatur: Jerem. 22. 30. sic ait Deus : *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur : nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David*. Ergo &c.

Re-

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem, distinguo: Et adimpletio prophetiæ non computatur a judicibus, sed initium habet a Regibus Juda, scilicet a David, & ad Duces usque protracta est, concedo: secus, nego. Unde parum refert, quod multi ex judicibus non fuerint ex Tribu Juda. Ad secundam probationem, distinguo antecedens: nullus de semine Jechoniæ sedebit super solium ut Rex, concedo: ut Dux, nego. Transacta enim captivitate Babylonica, Respublica Judæorum per Duces, qui in prophetia commemorantur, gubernata est: Porro Jechoniæ successit Salathiel Dux de Tribu Juda, juxta illud Matth. 1. *Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis; & post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel &c.* Iste autem erat de domo Judæ oriundus.

Instant: Atqui tempore captivitatis Babylonicæ prorsus extinctum est regnum Judaicum. Ergo &c. Probatur subsumptum: Tunc sceptrum, seu Regnum censetur penitus ablatum, quando Rex ipse cum proceribus & populo captivus ducitur: quando Provinciæ, quando urbes, & tota terra transit in victoris potestatem, ita ut vel quid minimum non supersit pro devicta natione: Atqui res sic se habuit tempore Jechoniæ. Et probatur, breviter texendo captivitatis historiam, quæ Lib. 4. Regum fuso describitur calamo cap. 23. Joakim regnavit in Juda, fecitque malum coram Domino. Cap. 24. in vindictam factus est Nabuchodonosor servus, cui tribus annis servivit, rursum vero rebellavit contra eum: hinc ordinante Domino latrunculi & Chaldæorum, & Syriæ & Moab exagitaverunt Judæam, & hoc etiam propter peccata Manasse jam jam mortui. Tum defuncto Joakim, Joachin filius ejus regnavit pro eo, qui & sicut sui Patres fecit malum coram Domino. Tunc venit Nabuchodonosor & obsedit Jerusalem, quo facto egressus est Joachin cum sua matre, servis suis & principibus ad Nabuchodonosor qui eum suscepit octavo sui Regni anno. Verum ducti ad Nabuchodonosor non invenerunt gratiam apud eum, quinimmo captis templi vasibus, transtulit omnem Jerusalem, & universos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatem cum Rege, matre & universis Primatibus, omnemque artificem & clusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. Et constituit Mathathiam patruum ejus pro eo: imposuitque nomen ei Sedeciam, eo quod juramento ei fidelitatem promiserat, quod quidem vox *Sedecias* sonat; ipse vero aliquibus elapsis annis, etiam malum fecit coram Domino, & recessit a Nabuchodonosor: iste vero iterum cum exercitu magno comparato venit & obsedit Jerusalem, ea vero capta, succendit domum Domini & universas, tum populi, tum Regis domos, universamque templi supellectilem transtulit Babylonem, interfectis etiam Sedeciæ filiis, ipsum effossis oculis cum tota prorsus natione, relictis solum vinitoribus & agricolis captivum duxit; sic enim habetur cap. 25. *Translatus est Juda de terra sua.* Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo majorem: Tunc Sceptrum pœnitus cessat quando Rex cum toto populo captivus ducitur, si non illi remaneat potestas civilis, & in vitam subditorum, concedo: si supersit, nego. Similiter distinguo minorem, & Rex Judææ, vel in ipsa captivitate habebat jus in vitam super servos suos, concedo: & non habebat, nego minorem & consequentiam. Porro tametsi pro bonis temporalibus nulla Judæis principibus captivis maneret potestas, bene tamen pro rebus civilibus, ita ut a ritu Paganorum abstinentes, prævaricatores legis absque misericordia punirent; cujus rei percelebre legitur exemplum de judicio junioris Danielis, qui Susannam innocentem a falso crimine purgavit, senes vero calumniatores morti tradidit, & juxta talionis pœnam lapidari definivit. Et vero numquid Rex captivus desinit esse Rex, quasi vero Franciscus primus Matriti captivus, non semper extiterit Galliarum Rex? Quid plura pro hoc momento referam? Vel ipso mortuo Nabuchodonosor, Joachin sedit in Throno patris sui apud Babylonem anno 37. transmigrationis, & Regios honores obtinuit; sic enim habetur Lib. 4. Reg. cap. 25. 27. *Factum est*

vero in anno trigesimo septimo transmigrationis Joachin Regis Juda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin Regis Juda de carcere. Et locutus est ei benigne: & posuit Thronum ejus super Thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Et mutavit vestes ejus quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei a rege per singulos dies, omnibus diebus vitæ suæ.

Respondeo II. aliter distinguendo eamdem majorem: Et hæc unum tantummodo probant, videlicet regnum Juda fuisse interruptum, concedo: fuisse penitus extinctum, nego. Interruptionem exercitii potestatis Regiæ non auferre ab aliqua natione Regnum nemo non novit, maxime vero cum adest de recuperando Regno Dei omnipotentis promissio, qualis fuit in gratiam Judæorum, quorum captivitas juxta Jeremiam, nonnisi septuaginta annorum spatio futura erat: qua quidem transacta, ad Messiam usque, teste Jacob vaticinante, Respublica Judaica protrahi debebat.

Dices: Vel ipso tempore Passionis Christi Judæi judicabant reos, ut liquet ex illo ad eos Pilati effato de Christo Joan. 18. 31. *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*; & tamen, testibus Christianis, sceptrum jam jam fuerat a Judæis ereptum. Igitur nihil concludi potest pro perseverantia sceptri tempore captivitatis ex judicio Danielis, senes calumniatores ad mortem damnantis.

Respondeo distinguendo antecedens: Et Pilatus pro hac vice concedebat Judæis facultatem judicandi Christum, quem innocentum præcnoscens, nolebat juxta falsa allata testimonia judicare, concedo: Et revera Judæi tunc temporis a suo non exciderant jure, nego. Eos ipsos habemus confitentes reos, cum Pilato ibidem responderint: *Nobis non licet interficere quemquam*.

Reponunt: Juxta Jacob oraculum Messias veniendus erat, ut primum a Judæis potestas auferretur: sic mortuo Balthassar capta & diruta urbe Babylonica, Scriptura ait de regno Chaldæorum Dan. 5. 29. *Datum est Medis & Persis*. Igitur cum totus Juda translatus sit, dubio-procul Regnum Judaicum tunc prorsus extinctum dici debet. Hoc ipsum ulterius varia eaque domestica probant exempla. Tametsi enim v. g. ab Hispania propulsi sint Mauri fortitudine & magnanimitate Ferdinandi V. tempore, tamen quo regionem illam invaserant, regnum Hispaniarum ad illos translatum dictum est: quinimmo sic & diceretur, tametsi tyrannus restitucre promitteret: neque vero solvitur difficultas dicendo, Judæos captivos inter se aliquam exercuisse potestatem, cum hoc nonnisi obtenta a Chaldæis licentia factum sit: vel ipsi Chaldæi Persis postea subjecti, juxta leges Patrias sese gesserunt; quod quidem etiamnum pro religione Græcis concedit Turcarum Imperator. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Cessat regnum ut primum translatum est, si non adsit de illo recuperando Dei promissio, concedo: sin minus, nego. Ad exempla nego paritatem. Ad primum quidem, cum Scriptura expresse dicat, regnum Chaldæorum in vindictam sacrilegiorum Balthassar datum fuisse Medis & Persis: nec quidquam virium habent cetera; sicut enim Deus fidelis, sic & in exequendis promissis potentissimus est: non sic homines, qui etsi promitterent ablata restituere, quandoque impedimentis irretiti, hoc ipsum adimplere nequeunt. Ad id vero quod subjicitur, Principes licentiam facere populis quos suo adiciscunt Imperio, ut juxta Patrias Leges se gerant, distinguo: pro eorum religione, concedo: pro civilibus, ita ut potestatem habeant in vitam, nego. Sic v.g. Græci Turcarum servi, numerata pecunia habent suæ Religionis exercitium, nusquam vero in vitam potestatem. Jam vero si de Chaldæis sermonem instituamus, certum est ipsos in Judæos captivos suam potestatem exercuisse, cum vel ipsa testetur Scriptura Danielem fuisse in lacum leonum dejectum, eo quod iteratis vicibus ad Deum suum fudisset preces contra Edictum Regis, quo prohibitum erat, ne quis alium Deum præter Idola, invocare auderet.

Sol-

Solvitur argumentum de ablatione sceptri tempore Ducum, maxime Assamonaeorum.

OPPONUNT: Elapsâ captivitate, ne quidem sub Ducibus supremam habuerunt Judaei potestatem: Igitur Sceptrum penitus fuit in captivitate Babylonica extinctum. Probatur antecedens: Et idem reddit quod supra ratiocinium. Tunc sceptrum censetur prorsus ablatum, cum Tyranni in urbe Regia dominantur, & de omnibus ad nutum disponunt: Atqui eo acerbitatis gradu Judaica Respublica tempore Regum Syriae & Graecorum venerat, quod quidem multipliciter ostenditur: I. Sub imperio Persarum, suos Judaei a Persis accepere Gubernatores, videlicet a Nabuchodonosor Matthaniam, rursus ab Artaxerse Longimano Nehemiam, ut habetur Nehemiae. II. Quin immo tributa solvebant, alienigenis Imperatoribus, ut ibidem legitur. Suffragatur Josephus Lib. 10. Antiquit. capit. 7. III. Sub Imperio Graecorum nedum Duces, sed & SS. Pontifices a Regibus Syriae suscipere coacti sunt Judaei; namque apud Esdram habetur, Alexandro Magno Macedoni Judaeos solvisse tributa, & ab eodem, ut ea annis Sabbatismi non solverent, expostulasse. Item Libr. 2. Mach. Rex Syriae disposuit de Pontificatu, nam Jason frater Oniae magni Sacerdotis pecunia numerata illum obtinuit ab Antiocho Nobili: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens: siquidem Zorobabel Rempublicam Judaicam in pristinum restituit statum, & post ipsum fortissimi Duces; immo post eos Judaei quidam habuere qui sibi imposuerint diademata, videlicet Aristobulum, Alexandrum, Jamnhaeum, Hircanum natu primum, & Aristobulum natu minorem; postea vero a Pompejo devicti versus Christi tempora coeperunt habere Reges alienigenas, quorum primus fuit Herodes Ascalonita, quo regnante natus est Christus, ut adimpleretur quod dictum est per Jacob prophetantem: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.*

Ad probationem distinguo Antecedens: Judaei acceperunt ad tempus, & Duces, & Sacerdotes ab alienis Regibus, & necessitate compellente eis tributa solverunt, concedo: & Sceptrum erat penitus ablatum, nego. Erat enim ad summum interruptum propter rationes jam jam laudatas. Judaei solverunt quidem tributa Graecis, sicut permulti Reges tum Asiae tum Africae nostris temporibus Turcarum Imperatori solvunt; nimirum vel ad redimendam vexationem, vel etiam propter aliquam fisci dependentiam. Neque etiam semel compertum habuimus, flagrante bello, Reges Europae suis permittere subditis ut solvant hostibus hinc & inde versus eorum fines cursitantibus contributiones ad vitandam bonorum dilapidationem: Ergone cessant eorum esse Reges & Domini? Nullo modo. Idem de Judaeis respectu Regum Persarum & Graecorum dicendum est.

Ad id vero quod subjungitur, Judaeos accepisse Pontifices a Regibus Graecis, distinguo: Pontifices suae gentis, sed non Duces, concedo: secus, nego. Jason qui Pontificatum ab Antiocho nobili accepit, erat frater Oniae: sed hoc totum necessitate compellente factum est. Quod vero Duces minime receperint, ex libris Machabaeorum constat; quandoquidem dum Reges Syriae imperabant Jerosolymae, Machabaei Duces clavum regni Juda in aliis urbibus tenebant: ibique annorum circiter 166. spatio Graecis restiterunt; tribus tandem Antiochi Ducibus contritis, ita praevaluerunt Judaei, ut ejectis saepius e Jerosolyma Graecis, tandem diademata sibi iterum imposuerint.

Quod autem Machabaei Duces adversantibus Syriae & Aegypti Regibus semper gubernaverint, fuse describitur in Libris Machabaeorum: Libr. 1. capit. 13. haec leguntur: *Audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Juda...... & accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos: & responderunt voce magna, dicentes: Tu es Dux noster loco Juda & Jonatha fratris tui: pugna praelium nostrum, & omnia quaecumque dixeris nobis, faciemus: & congregans omnes viros bellatores acceleravit consummare universos muros Jerusalem, & munivit eam in gyro.* In hoc textu multa observanda veniunt. Primo quidem, florebat Respublica Judaica Ducibus Assamonaeis; Tryphon enim, congregato exercitu, Judaeam deva-

devastare tentabat, sed spes fefellit eum, quandoquidem Simon ei fortiter restitit. Secundo, ipse Simon electus est a viris Juda Dux ut regni debellaret hostes. Tertio, Jerosolymam munivit. Tunc igitur Machabæi in urbe Regali imperabant, cum vero fugere cogebantur, ad alias confugiebant urbes ubi clavum Imperii tenebant, hostibus vero contritis instaurabant sancta, in primis & Templum & sanctam civitatem, ut legitur in Libris Machab. sicque Dei promissio de recuperando regno, transacta captivitate Babylonica, mirum in modum protegente Deo, adimpleta est, ut habetur Lib. 1. Esdræ 7. 25. 26. his verbis: *Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue Judices & Præsides, ut judicent omni populo . . . , Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus*. Ecce potestas suprema, eaque completa; eamdem autem habuisse quoad mortem vel in ipsa captivitate, legitur Danielis 13.

Instant: Pauci admodum Judæi e captivitate reversi sunt; insuper spatio 450. annorum circiter ita vexabantur a Regibus tum Syriæ, tum Ægypti, ut sui juris numquam fuerint, sed potius illorum Tributarii, & subditi essent. Testis Joseph, qui Lib. Antiq. Jud. Lib. 12. cap. 1. scribit Ptolemeum Soterum Regem Ægypti cepisse Jerosolymam, & centum millia hominum traduxisse in Ægyptum: Legitur quoque 1. Mach. cap. 1. & 2. Jerosolymam ab Antiocho captam & Templum expoliatum: Sed hæc omnia evincunt Judæos sub Ducibus nullam habuisse supremam potestatem: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Nullam habuerunt sub nomine Regis, concedo: sub nomine Ducis, nego, propter rationes supra allatas. Jam vero parum ad præsens negotium refert, ut pauci vel plures Judæi e captivitate egressi fint; sufficit quod in immensum multiplicati Rempublicam restauraverint: si tamen pauciores dicendi sint qui 42360. bellatores numerarent: Sic enim habetur Esdræ 1. c. 2. 4. *Quadraginta duo millia trecenti sexaginta, exceptis servis eorum, & ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem, & in ipsis Cantores & Cantatrices ducenti*. Quid plura referam? Ad summum dici posset Sceptrum non nihil interuptum fuisse, dominantibus Regibus Syriæ in Jerusalem, cum postea ex ea & expulsi sint, & Ptolemeus Philadelphus filius Soteri Judæos captivos in gratiam versionis LXX. Interpretum relaxaverit.

Insistunt: Machabæi, qui velut Duces uno & dimidio circiter sæculo imperabant, de Tribu Levi erant oriundi, ut habetur 1. Mach. 2. ubi Mathathias eorum Pater Sacerdos e familia & vice Joarib dicitur; Joarib autem fuisse de filiis Aaron constat ex Lib. 1. Paralip. cap. 24. Sed ad vaticinii adimpletionem prærequiritur ut Sceptrum seu suprema potestas in Tribu Juda maneat: Igitur vel ipso Ducum tempore Sceptrum cessavit.

Respondeo I. ad istam gravissimam difficultatem, prophetiam intelligi de tota Tribu Juda. Sic censent inter Patres Justinus Martyr. Dial. cum Triphone; Athanasius Lib. de Incarn. Eusebius Lib. 8 Domonst. Evang. Chrysostomus Homilia 77. Ambrosius Lib. de Benedictionibus Patriarcharum cap. 4. Augustinus Lib. 18. de Civ. Dei cap. 45. Theodoretus q. 110 in Gen. Rupertus Lib. 1. in Genes. & alii complures, quiquidem controversiam ita intellectu facilem sic excogitavere, ut vix ullam de isto momento disceptationem moverint. Nec mirum; ceteræ Tribus in captivitate Ninive pene extinctæ sunt, ex his vero pauciores reliquo ad confratres de Tribu Juda contugerunt, & ex illo tempore non amplius Israelitæ, sed Judæi vocati sunt; quippe qui in terra Juda fugitivi commorarentur, & consequenter suprema potestas penes Principes Juda erat: ita ut ipsi de Ducibus ad nutum, vel ex sua, vel ex aliena Tribu providerent: quibus suppositis, potestas absque negotio intelligitur remansisse in Tribu Juda, sicut prædixerat Jacob.

Respondeo II. distinguendo: Machabæi erant de Tribu Levi ex linea paterna, concedo: materna, nego, ut habetur 2. Paral. cap. 22. licitum enim erat Levi matrimonio conjungi cum Tribu Juda regali propter dignitatem; Joarib autem Machabæorum pater, suum ab Aaron ducebat ortum, Aaron vero filiam Aminadab de Tribu

Tribu Juda uxorem habuit, ut habetur Exodi 6. ista solutio colligitur ex LXX. qui sic legunt: *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei.* Quod quidem nomen plurale, *femoribus*, indigitat patrem & matrem. His adde Tribum Levi nullum habuisse in divisione terræ promissionis locum fixum, sed Levitas ceteris Tribubus commistos fuisse: Quia vero poterant matrimonio conjungi cum filiabus Judæ, quid mirum si suas propter uxores Machabæi clavum Imperii tenuerint, sicut paucis ab hinc annis Arausicanus Princeps propter suam uxorem Guilmetam Jacobi II. e throno dejecti filiam, Rex Angliæ inauguratus sit?

Respondeo III. aliter distinguendo: Et Machabæi nomine Judæ prius electi a Principibus Juda imperabant, concedo: & jure avito gubernabant, nego. Senatus *Sanhedrin* seligebat ex fratribus unum qui bella Domini, & prælia pro tota natione sustineret: sicut igitur cum Poloni ex alia natione eligunt Regem, Sceptrum Poloniæ non translatum ad alienigenas, sed semper in Polonia manere dicetur, eo quod Rex non nisi in Polonia, & auctoritate Polonorum regnet, pari & consimili modo, imperantibus Assamonæis, Sceptrum Judææ, in Juda perseveravit; electi quippe fuerant a filiis Juda, nec alibi nisi in terra Juda regnabant. Quod autem Machabæi ex prævia tali electione regerent, patet ex electione Simonis recensita Lib. 1. Mach. cap. 13. cap. vero 9. 28. refertur electio Jonathæ a Juda defuncto; sic enim scriptum est: *Et congregati sunt amici Juda*, scilicet primates Tribus Juda, *& dixerunt Jonathæ: ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros Bacchidem, & eos, qui inimici sunt gentis nostræ. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum nostrum.* Ergo &c.

Replicant: Primus inter Machabæos Dux fuit Mathathias: Sed iste absque electione Dux extitit; fugiens quippe a facie inimicorum, a quibus contriti fuerant Judæi, quosdam sibi adscivit amicos, qui in unum congregati, seipso Duce, bella Domini gerere, & pugnare pro sanctis legibus cœperunt, Ergo &c.

Confirmatur: Vel ipse Mathathias sua privata auctoritate filium suum Juda constituit Ducem post se; sic enim habetur 1. Mach. 2. 49. 66. *Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis. ... Judas Machabæus fortis viribus a juventute sua, sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.* Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Mathathias non fuit electus Dux per sortem, concedo: ex tacito consensu & per obedientiam pro actione prælii, nego. Aliquem eligi ducem dupliciter contingit: Primo quidem per sortem, quod fit in commitiis Nationis, modo votis, modo schedulis, modo etiam calculis viva voce datis: alio modo consensione & actione, quod in bello quam plurimum factum fuisse compertum est; videlicet cum Proceribus gentis gladio hostium cadentibus, alter genti conjunctus exurgit, & fractos suo exemplo stimulans, & quasi vivificans animos pergit adversus hostes primus: tunc enim ceteri illius inhærentes vestigiis, tacito consensu, qui quidem electione per vota quandoque efficacior evadit, illi non sine discrimine vitæ lætabundi obediunt. Isto modo electus apparuit a Judæis Mathathias, qui rempublicam tunc temporis extrema agentem ac prope collabentem sustinuit: Quid mirum? Si Judæ proceres magna cum gratiarum actione habuerint ut ducem Mathathiam, & filium suum Judam ab illo Ducem nominatum ex tacito consensu uti talem etiam agnoverint. Hoc ipsum patet ex Lib. 1. Mach. cap. 13. 1. 2. 3. ubi sic loquuntur de electione Simonis Machabæi primates ex Tribu Juda: *Et audivit Simon quod congregavit Triphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Juda .... & accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos: & responderunt voce magna dicentes: tu es Dux noster loco Juda & Jonathæ fratris tui.* Audis illos agnoscere Simonem ut Ducem, & eodem prope modo de ejus electione loqui quam de electione Jonathæ, quem ipsi expresse, ut habetur ibidem capite 9. elegerant in ducem. Et sic patet responsio ad confirmationem. Quod autem tunc temporis potestas esset penes principes Juda, habetur Lib. 1. Mach. cap. 5. 63. his verbis: *Et viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel*,

Respo-

Reponunt : Atqui non potest intelligi Scriptura ex his omnibus, nisi concipiatur Sceptrum prorsus ablatum : Ergo &c. Probatur subsumptum : Benedictio prophetiæ appellat supra personam : sic enim habetur : *Non auferetur sceptrum de Juda & Dux de femore ejus*. Igitur tempore Machabæorum Sceptrum vere fuit ablatum, cum hoc non possit intelligi, neque de tota Judæorum natione, neque de Assamonæis, qui erant de Tribu Juda solummodo ex linea materna : porro nemo non novit mulieres apud Judæos vix ullum in genealogiis habuisse locum, & potestatem.

Respondeo I. distinguendo : Et priora verba : *Non auferetur sceptrum de Juda* ; ipsam complectuntur benedictionem, quatenus regnum in sola Tribu Juda, extinctis aliis Tribubus, perseveravit, concedo ; & reliqua eamdem spectant benedictionem subdistinguo : mediate, concedo ; immediate, nego. Sufficit ut Juda, vel per se, vel per confratres a se electos regnaverit : sic propugnat Eusebius Lib. 8. Demonst. Evang. Quod autem benedictio in persona adimpleta sit, non una probat ratio. Primo quidem, a David usque ad Sedeciam inclusive sexdecim reges de Tribu Juda annorum circiter 473. spatio clavum imperii tenuerunt. Secundo, mortuo Sedecia, Duces decadum Tribuum inaugurati sunt Salathiel & Zorobabel : Tertio demum, vel ipsi Machabæi non nisi consentientibus Judæis regnavere.

Ad id vero quod dicitur de mulieribus, distinguo : Pro nihilo veluti habebantur, & in Genealogiis, & in regimine, ordinarie loquendo, transeat : de lege extraordinaria, nego. Dico *transeat* ; Nam etsi Tribuum Duces essent viri, habebant tamen mulieres jus innatum ad hæreditatem, ut legitur Josue 17. de quinque filiabus Salphaad ex Tribu Juda, quæ suam postulaverunt in terra promissionis partem, & obtinuerunt. Nec mirum, Deus promittens Abrahæ quod in semine ejus cunctæ benedicerentur nationes, utrumque complexus est sexum, viros scilicet & mulieres, cum istæ non semel pro republica Judæorum Magnalia fecerint. Revera quidem *Debora*, vel ipso Deo ordinante, non sine magna sapientia judicavit populum, & fortitudine magna pro virili debellavit Hebræorum hostes, Judicum 4. Quid memorem Estherem, quæ gratiam coram Assuero inveniens, totum populum ab imminente morte liberavit ? Quid victoriam super Holophernem Judith, quam annua festivitate celebraverunt Judæi ? Quid demum inter omnes eminentissimam Mariam Deiparam, quæ decum veteris, sed & novi Testamenti omnium, & lætitia & decus ? Ex ea enim Virgine de Tribu Juda natus est Christus Dominus, ut habetur Matth. 1.

Insistes : Jacob benedicens filium suum Judam, aliquod speciale privilegium eis spondebat : Igitur potestas suprema de tota gente Judaica affirmari non potest : alias eventus non probavit prophetiæ adimpletionem.

Respondeo negando consequentiam. Etvero Judam habuisse speciale privilegium non una evincit ratio. Primo quidem illum laudavere fratres, cum fugitivi in terra Juda suscepti sint ; secundo, Sceptrum floruit sub filiis Judæ, videlicet victoriis David, sapientia salomonis, pietate Ezechiæ & multorum aliorum. Floruit & Duce Zorobabel, qui post captivitatem fratres reduxit in Judæam, & ipse cum eis templi structuram perfecit ; immo ipsam urbem Jerosolymam restauravit : floruit & subsequentibus sæculis, cum sola terra Juda totius reipublicæ foret sedes, & Assamonæi non nisi electione, aut tacito saltem consensu Judæorum imperarent.

Proponitur & solvitur quorumdam Judæorum difficultas, contendentium sceptrum non cessasse tempore Herodis Ascalonitæ.

Objiciunt : Ut prophetia de Jesu Nazareno intelligatur, ipse venire debuit ut primum cessavit Sceptrum : Atqui eventus contrarium ostendit. Et probatur : Christus natus est anno solum regni Herodis 36. Sed sive Herodes habeatur ut alienigena, sive non, Vaticinium non adimpletur in Christo : Et probatur. Si Herodes spectetur ut alienigena, Nativitas Christi contingere necesse fuit in ipso tempore quo Sceptrum a Judæis transiit ad Herodem. Si vero Herodes tamquam Judæus habeatur, a fortiori Sceptrum veniente Christo non cessavit : Ergo &c.

Re-

Respondeo negando minorem: Ad probationem dico, triginta sex annos pro nihilo reputari inter tot sæcula a Jacob extincto ad Christum usque natum: quocirca licet Dominus mundum consecraturus apparuerit anno regni 36. Herodis, sufficit pro Vaticinii adimpletione, cum constet & Salvatorem natum fuisse, regnante alienigena, & regnum de facto fuisse tunc temporis e Judęorum manibus ereptum. Quid plura referam? Cessatio imperii Judaici a Jacob & a Daniele prænuntiata non in instanti Arithmetico, sed morali & paulatim eveniri satis fuit: quod quidem incepit a Pompejo, cum Judæam populo Romano tributariam fecit: tum paulo post Herodes a Senatu Romano consulto, favente Marco Antonio, Rex Judæę inauguratus est, ipso vero extincto, auxit in pejus Reipublicę Judaicę interitus; Archelaus enim Herodis filius Judeę Tetrarcha, tantum a Romanis creatus, deinde in exilium Viennam missus est, quo facto, Judęa in Provincię formam redacta fuit, & eo miseriç devenerat, tempore Passionis Christi. Tandem consummata est sceptri extinctio, cum Titus & templum & Jerosolymam funditus evertit.

Respondet R. P. Harduinus non ignoti nominis Theologus, Sceptrum Judę prorsus cessasse in sancto Josepho sponso *Deiparæ*, quippe qui solus in linea recta David filius remanens, haberet non quidem jure proprietatis, sed hęreditatis Sceptrum, quandoquidem vel ipse non habuit filios: quę quidem jucunda responsio potest applicari ad solvendam Machabæorum difficultatem, dicendo Assamonæos habuisse quidem sceptrum jure proprietatis, nusquam vero jure hęreditatis, cum hoc esset penes Judæ nepotes: & in isto sensu sceptrum remansit ad Christum usque apud Judam.

Urgent: Atqui sceptrum non cessavit vel in ipso Herode juxta priorem responsionem: Ergo &c. Probatur subsumptum: Herodes erat Judæus: Igitur sceptrum non excidit a Judæis tempore Herodis.

Probatur Herodem fuisse Judæum.

PRIMO QUIDEM Ritum & religionem Judæorum Herodes Ascalonita observabat.

Secundo: Templum a fundamentis in meliorem restituit statum.

Tertio: Filiam Neptem Hircani supremi Pontificis uxorem habuit. Observes hic velim Judæis non fuisse licitum suas alienigenis in matrimonio filias conjungere.

Quarto: Herodes fuit circumcisus.

Denique: Dato & non concesso Herodem natione Idumæum fuisse, hoc vel minimum quidem ab argumento non detrahit, tum quia Judæi erant cum Idumæis affines; Idumæi quippe ab Esau fratre Jacob ortum ducebant, adeoque erant ipsorum Judęorum fratres, juxta illud Deuteronomii 23. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* Ceterum uno circiter ante Christum natum sæculo, Hircano summo Pontifice, Idumæi devicti sunt a Judæis, qui & illos veluti Proselytos circumcidi voluerunt. Igitur Herodem fuisse Judæum constat.

Respondeo I. istud argumentum ne ullum quidem adversus datam solutionem facessere negotium, quod multis probatur momentis. Et vero sive Herodes Ascalonita fuerit Judæus vel non, nihil ad nostrum propositum facit: Duo quippe rata & certa habentur, videlicet Rempublicam Judaicam in interitum abire cœpisse antequam Herodes inauguratus fuisset in Regem, eo scilicet tempore quo Pompejus eam Romano adscivit imperio; tum Herodes a Romanis obtinuit Sceptrum, ut omnes ferme scribunt auctores: quod potissimum apparuit cum Judęa in quatuor partes divisa, totidem Tetrarchis, ut refert S. Lucas, commissa fit. Secundo, ab Herode regnante crevit, ut jam jam dictum est, ad ultimum usque exterminium regni Judaici devastatio.

Respondeo II. Distinguendo: Herodes erat Judęus religione, cultu & Circumcisione, concedo: ex Prosapia, subdistinguo: indirecte & secundum lineam collateralem, concedo: directe, nego. Hoc ipsum constat ex probationibus; sancti quippe Doctores & alii illum ut natione Idumęum habent; quippe qui ex Patre Idumęo ortum duceret, unde eatenus tantummodo Judęus, quatenus Idumęi habebant pro Patre Esau fratrem Jacob. Att. iste Patriarcha non filios fratris sibi adversarii, sed filium suum Juda benedicere intendebat.

bat. Verum ut hæc solutio magis elucescat, observandum est Judæos fuisse in triplici differentia; quosdam scilicet ex prosapia tantum, ut illi qui coram Antiocho Rege, vel metu tormentorum, vel bonorum temporalium spe adducti, fidem Dei veri abnegarunt: alios ex Prosapia & religione simul, qualis fuit David, qualesque fuerunt ejus filii: alios denique tantummodo ex religione, ut ii qui idolis repulsis, fidem veri Dei & circumcisionis ritum observabant, & hi vocabantur Proselyti: tales erant Idumæi, qui, ut dictum est, circumcisionem & religionem Judaicam amplecti compulsi sunt; sed revera tamquam alienigenæ habebantur, juxta illud Psal. 107. 10. ubi David sic effatur: *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt*. Porro prophetia de Judæis ex prosapia Judæ oriundis intelligitur; ex quo manifeste sequitur Herodem Ascalonitam ad summum religione Judæum, in Vaticinio Jacob veluti Judæ filium concludi. Et sic patet solutio, tum ad objectionem, tum ad instantias, quæ quidem unum tantummodo evincunt, nimirum Herodem fuisse religione Judæum, tametsi in hac fuerit parum devotus, quippe qui Aquilam auream magni ponderis in gratiam Romanorum Imperatorum, quibus placere studebat, in templo Dei collocari jusserit; quod certe magna erat secundum legem abominatio: quia vero multus est in Scripturis sacris de Herode sermo, ad faciliorem prophetiæ laudatæ, & aliarum scripturarum intelligentiam, non abs re erit hic paucis Herodis genealogiam texere.

Genealogia Herodis Ascalonitæ.

HERODES Ascalonita habuit pro Patre Antipatrum Idumæum, virum quidem pecuniis affluentem, insuper & factiosum: iste autem Hircanum movit ad pugnandum adversus Aristobulum: filios habuit multos ex Cyprina uxore, Phasaelum scilicet, Herodem Ascalonitam nuncupatum, Josephum & Pheraram, filiam vero Salomem. Cæsari amicitia conjunctus erat ille Antipater, ab eo, ea, quam eligeret, in Syria præfectura, & Judææ procuratione donatus est; Phasaelum Jerosolymis, Herodem Galilææ præpofuit, &c. Josephus Lib. 14. antiq. cap. 14. & 15.

Jam vero cum Herodes Ascalonita Antigonum Aristobuli filium, prælio dato vicisset, tantos hac victoria apud Hircanum adeptus est honores, ut Mariamnem ejus neptem, filiam Alexandri filii Aristobuli pro uxore obtinuerit, ex qua quidem filios habuit Alexandrum & Aristobulum: aliam antea acceperat uxorem nomine Dorem, ex qua Antipatrum susceperat; priusquam scilicet ex Senatu consulto in Regem fuisset inauguratus; alias deinde septem habuit uxores, ex quibus quatuor filios suscepit, nempe Archelaum, Herodem Antipam, Philippum & Lysaniam, quos patre mortuo, Cæsar Augustus, Herodis Regno in quatuor partes diviso, Tetrarchas constituit: Archelaum quidem Judææ; Herodem Antipam, Galilææ; Philippum, Iturææ & Trachonitidis; Lysaniam, Abilinæ: ut habetur Lucæ 3. & apud Josephum Lib. 17. Antiq. cap. 13.

Herodes Ascalonita Innocentes occidit, & ipso regnante Christus natus est. Herodes secundus, Antipas dictus, filius Ascalonitæ, S. Joannem Baptistam decollavit, Christum vero in Passione veste alba induit, atque illusit: Herodes tertius cognominatus Agrippa, filius Aristobuli filii Herodis Ascalonitæ, & nepos Herodis Antipatri Jacobum fratrem Joannis occidit gladio, sed & Petrum in vincula conjecit, ut habetur Actuum 12. Herodes quartus Agrippæ nomine secundus seu junior appellatus, fuit filius prioris Herodis Agrippæ: coram eo Paulus victus causam suam peroravit, ut habetur Actuum 25.

Solvitur alia difficultas de perseverantia Sceptri tempore Passionis Christi, & adhuc ea ipsa elapsa.

OPPONUNT nonnulli in gratiam Judæorum: Christus ipse erat Rex, & quidem de Tribu Juda: Igitur, ipso præsente, nondum erat Sceptrum ablatum: & de facto Apostoli numquam usi sunt Vaticinio Jacob ad probandum Christum esse Messiam. Antecedens patet juxta illud Joan. 18. 27. *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego: Ego in hoc natus sum.*

Respon-

Respondeo distinguendo Antecedens: Et prophetia intelligitur de ablatione sceptri ab eis qui per Seminalem propagationem a Juda suam ducebant originem, concedo. De ipso Messia ex Virgine per Spiritus sancti operationem nascituro, nego. Sensus igitur ille est, ut primum potestas suprema a Judæis excidet, tunc veniet Messias. Ceterum Christus non erat Rex terrenus, sed spiritualis; sic enim ibidem habetur v. 36. *Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis.* Et v. 37. post illa verba: *Rex sum ego. Ego in hoc natus sum;* subjungit: *Et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Audis totum regnum spirituale.

Ad confirmationem distinguo: Apostoli non usi sunt Vaticinio Jacob ad probandum Christum esse *Messiam*, ne loquendo de ablatione Sceptri exosi fuissent Judæis, quos ad Christi fidem convertere satagebant, maxime vero cum innumera alia pro eodem momento haberent testimonia, concedo: eo quod oraculum Jacob non intelligeretur de Christo, nego.

Instant: Atqui suprema potestas ne quidem tempore Passionis Christi a Judæis erat ablata: Ergo &c. Probatur subsumptum ab exemplis: Primo quidem, habetur Joan. 8. 3. quod Judæi adduxerint ad Christum mulierem in adulterio deprehensam, ut illam lapidarent. Secundo, ipsum Christum vinctum duxerunt ad Caipham Sacerdotum principem, qui auditis falsis testibus, morti subeundæ illum adjudicavit; sic enim habetur Matth. 26. 65. *blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam; quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Judæi tunc temporis supremam absolute habebant potestatem, nego. Aliquam, subdistinguo; precariam, tributariam & dependentem, concedo: independentem, nego. Prior quæ est jus in mortem, soli competit Regi: dependens vero habetur ex privilegio modo quoad instructionem litis, modo etiam ad pœnam infligendam: absolutam illos non habuisse, vel ipsi testantur Judæi Joan. 18. 31. *Nobis non licet interficere quemquam.* Rursus 19. 16. his verbis: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Discussa igitur reorum causa, eos ad Præsidem ducebant ut morte afficerentur. Sic Christus ad Pilatum missus est, ut ab eo judicaretur.

Insistunt: Atqui vel ipsam independentem potestatem tunc habebant Judæi: Ergo &c. Probatur subsumptum: Joan. 18. 31. Pilatus nolens causam Christi discutere, eos sic alloquitur: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum.* Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et Pilatus ne sanguinem innoxium condemnaret, concessit Judæis pro hac vice potestatem ad mortem, concedo: & jure avito in eis perseverabat, nego. Solutionem ab ipso Judæorum ore habemus his verbis immediate subsequentibus: *Dixerunt ergo ei Judæi: nobis non licet interficere quemquam.* Quod autem Judæi neminem, inconsultis Romanis, tunc temporis potuerint ad mortem condemnare, Testis est Josephus, qui Lib. 20. Antiq. cap. 8. refert, quod cum Ananus SS. Pontifex, mortuo Festo Judææ principe, & Albino ejus successore adhuc agente, in itinere, Sanhedrin advocasset, & fratrem Jesu Christi Jacobum nomine, & una quosdam alios veluti reos impietatis lapidandos tradidisset, quidam Judæi occurrentes Albino venienti ab Alexandria, eum monuerunt, non fuisse licitum Anano Sanhedrim convocare: quo facto, scripsit Pontifici pœnas se pro isto facinore illi inflicturum. Audis ex Josepho tunc temporis Sanhedrim potestate suprema exutum: neque vero diffitentur Judæi in Talmude, tractatu Sanhedrim cap. 5. quadraginta circiter annis ante civitatis & templi dilapidationem excidisse potestatem judicandi ad mortem a supremo Judæorum Senatu.

Replicant: Atqui illa suprema potestas, vel ipsa transacta Domini Passione Judæis permansit. Ergo &c. Probatur ulterioribus factis, quæ vim habent pro isto momento. Cap. 7. Actuum Judæi S. Stephanum ad Concilium duxere, quem absque Romanorum consensu veluti legis Mosaicæ transgressorem lapidaverunt. Insignis est etiam pro eadem causa missio Sauli persecutoris in Damascum, ut Christianos

stianos ibi commorantes vinctos & puniendos perduceret in Jerusalem; sic enim habetur Act. 9. 1. *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas; ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres vinctos perduceret in Jerusalem*. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad primum factum distinguo: Judæi lapidaverunt Stephanum motu seditionis & furoris acti, inconsultis Romanis, quorum animos pecunia placare studuerunt, concedo: lapidaverunt auctoritate legitima freti, nego. Solutionis veritas ex ipso Scripturæ textu claret: sic enim habetur: *Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum; & ejicientes eum extra civitatem lapidabant*, &c. Eadem est solutio ad factum Sauli.

Instant: Atqui suprema eaque legitima potestate hæc fecerunt: Ergo nulla solutio. Probatur subsumptum: Illi sui prorsus juris supremi erant, qui legationem ad imperatores Romanos non semel pro suis negotiis miserunt; quandoquidem legatio non nisi a supremis Principibus mitti dicitur: Atqui sic fecere Judæi; Et probatur. Anno Christi 42. & Caii Imperatoris 4. Philo ad Cajum a Judæis missus est, ut gentis suæ partes ageret adversus Appionem, qui multis calumniis Romæ lacessiverat Judæos. Hæc omnia refert Eusebius Lib. 2. cap. 5. alterum factum percelebre est iterata Judæorum legatio ad Claudium Imperatorem anno Christi 48. Claudii vero 6. ut stolam & vestem Pontificalem pro more portarent, & non Cuspius Fadus, qui ut Judeæ procurator pro Romanis istud sibi jus arrogare tentabat, ut scribunt Nicephorus Lib. 1. cap. 4. Lib. 14. cap. 2. Lib. 15. cap. 14. Metaphrastes die 18. Octobris; ante ipsos Josephus Lib. Antiquit. 20. cap. 3. & Baronius ad hunc annum: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Judæi miserunt legationem proprie dictam, & per modum auctoritatis quæ est æqualium ad æqualem, nego. Improprie dictam, subdistinguo; hoc est, nominaverunt aliquos qui per modum supplicationis libellum Imperatoribus offerrent, ut suas agerent partes, concedo: & eorum deputati legatorum munere fungebantur, nego. Licitum erat etiam infimæ nationis concivibus apud Romanos sua peragere negotia, sed non inde concludendum tunc temporis Judæos sui juris extitisse; cum potius e contra a Claudio ab urbe ejecti, hinc inde fugitivi modo in una, modo in altera civitate commorabantur; quinimmo nec nisi pecunia numerata ad nostra usque tempora habent domicilium.

Fit satis objectioni, qua probatur Christum non esse de Tribu Juda.

Opponunt Judæi, seu Hæretici pro Judæis: Una e prerequisitis conditionibus prophetiæ laudatæ in Christo adimplendæ, est quod Messias sit de Tribu Juda: Atqui Jesus Christus Nazarenus non est de Tribu Juda; & probatur multis momentis: Primo quidem, *Messias* filius David non nisi cum magna gloria sessurus est super sedem Patris sui; sic enim habetur Luc. 1. 10. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris sui: & regnabit in domo Jacob in æternum: & Regni ejus non erit finis*. Secundo, ex Talmude Jerosolymitano duo distinguntur Christi, alter filius Joseph, & sua exinanitione humilis; alter vero filius David, & gloria percelebris, quæ quidem opposita uni & eidem convenire non possunt: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: *Messias* sessurus est cum pompa super sedem Patris sui in secundo post sæcula adventu, concedo: in primo, nego. Venit ut Salvator & medicus, idcirco ut justitiæ divinæ faceret satis. Primum sese exinanivit factus homo, sed in fine sæculorum veniet, ut enarrant Evangelistæ, cum Majestate magna judicaturus orbem in æquitate. Igitur absque fundamento duos esse personaliter Christos Judæi in Talmude commentiuntur, maxime vero cum diversa de Christo prænuntiata mirum in modum concilientur juxta diversum adventum: quin immo vel ipse prior gloria ineffabili non caruit; cum Christus vagiens in stabulo ab Angelis annuntietur, a Magis postea adoretur, & in templo, ut lumen ad revelationem gentium, & ut potens opere & sermone celebretur.

In-

Instant: Christus Jesus ex Tribu Levi suam ducit originem: Igitur non ex Tribu Juda. Probatur Antecedens. Primo quidem Deuter. 18. 15. habetur: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus.* Sic Deus alloquitur Moysen qui erat de Tribu Levi, utpote Aaron Germanus. Hunc autem percelebrem fratrem suscitandum, Messiam esse scribunt sancti Doctores & Interpretes. Secundo, S. Lucas qui Christi texuit genealogiam ab Adamo usque ad ipsum, silet Tribum Juda, eamque per lineam Sacerdotalem, scilicet Nathanis, qui fuit filius naturalis Uriæ Sacerdotis a Davide Rege, post initum cum Bersabea uxore Uriæ matrimonium adoptatus. Ergo &c.

Respondeo, negando Antecedens propter rationes in probationibus allatas. Ad primam probationem distinguo: Et Christus ex Tribu Juda oriundus erat, frater omnium Tribuum familiarum, quatenus omnes Tribuum duces erant unius Patris scilicet Jacob filii, concedo. Ita ut Christus hic prænuntietur veluti de Tribu Levi nasciturus, subdistinguo: secundum quid, quatenus Immaculata Virgo etiam aliquo modo ad Tribum Levi pertinebat, scilicet ratione matris suæ, concedo: simpliciter, nego. Ad veritatem oraculi hoc ipsum sufficit; ita ut sit ille sensus non de alienigenis, sed de fratribus tuis suscitabo Messiam.

Ad alteram probationem distinguo primam partem: S. Lucas silet Judam sub finem genealogiæ, & etiam non incipit a Juda, concedo: silet absolute, nego. Namque cap. 3. versus medium de genealogia Christi loquens, ait: *Qui fuit Phares, qui fuit Juda, qui fuit Jacob.* S. Matthæus vero qui ante S. Lucam texuit genealogiam, incipit ab Abraham & David, quorum Christum dixit filium, quæ quidem discrepantia pro nihilo habetur. Apostolus Hebr. 7. solvit dubium, Christum enim *Messiam* non ex Tribu Levi, sed potius Juda ortum asserit, his verbis: *Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat... Quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum Aaron dici .... Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Tametsi igitur nonnulli vel ipsos inter Patres genealogiam Christi per ordinem Leviticum a S. Luca ductam propugnaverint, aliis, & non istis adhærendum est, cum a SS. Matthæo & Paulo Christum de Tribu Juda oriundum habeamus, nec hoc ipsum a S. Luca taceatur. Ceterum non constat Uriam virum Bersabeæ fuisse Sacerdotem, nec consequenter Nathanem. Quid plura? Nathan non fuit filius naturalis Uriæ, sed potius David, ut habetur Lib. 1. Paralipomenon cap. 3. 5. his verbis, quibus referuntur illius generationes: *Porro in Jerusalem nati sunt ei filii Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bersabee filia Ammiel.* Concinit Josephus Lib. 20. Antiq. cap. 18. ubi seriem Pontificum refert; namque nullius recordatur eorum, quos S. Lucas recenset a Nathane usque ad Josephum virum Mariæ, quod quidem non levius argumentum est, neminem eorum fuisse Sacerdotem.

Urgent: Si Christus inter filios Juda annumeraretur, primo Abrahæ, deinde vero Davidis, fuisset in Habrahamo decimatus: Sed hoc repugnat homini Deo, quandoquidem decimatio ea Abrahæ actio est, qua Patriarcha obviam cum muneribus occurrens Melchisadech, sese ipsi inferiorem esse testatus est: Christus vero, ut habetur Heb. 1. & 7. & Patriarchas, & Melchisedech in immensum superat: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Si Christus foret ex Tribu Juda per seminalem propagationem Adami peccato defloratam, fuisset in Abrahamo decimatus, concedo: si operatione Spiritus sancti, nego majorem: & sic distincta minore, nego consequentiam. Christus habuit quidem sui corporis materiam ab Adamo, Abraham & David, sed incorruptam; & ideo nusquam in Abraham decimatus est. Ita sanctus Augustinus Lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 20. " Non autem ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur, non illud unde curabatur. " Idem ex professo docet S. Thomas hic q. 31. art. 8.

Insistunt: Non potest Christus esse ex Tribu Juda nisi per beatissimam Virginem Mariam, cum solum Deum habeat Patrem: Atqui beatissima Virgo erat de Tribu Levi, namque Luc. 1. dicitur cognata Elisabeth una de filiabus Aaron. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Beatissima Virgo erat cognata Elisabeth ex linea materna, concedo: ex paterna, nego. Sanctus Augustinus libro de consensu Evangelistarum cap. 2. scribit beatissimam Virginem ad Tribum Judam simul & Levi pertinuisse: quæ quidem solutio ut intelligatur, advertendum est Hebræorum virgines in duplici extitisse differentia: quædam enim mortuis masculis hereditati succedebant, e contra vero ceteræ quæ fratres adjunctos habebant: non licebat prioribus nubere cum viris a Tribu sua alienis, juxta legem Numerorum ultimo, ubi sic habetur: *Omnes enim viri ducent uxores de Tribu & cognatione sua; & cuncta femina de eadem Tribu maritos accipient: ut hereditas permaneat in familiis*. Aliæ vero indiscriminatim, maxime ex Tribu Levi oriundę cum Juda matrimonio copulabantur, immo & cum aliis ex ceteris Tribubus, quippe quę nullam haberent hereditatem propriam. Ita exprese D. Thomas 1. 2. q. 105. art. 2. ad 2. quod autem lex sancita ad solas Virgines hereditatem possidentes limitetur, patet ex textu hebraico, ubi sic habetur: *Omnis ideo filia possidens hereditatem de Tribubus filiorum Israel, alicui de familia Tribus Patris sui erit in uxorem, ut hereditent filii Israel singuli possessionem Patrum suorum*. Targum Onkelos legem sic refert atque explicat: *Omnis filia heres possessionis de Tribu filiorum Israel, uni de familia Tribus Patris sui sit in uxorem, ut hereditent filii Israel singuli possessionem Patrum suorum*. Versio Syriaca eodem prope modo legit: *Quæcumque filia possederit hereditatem ex Tribu filiorum Israel, alicui ex Tribu Domus Patris sui nubat, ut possideat quisque filiorum Israel hereditatem Patris sui*.

Jam ad beatissimam Virginem convertitur oratio; eam autem Joachim & Annę prolem unicam fuisse docet Baronius in apparatu ad Annales Ecclesiasticos; quocirca tametsi pauperrima fuerit, juxta legem viro ex Tribu sua, scilicet Judæ matrimonio conjungi debuit: quo gradu vero esset Joseph propinqua, non referunt Evangelistæ, cum unum hoc sufficiat ejus ex Tribu Juda texere genealogiam: Demum quod generatio Christi non ex Maria, sed ex Joseph linea ducatur ea duplex est ratio: una scilicet, quia apud Hebræos invaluerat consuetudo genealogiam non ex uxore, sed ex viro texere: altera, si Maria sola nominata fuisset, timendum erat ne a Judæis veluti adultera lapidaretur. S. Ambrosius Lib. 3. in Lucam de hoc momento sic loquitur: " Noli mirari, quod Joseph origo descripta est, „ etenim secundum carnem natus usum „ debuit sequi carnis: Et qui in sæculum „ venit, sæculi debuit more describi, „ maxime cum in Joseph origine etiam „ origo sit Mariæ; nam cum vir justus „ fuerit Joseph, utique ex Tribu sua, & „ ex Patria sua accepit uxorem, nec potuit justus facere contra id quod lege „ præceptum est. „ Istæ solutiones sunt quoque ex divo Thoma, qui hic q. 31. art. 2. ex professo docet Christum ex Tribu Juda procreatum. Ad primum sic habet: „ Ut enim dicit sanctus Hieronymus super Matthæum ex una Tribu „ fuit Joseph & Maria; unde ex lege eam „ accipere cogebatur ut propinquam: propter quod & simul censentur in Bethlehem, quasi simul de una stirpe generati.

Reponunt: Ea conditione *Messias* venire debet, quando filii David Dei testamentum custodierint, juxta illud Ps. 133. 12. *Si custodierint filii tui Testamentum meum ... sedebunt super sedem tuam*. Sed ad hæc usque tempora non custodierunt; cum Salomon & ceteri pene omnes Juda Reges mandata Dei non servaverint; hinc Judæi nunc captivitate detenti, nunc a Græcis fracti, tandem vero a Romanis dilapidati sunt. Nullus igitur ex Tribu Juda ortus est qui super sedem David sedere meruerit: immo nec ipse Christus sessit, quippe qui fuerit pauper & humilis, & ejus tempore plurimum exagitati sint Judæi: Ergo, inquiunt, veniet tempus quale non fuit, & *Messias*, qui restaurabit domum Israel, & postea domus gloria in immensum juxta Prophetam Aggæum 2. 10. superabit pristinæ splendorem: *Magna*, inquit, *erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ*.

Re-

Respondeo distinguendo: Et conditio adimpleta est in Christo propter rationes jam jam allatas, concedo: & non adimpleta est, nego. Et vero Ecclesia quæ est domus posterior, refulsit in Lucem magnam, tum Christi & Apostolorum miraculis, tum vocatione & conversione Gentilium: & sic distincta minore nego consequentiam.

Synopsis Articuli, quatuor modos explicandi Vaticinium complectens.

MIRUM est quantum Judæos Vaticinium Jacob torqueat; unde omnia tentant ut illud evacuent, ne tanto convicti testimonio, iniquitas mentiatur sibi, & Christum tamquam verum *Messiam*, sicut decet Fideles, agnoscere teneantur. Et vero, tametsi variis modis illud oraculum explicent tum Patres, tum Theologi, in unum tamen omnes coincidunt, atque clare demonstrant *Messiam* venisse, nec alium esse præter Jesum Nazarenum, qui quidem solus fuit expectatio gentium, ipso testante Isai. 60. 1. *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Quæ verba de *Messia* intelligi, nec ipsi Rabbini diffitentur: verum & hoc vaticinium in Christo fuisse adimpletum, una voce conclamant primorum sæculorum Patres.

Jam ad vaticinium Jacob adventum Messiæ indicans convertitur oratio; quod quidem brevi, sed efficaci ostenditur ratiocinio, quatuor modos, quibus prophetia Jacob explicari potest, complectente. Et vero nomine Sceptri non solum apud novæ Legis Doctores, atque Interpretes, sed etiam apud Synagogæ Rabbinos, seu Doctores, intelligitur potestas suprema, quæ modo in Concilio concluditur, modo in potestate regali, modo in ducali, modo etiam partim in ducali, & terra, atque possessione a Deo Judæis concessa: Sed quocumque modo suprema ista potestas intelligatur & concipiatur, claret jam jam penitus eam a Judæis excidisse, maxime Christi temporibus. Igitur concedant Judæi *Messiam* venisse, eumque esse Christum, cum in ipso omnes adimpleantur prophetiæ conditiones, ut non semel supra diximus; quocirca in explicandis diversis sententiis, circa Vaticinii adimpletionem, seu modis exponendis totus erit sermo.

Primus Modus.

CONCILIUM supremum Judæorum *Sanhedrin* vulgo nuncupatum, in quo summa residebat potestas, tum in Scripturis sanctis, tum in Rabbinorum scriptis non semel celebratur: Porro non ignoti nominis auctores asserunt, immo & propugnant, tantummodo cessasse cum Christus suo adventu consecravit mundum; ex quo liquet Sceptrum tunc temporis a Judæis fuisse ablatum, adeoque Christum verum esse *Messiam* a Patriarcha Jacob prænuntiatum, maxime vero cum juxta illud oraculum Christus, ut primum aufferendum erat sceptrum, venire deberet.

Jam de initio, de progressu, de fine hujus Concilii & Senatus, in quo suprema Judæorum affulgebat potestas nonnihil discurrendum est, ut veritas legentium oculis cito-citius, & occurrat & subjiciatur.

Ortum duxisse a Moyse non levior est suspicio, quando scilicet Deus, Seniores, qui judicarent Israel illi conjungi voluit, præcepitque. Non obscura quoque de hujus Concilii Senatoribus fit mentio, quum septuaginta Seniores qui sacras interpretarentur Scripturas, ad Ptolemæum Philadelphum Regem Ægypti missi sunt: sed multis retro sæculis, Respublica Judæorum isto utebatur Concilio; Libro quippe 2. Reg. habetur, Salomonem habuisse Seniores, qui ipsi pro regni regimine assisterent, quos & adscivit Roboam filius ejus pro eodem fine. Durante captivitate Babylonica tota suprema potestas Reipublicæ judaicæ erat penes illum Senatum, ut constat ex judicio percelebri quo Daniel Seniores populi judices incontinentes & scandalosos judicavit, atque lapidare jussit. Hoc ipsum tempore Machabæorum luce clarius apparet; tanta quippe erat hujusce Senatus auctoritas, ut non nisi ejus auctoritate electi sint in duces Machabæi. Decursu vero temporis, scilicet versus Herodis tempora imminui cœpit Concilii Sanhedrin potestas, quandoquidem, prostratis Judæis Herodes,

alienigena a Romanis Judææ imperium obtinuit, unde Judæi nonnisi potestatem ligatam, precariam, atque dependentem habebant. Circa annum Christi 33. prorsus languescere & in interitum vergi cepit ista potestas; tametsi enim aliquod adhuc esset Senatus Judæorum vestigium, cum causam nocentis rei instituere possent, non tamen interficere valebant, sicut ipsi Scribæ & Pharisæi tempore passionis Christi Pilato responderunt: *Nobis non licet interficere quemquam*. Denique funditus periit Senatus, cum Respublica Judæorum Vespasiani & Titi Romanorum Imperatorum temporibus subversa est.

Ex his omnibus liquet Sceptrum Judæorum, nomine Senatus supremi intellectum penitus cessasse, circa Christi tempora. Igitur relinquitur Christum esse verum *Messiam*, cum juxta Jacob vaticinium *Messiam*, ablato sceptro, venire & debuerit, & contigerit.

Fortassis reponent Judæi, inter eos Concilium laudatum, seu Senatum adhuc permanere, sed certe non Senatus, quippe qui potestatis supremæ merum sit phantasma, quandoquidem juxta prophetiam Oseæ cap. 3. & sine Ephod, & sine Rege, & sine potestate, omnibus exosi nationibus & fugitivi permaneant.

Secundus Modus.

PHILO inter Judæos doctissimus in appendice Tempor. protrahit Sceptrum Judæ ad Herodis usque tempora & ultra absque negotio: nomine quippe Sceptri ex ipso intelligendum venit suprema potestas, tum in temporalia, tum in vitam, tum etiam in terram & urbes, quæ Reipublicæ subjiciuntur Imperio.

Hanc potestatem tempore Davidis incepisse, nemo non novit, & ita refertur Lib. 1. Regum, qui quidem Rex de Tribu Juda oriundus erat, ut testantur Judæorum simul & Christianorum Chronologiæ: porro adimpletio vaticinii Jacob, ut ipsi sonant termini: *Non auferetur Sceptrum de Juda &c.* computari debet a tempore quo Sceptrum in domum Judæ intravit; cum autem suprema potestas laudata penes Reges & Duces, ut verba Jacob indicant, fuerit, citra dubium est præfixum adimpletionis prophetiæ tempus a David incepisse. Nec mirum, omnia vaticinia certa habent pro adimpletione tempora, ut patet ex septuaginta hebdomadibus Danielis cap. 13. quæ juxta ipsum Prophetam ab anno vigesimo Artaxersis Longimani computandæ sunt.

Quibus præsuppositis certum est Sceptrum per regalem potestatem a David, usque ad Sedeciam inclusive permansisse: sic refertur Jerem. 38. 39. verum quidem est scissum fuisse Judæorum regnum tempore Roboam filii Salomonis, Jeroboam vero juxta Ahiæ dictum decem attraxisse Tribus, ex quibus conflatum est regnum Israel, cujus civitas regalis erat Samaria; illud autem regnum per captivitatem Ninive sub rege Salmanazar fuit dissipatum, namque omnes ferme Israelitæ miseriis perierunt, paucis exceptis de Tribu Benjamin, quos ex commiseratione fraterna Judæi receperunt. Igitur hac durante captivitate florebat regnum Juda in terra Juda; tunc autem Benjamitæ fugitivi, appellati sunt Judæi, sicut & Levitæ qui cum Juda commorati sunt: Porro soli filii Judæ in propria possessione clavum regni tenebant. Nec mirum, Benjamitæ erant veluti Judæorum servi, seu fugitivi fratres, qui ex se nullum habebant ad possessionem Judæorum jus, Levitæ vero absque terra & hereditate ex ordinatione Dei vivebant.

Jacob cuncta prænoscens, dum benedixit Judæ, memoriam fecit & de Regibus, nomine Sceptri, & de Ducibus qui Regibus succedere debebant. Unde quando Duces post Reges gubernarunt, non ideo censebatur Sceptrum Judæ ablatum, tum quia inter Duces multi fuerunt ex Tribu Juda, videlicet Salathiel, qui anno 37. captivitatis Babylonicæ Ducatum ab Evilmerodahc accepit, post transmigrationem ei successit Zorobabel, & sic usque ad Assamonæos seu Machabæos, qui quidem erant de Tribu Levi, attamen sceptrum Judæ obtinebant, nam & ex electione Procerum Juda electi fuerant in Duces, & in terra Juda imperabant. Sicut ergo Poloni tametsi alienigenam eligant in Regem, remanet tamen Sceptrum seu regnum Poloniæ, eo quod ille qui est in Regem inauguratus supremam habeat potestatem, tum ex electione Senatus Poloniæ, tum in terra Polonorum, pari

& non

& non absimili ratione Machabæis Rempublicam Judæorum regentibus, semper perseveravit Sceptrum Judæ usque ad Herodem alienigenam.

Igitur deficientibus in captivitate Babylonica Regibus, successerunt Duces, etiam in ipsa captivitate, ut patet ex judicio Danielis, qui senes scandalosos & calumniatores morti addixit; maxime vero post transmigrationem Babylonicam floruerunt Duces de Tribu Juda usque ad Machabæos, qui regnarunt annis circiter centum sexaginta sex, & post ipsos quidam alii de genere Levitico, usque ad Herodem, quorum nonnulli etiam sibi imposuerunt diademata. Nec minimum quidem facessit negotium quod Jacob, sic locutus sit: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus*; Quasi potestas Regalis & Ducalis eadem esset, seu simul esset; ea quippe tantum fuit successiva, ut probavit eventus; & ita colligitur ex Septuaginta interpretibus; sic enim vertunt; *Sceptrum de Juda .... Non deficiet, Juda*. Et Chaldaica paraphrasis: *Non auferetur habens primatum a domo Juda*. Ita ut illud: *Et dux de femore ejus*, sic reddant: *Et dux ex femoribus ejus*.

Ista explicatio, quam specialiter adoptamus, clarissime explicat Sceptrum a David, usque ad Herodis tempora permansisse, postea vero ad alienigenas transmissum fuisse, videlicet ad Romanos a quibus illud acceperat Herodes: Sed tunc temporis venit Christus: Igitur est vere *Messias*.

Tertius Modus.

NONNULLA exoritur difficultas circa ultima prophetiæ verba: *Non auferetur sceptrum de Juda*; quod quidem oraculum indicat Patriarcham Jacob specialem filio suo Judæ affixisse benedictionem, quod tamen verificari non videtur tempore Machabæorum, quippe qui ex prosapia Levi Duces assumpti sint. Verum ordo prophetiæ sicut & adimpletio, his non obstantibus, optime servatur & explicatur per verba subsequentia: *Et dux de femore ejus*. Tametsi igitur Machabæi ex linea paterna de Tribu Juda non sint oriundi, bene tamen ex linea materna, namque Joarib eorum magnus pater erat de domo Aaron, qui pro uxore acceperat Elisabeth, filiam Aminadab de Tribu Juda, ut habetur Exod. 6. 3. quod & non obscure indigitat paraphrasis Chaldaica, quæ vertit: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femoribus ejus*. Pii intelligant lectores Jacob cuncta prævidisse, & benedictionem Judæ a Regibus, & per Duces etiam ex linea materna oriundos ad Christum usque fuisse protractam.

Incassum aliqui reponunt, uxores veluti pro nihilo apud Judæos habitas seu computatas fuisse, namque Deus promittens Abraham quod in semine ejus cunctæ benedicerentur nationes, utrumque complexus est sexum, viros scilicet atque mulieres: mulieres, inquam, quæ sicut viri jus habebant ad hereditatem, adeoque & filii ab ea procreati, ut legitur de quinque filiabus Salphaad ex Tribu Juda, quæ postularunt suam in terra promissionis partem, & obtinuerunt, Josue 17. 3. ubi sic habetur: *Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manasse, non erant filii, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina, Maala, & Noa & Hegla & Melcha & Thersa. Veneruntque in conspectu Eleazari Sacerdotis, & Josue filii Nun, & principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.*

Quid dicam de Debora, quæ ordinante Deo, non sine magna sapientia judicavit populum, eumque ab hostium insidiis atque servitute liberavit, ut habetur Judic. 4. Quid de Esthere, quæ etiam gentem Judaicam a morte imminenti servavit? Quid de Judith, quæ ita famosa & perceleris fuit, ut Synagoga ejus victoriam super Holophernem annua festivitate celebraverit? Quid denique de beatissima Virgine, quæ omnium habuit benedictiones, dum Salvatorem in lucem edidit, quæque erat ex Tribu Juda simul & Levi: ex Juda per lineam paternam, ex Levi vero per maternam, quippe quæ esset cognata Elisabeth uxoris Zachariæ de vice Aaron; cautum enim erat in lege, ut mulieres Levitici generis propter Sacerdotii dignitatem, possent Matrimonio conjungi cum Tribu regali seu Juda.

Igitur ad prophetiæ adimpletionem sufficit ut Duces Machabæi fuerint de semine

Judæ per lineam maternam, cum totum adimpletum sit ultimate non in viris, sed in Beatissima Virgine quæ fuit Messiæ mater de Tribu Juda simul & Levitica, ita S. August. Lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 2. his verbis: " Cujus „ feminę quondam nec Sacerdotale genus „ tacetur, insinuante Luca, quod cognata ejus esset Elisabeth, quam dicit „ de filiabus Aaron, firmissime tenendum est, carnem Christi ex utroque „ genere propagatam, & Regum scilicet & Sacerdotum. „ Hanc prophetię explicationem, tamquam genuinam sequitur & prædicat Philo Judæus, qui Lib. 13. obser. scribit Duces tempore SS. Pontificum imperasse, quandoque tamen Pontifices simul & Duces extiterunt.

Dices: Tametsi Machabæi fuerint ratione matris de Tribu Juda, nihil inde roboris sumit argumentum pro perseverantia Sceptri in Tribu Juda, dum clavum Reipublicæ tenebant isti Duces. Ergo &c. Probatur subsumptum: Conceditur quidem licitum fuisse filiis Aaron assumere pro uxoribus filias Judæ, sed ea conditione ut non quascumque, sed illas assumerent solum quæ non erant heredes: illæ quippe, quæ mortuis fratribus habebant hereditatem, tenebantur nubere cum viris suæ Tribus, ne confunderentur contra legem hereditates. Igitur ex parte matris Machabæi nullum jus habebant ad Sceptrum, cum ex filia Aminadab non habente hereditatem & successionis locum, prodierint.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo antecedens: Et licet mulieres a filiis Levi assumptæ non haberent hereditatem, erant tamen de tribu Juda, & jus habebant ad hereditatem, licet non haberent proprietatem, concedo: & hoc non sufficit, nego. Ad oraculi adimpletionem satis est, ut Sceptrum manserit in Tribu Juda ratione patris, vel solius matris: quandoquidem femina habebat jus ad bonum patrimoniale, licet per accidens non semper habuerit proprietatem, ut cuum filio Levi per Matrimonium conjungebatur: maxime cum vaticinium attendi debeat secundum benedictionem spiritualem potius quam terrenam, cum terminetur ad Christum, & Sceptrum excidi deberit potius, quam augeri quando Messias venit: Quid mirum igitur, si jam temporibus Machabæorum Christi ævo affinibus paulatim potestas a Juda defecerit, & ex parte tantum fuerit apud eum, ducibus Assamonæis. Neque vero Jacob exclusit a benedictione mulieres quibus veluti per canalem filii procreati haberent jus ad hereditatem Judæ. Versio Lxx. legit: *Non auferetur Sceptrum de domo Jacob, & dux de femoribus ejus*. Quæ vox *femoribus*, indicat patrem & matrem: Porro Machabæi ex femore materno erant de Tribu Juda. Quod autem mulieres in hac re multi faciendæ sint, patet ex eo quod totum mysterium adimpletum fit in BB. Virgine, quæ erat simul de Tribu Levi, & de Tribu Juda.

Quartus Modus.

Non ignoti nominis auctor, Pater scilicet Arduinus Societatis Jesu eruditus Theologus propugnat Sceptrum in morte sancti Joseph Deiparæ sponsi ablatum fuisse, tametsi enim non proprietate, attamen jure habebat sceptrum. Fuit autem ultimus de domo & familia David, non enim præter ipsum alius legitur de regia prosapia, cum solus in Bethlehem suum nomen inscribendum dederit, juxta edictum Aug. qui voluit universum describi orbem. Igitur quando ultimum clausit diem S. Joseph, tunc prorsus excidit Sceptrum a Juda. Et sic adimpletum est quod dixerat Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum constet, ex illo Isaia 7. 14. vaticinio, ECCE VIRGO CONCIPIET, *Incarnationem esse adimpletam*?

Duplicis generis hostes istud debellant oraculum pro Incarnationis momento; Judæi ex una parte contendunt Isaiam loqui non de Virgine parienti, sed de muliere quæ quondam fuerat Virgo, postea nupsit & peperit. Quidam

dam alii nequam non sine blasphemia docuere beatissimam Mariam non permansisse Virginem, & Christum esse purum hominem. Contra priores Tract. de Scriptura Sacra, Dissert. 2. art. 13. sect. 5. punct. 1. suso calamo ostendimus verba Isaiæ intelligi de Virgine miraculose pariente: contra posteriores vero, scilicet Ebionistas & alios hujus surfuris homines, idem demonstramus tribus aliis mediis, probando beatissimam Mariam Christi dignissimam matrem fuisse, & esse Virginem immaculatam: Primo in Conceptione: Secundo in partu: Tertio, post partum & semper.

SECTIO PRIMA.

Utrum BB. Maria fuerit Virgo Immaculata in Conceptione?

Subnotare juvat quæstionem de immaculata DEIPARÆ VIRGINIS conceptione triplici modo intelligi posse: Primo quidem, ita ut non contraxerit debitum legis mortis, & in massa perditionis, in qua sunt singuli homines ex Adamo peccatore procreati, non fuerit conclusa, eo quod fuerit implicata in prædestinatione Christi, qui tametsi post peccatum Adæ prævisus, non inde tamen peccati debitum contraxit quantum ad reatum culpę, eo quod sit prędestinatus ut Redemptor & peccati atque inferni victor & triumphator: Non absimili modo Beatissima Virgo prædestinata ut Mater Christi & Corredemptrix a lege peccati & debito per privilegium adimi potuit. Alter quæstionis sensus est, num formata fuerit ex materia corrupta, sed ante animationem & conceptionis instans, quo anima in corpus infunditur, pręsanctificata fuerit. Tertius demum ita ut ex materia quidem corrupta formata fuerit, sed sanctificata eodem simul tempore quo anima conjuncta fuit cum corpore.

Conceptionem immaculatam in primo sensu defendunt non ignoti nominis Theologi, scilicet Catharinus Lib. de peccato originali cap. ultimo. Galatinus Libr. 7. cap. 10. Viguerius in institutionibus capit. 18. & alii, quam quidem piam opinionem tota mente, & corde veneror & probabilissimam teneo. S. Joannes Damascenus eandem in secundo sensu videtur propugnare oratione prima de Nativitate BEATISSIMÆ VIRGINIS, cujus verba infra referemus: Alii & quidem communiter in tertio sensu dictis, & scriptis, ea qua par est erga Deiparam reverentia illam propugnant: quibus quidem opinionibus lubenti animo assentimur, primam scilicet & alteram ut probabilissimam dicimus: tertiam, non quidem explicite, sed implicite de fide & inconcussam credimus. Quia vero aliquem in hoc offendere non est animus, sufficit nobis impræsentiarum omni argumentorum genere probare DEIPARAM AMANTISSIMAM omnium Christianorum MATREM in conceptione fuisse ab omni peccati originalis labe puram. Unde sit

CONCLUSIO.

Beatissima Virgo in sua conceptione a peccati originalis macula fuit ex privilegio immunis.

Probatur multipliciter.

Primum argumentum ex veteri & novo Testamento depromitur.

QUÆ serpentis caput contrivit, quæ fuit fons signatus, & porta orientalis soli aperta Deo, tota pulchra, & inter omnes creaturas benedicta, mulier amicta sole duodecim coronata stellis, & sub pedibus luna, quæ circulis menstruis defectum præsignat, dubio-procul ab omni peccati originalis reatu pura fuit: hoc enim istæ & similes subindigitant figuræ: Atqui res sic se habet pro BB. Virgine. Et probatur ab enumeratione partium. Primo quidem Genes. 3. hæc habentur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ... ipsa conteret caput tuum*; ait Deus ad serpentem: sed mulier ista miraculosa est BB. Virgo; quæ quidem eatenus contrivit serpentis caput, quatenus ab omni peccato fuit immunis: Ergo &c.

Incassum aliqui legunt, *ipse conteret caput tuum*, sententiam de Christo explicando; & hoc propter tria, Vulgata enim quæ cum Hebræo concordat, vertit, *ipsa conteret*, &c. Secundo, prior sensus videtur contra scopum Dei volentis punire serpentem seu diabolum per alterius mulieris

victoriam, ut medelam ferret inde, hostis unde læserat, juxta illud Augustini Sermon. 2. de Annunt. " Mater, *inquit*, " generis nostri pœnam intulit mundo, " genitrix Domini nostri salutem intulit " mundo.... Eva occidendo obsuit, MARIA vivificando profuit. " Tertio, Sancti Patres Geneseos oraculum de BB. Virgine interpretantur, in primis SS. Augustinus Libr. 12. de Genes. ad litteram capit. 34. & 39. Ambrosius Libr. de fuga sæculi cap. 7. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis. Porro, si Beatissima Virgo originale contraxisset peccatum, ut ceteri homines, serpentis caput non contrivisset, quippe quæ vel ipsius dæmonis fuisset per peccatum serva: Ergo &c.

Secundo, Psalmo 44. 11. habetur: *Audi filia, & vide...... quia ipse est Dominus Deus tuus*. Psalm. 45. 5. *Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus..... Adjuvabit eam Deus mane diluculo*. Psalm. 84. 1. *Benedixisti Domine terram tuam*. Psalm. 86. 1. *Ipse fundavit eam Altissimus*. Canticorum 2. 1. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Cap. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Quas quidem omnes sententias sancti Doctores de BB. Virgine explicant: Et vero adjuvavit eam Deus diluculo, scilicet a conceptionis instanti. Hoc ipsum subindigitant ista Psalmi 45. 5. verba: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio ejus, non commovebitur*. SS. Athanasius, Methodius, Joannes Damascenus, & alii, BB. Virginem esse & Dei civitatem & Tabernaculum asserunt: quod quidem impetu fluminis gratiarum, & mane diluculo, scilicet in conceptione, sanctificavit Altissimus.

Hoc ipsum innuunt & annuntiant figuræ, arca scilicet Noe qua mundi reliquiæ salvatæ sunt, ipsa vero Maria verum Noe, scilicet CHRISTUM, qui nos a perditione liberavit, suo conclusit & portavit in utero. Hanc eamdem præfiguravit tabula aurea de ligno *Setim* incorruptibili fabricata: hanc fons signatus, hanc hortus conclusus, sed potissimum Regina Esther, quæ non sine magno privilegio, ab edicto mortis contra totam Judaicam gentem ab Assuero dato, exempta fuit: Sic enim habetur Estheris 15. 12. *Quid habes, Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est: Accede igitur, & tange Sceptrum*. Igitur Christus, cujus quidem Assuerus erat figura a lege mortis quæ per peccatum originale in mundum inducta est, meritis suis prævisis Beatissimam Virginem, cujus typum gerebat Esther, in ipsa conceptionis aurora liberavit, alias non fuisset tota pulchra, sed solummodo ex parte, quod est contra auctoritatem Canticorum. S. Bernardus Serm. in cap. 12. Apocal. ceteras figuras, a peccati originalis diluvio exemptionem non levius denotantes, BB. Virgini applicat his verbis: " Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit, hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis visione orientalis porta, quæ nulli unquam patuit, præsignabat. "

Tertio: BB. Virginem super omnes creaturas gratia fuisse plenam prædicat Angelus Luc. 1. 28. his verbis: *Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus*: Sed si fuisset peccato originali fœdata, vix dici possent Theologi eam supra reliquos Sanctos gratiarum supellectili fuisse adornatam, cum nihil supra Jeremiam & S. Joannem Baptistam in utero sanctificatos haberet: Ergo &c.

Quarto: Sed & ipsa est mirabilis mulier amicta sole, de qua fit mentio in Apocalypsi. Sic interpretatur Sanctus Bernardus Sermon. in capit. 12. Apocal. his verbis: " Novum fecit Dominus super terram, " ut mulier circumdaret virum; nec alium " quam CHRISTUM, de quo dicitur: Ecce " vir, oriens nomen ejus. Novum quo" que fecit in cœlo, ut mulier sole ap" pareret amicta..... in capite, *inquit*, " ejus corona stellarum duodecim, &c. " Quæ quidem figura mulieris tanta gratiarum supellectili adornatæ BB. Mariam in ista muliere prælusam in conceptione fuisse immaculatam non levius subindigitat: Ergo &c.

Secundum argumentum ex Traditione Patrum excerptum.

ILLA censeri debet in Conceptione ab omni labe pura, 1. Quam Apostoli ab omni

omni maledictione & reprehensione immunem prædicant: II. Quæ a sanctis Patribus Angelis purior. III. Ab omni contagione exempta, etiam verbis expressis in ipsa conceptione immaculata dicitur. Atqui de BB. Maria hæc locuti sunt sancti Dei homines: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Testimonia Apostolorum pro prima parte.

S. ANDREAS, ut in ejus gestis refert Abdias L. 4. Hist. dixit: " Sicut primus „ Adam formatus fuit ex terra antequam „ esset maledicta, ita secundus Adam „ formatus est ex terra virginea, num- „ quam maledicta. " Quod dubio-procul non esset verum, si peccati originalis labe infusta fuisset BB. Virgo.

Concinit S. Jacobus in sua Liturgia, quam sexta Synodus can. 32. veneratur, maxime in his ubi hæc de BB. Virgine „ habentur: " Commemorantes sanctis- „ simam, immaculatam, & gloriosissimam „ Dominam nostram, Matrem Dei..... „ Dignum est ut te vere Beatissimam di- „ camus, & omnibus modis irreprehen- „ sam, honorabiliorem quam Cherubim, „ tibi, o plena gratia universa creatura „ gratulatur, quæ es templum sanctifica- „ tum. „ Jam vero si omnibus modis irreprehensibilis, certe & in Conceptione, alias non omnibus modis irreprehensibilis foret. Hoc ipsum innuunt subsequentia verba Apostoli: *Honorabiliorem quam Cherubim*. Cum igitur Angeli sancti ab omni peccato fuerint immunes, idem a fortiori dicendum de BB. Virgine Maria, quę gratia plena simul & ipsis Angelis honorabilior est.

Testimonia Patrum pro secunda Minoris parte.

BEATISSIMAM Virginem Angelis esse puriorem sequitur ex D. Jacobi auctoritate. Hoc docent & prædicant Origenes Hom. 1. Andreas Cretensis Serm. de Assumptione, Euthymius Serm. de zona BB. Virginis, Theodoretus Lib. 3. in Cantica, Fulbertus Carnotensis apud Cano Lib. 4. cap. 7. S. Dominicus tract. de corpore Christi, Gregorius Neocæs. in expositione Salutationis Angelicæ, Crysippus Jerosolymitanus Presbyter Serm. de sanctissima Maria, S. Ephræm in Lamentatione Virginis: demum S. Anselmus Lib. de conceptu Virginali cap. 18. ubi sic loquitur: " Decuit Virginem ea „ puritate nitere, qua major sub Deo ne- „ quit intelligi. „ Sed si fuisset BB. Virgo peccato originali fœdata, non fuisset Ordine Angelico purior, & aliqua alia creatura, ipsa major intelligi posset, quod est contra divi Anselmi effatum: Ergo &c.

Testimonia Patrum pro tertia parte.

DIXIMUS Mariam, juxta Patrum sententias, ab omni labe puram, eam enim in genere ita celebrant. Agmen ducet S. Cyprianus, qui Lib. de Card. Christi operibus, cap. de Nativitate BB. Virginis, ita scribit: " Non sustinebat justitia, ut illud „ vas electionis communibus lacesseretur „ injuriis, quoniam plurimum a ceteris „ differens, naturæ communicabat, non „ culpæ.... matri plenitudo gratiæ de- „ bebatur, & Virgini abundantior gloria, „ qua carnis & mentis integritate esset „ insignis. Sed quæ communibus non la- „ cessitur injuriis, & carnis sicut & men- „ tis integritatem habet. „ Igitur BB. Virgo non fuit peccato originali maculata, sin minus injuriis naturæ humanæ communibus lacessita fuisset. Rursus de Natali Virginis: " Non sustinebat justitia, ut vas il- „ lud electionis communibus lacesseretur in- „ juriis, naturę communicavit non culpę. „

Suffragatur S. Ephrem Oratione ad SS. Virginem, in qua quidem immaculatam prorsusque puram prædicat.

Tum Ambrosius Serm. 22. in Psalmum 118. pag. 1610. ubi explicans illa verba: *Quare servum tuum*, *&c.* ait: " Suscipe „ me, non ex Eva, sed ex Maria, ut in- „ corrupta sit Virgo, sed Virgo per gra- „ tiam, ab omni integra labe peccati. „

Inter omnes eminet S. Augustinus, qui Lib. de natura & gratia cap. 36. pag. 332. sic loquitur: " Excepta itaque san- „ cta Virgine Maria, de qua propter ho- „ norem Domini, nullam prorsus cum de „ peccatis agitur, habere volo quæstio- „ nem; unde enim scimus quod ei plus „ gratiæ ei collatum fuerit ad vincendum „ omni ex parte peccatum, quę concipere ac „ parere meruit eum quem constat nullam

„ habuis-

habuisse peccatum . „ Eo loci S. Doctor non solum a peccatis actualibus , sed & ab ipso originali Mariam eximere videtur , maxime propter duo : quia in isto libro agit de peccato originali ; ibi enim debellat Pelagianos illud negantes . II. Ideo concludit BB. Virginem , dum de peccatis agitur non esse concludendam , quia peperit filium ab omni peccati contagione immunem : Igitur si hæc ratio aliquid concludat , cum Christus nedum ab actuali , sed & ab originali peccato fuerit immunis; idem ex mente Augustini de Maria dicendum.

Ejusdem est labii S. Hieronymus in caput 10. Eccles. in quo Virginem cum Patriarchis & Prophetis comparans , dicit: " Illis supereminere , & fuisse liberam „ ab omni peccato , & cortice peccati. „ Quæ quidem vox, *cortex*, designat peccatum originale. Rursus Epist. ad Eustochium , ait : " Nulli dubium est de „ Matre Domini , quin talis debuerit „ esse , quæ non posset argui de peccato. "

Succinit : Sophronius in sua epistola in VI. Concilio Generali lecta & approbata actione 11. in qua quidem asserit BB. Virginem ab omni contagione corporis , animæ , & mentis fuisse immunem . In codice Vaticano habetur: *Ab omni corporis & animæ labe peccati fuisse liberam.*

Lemum , Arator Lib. 1. in Acta Apostolorum Tom. 8. Bibl. Patrum ante mille & centum circiter annos hæc in honorem Deiparæ canit.

A nato formata suo mala criminis Eva
Virgo fecunda fugat: nulla est injuria sexus.
Restituit quod prima tulit: Ergo &c.

Testimonia Patrum pro quarta parte minoris.

PRIMAS tenet S. Cyrillus Alex. qui Lib. 6. in Joan. cap. 15. ait : " Excepto „ solo Christo , & Beatissima ejus Matre „ etiam excepta , omnes in peccato nascimur. „ Audis illum Patrem eodem modo loqui de Matre ac de Filio : Sed Filius ab omni peccato etiam originali fuit immunis : Igitur & Mater.

Sanctus Joannes Damascenus mira de hoc momento & clara profert Oratione prima de Nativitate BB. Virginis , in qua de ejus Conceptione sic loquitur: " Natura gratiam antecedere ausa non est, „ sed tantisper expectavit , donec gratia „ fructum suum produxisset ... o beatissimos Joachimi lumbos , ex quibus immaculatum semen effluxit! o præclaram „ Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis formatus fuit sanctissimus fœtus! .. „ forte illud Excelsi brachium , obtusum „ natura ligonem Spiritu sancto tamquam „ digito suo exacuens vivam scalam sibi „ ipsi condidit.... o Sanctissima, quæ Principatus & Potestates fefellit , immaculata conservata in Dei sponsam. „ Rursus 3. ait Conceptionem BB. Virginis Mariæ fuisse collapsi generis humani excitationem & integram restitutionem : quod citra dubium non foret , si peccato originali fuisset maculata . Et iterum Oratione prima de Assumptione sic loquitur : " Gratia abyssum invenit , quæ animam „ non minus quam corpus virgineum custodiret. „

Ex divo Bernardo.

CELEBERRIMA sunt B. Bernardi pro Conceptione immaculatissima BB. Virginis testimonia . Serm. 13. pag. 1767. in cœna Domini sic loquitur : " Non est in „ filiis hominum magnus vel parvus tanta præditus sanctitate , nec tantæ Religionis privilegiatus honore , qui non in „ peccatis fuerit conceptus , præter Matrem immaculati peccatum non facientis , sed peccata mundi tollentis , de „ qua cum de peccatis agitur , nullam „ prorsus volo habere quæstionem : unde „ non immerito nullus tantæ sanctitatis „ fulget prærogativa , qui in omnibus „ & per omnia istud, sicut jam valeat observare , ita dumtaxat si fuerit expressivum quantitatis. „

Tum Serm. 4. super salve Regina de Virgine Deipara mirabundus hæc profert: " Tu ergo nasus Ecclesiæ similis es turricellæ , videlicet dignitate , firmæ gravitate . Turris es Lybani : Lybanus „ Mons qui dicitur Dealbatio , altam „ præ omnibus signat innocentiam tuam. „ Innocens fuisti ab originalibus & ab „ actualibus peccatis . Nemo ita prœter „ te. Unde auctoritas divi Augustini: cum „ de

„ de peccatis agitur, nullam de beata „ Maria volumus fieri mentionem. Ex eo „ enim majorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte „ peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, *inquit*, parte; hoc est, „ ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo solum excepta, „ ceteri omnes quid dicere possunt, nisi „ quod ait Apostolus Joannes: Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi „ nos seducimus, & veritas in nobis non „ est? Ego quoque pia fide opinor, in „ utero Matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, „ nec opinio falsa. „

Pergit ibidem: " Denique & rationes & „ auctoritates inveniuntur ista stipulantes: & quidem ratio sic: Si alii in utero matris fuerunt sanctificati: multo „ magis tu Mater Domini: sed Jeremias „ & Joannes, alter sanctificatus, alter „ Spiritu sancto repletus in utero matris „ leguntur: Ergo & tu Maria Genitrix „ Dei, quæ sola totam Spiritus sancti „ gratiam possedisti, quam alii habuere „ per partes. Te enim Gabriel Archangelus pronuntiavit gratia plenam. Tuum „ odorem longe ante in filio Patriarcha „ Isaac trahebat, dicens: Ecce odor filii „ mei sicut odor agri pleni. Tu es ager „ plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Tu protulisti frumentum Electorum, quod est etiam Angelorum cibus. „ Te benedixit Dominus; te, inquam, „ benedixit Dominus, ut per te benedictam vita veniret, sicut mors per Evam „ processerat maledictam. De te secretorum cælestium conscius Salomon dicit: „ Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies „ ordinata? Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit auroram. Quid „ autem est nox frigida & obscura, nisi „ originale peccatum, frigidum concupiscentia, obscurum ignorantia? Tu ergo „ processisti ut aurora lucida & rubicunda, quia superatis originalibus peccatis „ in utero matris, nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore „ virtutis. „

Non est relictus ambigendi locus circa primum locum; sed nec dubio alterum vertere quisquam debet, cum stylus, cum sententiæ figuris adornatæ ipsum annuntient sanctum Bernardum, immo annuntiant in utroque loco genuinitatem.

Ex D. Thoma.

SUCCINIT Angelus Scholæ in 1. Dist. 44. artic. 3. ad 3. his verbis: " Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius „ esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas beatissimæ Virginis Mariæ, quę a peccato originali & actuali „ immunis fuit. „

Eamdem prædicat veritatem Comment. in Epistolam ad Galat. lect. 6. Sic referunt editiones Venetiis factæ, sicut & aliæ Parisiis elucubratæ, ann. 1529. & 1541. Exemplar in Collegio Patrum Societatis Jesu Flexiæ adest; Spondanus testatur multa alia ejusdem sancti Doctoris vidisse exemplaria in quibus sanctus Doctor eamdem propugnat doctrinam, quod non levius argumentum est Summam D. Thomæ desloratam fuisse in tertia parte q. 27. art. 2. quandoquidem antiquus Dominicanus nomine Broniardus, qui eodem quo mortuus est S. Thomas tempore, ipse obiit, aliter refert textum hujusce loci & hujusce Summæ. Exemplar extat in Collegio Societatis Jesu Bituricensi. Auctor ille in Summa Prædicantium, titulo Virg. Maria, sic loquitur de illa mirabili Deipara: " Ipsa vero tam eminenter sanctificata fuit, quod non venialiter, nec mortaliter peccavit, sicut patet per sanctum Thomam in tertia „ parte de Christo quęst. 27. art. 6. in „ eadem etiam quęstione ponit ejus sanctificationis excellentiam, in hoc, „ quod sanctificata fuit in sua animatione, id est, in conjunctione animæ „ cum suo corpore in utero matris suæ, „ sic ergo sanctificavit tabernaculum „ suum Altissimus. „

Alterum deslorationis Summæ argumentum illud est, Cosmas Morelles anno 1613. accepit Provinciam typis de novo mandandi istud divi Thomæ opus, & ibi eumdem adulteravit locum sententiarum, ubi

ubi diserte sanctus Doctor immaculatissimam Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionem pro virili defendit, sed Pater Theophilus Renaudus in Syntagmate de libris propriis refert Domnum Bernardum de Thoro qui tunc Romæ aderat, ut articulum de mirabili illa Conceptione tamquam de fide declarari curaret, accusasse Morellem de perfidia apud Paulum V. qui quidem graviter de ista culpa illum increpavit, jussitque ut absque mora folium interpolatum dilaceraret, & pristinum restitueret D. Thomæ textum pro immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione.

S. Bonaventura suum addit calculum in 3. Dist. 2. disp. 2. q. 2. ubi sic loquitur: „ Alii post casum erecti sunt; Maria „ quasi in ipso casu sustentata est, ne „ rueret. „ Rursus Serm. de B. Virgine: " Solius filius Virginis fuit ab originali „ culpa immunis, & ipsa Mater & Virgo: credendum enim est, quod novo sanctificationis genere, in ejus conceptionis primordio Spiritus sanctus eam a „ peccato originali, non quod infuit, „ sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præservavit. „

Non omittendus S. Laurentius Justinianus, qui Serm. de Annunt. pag. 446. loquendo de sacratissima Deipara, ait: " Ab „ ipsa namque sui Conceptione in benedictionibus est præventa dulcedinis, at„ que a damnationis aliena Chyrographo, „ prius est sanctificata, quam nata. „

Tertium argumentum ex consensu.

Ut primum accedit pro aliquo puncto Ecclesiæ consensus, nemini licitum est quidquam refragari: Atqui accessit pro immaculata Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptione hujusmodi consensus, tacitus quidem ad decimum-tertium usque sæculum; expressus vero ad nostra usque tempora: Ergo &c. Prima pars patet ex superioribus dictis: Insuper & probatur cum altera auctoritatibus omni exceptione majoribus.

Testimonia Conciliorum.

Sexta Synodus Generalis in epistola Sophronii Patriarchæ Jerosolymitani, quam suo calculo veluti suam habet, sic loquitur: *Credo, & de hac sanctissima, quod Deus Verbum, unigenitus Patris Filius qui ante omnia sæcula & tempora impassibiliter de eodem natus est Deo & Patre .... Naturæ circumscriptionem nullo modo sustinens, aut secundum nos localem transmeatum naturaliter sciens, efficere divinam operationem, & uterum intactum virginitatis ingressus, castitatem lustratam, Mariæ sanctæ, præclaræque, & quæ Dei sunt, & sapientis, & ab omni contagione liberata, & corporis & animæ, & intellectus incarnatus ... Ex inviolabili namque & virginali sanctissimæ atque immaculatissimæ Virginis Mariæ Verbum vere factum.* Audis Mariam juxta Dei sapientissimi consilium immaculatam, & ab omni corporis & animæ contagione exemptam? Igitur & in Conceptione Sancta, alias frustra diceretur immaculatam, & ab omni contagione etiam corporis immunis, cum peccati originalis contagio per seminalem propagationem in corpus, & a corpore in animam redundet.

Concinit Septima Synodus act. 3. ubi de sanctissima Deipara dicitur: *Immaculata & omni sensibili & intellectuali natura purior.* Sed Angeli sancti nullum omnino habuere peccatum: Igitur nec sanctissima Deipara, alias non diceretur cælestibus purior Spiritibus. Tum Concilium Francofurtense, quod quidem in epistola ad Episcopos Hispaniæ proclamat Beatissimam Virginem Mariam immaculatam prorsusque puram.

Insigne est de hoc momento Decretum Concilii Basileensis in Galliis per omnia recepti, aut quod nemo negabit celeberrimum. Sessione 36. an. 1439. habita, sic loquitur: *Nos vero diligenter inspectis auctoritatibus & rationibus, quæ jam a pluribus annis in publicis rationibus ex parte utriusque doctrinæ coram hac sancta Synodo allegata sunt: aliis etiam plurimis super hac re visis & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, præveniente, & operante divini Numinis gratia singulari,* NUMQUAM ACTUALITER SUBJACUISSE ORIGINALI PECCATO, *sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam tamquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scri-*

ptura, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam definimus, & declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium prædicare & docere. Audis definitionem omnibus pensatis factam.

Non omittendum Tridentinum Sess. 5. de peccato originali, ubi ait: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatissimam & immaculatissimam Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Quibus verbis suo calculo munivit Festum Conceptionis Beatissimæ Mariæ a Sixto institutum.

Decreta SS. Pontificum.

SIXTUS IV. anno 1476. Conceptionem Immaculatam BB. Virginis Bulla consignavit. *Cum præ excelsa .... auctoritate Apostolica hac in perpetuum valitura Constitutione statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli* CHRISTI *Fideles utriusque sexus, qui Missam & Officium Conceptionis ejusdem Virginis gloriosissimæ juxta piam, devotam & laudabilem ordinationem dilecti filii magistri Leonardi Denotarolis Clerici Veronensis Notarii nostri, & quæ desuper a nobis emanavit, Missæ & Officii hujusmodi institutionem, in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ, & per octavas ejus devote celebraverint & dixerint, aut illis horis canonicis interfuerint: quoties id fecerint, eamdem prorsus indulgentiam & peccatorum remissionem consequantur.* Quę quidem indulgentia conceditur juxta Decretum Urbani IV. & Martini V. iis qui Officio Festi Corporis & Sanguinis Domini assistunt.

Alteram anno 1483. pro eodem Mysterio dedit, qua quidem prohibet sub excommunicationis interminatione ne aliquis contra Immaculatam Conceptionem, aut scribat, aut prædicet. *Tenore præsentium reprobamus*, inquit, *& damnamus, ac motu, scientia & auctoritate prædictis, statuimus & ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, & quicumque alii, cujuscumque status, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cetero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum seu alias quomodolibet affirmare aliquid contra Conceptionem, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere.*

S. Pius V. in Bulla quæ incipit, *Super speculam*, Decreta Sixti IV. renovavit & Officium Immaculatæ Conceptionis in Breviario reponi voluit.

Paulus V. anno 1616. eadem Decreta suo munivit calculo, & post ipsum Gregorius XV. qui eadem anno 1622. ampliavit his verbis & subjungit: *Ne quisquam etiam in scriptis & sermonibus privatis audeat asserere, quod Beatissima Virgo Maria in peccato concepta sit, exceptis quibus a Sede Apostolica fuerit hoc simpliciter indultum.*

Alexander VII. suffragatur Constitutione edita anno 1661. quæ sic inscribitur: INNOVATIO *Constitutionum & Decretorum in favorem sententiæ asserentis animam Beatissimę Virginis in sui creatione & in corpus infusione a peccato originali præservatam fuisse editorum.*

Iis accedunt auctoritates I. Leonis X. & Clementis VII. qui suum addidere calculum Officio Immaculatæ Conceptionis composito a Zacharia Episcopo Gardæ. II. Pii V. qui anno 1569. concessit Minoritis istud celebrare Festum. III. Urbani VIII. qui in sua ad Elisabetham filiam Henrici IV. Regis Galliæ & uxorem Philippi IV. Hispaniarum Regis Epistola, qua illam gratulatur de ejus erga Immaculatam Conceptionem devotione, & ordinem militarem sub Conceptionis Immaculatæ Beatissimæ Virginis titulo approbavit. URBANUS PAPA VIII. *charissima in Christo filia nostra salutem ... Cum autem cupias tuam erga immaculatam Deiparam illustri aliquo documento religionem significari, majestati tuę munitum Apostolica benedictione habitum militię christianę, quam ab ejusdem Virginis petiit sacram Equestris familię nomen, &c.*

Non omittendus Ordo Monialium in honorem ejusdem Immaculatæ Conceptionis approbatus a Julio II. Leone X. & Alexandro VI. ut patet ex compendio *Mendich*, verbo, *Communicatio*, §. 18. & *Conceptio*, §. 10. 12. & 13. cap. 3. regulę legitur animam Deiparæ a primo instanti creationis fuisse sanctam.

Clemens VIII. ad preces Ludovici Magni

gni

gni XIV. Regis Francorum festivitati addidit octavam. Quid plura commemorem? Hæc pia & devota festivitas ante mille annos apud Græcos celebrare cœpit, ut refert Galatinus Lib. 7. cap. 4. & in Kalendario Græcorum apponitur die 9. Decembris, ut legitur Tomo 4. Bibliothecæ Patrum. Immo inter Ritualia Græca Linguæ Latinæ reddita, unum S. Andreæ Cretensis qui florebat ann. 550. de hac mirabili Conceptione memoriam instituit. Demum sexcentis circiter abhinc annis in Gallia hæc festivitas celebrabatur, ut constat ex epistola B. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses.

Miracula & Revelationes pro eodem momento.

MIRACULA a Deo dantur ad veritatis consignationem. Multa refert R. Pater Balthassar de Riez Capuccinus Lib. in IV. Parisiis anno 1663. edito, cujus titulus: *Eminens privilegium Deiparæ*, cap. 40. Instar omnium sint ea quæ coram Paulo V. per Hispaniæ Oratores omni juris adhita solemnitate probata recensentur. Bellarminus Cardinalis anno 1617. tria ex his commemorat. Primum est infantis decem & trium tantummodo mensium, qui non nisi balbutiebat, tres tamen versus in honorem immaculatæ Conceptionis, distincta voce, recitavit, quique ex idiomate Hispanico latine sic reducuntur.

Omnis mundus & quidem universalis,
Magna voce, o Regina exaltata,
Ait te esse conceptam sine peccato originali.

Alterum contigit in classe, cujus naves, una sola excepta, quæ vexillum Conceptionis non habebat, e tempestate ereptæ salvæ & incolumes appulsæ sunt ad portum. Tertium evenisse refertur in Episcopo Cartagenæ, qui de repente mortuus inventus est in lectulo ea nocte dici, qua perstrinxerat cives, qui in Conceptionis immaculatæ honorem processionem fecerant. Mitto alia innumera quæ eo loci referuntur.

Si de revelationibus sermonem habeamus, Marsilius in secundo quæst. 20. & in 3. q. 4. tres recenset: Sed inter omnes eminent ea quæ est inter revelationes sanctæ Brigittæ, quæ ex prævio examine approbatæ sunt a Concilio Basileensi, a Gregorio XI. Urbano VI. Bonifacio VIII. & Martino V. Liber primus cap. 31. continet unam de immaculata Conceptione beatissimæ Virginis.

Sententia Theologorum & Academiarum.

INTER omnes eminet Scotus, qui Seculo 14. in 3. Sententiarum dist. 3. q. 1. ait: " Ad quæstionem dico, quod Deus „ potuit facere, ut numquam beatissima „ Virgo fuerit in peccato originali.... Si au„ tem auctoritati Scripturę non repugnat, „ videtur probabile quod excellentius est „ attribuere Marię. „ Sed non omittenda hęc victoria, quam ille Doctor anno 1034. protegente Maria, pro hoc reportavit momento Parisiis. Tunc enim, jubente summo Pontifice, ejus præsentibus Oratoribus, innumeri adunati sunt Doctores, ut quisquis quid de immaculata Conceptione putaret, ibi proderet. Scotus pertransiens Senatus aulam, ut inde ad locum congressus pergeret, ibi non sine Spiritu sancto afflante, coram imagine Deiparę in terram humiliter prostratus & provolutus, istam illi cernuus fudit precem: *Dignare me laudare te Virgo sacrata. Da mihi virtutem contra hostes tuos*. Subito & de repente non sine miraculo imago marmorea caput notabiliter inclinavit in signum victorię futurę, & ad hæc usque tempora inclinata videtur. Eventus probavit victoriam concessam, quippe qui ducentis circiter argumentis adversus immaculatam Conceptionem ita fecit satis, ut auditorum corda ad hanc ineffabilem veritatem propugnandam vel ipsis stupentibus auditoribus in contrarium magna ex parte propensis, demulserit: quinimmo ab hoc tempore, Universitate Parisiensi facem præbente invaluit in tota Ecclesia devota & mirabilis sententia pro immaculata Conceptione; Scotus vero præter gloriam a Deo optimo pro mercede in futurum semper perseveraturam, titulo Doctoris subtilis insignitus est, & ab ipso Clemente V. confirmatus legitur. Sic refert ejus Epitaphium quatuor istis comprehensum versiculis:

Con-

Concepta est Virgo primi sine labe parentis.
Hic tulit: hic hæresi prælia dira dedit,
Inde genus meriti tantum sibi Papa refundens,
Doctor Subtilis dicitur, inde dedit.

OMNES ab hoc tempore Theologi, si Dominicanos excipias, piam istam defenderunt sententiam. In primis Petrus Arcolusso Cardinalis, Antonius Andreas, vel ipse Hervæus Natalis Dominicanus in caput 5. epist. 2. ad Corinth. Lyranus, Salazar, Vincentius Ferrarius Ordinis Prædicatorum Serm. 1. de Nativit. & alii plurimi apud Suarez q. 27. disp. 3. art. 2. sect. 5. Lherminier Tom. 6. tractatu de peccatis pag. 321. & 322. &c.

Suum addidere calculum omnes ferme Europæ Academiæ, maxime vero Parisiensis, quæ anno 1497. die 23. Augusti in congregatione apud sanctum Mathurinum per juramentum super hoc specialiter facta Disputatione Sorbonica ejusdem mensis die 26. assistentibus Domino Rectore, nec non Reverendissimo in Christo Patre Archiepiscopo Bituricensi, cum pluribus Abbatibus, Consiliariis Regis & quam pluribus Doctoribus ad hoc deputatis, definitioni Concilii Basileensis inhærens, tanto cum applausu in perpetuum suscepit de immaculata Conceptione sententiam, ut nemini fas sit ad lauream doctoratus promoveri, nisi juret: " Quod „ tenebit determinationem facultatis de „ Conceptione immaculatæ Virginis Ma„ riæ, videlicet quod in sua Conceptione „ præservata fuit ab originali labe. „ Et in perpetuam rei memoriam Missam solemnem in Ecclesia Dominicanorum, si festum occurrat die Dominica, sin minus in Ecclesia Minoritarum quotannis decantant Doctores.

Cæteræ Academiæ eximium istud secutæ sunt exemplum: videlicet Coloniensis, idem præstitit anno 1051. facultas Moguntina, omnes Italiæ, Hispaniæ, Portugalliæ, Galliarum.; Viennensis vero in Austria inter Germanicas mira fecit. Et vero voto solemni se se astrinxit die 17. Maji anni 1649. quot annis eodem die renovare decretum pro immaculata Conceptione defendenda, & quidem adhoc compulsa devotione Imperatoris Ferdinandi III. qui anno 1647. 18. Maji, se sua cum statibus subditis & exercitibus dicavit Deiparæ immaculatæ Conceptioni, & in voti monumentum marmoream jussit elevari columnam, quæ in culmine præ se fert imaginem immaculatæ Conceptionis, scilicet beatissimæ Mariç habentis sub pedibus serpentem.

Proscriptiones eorum, qui impugnaverunt immaculatam Conceptionem.

PRIMUS occurrit Joannes de Monte-Sono Dominicanus Hispaniæ, qui anno 1387. quatuordecim emisit propositiones, quas statim pro suo in cultum Deiparæ zelo proscripsit Academia Parisiensis; quarum una hæc fuit: *Esse expresse contra fidem, non omnem hominem præter Christum contraxisse ab Adam peccatum originale.* Tum Facultas Sacra sic pronuntiavit: *Hæc propositio revocanda est tamquam falsa & scandalosa & piarum aurium offensiva, & præsumptuose asserta, nonobstante probabilitate quæstionis, utrum beatissima Virgo fuerit in peccato originali concepta.* Altera ejusdem Joannis propositio hæc est: *Esse expresse contra fidem beatissimam Virginem Mariam & Dei genitricem non contraxisse peccatum originale:* Censura: *Hæc propositio revocanda est tamquam falsa, scandalosa, præsumptuose asserta, & piarum aurium offensiva.*

Anno sequenti Guillelmus Dominicanus Episcopus Hebroicensis, nec non Carolo sexto a confessionibus, non sine ausu temerario easdem Montesoni propositiones propugnavit: tum eadem sacra Facultas, promovente potissimum Petro da Alliaco tunc temporis Academiæ Cancellario, postea vero Cardinali, & Cameracensi Episcopo, eumdem compulit sese coram Rege & consistorio retractare, quod & fecit his verbis: *Ego Guillelmus Hebroicensis Episcopus male motus, inconsulte & male informatus dixi, quod propositiones aliqua condemnata fuerunt per universitatem, quæ sunt vera & Catholica, & quod auderem eas prædicare & dogmatizare coram Rege & Papa aut alias ubicumque. Item addidi & dixi quod Magistri Universitatis Parisiensis non intelligebant doctrinam sancti Thomæ.* Subdit Lherminier Doctor Parisiensis tractatu de peccatis pagina 293. " Atque ita post„ modum ex ejusdem Academiæ sollicitu„ dine toties improbata & publice con„ de-

„ demnata fuit Dominicanorum opinio, „ quoties renovata. „

Anno 1497. cum Joannes le Vert utique Dominicanus nonnullas propositiones contra eamdem immaculatam Conceptionem Rothomagi in publicis concionibus divulgasset, ab eadem Facultate absque mora perstrictus est. Una ex illis propositionibus fuit: *Illos nullo modo peccare qui assererent beatissimam Virginem conceptam esse in peccato Originali: Immo vero alios omnes qui docerent contrarium, peccare mortaliter, vel esse hereticos & excommunicari a Sixto IV.*

Inter Propositiones Baji a sancto Pio V. & Gregorio XV. damnatas septuaginta tertia hęc est: *Nemo prater Christum est absque peccato originali: hinc beatissima Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.* Mitto multos alios qui luerunt pœnas, eo quod immaculatam Conceptionem infectati fuissent, ut videre est apud R. Patrem Capuccinum jam laudatum.

Quartum argumentum, ex variis rationibus conflatur.

PRIMA, sic proponitur: Ecclesia nihil nisi sanctum festivat. Sed festum Deiparę Conceptionis celebrat: Igitur ejus conceptio fuit sancta. Hæc ratio colligitur ex sanctis Bernardo & Thoma Aquinati propugnantibus ejusdem Mariæ nativitatem esse sanctam, quia ab Ecclesia colitur. Prior Epistol. ad Canonicos Lugdunenses: “ Fuit procul-dubio Mater Domini sancta antequam nata; nec fallitur Ecclesia sanctum reputans ipsum Nativitatis „ ejus diem, & omni anno cum exultatione universæ terrę votiva celebritate „ suscipiens. „ Posterior vero hic 3. part. qu. 27. artic. 1. in argumento, *sed contra*, ita loquitur: “ Ecclesia celebrat nativitatem beatissimæ Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo beatissima Virgo in „ ipsa sua nativitate fuit sancta. „ Ergo eodem innixi sanctorum Bernardi & Thomæ principio, dicimus immaculatam esse Deiparæ conceptionem, cum eam celebret Ecclesia, nec quidquam secundum illos nisi sanctum festivet.

Altera: Ecclesia est infallibilis in dogmate definiendo, similiter & in morali & in cultu assignando: hoc est, nec heresim ut veritatem proponet, nec aliquod peccatum ut quid indifferens permittet, nec denique malos uti sanctos celebrari permittet. Igitur cum beatissimæ Virginis Conceptionem immaculatam habeat, rem ita esse propugnandum est, alias falleretur Ecclesia, & portæ inferi adversus eam prevalerent, quod est contra istud Christi de ea effatum, Matth. 16. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Tertia: Ubi accedit de aliquo Ecclesiæ consensus, non sine temeritate contrarium defenditur: Sed pro immaculata Deiparæ Conceptione adest Tacitus primorum sęculorum consensus, explicitus vero a decimo quarto sęculo ad nostra usque tempora, ut ex probationibus liquet; Ergo &c.

Quarta: Si beatissima Virgo fuisset originali labe contaminata, hoc ipsum in Christi dedecus refunderetur; legitur enim Proverbiorum 17. *Gloria filiorum patres eorum*. Igitur de facto fuit ab omni labe pura: hęc ratio est Concilii Tridentini dicentis, se propter honorem Christi non comprehendere in decreto peccati originalis BB. Mariam.

Quinta: Prędestinatio Mariæ includitur in prędestinatione Christi, & ad ordinem hypostaticum pertinet, cum juxta Patres caro Marię sit ipsa Christi caro, & juxta Irenęum, Andream Crethensem, Innocentium III. Sermone de Assumptione sit generis humani corredemptrix: Sed implicat carnem Christi subjici peccato, & mortis victorem servum esse peccati: Igitur & idem de beatissima Maria dicendum, cum nedum affinitatem, sed & consanguinitatem cum Christo habeat, & in hoc apparuerit, ut diaboli opera dissolveret.

Sexta: Ex Patribus, omnes prerogativę Angelis, & primis parentibus concessę, tribui debent Deiparę: Sed illi a contagione peccati in sui formatione fuerunt immunes; Igitur & Maria in sua Conceptione.

Septima: Ex ipso Gabriele Archangelo Maria fuit plena gratię, & inter omnes mulieres benedicta; hoc est juxta sanctorum Doctorum interpretationem super omnes

omnes creaturas benedicta : Sed hoc non foret verum si contraxisset peccatum originale, cum non desint Sancti qui in utero materno sanctificati sint , ut Jeremias & sanctus Joannes Baptista : nec utique verum esset eam prædicare immaculatam & ab omni contagione peccati puram , ut asserunt Concilia & Patres supra laudati : Ergo &c.

Octava : Deus præparat & disponit creaturas ad finem intentum, juxta illud 2. ad Corinth. 3. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti* . Sed Deus elegit beatissimam Mariam ut esset mater filii sui unigeniti ; quæ quidem dignitas exigit ab omni contagione etiam originali immunitatem , cum hoc sit Deo possibile , & de facto fuit BB. Maria immunis ab omni sorde ; ita Scotus in 3. Sent. dist. 3. q. 1. S. Thomas hic q. 27. art. 4. ubi rationibus allatis probat Deiparam ab omni peccato actuali etiam veniali fuisse exemptam : Igitur & consequenter ab omni originali , cum nullus juxta definitionem Tridentini ab omni veniali præter beatissimam Virginem immunis fuerit citra privilegium, quod illi soli agnoscit concessum, talis quippe immunitas arguit ab originalis exemptionem. Revera quidem S. Augustinus probat Pelagianis dari peccatum originale ex necessitate quadam generali, quæ inest omnibus in aliquod peccatum veniale prolabendi , juxta illud 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus , ipsi nos seducimus*.

Difficultates proponuntur simul & solvuntur.

Primo , ex Scriptura .

BANDELLUS in Ordine sancti Dominici quondam magister generalis in tractatu qui inscribitur De singulari puritate & prærogativa Conceptionis Christi , omnia tentat , sed incassum, ut evacuet immaculatam Deiparæ Conceptionem , maxime cap. 13. ubi multa Patrum aggerit loca , suo loco referenda.

Objicit : Rom. 5. habetur : *In quo omnes peccaverunt* . Igitur & beatissima Virgo in Adam originaliter peccavit . Et probatur: Vox , *omnes* , neminem excipit: Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam . Ad probationem distinguo: Vox , *omnes* , neminem excipit de via ordinaria , concedo: de via extraordinaria , nego. Lex aliquam suscipit exceptionem, cujus rei non unum est in Scriptura exemplum. Geneseos 6. legitur : *Omnis quippe caro corruperat viam suam*. Ergo ne & Noe cum familia sua ? Absit. Psal. 115. *Omnis homo mendax* ; & tamen Ecclesia asserit sanctum Joannem Baptistam, vel levi quidem linguæ crimine suam non maculasse vitam. Ipsum habemus Tridentinum , quod legem in honorem Mariæ explicat : Et vero Sess. 5. can. 3. sic pronuntiat : *Si quis hoc Adæ peccatum , quod origine unum est & propagatione non imitatione transfusum omnibus .... anathema sit* . Postea ab hac lege generali excipit Deiparam , his verbis : *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus , non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto , ubi de peccato originali agitur , beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem*.

Instat : Si aliquis ab illa lege secluditur , pari & consimili ratione excludentur & alii multi Sancti : falsum consequens, ergo & antecedens.

Respondeo negando paritatem, cum nullum præter Christum & beatissimam Virginem excipiant Scriptura , Patres , & Ecclesia : Christum quidem ex innata virtute hypostatica , Mariam vero ex privilegio.

Insistit : Ex Apost. 1. ad Tim. 2. 5. *Unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* . Dubio-procul nec ipsa Maria ab illa redemptione secluditur : Sed ex S. Augustino Lib. 3. contra Julianum cap. 3. intelligitur redemptio a peccatis , sic enim urget Julianum ut illi probet dari peccatum originale : " Rogo „ te , quomodo potest intelligi ista re„ demptio nisi a malo , redimente illo „ qui redimit Israel ab omnibus iniqui„ tatibus ejus, „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem : Ista redemptio intelligitur de redemptione a malo , vel præmatura seu præservativa , concedo : de sanativa semper, nego . Duplex distinguitur redemptio, altera præservativa a peccato, altera vero ejusdem sanativa, Priori illustrata beatissima Virgo

a peccato originali servata est: si enim ex prævisione Christi meritorum sanati sunt a peccato originali veteris legis Patres, quidni Deipara ab eodem ex eorum prævisione meritorum præservaretur? maxime cum hoc in honorem Christi refundatur, & cedat in majorem Dei gloriam; nobilius quippe est aliquem a morte conservare, quam mortuum exsuscitare. Nec una est in Scriptura figura de illa redemptione. Deus tres pueros ab igne, Danielem a leonibus, Estherem ab universali mortis decreto adversus Judæos pronuntiato liberavit; potuit igitur & Mariam liberare a peccato originali, quod & priores istæ annuntiant liberationes. Hanc redemptionem præservativam pro peccatis actualibus agnoscit Augustinus Lib. 2. confessionum cap. 7. his verbis: " gratias agam .... quod peccata mea „ tamquam glaciem solvisti, gratiæ tuæ „ deputo, & quæcumque non feci ma„ la. „ Igitur potest esse utique redemptio præservativa, etiam a peccato originali.

Persistit: Atqui beatissima Virgo ex Scriptura non excipitur a peccato originali: Ergo &c. Probatur subsumptum. Qui subjicitur effectibus peccati, subjicitur & ipsi peccato, cum mutuo se ponant & exigant causa & effectus: Sed ex Scriptura beatissima Virgo non excipitur ab effectibus peccati, scilicet a morte, a miseriis &c. Est enim de fide a vita migrasse: Ergo &c. Confirmatur: contra justitiam est innocentem puniri: Igitur si beatissima Virgo non habuisset peccatum, nec effectus peccati habuisset.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Qui subjicitur effectibus peccati primariis, & ab eo indivulsis, peccato quoque subjicitur, concedo: secundariis tantum cum peccato necessariam non habentibus connexionem, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Duplicis generis sunt peccati effectus, quidam primarii, quales sunt concupiscentia carnis, & ad malum pronitas: quidam vero tantum secundarii, ut mors & defectus naturales, qui ad naturam creatam ex innato pondere consequuntur; cum enim ex nihilo producta sit, de se vergit in interitum, nisi ab ipso servetur Creatore. Priores non fuerunt in Maria, vel ipso teste divo Bernardo, qui Epist. ad canonicos Lugdunenses ait ad laudem BB. Mariæ: " Extolle ne„ scientem, vel in concipiendo concupi„ scentiam, vel in pariendo dolorem. „ Prioribus vero, cum ipso Christo subjecta fuit, tametsi enim ex privilegio homo innocens ab istis immunis quandiu permansit in innocentia, fuerit: attamen ut locus satisfactioni adesset, non solum Maria, sed & ipse Christus dolori & morti subjecti fuere.

Secundo, ex auctoritate Patrum & SS. Doctorum.

OPPONIT idem Bandellus: Nihil adversus traditionem propugnandum est: Atqui ex traditione constat, Scripturam sacram, neminem præter Christum a peccato eximere; & probatur: S. Irenæus Lib. 5. adversus hær. cap. 13. sic loquitur: " Pla„ ga serpentis omnes homines sunt vulne„ rati, sed per crucem Christi, qui so„ lus sine peccato venit, in similitudine „ carnis peccati, sanati sunt. „ Bethicius Augustodunensis Episcopus apud Augustinum Libr. 1. & 2. contra Julianum: " Omnes homines, *inquit*, excepto Chri„ sto, antiqui criminis tenentur obnoxii. „ expressius Eusebius Emissænus Sermon. 2. Nativitatis Domini cap. 14. ait: " A „ peccati enim originalis nexu nullus „ immunis extitit, nec etiam ipsa genitrix „ Redemptoris. „ Mitto alios qui passim asserunt neminem, excepto Christo, esse mundum a sorde: Ergo &c.

Respondeo I. Opponendo Patres Patribus: Immo tametsi aliquis Immaculatæ Conceptioni contrarius fuisset, ut primum accessit pro eo momento Ecclesiæ consensus, res ita tenenda est, cum ejus cuilibet Doctori, teste divo Thoma præponderet auctoritas, cujus rei istud accipe exemplum. Multi ex antiquis Patribus adhæserunt Millenariis, quæ tamen opinio, loquente Ecclesia, evanuit. Idem dicendum in præsenti facto. Unum enim, inquit Lherminier hic ex duriori quorumdam Patrum sententia, sequitur: Deiparam contraxisse peccatum originale radicaliter tantum, & quoad debitum: nusquam vero actualiter.

Respondeo II. negando minorem. Ad probationem distinguo: Et Patres loquuntur

de

de via ordinaria, non excludentes privilegium, concedo: excludentes, nego. Ratio solutionis non una est. Prima, non excludunt vel ab ipso peccato veniali actuali in locutionibus generalibus nisi Christum, & tamen ex Tridentino constat Deiparam a peccato veniali exemptam fuisse. Secunda, agebant contra Pelagianos peccatum originale negantes, idcirco ne eos dimitterent adversarios, siluerunt Mariam privilegiatam. Tertia, observat Mabilonius in notis ad epistolam divi Bernardi laudatam, Conceptionis vocem quandoque sumi active pro formatione embrionis, qui in masculis intra triginta, in feminis vero octoginta dies formatur: quandoque passive pro infusione scilicet animæ. Priori modo sumitur 2. Regum 11. 4. ubi de facto Bersabee cum David legitur: *Tulit eam; quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea: statimque sanctificata est ab immunditia sua: & reversa est in domum suam concepto fœtu*. Item apud Alexandrum Alensem qui parte 1. qu. 9. membro 2. art. 1. querit: " An beatissima Virgo fuerit sanctificata in conceptione? II. An post conceptionem ante animæ infusionem. " S. Thomas in 3. distinct. 3. quæst. 1. similem instituit distinctionem, sic & S. Bonaventura in 3. dist. 1. q. 1. in primis Albertus Magnus in 3. dist. 3. art. 4. his verbis: " Dicimus quod beatissima Virgo non fuit sanctificata ante animationem, & qui dicunt oppositum, est heresis condemnata a beato Bernardo in Epist. ad Lugdunenses, & a magistris omnibus Parisiensibus. "

Ex his liquet, maxime juxta Albertum, Deiparam solum contraxisse peccatum originale quoad debitum, quatenus formata fuit ex materia promanante a parentibus in peccato originali conceptis, sed teste Damasceno ante animationem præsanctificata seu benedicta.

Instat: S. Augustinus videtur propugnare Deiparam contraxisse peccatum originale etiam quoad actualitatem: Ergo &c. Probatur subsumptum. Lib. 4. Oper. imp. cap. 122. Julianus hoc illi objicit, his verbis: " Tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis. " Cui argumento respondet S. Doctor: " Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi. " Sed qui dicit Mariam sola gratia renascendi solvi a diaboli servitute, non agnoscit illam in conceptione immaculatam. Ergo &c. Confirmatur. Lib. 2. de peccat. meritis cap. 24. sic loquitur: " Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum habuit umquam, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de natura carnis peccati. "

Sanctus Bernardus ejusdem est labii; Epistola siquidem ad Canonicos Lugdunenses ipsam Conceptionis sanctitatem seu immunitatem a peccato originali videtur impugnare, tum & sanctus Thomas in Summa, & alibi.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et sancti Doctores loquuntur de via ordinaria, eaque generali quæ aliquam suscipit exceptionem, conc. secus, nego. In probationibus liquet eos pro BB. Virgine admittere privilegium.

Respondeo II. ad singula. Ad primum quidem, S. Augustinum supponere BB. Mariam fuisse in conceptione a peccato immunem, cum neget quod illi Julianus vitio vertit, nimirum, transcribere diabolo Mariam, quippe qui respondeat: *Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi*; sin minus non solveret Juliani argumentum; nihil quippe Mariæ concederet, quod ceteris baptizatis gratia renascendi non preberetur. Quia vero controversia inter Julianum & S. Augustinum movebatur de nativitate, S. Præsul ne dimittat adversarium negantem peccatum originale, etiam commemorat gratiam renascendi pro Maria, non quidem stricte sumptam, quæ delet peccatum originale, sed late sumptam quæ auget justitiam; postremum quippe nunc effectum habuit in Maria quando baptizata est. S. Doctor in altera auctoritate loquitur de via ordinaria, non excludendo privilegium, quandoquidem expresse dicit se non intendere loqui de BB. Maria, cum de peccatis agitur.

Ad S. Bernardum dico, eum non arguere Canonicos Lugdunenses quod Conceptionem immaculatam venerarentur, sed quod ante Ecclesiæ decretum eam celebrarent: Neque vero verbis expressis eam negat; si quid enim contrarium reperiatur,

periatur, hoc ipsum tribuitur Heleino Abbati Angelo apud Anselmum pag. 505. inquit Lherminier hic pag. 283. sic enim ait ille Abbas: " Unde ergo Conceptionis sanctitas? .... Non valuit ante sancta " esse, quam esse, siquidem non erat antequam conciperetur. Quæ verba de conceptione activa, non passive recte intelliguntur. Sed dato & non concesso SS. Bernard. & Thomam conceptionem immaculatam non semper tenuisse, juxta tamen eorum principia tenenda est, cum Ecclesia, aiunt, nihil nisi sanctum festivet.

Non omittenda responsio generalis, quam Lherminier Doctor Parisiensis Tract. de pecc. pag. 340. & 341. tradit, qua quidem una veluti falce farraginem argumentorum Bandelli contra immaculatam BB. Virginis conceptionem metit, his verbis: " Ceterum triplici potissimum nomine notandus exsibilandusque hic venit Bandellus. Primo, quia manifeste fucum facit cum in hoc suo tractatu de singulari puritate Conceptionis J. C. adversus Conceptionem immaculatam B. Virginis congerit testimonia 260. Doctorum, quæ ad ejusmodi propositum, aut parum certe, aut nihil omnino conferunt; id unum quippe in iis fere singulis legitur, omnes homines contrahere peccatum originale, nec nisi in quibusdam Christum solum ab illa communi lege fuisse immunem. Secundo, quia in citandis illis auctoribus suam aperte prodit inscitiam, cujus nonnulla hic proferemus specimina. Laudat v. g. auctoritatem S. Greg. Nyss. pro ut recitat Augustinus Lib. 1. contra Jul. loco scilicet Gregorii Nazian. & quoad dixerat Augustinus Gregorium scripsisse contra *novitiam pestem* Pelagianorum, hoc intelligit Bandellus contra Novatianos. *Idem tenet*, inquit, *S. Gregorius Nyss. in libro contra Novatianos*. Item citat sub nomine Eusebii Emisseni sermonem nativitatis Domini falso illi adscriptum; sic B. Ephræm Syro sermonem de passione Domini adjudicat, ut & Prospero libros de vita contemplativa, citat Boetium sub nomine S. Severini. Et tertio denium, quia mala prorsus fide præfatas Patrum & Doctorum auctoritates exscribit. Nam v. g. apud S. Irenæum non reperiuntur " hæc verba, *Per crucem Christi qui solus sine peccato venit*. Nec ista apud Reticium, *excepto Christo*: Non ista apud Olimpium, *excepto Christo*. Qua audacia hæc loca interpolaverit Bandellus, inserens quę suo proposito credebat profutura, sane mirari satis nequeo. Quin & referendo sententias Theologorum sincerius non agit. In testimonio Petri Lombardi, addidit hęc verba, *in Maria*, quibus sublatis merito dubitatur de hujus Doctoris opinione &c. "

Tertio, ex rationibus.

INSURGIT Bandellus & ait: Maria contraxit debitum peccati: Igitur & ipsum peccatum. Probatur consequentia: peccatum originale sequitur ad debitum, cum illud non alio modo contrahant homines, quippe qui non peccaverint actualiter & propria voluntate in Adamo.

Respondeo distinguendo: Maria contraxit debitum lato modo, concedo: stricte, nego. Debitum contrahitur tripliciter; latissime, strictius, & large. Priori modo cum aliquis comprehenditur in Lege vindictæ: altero modo, cum formatur ex materia corrupta, ad quam naturaliter sequitur corruptio & peccatum; tertio demum, quum aliquis ex Adamo suam ducit originem, ita tamen ut ex materia præsanctificata habeat esse. Viguerius, Catharinus, Galatinus & alii non ignoti nominis Theologi propugnant Mariam non contraxisse debitum primo modo, cui opinioni lubenti animo assentior: revera quidem; si Christus tametsi prævisus ut redemptor post Adæ peccatum, a peccato tamen originali fuit immunis a decreto mortis: quidni saltem ex privilegio foret a Lege exempta Maria, cum ad ordinem hypostaticum pertineat: vel ipsa teste Ecclesia non contraxit, secundo modo; Igitur ad summum tertio: Sed istud debitum non habet connexionem necessariam cum peccato: unde nego paritatem. Ceteri enim homines contrahunt debitum & ex lege, & ex eo quod ex materia corrupta coalescant.

Instat: Cajetanus quamdam revelationem sanctæ Catharinæ Senensis adducit adversus Conceptionem immaculatam. Secundo, vel ipse sanctus Pius V. statuit, ut

ut Conceptio simul cum nativitate celebraretur, quod non levius est argumentum illum Sanctum non credidisse immaculatam Conceptionem. Tertio, ex Concilio Milevitano ita definitur : *Placuit quod si quis dixerit mortem non esse pœnam peccati , anathema sit* . Maria autem morti obnoxia fuit . Demum objicit auctoritatem summorum Pontificum, & multorum Doctorum pro sua sententia. Ergo &c.

Respondeo I. Hæc omnia ne minimum quidem roboris esse : ad summum enim probant ante quadringentos annos quæstionem in utramque partem defendi potuisse , nusquam vero a definitione Sixti IV.

Jam ad primum respondetur , revelationem laudatam esse apocrypham, quandoquidem nec sanctus Antoninus, nec alii qui scripserunt vitam beatæ Catharinæ , eam commemorant: nec denique Ecclesiæ calculum habuit.

Ad secundum dico , Gregorium XV. anno 1622. mentem Ecclesiæ, ipso sancto Pio clarius explicasse , statuendo festum non alio nomine , quam sub titulo immaculatæ Conceptionis celebrandum esse . De ea antiquitus fit mentio in Martyrologiis Bedæ , Usuardi , & Adonis , quod postremum a Caroli Magni temporibus recitari cœptum est: ignorari etiam non potuit Galliæ Narbonensis consuetudo , apud quam Isidori Calendarium in usu erat , & Missa de Conceptione jam tunc dicebatur.

Ad tertium distinguo : Mors est peccati stipendium secluso privilegio , concedo: pro Maria, nego. Fuit enim privilegiata : quasi vero foret & in Christo qui de facto mortuus est . Concilium loquitur de lege ordinaria , ut probet contra Pelagianos peccatum originale . Ad ultimum patet solutio ex supra dictis.

Concludamus , Deiparam esse in Conceptione immaculatam , & toto mentis affectu ista Psalmi 9. 15. verba ei applicemus: *Lætetur peccatum illius, & non invenietur.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beatissima Deipara est Virgo immaculata in ipsa Conceptione.

PRIMO hoc ipsum annuntiant figuræ, V. T. Namque teste D. Bernardo Serm. in cap. 12. Apoc. fuit Sacerdotalis virga quæ sine radice floruit, quia radix peccati in ea non erat . Porta orientalis quæ juxta Ezech. visionem , nulli umquam creaturæ , per peccatum patuit.

Secundo : Hoc idem astruunt SS. Patres & Concilia , quæ BB. Mariam semper excipiunt , ubi quæstio de peccato movetur, illamque nunc ab omni labe puram, nunc omnino irreprehensibilem , nunc & verbis expressis a peccato originali liberam prædicant . Sic annuntiatur in Concilio Basileensi Sess. 36.

Tertio : Sic declarant summi Pontifices. In primis Sixtus IV. Martinus V. S. Pius V. Paulus V. Alexander VII. Leo X. Clemens VIII. qui ad expostulationem Ludovici Magni XIV. Francorum Regis addidit Festivitati Conceptionis jam institutæ Octavam : Ratio in promptu est : hoc idem exigebat Christi mediatoris honor , decebat enim inferorum Dominatorem , ortum ducere ex Virgine, quæ ipsa nec in instanti quidem fuisset serva peccati & maculata . Hinc Ecclesia sub excommunicationis interminatione prohibet aliquid scriptis , aut verbis contra Immaculatam Deiparæ Conceptionem dici. Quocirca Joannes de Monte Sono varios propter errores, maxime propter undecimam propositionem Immaculatæ Conceptioni adversam ann. 1387. a sacra Facultate Parisiensi, tum a Clemente VI. proscriptus est.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur BB. V. utique fuisse a Christo redemptam , sed anticipata redemptione , quæ illam a peccato originali præservavit.

Secundo : Quidam Doctores , quandoque paulo durius de hoc momento loquuntur; sed ad summum volunt BB. Mariam contraxisse debitum peccati, nusquam vero ipsum peccatum.

Tertio: Neque vero aliquod facescit negotium, quod primum Conceptio BB. Virginis fuerit celebrata simul cum Nativitate; Gregorius quippe XV. ad tollendam omnem æquivocationem, statuit festum sub nomine solius Conceptionis celebrari.

SECTIO SECUNDA.

Utrum beatissima Maria fuerit Virgo in partu?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatio, ex veteri Testamento.

PERMULTÆ veteris Testamenti figuræ prænunciant BB. Mariæ illibatam virginitatem. Enim vero Canticor. 4. 12. sponsa nominatur, ortus conclusus, fons signatus, quæ quidem figuræ secundum Patrum interpretationem designant Mariam Spiritus sancti sponsam, & per omnia illibatam Virginem.

Probatio, ex novo Testamento.

HABETUR Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio; & ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum .... Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

I. *Ex* his omnibus multa eruuntur argumenta pro Virginitate illibata beatiss. Virginis. Primum quidem sic procedit: Illa immaculata permansit in partu, quę concepit solum desponsata, & non uxorata rigorose: Atqui ex D. Luca B. Virgo concepit cum esset solum desponsata, juxta illud: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*. Quo quidem argumento acriter revincit Hieronymus Helvidium, probando B. Virginem illibatam permansisse, quia, inquit, legimus desponsatam, sed non uxoratam: " Natum Deum, *ait*, „ de Virgine credimus, quia legimus; „ Mariam nupsisse post partum non cre- „ dimus, quia non legimus. „

II. *Illa* immaculata permansit in partu, quæ turbata est quum Angelus nunciavit ei futuram esse matrem, juxta illud Luc. 1. 29. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio*: Atqui, inquiunt Patres, turbata non fuisset, si virginitatem servare non statuisset: Igitur ex Scriptura Virgo permansit in partu.

III. *Illa* permansit in partu virgo, quæ solum concepit virtute & obumbratione Spiritus sancti: Atqui BB. Maria hac solum sanctissima via Mater fuit: Igitur Virgo fuit in partu. Probatur minor: Maria in proposito virginitatis custodiendę firma petiit ab Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ecce aperta virginitatis in æternum servandæ & professio & propositum: *Et respondens Angelus*, inquit Lucas v. 35. *dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

IV. *Rationem* duplicem affert Angelus, cur beatissima Maria inviolata sit in partu. Primo quidem, quia virtute Spiritus sancti conceptura erat: deinde vero ex virgineo illo partu infert illud: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ideo, inquam, sanctus partus, quia est partus Virginis virtute ineffabili Spiritus sancti prius fecundata.

V. *Illa* Virgo admirabilis permansit in partu virgo, quæ peperit prius fide, humilitate & obedientia, quam corpore: Atqui BB. Virgo sic peperit unigenitum suum: Igitur Virgo ante partum, & magis adhuc in partu, quia magis Deo conjuncta, & addo, maxime Virgo post partum; nam sicut radius a sole emissus auget ipsius solis pulchritudinem per relationem & redundantiam irradiationis ad ipsum, & vicissim solis ad radium, ita BB. Virgo per virginitatem illibatam, & maternitatem relationem habet ad Dei filium, quem virginitate sua prædicat sanctum, & filium Dei, juxta illud Lucæ: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Christus vero relationem ha-

habet mutuam ad Matrem, qua ipsa Virgo mater Dei nominatur, & quamdam ex hac infinitatem habet honoris, & pulchritudinis, inquit D. Th. Probatur minor, nempe, BB. Virginem concepisse prius fide, prius obedientia, & humilitate, quam corpore; sic enim discurrit S. Lucas ibidem: *Dixit autem Maria: ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Tum v. 45. Elisabeth exclamavit, dicens Mariæ: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino*. Ipsa vero Maria respondens ait v. 48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Unde Ambrosius explicans illa verba Evangelii: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; dicit BB. Virginem prius fide & mente concepisse Christum, quam corpore; & in eo maxime prædicandam esse beatiorem. Unde humiliter alloquendo tantam Virginem & Matrem, ait explicans illa verba Luc. 1. *Ave gratia plena: Dominus tecum*: tecum, inquit in mente: tecum in corde: tecum in corpore.

VI. *Illa* permansit Virgo in partu, quę donata est visione Dei intuitiva, ut generationem Verbi incarnati exprimeret secundum ideam generationis æternæ quam filius Dei habet in sinu Patris, juxta illud Exod. 25. 40. *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est*. Atqui probabile est BB. Virginem hac gratia donata fuisse dum Christum concepit: & probatur I. Quia generationem Christi temporalem esse ineffabilem prædicant. 2. Ex Theologis, quorum multi PP. omni exceptione majoris tenent BB. Virginem in momento conceptionis Christi intuitive vidisse Deum, ut Spiritu rapta in cœlum, Christum conciperet. Et vero si Moyses & Paulus donati sint visione Dei intuitiva, teste Aug. & D. Thoma, quia primus erat magister Judæorum, alter vero eximius Doctor Gentium, quidni & donata fuisset BB. Maria, quæ ex ipso D. Th. non solum ceterorum Sanctorum prærogativas habuit, sed & multo præcellentiores, maxime vero quia mysterii Dominicæ incarnationis fuit & templum & subjectum? Ergo &c.

Probatio, ex summis Pontificibus.

S. Leo Serm. 1. de Nativit. capit. 11. idem docet his verbis: " Merito igitur „ virgineæ integritati nihil corruptionis „ intulit partus salutis; quia custodia fuit „ pudoris, editio veritatis.

Hormisdas Epist. 79. ad Justinum Imperatorem, quæ jacet in Tomo 3. Conciliorum parte 79. ait rem ita contigisse: " Ut qui ante tempora erat filius Dei, „ fieret filius hominis, & nasceretur ex „ tempore hominis more, Matris vulvam „ natus non aperiens, & Virginitatem Matris deitatis virtute non solvens: dignum „ plane Deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine.

Pelagius primus in confessione fidei Epist. 16. ad Childebertum Regem directa dicit: " Christum natum esse servata integritate maternæ virginitatis, quia sic „ eum Virgo permanens genuit, quemadmodum Virgo concepit. „

Probatio, ex Conciliis.

In quodam sermone Concilii Ephesini, sic legitur: *Natura post partum nescit ulterius Virginem, gratia vero & parientem ostendit, & matrem fecit, & virginitati non nocuit*.

Patres Chalcedonenses in sermone Prosphonetico ad Marcianum dicunt: *Filium Dei, BB. Mariæ suæ matri virginitatem post conceptum largitum esse, atque ut Deo dignum erat, uterum ejus obsignasse*.

Tridentinum non semel celebrat Deiparæ illibatam virginitatem, & hoc perillustri nomine vocat Mariam Sess. 6. can. 23. sed maxime Sess. 5. in decreto de peccato originali: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem*. Nota, ideo non concludere eam in decreto de peccato originali, quia est & Virgo immaculata, & Dei genitrix: Igitur ex Tridentino, inviolata permansit.

V. Pro-

Probatio, ex Patribus Græcis.

Gregorius Nyssenus variis in locis hanc propugnat veritatem, sed præcipue in oratione de Natali Christi, in qua sic loquitur: " Puer pannis involutus, & in præ„sepio requiescens, & illa post partum „ Virgo, incorrupta fovet filium.

Amphilochius in Orat. de occursu Christi idem prædicat, asserendo nec Christi conceptionem, nec ejusdem in tempore nativitatem, claustrum virginitatis matris violasse; " Quantum quidem, *inquit*, at„ tinet ad virginalem naturam, nullo „ modo patefactæ sunt virginales portæ, „ ita volente illo, qui modo partu editus „ est in lucem, secundum id, quod de „ eo prædictum est: hæc est porta Do„ mini, & introivit, & egredietur, & „ clausa erit porta. „

S. Ephræm astipulatur duobus primis in oratione de pretiosa Margarita, in qua de prærogativis maternitatis BB. Virginis, sic eleganter atque doctissime disserit: " Non perdidit sigillum natura Vir„ ginis Christo concepto, & ob id ne„ que eo genito reserata est, ut partum „ in lucem ederet. Neque vero rupta est „ dum gigneret; nam neque rupta erat „ dum conciperet. „ Quibus verbis docet cum Amphilochio puerum Jesum, nequidem claustrum virginale aperuisse, sed sicut jannis clausis ingressum fuisse ad Discipulos Evangelium commemorat, ita & claustro Immaculato occluso ingressum ad nos Verbum incarnatum cum Patribus asserendum est: " Quia, *inquit Am„ philochius ibidem*, nihil ei clausum est, „ nempe Verbo, sed aperta sunt omnia, „ nihil est quod obstat, nihil quod nego„ tium faciat: siquidem omnia Domino „ reserata sunt. „ Hinc S. Ephræm ait, Mariam unigenitum suum sine dolore peperisse.

Proclus CP. Episcopus Orat. 1. de Deipara Virgine, non solum prædicat illibatam BB. Mariæ virginitatem in partu, sed & post partum, his verbis: " Nisi „ enim mater Virgo mansit, nudus homo „ extitit ille qui natus est: nec admirabi„ lis ille partus fuit. Quod si post partum „ Virgo permansit, nonne & Deus erat, „ & mysterium in hoc ineffabile est? „ Quoniam ille ineffabiliter natus est, qui „ & clausis janius, nullo prohibente, in„ gressus est: cujus naturam genuinam „ Thomas conspicatus, exclamavit dicens: „ *Dominus meus, & Deus meus*. „

Theodoretus Homil. de natali Domini Mysterium demirans, ait, Christum nihil ex partu læsisse virginitatem. Sophronius in epistola Synodica, quæ lecta & approbata est in Synodo sexta generali actione eadem & eodem Sermon. 11. confirmat veritatem. Andreas Jerosolymitanus ceteris Patribus concinit Orat. de Salutatione Angelica; ait enim Christum nascendo Virginitatis decus eximium neutiquam in materno partu violasse: quippe qui virginale germen ipsius sacra & integra servavit castitatis signacula. Tum S. Joannes Damascenus Lib. 4. cap. 15. his verbis: " Quemadmodum vero con„ ceptus eam, quæ conceperat, virgini„ tatem conservavit, sic & in partu in „ lucem editus eamdem virginitatem ser„ vavit illæsam, solus per eam transiens, „ & clausam eam reservans. „ His adde tantæ veritatis testes Helchium Jerosolymitanum Presbyterum Homil. 2. de B. V. Chrysippum etiam Jerosolymæ Presbyterum Homil. de laudibus B. V. Alexandrum Monachum in libro de inventione Crucis, & multos alios.

Ex Patribus Græcis BB. Virgo inviolata fuit in partu: ex eisdem inviolata permansit in vita, & istorum mirabilium rationem repetunt a Spiritu sancto, cujus immaculata virtute fecundata est BB. Virgo: ex Verbo incarnato, cujus potentia virginitas Mariæ illibata conservata fuit: ex honore Filii Dei, qui debuit habere in tempore Virginem Matrem, & Virginem ipsi soli consecratam: Igitur BB. Virgo inviolata fuit in partu.

Probatio, ex Patribus Latinis.

Eodem zelo pro virili suis encomiis & probationibus Patres Latini Virginitatem Deiparæ illibatam celebrant.

S. Ambrosius primo loco & ordine venit: sic autem loquitur tractat. de Symb. Apost. capit. 12. " Solus est enim natus „ ex Virgine, quæ nec Conceptionem „ de

„ de viro , nec corruptionem sensit ex „ partu . „ Quibus verbis astruit virginitatem B. M. illibatam in Conceptione & partu Christi.

Hieronymus, ubique idem conclamat, præcipue vero in toto libro contra Helvidium: Tum Comm. in cap. 44. Ezechielis, his verbis: *Pulchre quidem portam clausam, per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, & dux cui porta clausa est, Mariam Virginem intelligunt, quæ & ante partum, & post partum Virgo permansit.*

Augustinus, nulli secundus pro defensione beatissimæ Mariæ Serm. 14. de tempore, sic effatur: " Talis eligitur Virgo, „ de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, ut Dei filium in semetipsa susciperet, & post partum omni „ modo Virgo permaneret..... Tanta est „ enim divina illa potentia, ut & matrem reddat fecundam, & virginem „ servet illæsam. „ Similia dicit Sermone 17. 21. 23. & 123. de tempore; Orat. de 5. hæresibus capit. 15. Enchyridio capit. 34.

Fulgentius, in hoc sequitur opinionem Augustini, quem tamquam ducem & Magistrum venerans Libr. 1. de veritate prędestinationis capit. 2. ait: " Dominus verus veram ex Virgine suscipiens carnem, perfectionem ex ea humani corporis sumpsit, Virginitatis & gratiam „ non ademit. Neque enim decebat, ut „ integritatem virginitatis Creator humanæ carnis Dominus in conditione tribueret, & idem carnis humanæ susceptor Dominus, quod fuerat redemptu„ rus, virginitatem carni de qua nascere„ tur auferret. „ Hilarius Arelatensis, ut quidam existimant, nam sub Eusebii Emisseni titulo editus est, Sermon. 2. de natali Domini, sic loquitur: " Non ergo usquequaque miremur, si is, qui „ fidei semine acquiritur, salva materni „ pudoris fide, inviolabiliter procreatur. „ Itaque ad Evangelium recurram, ut „ miraculum illud, quod Evangelista protulit tempore Resurrectionis digne mihi usurpem cum Joanne dicendo, venit Iesus januis clausis. Ecce jam nunc „ januis clausis processit in mundum, materni pudoris signaculo minime resignato.... Simulque illud impletur Propheticum Ezechielis, & porta erat clausa, „ & non est aperta, quia Dominus transivit per eam ... Eamdem nunc potentia mundi istius januam per partum inviolatæ matris intravit, qua postmodum „ ad Discipulos clausis foribus penetra„ vit. „

Gennadius Lib. de dogmatibus Eccl. cap. 69. similia dicit: " Integra, *inquit*, fide „ credendum est, B. Mariam Dei Christi „ matrem, & Virginem concepisse, & „ Virginem genuisse, & post partum Virginem permansisse. „

S. Ildephonsus Serm. 2. de Nativit. Dom. Virginitatem non aliunde, quam ex fœtu corrumpi posse, idcirco Mariam inviolatam fuisse in partu, quia obumbratione Spiritus sancti concepit: Astipulatur V. Beda in parvulo quodam sermone, cujus titulus de Nativit. ubi ait: " Benignitas „ Domini nostri apparuit, cum mundum „ per assumptam humanitatem redimere „ venit; quod factum est ad similitudinem „ roris, vel pluviæ: quia sicut lana recipit rorem, vel pluviam & emittit sine corruptione sui, ita & Virgo Maria „ recepit Christum in se, & emisit integritate virginitatis servata. „

S. Chrysologus, eamdem veritatem prædicat atque defendit, potissimum vero Serm. 142. de Annunciat. interpretans enim ista prophetiæ verba, *concipies & paries filium*, ait: " Qui egreditur, & ingreditur, „ & introitus sui, & exitus nulla vestigia „ relinquit, divinus habitator est, non „ humanus: & qui conceptu suo Virginem servat, & ortu suo reliquit Virginem, non terrenus homo est, sed cælestis. „

S. Anselmus Lib. de Sacram. capit. 3. non minori alacritate defendit illibatam BB. Mariæ virginitatem; sic enim loquitur: " Quod de humanitate ejus per resurrectionem glorificata sæcularis Philosophiæ „ ratiocinationibus videtur insusceptibile, „ ut clausis januis ad Discipulos intraret „ mortalis, exercuit, dum de thalamo „ uteri Virginalis ad currendam viam dispensationis humanæ clausis naturæ ja„ nuis processit. „

Non prætereundus D. Bernardus Serm. 33. in Cantica, ubi ait: *Et Virgo Deum, in utero de Spiritu sancto concepit, & peperit Virgo.*

Non dissentit Petrus Damianus Opusc. 36. ubi

36. ubi eamdem prosequitur fidei veritatem, his verbis: " Et certe mirabilius „ est, & valde præcellentius, Virginem „ incorruptam manere post partum, quam „ corruptam ad Virginale decus redire „ post lapsum: quia & majus est, quemlibet clausis janüis ingredi, quam eas, „ quæ patuerint, januas claudi: si ergo „ natus ex Virgine Redemptor noster, „ quod majus est, & longe præstantius „ fecit, quod minus est, corruptam „ quamlibet redintegrare non potuerit? „ Potuit Deus homo ex utero virginali, „ salva virginitate procedere, non poterit violatæ virginitatis dispendium reparare. „ Mitto Eucherium, Cælium, Sedulium, Lupum Servatum, & alios qui eamdem professi sunt, & defenderunt fidem.

Probatio, ex ipsa Ecclesia.

ECCLESIA afflata S. Spiritu, & traditione innixa, non solum celebrat Virginitatem BB. Mariæ ante partum, & in partu, sed etiam post partum, ita ut hanc ut articulum fidei veneretur, unde & agnoscit in orationibus, ut per merita tantæ prærogativæ adjuvemur, & totius consolationis Deus misereatur nostri. Sic loquitur in oratione festi Præsentationis.

Deus, *qui Beatam Mariam semper Virginem Spiritus sancti habitaculum, hodierna die in templo præsentari voluisti: præsta quæsumus, ut ejus intercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam præparasti, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur.* Rursus in alia: *Deus qui salutis æternæ B. Mariæ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus.* Tum & in Antiphona primarum Vesperarum festi Conceptionis ejusdem Virginis, ait: *Gloriosissimæ Virginis Mariæ conceptionem dignissimam recolamus, quæ & genitricis dignitatem obtinuit, & Virginalem pudicitiam non amisit.*

Probatio, ex rationibus D. Thomæ.

ILLA fuit in partu Virgo, quæ incorrupta fuit, tum concipiendo in utero suo virginali Christum, tum in lucem edendo & pariendo: Atqui BB. Maria inviolata permansit, tum concipiendo, tum pariendo Christum: Igitur omnimode Virgo permansit, quandoquidem integritas virginalis solum deperditur in iis duobus circumstantiis, nempe in conceptione & in partu.

Probatur prima pars, scilicet beatissimam Mariam in conceptione Christi inviolatam permansisse. D. Thomas hic quæst. 28. & 1. sic probat illam veritatem: " Dicendum, quod simplicitur confitendum „ est Matrem Christi Virginem concepisse: contrarium enim pertinet ad hæresim Ebionitarum, & Cherinti, qui „ Christum purum hominem arbitrabantur, & de utroque sexu eum natum „ putaverunt. Quod enim Christus sit „ conceptus ex Virgine, conveniens est „ propter quatuor. Primò, propter mittentis Patris dignitatem conservandam: „ cum enim Christus sit verus & naturalis Dei filius, non fuit conveniens, „ quod alium Patrem haberet, quam „ Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. Secundo, hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii, qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. „ Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quinimmo cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit „ a Verbo Dei assumpta, ut esset caro Verbi Dei: conveniens fuit quod etiam „ ipsa sine corruptione matris conciperetur. Tertio, hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per „ quam peccatum mundi tollebatur, secundum illud Joann. 1. Ecce Agnus „ Dei: scilicet Innocens, qui tollit peccatum mundi: non poterat autem esse, „ quod in natura jam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sine infectione „ originalis peccati. Unde Aug. dicit in „ libro de nuptiis & concupiscentia: Solus nuptialis concubitus ibi non fuit, „ scilicet in matrimonio Mariæ & Joseph, quia in carne peccati fieri non „ poterat sine ulla carnis concupiscentia, „ quæ accidit ex peccato, sine qua concipi „ voluit, qui futurus erat sine peccato. „ Quarto, propter ipsum finem Incarnationis

„ nis Christi: quæ ad hoc fuit, ut homines „ renascerentur in filios Dei, non ex vo- „ luntate carnis, neque ex voluntate vi- „ ri, sed ex Deo, id est, ex ipsa Dei „ virtute. Cujus rei exemplar apparere „ debuit in ipsa conceptione Christi. Un- „ de Augustinus dicit in lib. de sancta „ Virginitate: oportebat caput nostrum „ insigni miraculo secundum carnem na- „ sci de Virgine, quo significaret mem- „ bra sua de Virgine Ecclesia secundum „ spiritum nascitura. „

Probatur secunda pars, nempe beatissimam Virginem illibatam permansisse in partu Christi, & hoc ex eodem D. Thoma ibidem art. 2. his verbis: " Dicendum, quod absque omni dubio asserendum est, matrem Christi, etiam in partu, Virginem fuisse. Nam Propheta non „ solum dicit, Ecce Virgo concipiet, sed „ etiam addit, Et pariet filium. Et hoc „ quidem conveniens fuit propter tria. „ Primo quidem, quia hoc competebat „ proprietati ejus, qui nascebatur, qui „ est Verbum Dei. Nam Verbum non „ solum in corde absque corruptione con- „ cipitur, sed etiam absque corruptione „ ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit, ut de incorrupto Virginis utero nasceretur. Unde „ in sermone quodam Ephesini Concilii „ legitur, Quæ parit carnem puram, a „ Virginitate cessat: sed quia natum est „ in carne Verbum, Deus custodit Virginitatem, seipsum ostendens per hoc „ Verbum: Neque enim nostrum verbum, „ cum pariatur, corrumpit mentem, ne- „ que Deus Verbum substantiale par- „ tum eligens, peremit Virginitatem. Se- „ cundo, hoc est conveniens quantum ad „ effectum incarnationis Christi; nam ad „ hoc venit, ut nostram corruptionem „ tolleret, unde non fuit conveniens, ut „ Virginitatem Matris nascendo corrumperet. Unde Augustinus dicit in quodam Serm. de Nativit. Domini, Fas „ non erat, ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat salvare „ corrupta. Tertio, fuit conveniens, ne „ Matris honorem nascendo diminueret, „ qui parentes præceperat honorandos. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Beatissima Maria fuit Virgo in partu.

PRIMO: Hoc est de fide, juxta illud Mariæ ad Angelum Luc. 1. 35. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et Respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.*

Secundo: Hanc veritatem docent SS. Pontifices. S. Leo Serm. 1. de Nativit. Hormisdas Epist. 79. Pelagius I. Epist. 16. Hanc, Concilia prædicant, videlicet Chalcedonense in Serm. Prosphonetico, Tridentinum Sess. 5. in decreto de peccato origin. in quo nomine Dei genitricis & Virginis illam celebrat. Hanc Patres annuntiant, nimirum Gregorius Nyssen. Orat. de natali Christi, Amphilochius de occursu Christi, S. Ephræm Orat. de pretiosa Margarita; Ambrosius Tract. de Symb. Apost. cap. 12. Hieronymus ex professo libro contra Helvidium, Augustinus Serm. 14. de tempore, tum & Ecclesia passim in variis orationibus, maxime vero Orat. in festo Præsentationis: *Deus*, ait, *qui beatam Mariam semper Virginem Spiritus sancti habitaculum hodierna die in Templo præsentari voluisti, &c.*

Tertio: Ex rationibus D. Thomæ, qui hic quæst. 28. art. 1. probat BB. Mariam in partu Christi permansisse Virginem, quia hoc exigebat I. Patris æterni dignitas, ut solus esset Verbi quocumque modo spectati Pater. II. Hoc natura Verbi, quod fine corruptione e corde procedit. III. Hoc, officium Mediatoris qui venit, ut omnem evacuaret peccati corruptionem; hoc denique & sanctæ humanitatis dignitas, quatenus Christus pro omni peccato, & peccati contagione Deo pro nobis per eam satisfecit.

SECTIO TERTIA.

Utrum BB. Virgo inviolata permanserit post partum?

QUI divinitatem Christi negarunt, ut diximus, etiam virginitatem B. Virginis perpetuam non crediderunt, immo referen-

ferente S. Epiphanio Hæresi 58. fuerunt quidam ita impii, ut dixerint ex Matrimonio suo alios præter Christum suscepisse filios, quos, inquiebant, Evangelium fratres Domini appellat, quæ pessima hæresis apparuit SS. Hieron. & Augustini temporibus sub finem 4. sæculi. Sic sentiebat Helvidius Auxentii Ariani Mediolanensis Episcopi Discipulus, & Jovinianus Romæ Monachus; contra quos sit

CONCLUSIO.

BB. Deipara, integritate permanente, vitam duxit, & Virgo in perpetuum permansit.

Probatur multis momentis.

Primo, ex veteri Testamento.

APUD Isaiam cap. 7. habetur: *Ecce Virgo concipiet*. Deinde figuræ hanc denotant veritatem. Enim vero præfignant illibatam B. Mariæ virginitatem virga Aaronis, quæ nullo recepto humore floruit, & fructus edidit. Rubus, quem vidit Moyses ardentem, & incombustum: sic explicat ipsa Ecclesia his verbis: *Rubum quem viderat Moyses incombustum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem*. Sed inter alias figuras, ista Ezechielis 44. 2. porta: *Hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. Quod exponens Augustinus Serm. 14. de Nativ. Dom. sic loquitur: *Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? & quod est, homo non transibit per eam, nisi quod Joseph non cognoscet eam? & quid est Dominus solus intrat, & egreditur per eam, nisi quod Spiritus sanctus impregnabit eam, & Angelorum Dominus nasceretur per eam? & quid est clausa erit in æternum, nisi quod Maria Virgo est ante partum, & Virgo in partu, & Virgo post partum?* Ergo &c.

Secundo, ex novo Testamento.

LUC. 1. refertur, quod cum Maria ab Angelo audivisset, quod filium conciperet & pareret, turbata est in hoc sermone, & respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, ut interpretatur S. Gregorius Nyssen. Orat. in Nativit. Christi Tom. 2. pag. 778. quia Virgo in æternum permanere vult, sic BB. Mariam introducit loquentem: " Interdicta „ est mihi viri consuetudo. Quomodo „ istud erit mihi, quoniam virum non „ cognosco? Hæc Mariæ vox demon- „ stratio est eorum, quæ ex incerti au- „ ctoris historia referuntur, nam si ad „ nuptiale opus assumpta fuisset a Jose- „ pho, ad Angeli vocem futurum par- „ tum prænuntiantis, velut ad rem no- „ vam attonita non fuisset, cum hoc ex- „ pectaret, ut ex naturæ lege mater es- „ set, sed quia consecratur Deo, carnem „ tamquam unum ex sacris donariis ser- „ vari oportebat. „ Ergo &c.

Tertio, ex Conciliis.

QUINTUM Generale dicit, BB. Mariam esse semper Virginem. Idem asserit Lateranense celebratum sub Martino I. namque Can. 3. illam veritatem sub pœna anathematis definit, his verbis: *Si quis secundum sanctos Patres, non confitetur proprie, & secundum veritatem Dei genitricem sanctam semper Virginem & immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum semper & veraciter qui a Deo Patre ante omnia sæcula natus, in ultimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eum genuisse, indissolubili permanente, & post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit*. Ergo &c.

Quarto, ex Traditione.

S. AMBROSIUS Epist. 7. ad Siricium Papam, quæ est Synodica Concilii Mediolanensis adversus Jovinianum congregati, apud Binium Tom. 1. Conc. pag. 533. col. 1. sic loquitur: " Hæc est Virgo, „ quæ in utero concepit, Virgo quæ peperit filium; sic enim scriptum est: Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet „ filium. Non enim concepturam tantummodo Virginem, sed & parituram „ Virginem dixit. Quæ autem est illa „ porta Sanctuarii, porta illa exterior ad „ Orientem, quæ manet clausa, & ne- „ mo,

„ mo, inquit, pertransibit per eam, nisi „ solus Deus Israel? Nonne hæc porta „ Maria est, per quam in hunc mundum „ Redemptor intravit? Hæc porta justitiæ, sicut ipse dixit: Sine nos implere „ omnem justitiam. Hæc porta est beata „ Maria, de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam, & erit „ clausa post partum, quia Virgo & concepit & genuit. Quid autem incredibile, si contra usum originis naturalis peperit Maria, & Virgo permanet, quando contra usum naturæ, mare vidit & „ fugit, atque in fontem suum Jordanis „ fluenta remearunt. „

Concinit S. Basilius, inter Patres Græcos antiquus, qui profitetur hanc veritatem Hom. 22. de Nativit. Dom. ubi ait, Pias aures non sustinere, cum dicitur, Dei genitricem, Virginem esse aliquando cessasse. Tum atque vero Epiphanius Hæresi 78. sic loquitur: " Quis ullo tempore „ unquam extitit, qui sanctæ Mariæ nomen appellare auderet, & non rogatus subinde Virginis vocabulum adjiceret? Nam in adjunctis istius modi vocibus virtutis indicia collucent: sancta „ Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Hæc „ enim perpetuo incorrupta permansit. „ Ita & ceteri Patres Græci: In primis Isidorus Pelusiota Libr. 1. Epist. 22. Proclus CP. Orat. in Deiparam, Theodotus Ancyranus Homil. in Nativ. Dom. Theodoretus Dial. 11. Joannes Damascenus Libr. 4. de fide Orthod. cap. 15.

S. Hieronymus, impium Helvidium ex professo in uno & integro libro debellat, & variis rationibus ex auctoritate sacræ Scripturæ desumptis BB. Mariam illibatam servasse per totum vitæ tempus suam Virginitatem ostendit: " Imperfectissime, „ *inquit*, hominum ista non legeras, & „ toto Scripturarum Pelago derelicto „ ad injuriam Virginis tuam rabiem contulisti.... Ex quo vis quadrijugam fratrum & sororum processisse congeriem... „ Natum Deum esse de Virgine credimus, „ quia legimus: Mariam nupsisse post partum non concedimus, quia non legimus. „

Mitto alios Patres eamdem profitentes veritatem, sed his addo morem Ecclesiæ antiquum & perpetuum, Virginitatem B. Mariæ magnis Festis colere; cum autem Ecclesia sit infallibilis in his quæ spectant Religionem, non potest sine blasphemia dici in hoc puncto errare: Igitur est de fide BB. Mariam Virginem esse illibatam.

Quinto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic procedit: Illa permansit illibata, quæ ante partum voto Deo optimo M. se consecraverat: Atqui voto se D. O. M. se mancipaverat BB. Maria ante partum: Igitur cum justa ac sanctissima profecto fuerit, integritatem jam Deo consecratam servasse citra dubium est. Ista ratio est S. Augustini, qui Lib. de S. Virginitate cap. 4. sic habet: " Ipsa quoque Virginitas Mariæ in eo gratior & „ acceptior, quia non eam conceptus „ Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse præripuit: Sed priusquam „ conciperetur, quia jam Deo dicatam, „ de qua nasceretur elegit. „

Secunda: Illa permansit illibata, quæ fuit desponsata viro voto castitatis ex mutuo consensu emisso: Atqui S. Joseph ad Mariæ exemplum, votum vovit Deo, corpus & dilectam animam suam: Igitur ex omni parte liquet beatissimam Mariam Virginem post partum inviolatam, ut profitetur Ecclesia, permansisse. Ista ratio est Sancti Augustini qui Sermon. 14. de Nativitat. Domini, ait: " Habe „ Joseph cum Maria conjuge tua communem Virginitatem membrorum, „ quia de Virginis membris virtus nascitur Angelorum. Gaude itaque Joseph, „ nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui solus meruisti Virginalem affectum posse conjungi, quia per meritum ita virginitatis separatus es a concubitu uxoris, ut Pater dicaris Salvatoris. „ Idem sensit de Virginitate sanctissimi sponsi Mariæ Theodoretus in cap. 1. Epist. ad Gal. Gregorius Nyssen. Orat. 2. de Resurrectione Christi. Epiphanius Hæresi 29. Sanctus Chrysostomus Homil. de Annunciat. Hilarius Diaconus in cap. 1. Epist. ad Galat. Cyrillus Alexand. Lib. 4. Commentariorum in Joann. capit. 7. Theophilactus in cap. 17. Matthæi. Euthymius in capit. 12. ejusdem Matthæi, Magister Sent. in 4. Distint. 3. Denique eidem

eidem veritati suffragatur D. Thomas hic quæst. 28. art. 4. his verbis: " Mater Dei „ non creditur antequam desponsaretur „ Joseph absolute Virginitatem vovisse: „ sed licet eam in desiderio habuerit, „ super hoc tamen voluntatem suam di- „ vino commisit arbitrio, postmodum „ vero accepto sponso, secundum quod „ mores illius temporis exigebant, si- „ mul eum & votum Virginitatis emi- „ sit. „

Tertia, quæ multas alias complectitur, sic procedit: Si BB. Maria non permansisset Virgo, hoc derogasset & Christi perfectioni, & Mariæ sanctitati, immo hoc fuisset Spiritui sancto injuriosum: Atqui talia non sunt admittenda. Ergo &c. Probatur major, ex Div. Thoma qui hic 3. part. quæst. 28. artic. 3. sic loquitur: *Dicendum, quod absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere præsumpsit, Matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse. Hoc enim primo derogat Christi perfectioni: qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tamquam perfectus per omnia filius ejus: ita decuit, ut esset unigenitus Matris, tamquam perfectissimum germen ejus. II. Hic error injuriam facit Spiritui sancto, cujus sacrarium fuit uterus Virginalis, in quo carnem Christi formavit, unde non decebat quod de cetero violaretur per commixtionem virilem. III. Derogat dignitati & sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset: & si Virginitatem, quæ in ea miraculose conservata fuerit, sponte perdere vellet per carnis concubitum. IV. Etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam, quam revelante Angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et simpliciter est asserendum, quod Mater Dei sicut Virgo concepit, & Virgo peperit, ita etiam & Virgo post partum in sempiternum permansit.*

Solvuntur impii Helvidii objectiones.

S. Hieronymus hunc impium confutavit, sed cum multi ad exemplum Hæresiarcæ possent abuti Scriptura sacra, operæ pretium est difficultates & explicare & enodare.

Objicit: S. Joseph dicitur Pater Christi Luc. 2. 33. & cap. 3. 49. juxta illud Mariæ ad ipsum: *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Ergo &c.

Confirmatur: Christus ad Galat. 4. dicitur factus ex muliere. II. Matth. 1. habetur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. III. Ibidem Maria vocatur conjux S. Joseph; conjugium autem dicit licentiam maritalem secundum leges ab ipso Salvatore factas. IV. ibidem habetur de S. Joseph: *Accepit conjugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam. Ad primum, distinguo: S. Joseph dicitur Pater Christi Putativus, Nutritius, & Legalis, concedo: naturalis, nego. Aliquis in veteri Testamento quadrupliciter poterat dici filius alicujus. I. Putative, & quia sic apparebat extrinsece. II. Legaliter, quia ex lege sic erat decretum, quod viro sine liberis mortuo, frater ejus acciperet viduam, & liberi ab ipso procreati vocarentur filii fratris defuncti. III. Ex jure civili & maritali, quo bona mulieris communia sunt sponso, & dicuntur sua. IV. Denique secundum generationem. S. Joseph dicitur pater Christi putative; tum quia sic apparebat publice, tum quia Jesum nutriebat, conservatio autem est iterata productio, inquit Div. Thomas: item & legaliter; cum enim & propter Dei ordinationem, & propter votum virginitatis BB. Mariæ & suum, ex ea non suscepisset liberos, secundum legem Christus dicebatur ejus filius, & quidem jure legali ac civili, in quantum bona Mariæ erant & sua. Solutio patet ex ipso Christo, ibidem enim vers. 49. respondet B. Mariæ: *Quid est quod me quærebatis, nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse? & ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos*. Quibus verbis quasi corrigit B. Mariam, eo quod vocasset Joseph patrem suum. Rursus ibid. cap. 3. 23. S. Lucas omnem tollit dubitationem dicens de Christo: *Putabatur filius Joseph*.

Ad confirmationem, distinguo: Et vox Mulier est nomen commune Virgini & uxoratæ, concedo: secus, nego. Eva adhuc Virgo Genes. 3. 13. tamen vocatur mulier. Solutio est Tertulliani Libr. de Virg.

Virginibus velandis cap. 5. " Mulierem " nominando, quidquid est mulieris nominavit. Sed quoniam ita mulieris nomen usurpant, ut non putent competere illud nisi ei soli quæ virum passa sit; probari a nobis oportet, proprietatem ejus vocabuli, ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere, quo communiter etiam virgines censeantur. Cum hoc genus secundi hominis a Deo factum est, in adjutorium hominis; femina illa, statim mulier est cognominata, adhuc felix, adhuc digna paradiso, adhuc Virgo. "

Ad tertiam, distinguo: Et voces *antequam convenirent* designant solum quod non convenerint ante, concedo: quod postea convenerint, nego. Ita Hieronymus Lib. 1. Comm. in cap. 1. Matth. his verbis: " Antequam convenirent; non sequitur, ut postea convenerint: sed Scriptura quod factum non sit, ostendit. " D. Thomas est ejusdem labii hic quæst. 28. art. 3. ad 1. ubi sic respondet ad argumentum: " Sicut si aliquis dicat, Antequam in portu pranderem, navigavi: non intelligitur quod in portu prandeat, postquam navigaverit: sed quia cogitabatur in portu pransurus. Et similiter Evangelista dicit, Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto: non quia postea convenerint: sed quia dum viderentur conventuri, prævenit conceptio per Spiritum sanctum: ex quo factum est, ut ulterius non convenirent. "

Ad quartam, distinguo: Maria dicitur conjux S. Joseph propter matrimonium ratum, concedo: & hoc sicut aliæ Virgines dicuntur conjuges eo ipso quo in Ecclesia conjunctæ sunt cum viro, inquit D. Thomas ibidem: propter fidem desponsationis, ut etiam dicit Augustinus Lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 11. ut dicit Ambrosius Lib. 2. in Lucam 1. propter conjugii declarationem, & nuptiarum celebrationem: dicitur conjux propter matrimonium consummatum, nego.

Ad ultimum, similiter distinguo: Et vox *donec* dicit solum quod Joseph non cognoverit conjugem suam ante partum Christi, concedo: & significat quod postea cognoverit, nego. Nam vocabulum *donec* quandoque dicit tempus indefinitum, ut in Psal. 122. 2. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Ex quo non sequitur Prophetam, impetrata misericordia, oculos a Domino aversurum. Igitur ad usum voci *donec* attendendo, non concludendum BB. Mariam a Virginitate recessisse, tametsi desponsatam Joseph. Sic solvit argumentum S. Thomas hic quæst. 28. art. 3. ad 3. " Secundum hoc Evangelista dicit matrem Dei non esse cognitam a viro usque ad partum: ut multo magis intelligamus cognitam non fuisse post partum. " Non desunt Doctores qui autument, Joseph, cognita ex partu Virgineo Mariæ eminentia, præ humilitate & reverentia, ne quidem illam aspicere & intueri ausum, ab ea secedere voluisse, se existimans indignum cum creatura per maternitatem divinam supra ipsos Angelos elevata, commorari.

Instat: Matth. 125. Christus dicitur primogenitus Mariæ: *Peperit filium suum primogenitum*. Sed primogenitus alios annunciat filios. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Primogenitus alios filios indicat, aliquando, concedo: semper, nego. Vox *primogenitus* primum dumtaxat filium importat, sive alii ad eum sequantur, sive non. Sic in veteri Testamento usurpatur; cautum enim erat per legem ut parentes primogenitum intra unum nativitatis mensem redimerent, sive alii nascerentur filii, sive non; ex quo patet vocem *primogenitus* non alios absolute indigitare filios: & sic causa cadit Helvidius. Ita respondet D. Thomas ibidem ad 4. " Dicendum, *inquit*, quod mos divinarum Scripturarum est, ut primogenitum vocent non solum eum, quem fratres sequuntur, sed eum, qui primus natus sit. Alioquin si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tamdiu secundum legem Sacerdotibus primogenita non debentur, quandiu & alia non fuerint procreata. Quod patet esse falsum: cum intra annum, & post mensem primogenita redimi mandentur secundum legem. "

Urget: Matth. 12. 47. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratres stabant foris*. Igitur alii filii præter Christum Mariæ tribuendi sunt, ait Helvidius.

dius. Rursus ibidem cap. 13. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria; & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Juda*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et hæc omnia innuunt solummodo Christum habuisse fratres lato modo, hoc est, consobrinos, vel fratres affectu & cognatione spirituali per gratiam & amorem, concedo: fratres naturales, nego. Hoc ipsum innuit Christus; ne enim auditores crederent ita esse, subdit Matth. 12. 49. *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est*. Ad aliam auctoritatem distinguo: Judæi, quibus absconditum erat Incarnationis mysterium, Joseph ut patrem Christi habebant, concedo: Fideles, subdistinguo; ut patrem putative, & nutritium, concedo: secus, nego.

Solutio colligitur ex D. Thoma ibidem ad 5. " Nos autem, *ait*, fratres Domi-„ ni, non filios Joseph, sed consobrinos „ Salvatoris, Mariæ materteræ Domini „ filios intelligimus. Quatuor enim modis „ in Scripturis fratres dicuntur, scilicet „ natura, gente, cognatione & affectu. „ Unde fratres Domini dicti sunt, non „ secundum naturam, quasi ab eadem „ matre nati; sed secundum cognationem, „ quasi consanguinei ejus existentes. Jo-„ seph autem, sicut Hieronymus dicit „ contra Helvidium, magis credendus „ est virgo permansisse: quia aliam uxo-„ rem habuisse non scribitur, & fornica-„ tio in sanctum virum non cadit. „

Insistit: Matth. 27. 55. legitur: *Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi*. Videtur autem hæc Maria quæ hic dicitur Jacobi & Joseph mater, esse etiam mater Christi: dicitur enim Joan. 19. quod stabat juxta crucem Jesu Maria mater ejus: Ergo &c.

Respondet D. Thomas ibidem ad hoc argumentum his verbis: " Ad sextum di-„ cendum, quod Maria, quæ dicitur Ja-„ cobi & Joseph Mater, non intelligitur „ esse Mater Domini: quæ in Evangelio „ non consuevit nominari, nisi cum co-„ gnominatione hujus dignitatis, quod sit „ Mater Jesu. Hæc autem Maria esse „ intelligitur uxor Alphæi, cujus filius „ est Jacobus Minor, qui dictus est fra-„ ter Domini. „ Incassum opponeret Helvidius Christum Matth. 1. filium David propter Joseph nuncupari; hoc enim intelligitur mediate, quatenus Joseph habebat pro sponsa Mariam quæ erat de Tribu Juda; quia vero Tribus mulieris per Tribum sponsi indicabatur, ideo propter Joseph quoad designationem, nusquam vero quoad propaginem Christus dicitur Filius David: hoc enim immediate & naturaliter ut homo habebat a Maria, quæ erat ex Tribu Juda orta.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

BB. Maria fuit & permansit Virgo post partum.

PRIMO: Hoc fidei dogma subindigitat Ezechiel cap. 44. 2. ubi Maria dicitur porta semper clausa & soli Deo aperta: Sic illam interpretantur figuram SS. PP. in primis S. Augustinus Serm. 14. de nat. Dom. Concinit Evangelium; Luc. enim 1. Maria respondit Angelo annuntiante Incarnationem? *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*? Et tamen jam erat desponsata Joseph, juxta illa priora verba: *Missus est Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph*. Igitur jam de virginitate in perpetuum custodienda emiserat votum.

Secundo: Hanc fidem agnoscunt Concilia, videlicet Quintum generale, Lateranense sub sancto Martino, & Tridentinum: Hanc Traditio Patrum prædicat: sic docet Ambrosius Epist. 7. ad Siricium Papam: sic Basilius Hom. 22. de nat. Dom. sic Epiphanius Hær. 78. sic Hieronymus toto libro contra Helvidium.

Tertio: Usus & possessio Ecclesiæ ita tenet: Nec mirum, hoc exigebat Spiritus sanctus, qui corpus BB. Mariæ ut templum specialissima consecratione elegerat. Hæc sanctitas filii, qui ex eo carnem assumpserat: hoc votum & propositum sanctissimæ Virginis, quæ Deo totaliter sese mancipaverat.

SY-

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Tametsi habeatur in Scriptura : *Antequam convenirent, Maria inventa est in utero habens de Spiritu sancto*. Respondet Hieronymus : " Non sequitur ut postea convenerint : Sed Scriptura quod factum non sit, ostendit. "

Secundo : Verum quidem est S. Joseph vocari Patrem Christi, sed intellige nutritium, & putativum ; habetur enim Luc. 3. 23. de Christo : *Putabatur filius Joseph*.

Tertio: Quidam etiam in Evangelio vocantur fratres Christi, sed fraternitate affectiva, & spiritali, ut ipse Christus interpretatur Matth. 12. 49. *Ecce Mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est ; ipse meus frater, & soror, & mater est*.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum constet ex aliis Prophetiis Christum esse verum Messiam?

Conclusio: Constat ex aliis Prophetiis.

ISTA Conclusio sequitur ad id quod diximus in Prolegomenis ad Scripturam sacram de convenientia inter utrumque Testamentum. Probatur tamen hic breviter a conglobatis adversus perfidiam judaicam hoc ratiocinio & argumento.

Quæ a multis retro sæculis annuntiantur, & eveniunt sicut prædicta fuere, dubio-procul a Deo promanant & verissima sunt : Atqui Dominica Incarnatio futura, nedum secundum se, sed & quoad omnes circumstantias sicut a multis retro sæculis prænuntiata, sic & in Jesu Nazareno adimpleta est. Et probatur :

Primo : Prædicitur adventus, juxta illud Aggæi 2. *Hæc dicit Dominus adhuc modicum, & ego movebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria .... Magna erit gloria domus illius novissimæ plusquam primæ, & in loco isto dabo pacem*. Quæ verba tantum Christo conveniunt ; a longo enim tempore emissum est illud vaticinium, neque vero intelligi potest de Templo ab Herode restaurato ; non enim tanta erat ejus magnificentia, quanta erat primæ domus seu Templi a Salomone primum ædificati. Aggæus autem loquitur de domo plurimum gloriosa, adeoque de Ecclesia Ch. Item Malach. 3. 1. habetur : *Ecce ego mitto Angelum meum*, Joannem Baptistam, *& statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis*. Si statim, ergo jam venit, cum ab ista prophetia sint plusquam 2000. anni.

Secundo : Ejus conceptio, juxta illud Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet*, de quo supra.

Tertio : Ejus divinitas, juxta illud ejusdem Isa. 9. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis*.

Quarto: Ejus Nativitas æterna ; sic enim habetur Michææ 5. 2. *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Et ibidem nativitas temporalis cum ipsius nativitatis loco : *Et tu Bethlehem Ephrata .... ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel*.

Quinto : Vita & conversatio, juxta illud Baruch 3. *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est*.

Sexto: Prædicatio, juxta illud Isaiæ 7. *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam*. Item & miracula ibidem 45. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*.

Septimo : Ingressus humilis in Jerusalem, ut habetur Zach. 9. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinam* : quibus verbis confunditur superbia Judæorum, qui expectant Messiam divitem, & gloria mundana decoratum : immo & ejus Doctores qui piscatores fuere, prænuntiantur Jerem. 16. his verbis : *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos*.

Octavo : Vocatio Gentilium clare prædicitur Isaiæ 55. *Ecce*, inquit Deus, *testem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus. Ecce Gentem, quam nesciebas, vocabis, & Gentes quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificavit te*.

Nono : Proditio Judæ Iscariotis, juxta illud Zachariæ 11. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos*. Item acerbitas

bitas passionis cum aliis circumstantiis, Isaiæ 53. Psal. 21. & 68. ita clare annuntiatur ut diceres Prophetas adsuisse spectaculo: Item & Sap. 2. 20. his verbis: *Morte turpissima condemnemus eum*. Et supra v. 18. *Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum*.

Decimo: Ipsius resurrectio, juxta illud Psal. 56. *Exurgam diluculo*. Et Psal. 3. *Ego dormivi, & exsurrexi*. Item & ejus Ascensio, toto Psalmo 62. & descensus Spiritus sancti super Apostolos, juxta illud Joelis 2. *Effundam super omnem carnem de spiritu meo, &c.*

Denique, ultimus Prophetarum, Joannes scilicet Baptista, omnem Prophetarum visionem concludens, suis indigitat Discipulis Christum, his verbis Joan. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Quid expressius contra incredulitatem Judæorum? Atqui omnia prædicta a Prophetis relatis adimpleta sunt in Jesu Nazareno, ut constat ex quatuor Evangelistis, qui propter morum sanctitatem æque digni sunt fide ac alii Historici, ut constat ex Historicis & Christianis, & etiam Profanis: Igitur Messias venit, & est Christus Nazarenus.

Explicatio Prophetiarum per Rabbinos.

RABBINI scholæ Eliæ Tom. 15. edit. Venetæ, egregia scribunt & docent quæ in solo Christo adimpleta videntur. Thalmud Sanhedrin cap. 12. fol. 97. pag. 10. illud memorabile effatum complectitur: *Docuit domus Elia, sex millibus annorum mundus existet: Ex his duo millia erunt inanitas, hoc est, sine lege Dei: duobus millibus erit lex: duobus millibus erunt dies Messiæ*. Quem locum enarrans glossa Rabbi Salomonis sic exponit: " Ut postquam „ duobus annorum millibus lex duraverit, Messiam venire oporteat. „ Igitur ex ipsis Rabbinis prophetiæ de Christo intelligendæ sunt, & venit Messias, cum tempus adventus jam dudum elapsum sit.

Thalmudicus Tractus, Sanhedrin, cap. 11. istud Isaiæ 53. 4. oraculum: *Putavimus eum quasi leprosum*; explicat de Messia his verbis: *Leprosus domus Rabbi, Doctores nostri dicunt, leprosus, domus Rabbi nomen est ejus, quoniam scriptum est: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit, & nos putavimus eum percussum, & casum a Deo, & humiliatum*. Quod citra dubium in Christo adimpletum est: Igitur ex Rabbinis ille est quem ipsi leprosum nominant.

Rabbi Josua in Sanhedrin c. 11. fol. 92. pag. 1. illud Zachariæ vaticinium: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*; de Messia interpretatur. Rabbi Achkiba, inter Thalmudistas Doctissimus in Sanhedrin fol. 98. pag. 1. de Messia quoque explicat illam Aggæi 2. prophetiam: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram ... & veniet Desideratus cunctis gentibus*. Utrumque autem vaticinium in Christo adimpletum non unus probavit effectus.

Paulus ex Judæo Christianus sui ævi Doctor egregius, & pro meritis Episcopus Burgi inauguratus, in additionibus ad Lyrrani Commentaria in Danielem, explicans quisnam sit Christus dux, de quo loquitur Propheta cap. 9. ait: " Nullus „ enim sanæ mentis posset dicere, nec „ etiam ipsimet Hæbræi in tantam pro„ rumperent insaniam, quod assererent ut „ aliquis in sacris Scripturis principalis „ Messias dicatur, nisi ille, qui inter ce„ teros Christos Principatum tenet, vel „ tenebit secundum eos. „ Sed Christus est principalis ille Messias, Præceptor Gentium & Dux, sicut prænuntiatum fuerat Isaiæ 55. quandoquidem ad ipsum ita confluxere Gentes, ut crux appareret, inquit Augustinus, in fronte Regum: Ergo &c.

Ex sanctis Doctoribus.

Prophetia de Christo intelligenda sunt.

TERTULLIANUS hanc perfecte adimplevit Provinciam, & omni testimoniorum genere probavit Jesum Nazarenum esse Messiam a Prophetis annuntiatum, maxime in Apologetico cap. 21. pag. 20. Primo ex punitione Judæorum, his verbis: " Quanta deliquerint, fiducia Patrum „ inflati ad declinandum, deviantes ab di„ sciplina in profanum modum; etsi ipsi „ non

„ non confiterentur, probaret exitus ho-„ diernus ipsorum. Dispersi, palabundi, „ & cœli, & Soli sui extorres vagantur „ per orbem sine homine, sine Deo Rege, „ quibus nec advenarum jure terram pa-„ triam saltem vestigio salutare conceditur. „

Secundo: Ibidem pag. 21. Christi divinitatem probat ex ejus sancta doctrina, ex redemptione & generatione æterna: " Hu-„ jus igitur, *inquit*, gratiæ, disciplinæ-„ que arbiter & magister, illuminator at-„ que deductor generis humani Filius Dei „ annuntiabitur.... hunc ex Deo prola-„ tum didicimus & prolatione generatum, „ & idcirco Filium Dei. „

Tertio: Ibidem præcise ex prophetiis probat Christum esse Messiam: " Sciebant, „ *ait*, & Judæi venturum esse Christum, „ scilicet quibus Prophetæ loquebantur: „ nam & nunc adventum ejus expectant: „ nec alia magis inter nos & illos com-„ pulsatio est, quam quod jam venisse non „ credunt: duobus enim adventibus ejus „ significatis; primo, qui jam expunctus „ est in humilitate conditionis humanæ; „ secundo, qui concludendo sæculo im-„ minet in sublimitate divinitatis exer-„ tæ. „ Idem expressius explanat L. 5. adversus Marcionem pag. 593. ubi Psalmum: *Deus, judicium tuum Regi da*: de Christo esse affirmat. Rursus prophetias in Christo adimpletas ex miraculis ab ipso patratis ostendit Apologetico pag. 25.

Alter ejusdem veritatis testis locupletissimus est S. Joannes Chrysostomus Orat. 3. adversus Judæos Edit. Paris. anno 1546. eo loci variis momentis probat eis Christum esse Messiam a Prophetis annuntiatum.

Primo quidem pag. 270. col. 1. ex eo quod Martyres Christi divinitatis Præcones, terrente diabolo, & sæviente mundo non cesserint suppliciis, & Jesum tametsi crucifixum ad internecionem usque dilexerint: " Judæos, *inquit*, in primis invisos „ habent Martyres, quandoquidem ab illis „ crucifixum maxime diligunt. Nam isti „ dicebant: sanguis ejus super nos, & su-„ per filios nostros: illi vero sanguinem „ proprium effuderunt ejus amore quem „ illi occiderunt.. „

Secundo, pagin. 271. col. 1. eos revincit dicendo a Deo fuisse dejectos, quia ipsum Christum juxta Prophetarum oracula occiderant: " Ut autem & ipsis Prophetis „ hoc evidenter & expresse testificanti-„ bus, præsentium malorum causam in-„ telligatis, audite quid dicit Isaias 53. „ quomodo prædicit simul & venturam „ omnibus per Christum beneficentiam, „ & vestram improbam ingratitudinem. „ Livore, inquit, ejus nos sanati sumus: „ salutem indicans per crucem omnibus „ oblatam.... ut agnus in conspectu ton-„ dentis ipsum sine voce fuit. Hic non „ aperit os suum. Et ubi licet hoc vide-„ re? In nefasto Prætorio Pilati, quum „ tam multa, inquit, testimonia profer-„ rent adversus ipsum, nihil eis respon-„ dit Iesus... nam si voluisset, omnia tur-„ basset, concussisetque. Etenim si id „ temporis quo pendebat in cruce, saxa „ discidit, orbem terrarum obscuravit, „ solis radios avertit, noctem medio die „ per universam terram induxit, idem „ potuisset in Prætorio facere. „

Tertio: Pag. 271. col. 2. probat Sacerdotium ab eis juxta Oseæ prophetiam prorsus ablatum. Primum enarrat miram Aaron consecrationem, vindictam in eos qui despexerant Sacerdotes: quæ quidem omnia a morte Christi cessarunt: deinde eos sic perstringit: " Tum ne quod acci-„ derat temporis progressu deletum obli-„ vione jaceret, neve admirabilem hanc „ Dei sententiam ignorarent posteri, præ-„ cepit Moses, ut turribula sublata ap-„ plicarent ad altare, ut quemadmodum „ virga sine voce vocem emisit ipso con-„ spectu, itidem & hæc per ora postero-„ rum volitantia cunctis commemoraren-„ tur, admonitura consulturaque minori-„ bus, ne majorum amentiam imitaren-„ tur; ne quando simili pœna plecteren-„ tur. Ad hunc modum olim Sacerdotes „ creabantur, nunc vero lusus meri sunt „ risusque, quæ fiunt apud Judæos omnia „ pudor & cauponatio, plena immensæ „ impietatis. „

Propelluntur Judæorum aufugia.

REPLICANT Judæi simul & objiciunt laudata ex Prophetis, maxime ex Daniele & Osea nihil roboris adversus eos habere quæ de desolatione annuntiantur, & quidem propter multa.

Primo : Tametsi Deus iratus non semel fuerit contra Patres nostros, tandem elapsa aliquorum annorum captivitate, eis misertus est, quidni & nostri miserebitur, cum Psalmo 102. scriptum sit: *Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*.

Secundo : Deus promisit David filios ejus super sedem suam in æternum sessuros, ea solum conditione, si suum custodirent Testamentum. Igitur, inquiunt, ut primum a prævaricatione cessantes illud fideliter servabimus, tunc veniet Messias.

Tertio: Juxta legem nostram nemini licitum est nisi in Templo Jerosolymæ sacrificare: ne quis ergo miretur si non habeamus his temporibus sacrificium; tunc enim & hostiam habebimus cum restauratum exiftet: Sed & nunc hujus gratiæ affulget spes: Si enim Templum a Nabuchodonosor dirutum, postea beneficio Cyri Persarum Imperatoris reædificatum est, si iterum subversum a Græcis, ab Herode Ascalonita etiam restauratum fuit, hoc ipsum sicut in votis, sic & in spe repositum est.

Quarto : Non constat ex indignatione Dei Templum fuisse subversum, sed potius ex invidia & ambitione Romanorum; & hoc in contemptum legis nostræ, cum eis ex pietate resistentes, eo quod idola apponi in Templo vellent; iratæ illæ gentes furore simul & in impietatem actæ cuncta subverterunt.

Quinto demum ajunt, se habere Legem & Prophetas, & sacræ Scripturæ Libros: Ergo &c.

S. Chrysostomus his omnibus respondet argumentis & aufugiis in Oratione jam laudata.

Ad primum quidem, Deum omnium misereri, sed ea conditione ut peccatores convertantur: & de facto inter Judæos multi prædicatione Apostolorum conversi, Christum Mediatorem agnovere; adversus vero pertinaces propugnat sanctus Doctor, nullum esse juxta Danielem desolationi præsenti finem imponendum, cum e contra ex misericordia Dei præcedentes afflictiones habuerint terminos: pag. 270. col. 1. sic loquitur: " Ergo quod, si „ hæc Judæorum servitus finem esset habitura, hoc quoque prædicturi fuerunt „ Prophetæ, & nequaquam silentio præteriturі, satis declaravimus: posteaquam „ docuimus omnes captivitates, ut a Prophetis prædictæ fuerant, in illos venisse; primum in Ægypto, deinde in Babylone, tertiam sub Antiocho illustri. „ Demonstravimus enim harum unicuique & locum, & tempus fuisse prædictum in sacris Litteris. Huic vero præsenti nullus Propheta præfinivit tempus..... Quin contra magis prædixit „ *Daniel*, quod ad finem usque duratura „ esset hæc servitus. „

Ad secundum respondet ibidem, non solum Judæos non servare Dei mandata, sed in infidelitate pertinaces remanere, nec aliud propter scelus, quam propter Deicidium ærumnis concuti; quarum quidem non erit finis donec ad meliora revertantur. Patres quidem eorum peccasse, sed tamen Mediatoris habuisse fidem, qua prætermissa, etiamsi in tanta non ruant peccata, misericordiam tamen eos non esse assecuturos testatur. Sic igitur illos alloquitur: " Quoniam peccavimus Deo, *dicitis*, offendimusque illum, „ ideo non recipimus nostram regionem.... „ Et quid istuc novum est aut mirum? „ Num enim nunc tantum in peccatis vivitis, prius in justitia recteque factis soliti vivere? ... nonne Mosem nunc lapidibus impetentes, nunc expellentes, „ nunc aliis atque aliis modis frequenter conati estis occidere? Nonne adhuc „ perseverabatis blasphemias jacientes in „ Deum? Nonne Beelphegor immolastis? „ Nonne filios vestros, ac filias sacrificastis dæmoniis? ...... Qui fieri potuit, „ ut tum vos non adversaretur Deus, „ sed post mactationem filiorum &c. Nebula super vos testudinis vice porrecta, „ columna tedæ loco vos præcedente, „ hostibus vobis ultro cedentibus, civitatibus sola propemodum voce captis „ &c....... Suppeditatus est vobis novus „ quidam & inauditus commeatus, de „ quo clamat Propheta, dicens: Panem „ cœli dedit eis..... nunc vero cum nec „ idola colatis, nec liberos occidatis, nec „ Prophetas lapidetis in perpetua degitis „ captivitate? Non enim tum alius erat „ Deus quam nunc est... Quid igitur in „ causa fuit, ut cum gravioribus peccatis „ abundaretis, uberior fuerit erga vos Dei „ beneficentia? Nunc vero cum leviora „ pec-

„ peccatis, prorsus vos avertetur.... po-
„ steaquam Christum occidistis, postea-
„ quam in Dominum injecistis manus,
„ posteaquam sanguinem illum pretiosum
„ effudistis: Propterea non est vobis re-
„ liqua corrigendi spes, neque venia,
„ neque purgatio .... siquidem, occiso
„ Christo, majus graviusque scelus com-
„ misistis, quam si mactassetis liberos. „
Intellige, non est spes Judæis, nisi Chri-
stum agnoscant Messiam.

Tum ibidem sic argumentatur ad homi-
nem: " Si impostor erat Jesus, quemad-
„ modum dicitis, Legisque transgressor:
„ par erat, ut hanc etiam laudem fer-
„ retis qui talem occideritis: nam si Phi-
„ nees unico tantum perempto homine
„ totam numinis iram adversus populum
„ exardescentem sedavit .... Vos autem
„ quum in crucem egeritis virum imposto-
„ rem, ut dicitis, Deoque adversantem:
„ Qui fit ut non solum non feratis lau-
„ dem & honorem, verum etiam acer-
„ biora passi sitis, quam tum cum filios
„ vestros mactaretis? An non istud per-
„ spicuum est, etiam vehementer tardis
„ & hebetibus, quod posteaquam adversus
„ Servatorem ac Principem orbis impie egi-
„ stis, talis vindicta de vobis sumpta sit. „

Ad tertium, Templum prioribus qui-
dem sæculis restaurari debuit, eo quod
lex vetus ad Christum usque perseveratu-
ra erat, sed non post Christum, idcirco
incassum illud reædificare non semel ten-
taverunt Judæi: de hoc momento ibidem
pag. 270. col. 1. ita scribit sanctus Do-
ctor: " Cum crebro jam conati sint in-
„ staurare Templum: nam semel & ite-
„ rum, ac tertio sub Adriano, sub Con-
„ stantino, sub Juliano conatus illorum
„ interruptus est: primum quidem a mi-
„ litibus, rursus ab igne promicante e
„ fundamentis, & illorum importunam
„ pervicaciam coercente. „

Deinde vero pag. 271. eos urget dicen-
do, non habuisse semper Templum, & ta-
men vel ipso captivitatum tempore ha-
buisse Prophetas; quandoquidem Jeremias
extabat tempore captivitatis Babylonicæ
cum Daniele: Eliam vero & Eliseum
tempore schismatis Samariæ seu Israel:
" Ponamus enim, *inquit*, juxta vestram
„ sententiam mœnia ab hominibus fuisse
„ subversa, civitatem dirutam, altare
„ dejectum: num & illud ab hominibus
„ factum, quod Prophetæ cessarunt?
„ Num & spiritus gratiam sustulerunt?
„ Num alia quæ apud vos fuere magni-
„ fica destruxerunt? veluti vocem de
„ propitiatorio reddi, vim unctionis, de-
„ clarationem quæ fiebat in lapidibus Sa-
„ cerdotis? neque enim Judaica Religio
„ origines omnes habebat ex inferiori-
„ bus, sed plures ac magnificentiores su-
„ perne e cœlis ... Rursum si quando
„ cognoscendum erat aliquid, e propitia-
„ torio vox quæpiam e medio Cherubim
„ prodibat, prædicens futura. Rursus e
„ lapidibus qui erant in pectore summi
„ Sacerdotis, id vocabant declarationem:
„ relucebat fulgor quidam futura signifi-
„ cans. „

Eamdem complet & prosequitur solu-
tionem ibidem pag. 271. col. 1. his ver-
bis: " Rursus extiterunt Ezechiel & Da-
„ niel, qui nec sancta Sanctorum aspice-
„ rent, nec altari assisterent, sed in me-
„ dia Barbarorum regione, & impurorum
„ hominum consortio agentes Spiritu re-
„ pleti futura prædicebant ... Itaque di-
„ cite mihi quam ob causam non habetis
„ nunc Prophetas? An non perspicuum
„ est hanc esse causam, quod Deus vos
„ repulerit? Sed quam ob causam repu-
„ lit? Clarum item & hoc, quod ob illum
„ Crucifixum, & impium illud facinus. „

Ad quartum distinguo: Romani Reipu-
blicæ Judæorum fecerunt exterminium,
ordinante Deo, sine cujus placito ne unus
quidem e capite capillus excidit, ut inquit
Evangelium, concedo: non ordinante Deo
in vindictam, nego. Namque cum impii
justos exercent, absque negotio eos sal-
vat Dominus, verum non ita fit in gra-
tiam Judæorum, quod sane argumentum
est eos esse veri Messiæ morte reos. Re-
sponsio est S. Chrysostomi ibidem pag. 270.
fol. 2. ubi sic perstringit Judæos: " Ve-
„ rum homines, inquiunt, nobis hæc in-
„ tulerunt, non Deus. Immo Deus ista
„ potissimum effecit. Quod si hæc ho-
„ minibus imputas: illud rursum consi-
„ dera, quod ut homines ista fuerint au-
„ si, nisi Deo placuisset, haudquaquam
„ potuissent ad effectum perducere. Cum
„ igitur irruisset ille barbarus, totam Per-
„ sidem secum ducens, sperans fore, ut uni
„ versos ex insidiis adortos caperet, civita-

„ tem totam velut sagena quadam ac reti „ conclusam habebat : nonne tunc, tunc „ inquam, quoniam Deus erat vobis propitius, absque bello, sine conflictu, sine prælio centum octoginta millibus „ militum interfectorum Assyriorum apud „ vos relictis, ita fugit, ut satis haberet, si solus evaderet incolumis? Verum & alia bella innumerabilia frequenter „ istum ad modum judicavit Deus. „ &c.

Ad quintum similiter distinguo : Judæi habent Legem & Libros materialiter, hoc est absque spiritu, absque unctione & potestate Sacerdotum, & absque aris, concedo : formaliter, nego. Istam quoque præoccupat objectionem S. Chrysostomus, & ei facit satis ibidem pagin. 272. his verbis : " Si credis locum esse Sanctum, „ eo quod illic Lex & Prophetarum Libri repositi sunt, superest ut & idola & „ idolorum templa pro Sanctis ducas : „ Quondam enim cum bellum teneret Judæos, victores Azothei ceperunt arcam, „ inque suum templum intulerunt. An „ ideo sanctum erat illorum templum quod „ haberet Arcam? Nequaquam, sed profanum, sed impurum: id protinus ipsis „ factis declaratum est: nam ut hostes intelligerent victoriam ipsis cessisse, non „ ob impotentiam Dei, sed ob iniquitatem eorum a quibus colebatur; etiam „ Arca capta in aliena terra vim suam „ ostendit, dum idolo bis in solum dejecto, effecit, ut etiam comminueretur. „ Tantum aberat ut locum sanctificaret, „ ut locum etiam expugnaret. Verum hic „ quænam est Arca penes Judæos, ubi non „ est propitiatorium, non oraculum, non „ Testamenti tabulæ, non Sancta Sanctorum, non velum, non summus Sacerdos, non thymiama, non holocaustum, „ non Sacrificium, non alia quæ tum Arcam illis reddebant venerandam? „

Fit satis aliis objectionibus.

Opponunt Judæi : Oracula Prophetarum de Jesu Nazareno non intelliguntur: Ergo &c. Probatur antecedens multis momentis : Primo quidem Isaiæ 2. Messias venturus est novissimis diebus, & tamen Christus a multis jam sæculis natus est : Secundo ibidem de Messia dicitur, quod fluent ad eum omnes gentes, & quod non levabit Gens contra Gentem gladium. Tertio, ibidem cap. 11. quod habitabit lupus cum agno. Quarto, Jeremiæ 3. quod isto tempore vocabunt Jerusalem solium Domini, & congregabuntur ad eum omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem. Quinto, Psal. 131. Messias sessurus est supra solium David : Concinit illud Amos 9. *In die illa suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit.* Atqui ad Christum non fluxerunt omnes gentes, nondum cessavere bella & jurgia : Lupus est semper agno offensus, hoc est juxta Psalmistam : *Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum.* Christus non sedit super solium David, quandoquidem pauper & humilis venit, nec reparavit dirutum tanti Regis Tabernaculum : Ergo &c.

Respondeo negando antecedens propter rationes supra allatas. Ad primam probationem distinguo : Christus non venit novissimis diebus respectu durationis mundi, concedo : tunc enim plenus majestate Angelorum stipatus agmine, orbem judicaturus veniet : respectu Legis veteris, nego : finem quippe in eo accepit, & omnis visio completa est.

Ad alteram probationem similiter distinguo: Ad Christum non fluxerunt omnes gentes, si vox *omnes* sumatur pro singulis generum, concedo : pro generibus singulorum, nego. Omnis quippe natio audivit Evangelium, juxta illud Psal. 18. 4. de prædicatione Apostolorum : *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Igitur aliqui ex singulis nationibus Christi suscepere fidem.

Ad tertiam non absimili modo fit satis, sic distinguendo: Gens contra gentem non levabit gladium spiritualiter, concedo : omnes quippe gentes in fide Christi adunatæ sunt, & in hoc sensu habitabit lupus cum agno: temporaliter, nego. Cum enim regnum Christi, ipso teste, non sit de hoc mundo, prophetæ non nisi de pace spirituali per Messiam in perpetuum duratura locuti sunt: hoc tamen aliquo modo vel de ipsa temporali pace intelligi potest, cum Christus natus sit toto orbe in pace composito: & sic patet solutio ad quartam instantiam.

Ad reliqua in confirmationem adducta, distin-

distinguo: Christus non sedit super solium David moraliter, nego. Lex enim Evangelica promulgata est in Monte Sion, ubi erat solium David, deinde vero etiam in cordibus multorum Judæorum, qui ad ejus fidem conversi sunt, regnavit: non sedit temporaliter & per imperium dispoticum, subdistinguo; pro tunc, concedo: & non sedebit in secundo adventu, nego.

Instant : Non una aut altera, sed omnes prophetiæ de Messia in eo qui talis annuntiatur adimpleri debent: Atqui hoc ipsum in Jesu Nazareno non videtur adimpletum. Et probatur ab enumeratione partium: Primo quidem, desolationem & afflictionem tempore ortus Messiæ annuntiant quidem, sed ultra perseverare non debet, & tamen sicut inter Judæos sic & inter ipsos Christianos miseria perseverat. Secundo, Elias debet antecedere Christi adventum, ut habetur Malachiæ 4. Nemo tamen cordatus dixerit Eliam Christi temporibus in mundo apparuisse. Tertio, Ezechielis 38. habetur quod Messias vincet Gog & Magog: Sed hoc in Christi adventu contigisse non probatur. Demum tempore Messiæ lux Solis septies major erit, lux vero Lunæ instar lucis Solis, ut habetur Isaiæ 30. 26. Sed & hoc Christo nascente non visum est: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem distinguo: Desolatio ultra Christi adventum perseverare non debet pro iis qui ad fidem conversi sunt, concedo: pro aliis Judæis in errore pertinacibus, nego. In gratiam priorum cessavit quidem, cum Christus restauraverit Jerusalem novam, scilicet Ecclesiam ædificando, cujus gloriam Salomonis Templi in immensum superat, nam in eo veri adoratores Deum in spiritu & veritate colunt: Sed pro aliis juxta Danielem statuta est usque ad consummationem sæculi desolatio.

Ad alteram probationem distinguo: Elias debet præcedere secundum Christi adventum ut debellet Antichristum, concedo: & in vaticinio de priori Messiæ adventu sermo est, nego. Vel ipsa Scriptura est sui ipsius interpres; sic enim habetur Malachiæ 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.*

Ad tertiam probationem similiter distinguo: Messias debet vincere Gog & Magog, id est, idololatriam Gentium, quam suo Christus adventu profligavit, concedo: & hoc intelligitur de aliis, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Neque tamen diffitemur locum Scripturæ intelligi posse de Antichristo perditionis filio, quem verus Christus in suo secundo adventu percutiet oris sui gladio. Ad ultimum respondetur, Isaiam loqui de gloria quam Christus suo adventu & passione promeruit, vel etiam de propagatione fidei per omnem terram.

Respondeo II. distinguendo: Et Scripturarum sententiæ in sensu allegorico intelligendæ sunt, concedo: scilicet de conversione Gentilium, juxta illud Isa. 60. 1. *Surge illuminare Jerusalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est .... Et ambulabunt Gentes in lumine tuo.* Et verba textus sacri sumenda sunt in sensu obvio, & litterali, nego. Hanc solutionem Rabbini non debent abnuere, cum solemne fuerit apud Judæos, mysteria parabolis explanare.

Reponunt : Fides non est a nobis adhibenda Evangelistis, cum Christi discipuli in hoc momento partes simul & judices evadant: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Non est fides adhibenda Christi discipulis, si non adsint credibilitatis motiva, transeat: si adsint, nego. Christus cum Apostolis utriusque Testamenti consensionem pro Incarnatione in se adimpleta miraculis iteratis comprobavit, unde Joann. 10. 38. ait Judæis: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Ex prophetiis per Rabbinos & Ecclesiæ Doctores explanatis, Jesus Nazarenus est Messias.

PRIMO: Aggæi 2. annuntiatur gloria Ecclesiæ Christi: Isa. 7. ejus conceptio ex Virgine, ejusque divinitas. Baruch. 3. ejusdem conversatio cum hominibus. Zach. 9. describitur ingressus humilis Christi in Jerusalem. Ejus mors simul & resurrectio Psal. 2.

Secundo : Illud Isaiæ 53. 4. *Putavimus eum*

eum quasi leprosum; Thalmudicus tractatus Sanhedrin capit. 11. explicat de Messia. Rursus Rabbi Josua in Sanhedrin capit. 11. Vaticinium Zachariæ de humili in sanctam civitatem ingressu explicat de Messia.

Tertio: Concinit Tertullianus in Apol. ubi probat Christum esse Messiam per Prophetas annuntiatum pagin. 20. ex Judæorum punitione: pag. 21. tum ex sanctitate ejus doctrinæ: Idem probat Sanctus Joannes Chrysost. Orat. 3. contra Judæos ex testimonio Martyrum qui fuerunt tot Verbi incarnati Præcones: tum ex destructione Templi, Sacerdotii & Sacrificii.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Frustra reponunt Judæi suos Patres non semel ejectos & dilapidatos, sæpius etiam fuisse in pristinum statum restitutos, quod & se sperare, immo & quandoque futurum jactitant: sed longe dispar est ratio; erat quondam de restitutione libertatis amissæ promissio, sed juxta Danielem ad finem usque sæculorum perseverabit vastitas & desolatio.

Secundo: Asserunt quidem Prophetæ Messiam novissimis diebus venturum, sed hoc intelligendum est respectu legis, quæ Christi adventu cessavit.

Tertio: Prænuntiant utique Messiam sessurum esse super thronum David, sed hoc ipsum adimpletum in primo Christi adventu, cum gratiæ suæ dulcedine regnaverit in cordibus omnium utriusque sexus, cujuscumque status & conditionis, in cordibus sicut pauperum sic & divitum: sicut plebeiorum, sic & Nobilium atque Principum: In secundo vero adventu non solum moraliter, sed absolute & imperative sedebit in throno Majestatis suæ cum Angelis & potestate magna orbem terrarum in justitia & æquitate judicaturus.

ARTICULUS QUINTUS.

Num constet ex Josepho Judæo Christum esse Messiam?

NON una est de hoc momento sententia. Quidam testimonium Joseph prorsus assutum esse autumant; in primis Judæi, post ipsos vero Blondellus, & Tenaquillus Faber Calvinistæ, nonnulli appositum primo in margine, tum ab ea Amanuensium opera irrepsisse in textum: Sic propugnat Auctor doctissimus Epistolarum ad D. Abbatem Houtteville directarum edit. Paris. ann. 1722. cum privilegio Regis & approbatione; multo plures & communiter tamquam genuinum illud defendunt, ut Eusebius, Hieronymus, Isidorus Pelusiota, Sozomenus & alii. Omnes ultro conveniunt Josephum ita clare Christum ut Messiam habere & prædicare, ut Judæis non remaneant in ore redargutiones: Hinc difficultatis cardo in eo dumtaxat positus est, scire num testimonium sit assutum vel non. Sententia Blondelli & Fabri prorsus abjicienda est: Secunda vero quæ mediat, referenda, quippe quæ retineat testimonium severioribus criticis faciendo satis: Tertiam adoptamus. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Num Testimonium quod Josephus Judæus de Christi missione & divinitate dat, sit genuinum?

JOSEPHUS Judæus inter Rabbinos sicut antiquitate sic & sagacitate, & in factis referendis fidelitate celeberrimus, miraculis & vitæ Christi sanctitate superatus, tot mira de eo enarrat, ut Judæi, si non voluntarie cæcutiant, Christum ex ejus testimonio, ut verum Messiam habere & agnoscere teneantur. Lib. 18. Antiquitatum Judaicarum capit. 4. de Christo ita loquitur: *Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere: erat enim operum mirabilium effector, Magister hominum qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus, cumque eum* a pri-

a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non absstiterunt, qui primum cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates hæc aliaque multa admiranda de eo prædixissent, neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus. His prælibatis, fit

CONCLUSIO NOSTRA.

Testimonium allatum est genuinum Josephi fœtus.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Hoc ipsum exigit diligentia & in scribendo fidelitas Josephi, qui cuncta gentis suæ mala, & qua tandem occasione ultimis temporibus maxima advenerint describere debuit: neque fas illi erat omittere Christum, maxime vero cum mentionem fecerit & de sancto Joanne Baptista Præcursore Domini, & de divo Jacobo ejusdem Domini fratre Lib. 28. Antiq. cap. 17. & Lib. 20. cap. 8.

Secundo: Accedit omnium codicum, tum Græc. tum Latinorum consensus, quandoquidem in singulis legitur: Bibliotheca Sorbonæ habet latinum Josephi exemplar vetustissimum, in quo quidem desideratur sententia, sed solum deest & in subsequenti de Christo fit mentio, quod sane argumentum est, sententiam fuisse in folio ablatam.

Tertio: Concinit pro genuinitate loci veterum auctoritas. Illum referunt Eusebius Lib. 4. demonst. Evang. S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis: Isidorus Pelusiota Lib. 4. Epist. 225. Nycephorus Callistus Lib. 1. Eccl. Hist. cap. 39. Theodorus Methochita Lib. singulari hist. Romanæ pag. 62. & 76. Sozomenus Lib. 1. hist. cap. 1. Ex recentioribus vero Thritemius, Baronius, Bellarminus & communiter Theologi locum pro virili defendunt. Non abs re erit immo nec injucundum hic texere verba auctorum pro isto momento celeberrimorum.

Sanctus Hieronymus agmen ducet. In Catalogo Script. Eccles. editionis antiquæ Parisiis 1534. sic loquitur: " Josephus Matathiæ filius, ex Jerosolymis Sacerdos a Vespasiano captus, cum Tito ejus filio relictus est .... hic in decimo octavo Antiquitatum libro manifestissime confitetur, propter magnitudinem signorum, Christum a Pharisæis interfectum, Joannem Baptistam vero Prophetam fuisse: & propter interfectionem Jacobi Apostoli, dirutam Jerosolyma. Scripsit autem de Domino in hunc modum: eodem tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimos quoque tam de Judæis quam de Gentibus sui habuit sectatores, & credebatur esse CHRISTUS; cumque invidia nostrorum principum, cruci eum Pilatus addixisset, nihilominus qui eum primum dilexerunt, perseveraverunt; apparuit enim eis vivens tertia die. Multa & hæc alia mirabilia, Carminibus Prophetarum de eo Vaticinantibus, & usque hodie Christianorum gens ab hoc sortita vocabulum non defecit. "

Eusebius Lib. 1. Hist. Eccles. cap. 11. non absimilia ex auctoritate Josephi pro Christi adventu commemorat; eo quippe loci sermonem instituit & de sancto Joanne Baptista, & de Christo, his verbis: " Quæ quidem cum de Joanne exposuerit Josephus, etiam Servatoris nostri in eadem historia his verbis mentionem facit. Erat autem eodem tempore Jesus quidam vir sapiens, si virum illum dicere fas sit &c..... quare cum Josephus, scriptor antiqua Hebræorum stirpe prognatus ista de Joanne Baptista & Servatore nostro, historiæ suæ monumentis complexus sit: quod quæso effugium reliquum est illis, qui falsos commentarios contra istos confinxerunt, quominus tamquam impudentes perspicue coarguantur? "

Audis Eusebium Josephi testimonium proferre: audis illud defendere adversus negantes, immo eos suo perstringere stylo censorio? Numquid replicabit Tanaquillus Faber in Calviniana secta infimæ notæ scriptor, non sine pia fraude hanc Josepho tribui sententiam: Sed ad hæc respondet Valesius in notis ad Eusebii textum: " Cui bono id Eusebius confingere voluisset? An ex testimonio Josephi pendebat divinitas Christi? Nonne " Eu-

„ Eusebii ævo libri antiquitatum Josephi „ in omnibus Bibliothecis videbantur ? „ Quibus prolatis facile fuisset Euse- „ bii fraudem convincere . " Verum quid hic immoror? Eusebii fidem pro isto momento astruunt Hieronymus , Socrates & alii jam jam laudati Ecclesiastici Scriptores: astruunt & ipsa Josephi exemplaria : sed utriusque sententiam iteratis auctoritatibus Josephi quidem , ac deinde Eusebii roborare animus est isto , sed convincenti ratiocinio.

Josephus nomine viri admirabilis intelligit *Christum*; recensitis quippe ejus signis & præclaris dotibus Lib. 18. antiq. cap. 4. subdit : *Credebatur esse Christus* . Eodem nomine Lib. 20. cap. 8. eum celebrat : eo quoque loci encomium sancti Jacobi Christi germani ita prædicat , ut in vindictam ejus mortis dirutam a Romanis Jerosolymam asserere non dubitet. Porro si tanti faciat Jacobum , longe supereminere Christum, quem & Jesum in suo testimonio utique vocat , credit.

Jam vero si de Eusebio loquamur, pristinæ inhærens sententiæ eadem scribit Lib. 2. Hist. Eccles.cap. 22. p. 67. his verbis: " Hæc Clementis historiæ mire consen- „ tientia Egesippus uberius pleniusque ex- „ plicavit , Jacobus igitur vir , in primis ad- „ mirabilis , & omnium sermonibus pro- „ pter illustre justitiæ decus magnopere „ celebratus fuit, usque adeo, ut qui in- „ ter Judæos haberentur prudentes, hanc „ esse causam putarent , cur tam cito „ post ejus martyrium obsidione Jerusalem „ undique cingeretur : quam profecto obsi- „ dionem nulla alia de re illis obtigisse „ creditur, quam quod tam audax facinus, „ & scelus inexpiabile contra illum con- „ fusissent : Nam Josephus Lib. 20. cap. 8. „ etiam non gravatur, hoc idem suorum „ Scriptorum testimonio evidenter con- „ firmare his fere verbis: Judæis quidem „ ad scelus vindicandum in Jacobum ju- „ stum fratrem Domini, qui dicitur Chri- „ stus , ab illis admissum , illum namque „ justitiæ facile primas ferentem, impie „ neci dederant , illæ obvenere calamita- „ tes . „ Ergo &c. Nunc ad alia testimonia properare juvat.

Isidorus Pelusiota concinit Lib. 4. Epist. 225. edit. Paris. anno 1638. " Extitit au- „ tem , *inquit Josephus* , quidam Judæus „ summus & acerrimus legis propugna- „ tor, quique vetus testamentum ex fide „ veri paraphrastice exposuit . ... Quid „ igitur ait ? Eodem tempore fuit Je- „ sus , vir sapiens, si tamen virum eum „ fas est dicere &c. Hactenus Joseph. „ Ego vero cum multis aliis in rebus val- „ de miror hominis veracitatem , tum „ vero vel maxime in illis verbis , cum „ ait, Doctor hominum, qui libenter ve- „ ritatem suscipiunt . Sunt enim qui ex- „ trema laborantes socordia, & infideles „ Judæi, qui etiam valde perspicua atque „ divina rejicientes, ex sua potius socor- „ dia , quam ex rerum ipsarum obscuri- „ tate ferant calculum. Si igitur hostes ve- „ ritati se opponere ausi non fuerunt , „ quis ille erit tam obstinatus , qui nolit „ deinceps fidem adhibere rebus sole cla- „ rioribus . „ Observes velim benevole Lector, Isidorum asserere & genuinitatem, & veritatem testimonii Josephi esse vel ipso sole clariorem.

Non prætereundus Sozomenus, qui Lib. 1. Hist. cap. 1. eidem suscribit Josephi testimonio; namque de Christo loquens, ait: " Porro autem Josephus Mathathiæ filius , „ vir cum apud Judæos , tum apud Romanos maxima nominis celebritate flo- „ rens, testis est de vero Deo, verbo lo- „ cupletissimus. Nam non gravatur illum „ appellare effectorem operum admirabi- „ lium, & veræ doctrinæ magistum: quin „ etiam Christum perspicue nominat : „ neque ignorat eum morti in cruce op- „ petendæ addictum fuisse , tertioque die „ revixisse , & alia infinita miracula de „ eo a divinis prophetis prædicta esse . „ Testatur præterea , multos tum Genti- „ les, tum Judæos, quos ad suam doctri- „ nam perduxerat , tum amare non de- „ siisse , & gentem ab eo nomen adeptam, „ perpetuo remansisse . Atque dum ista „ narrat, videtur mihi clara voce propemodum pronuntiare idque ejus rebus „ gestis valde apposite , Christum esse „ Deum , quin etiam rei admirabilitate „ obstupefactus, ita se medium interjicit, „ ut credentes in eum neutiquam infecte- „ tur ille quidem, sed illis potius consen- „ tiat. „ Videas, velim, jam juxta leges severioris critices testimonium Josephi de Christo non esse assutum , cum nedum in omnibus ejus adinveniatur codicibus , sed

sed uti tale habeatur ab auctoribus fide dignissimis.

Rationes suffragantur.

PRIMA: Quod Thalmudistæ de Christo Messia scripsere, citra ullam inconvenientiæ suspicionem potuit Joseph scribere, cum in hoc ceteris Rabbinis adhæserit: Sed ex dictis liquet multa Thalmudistas scripsisse de Messia quæ soli Christo contigerunt: neque vero diffitentur Christi discipulos in nomine ejus varia patrasse miracula; sic enim habetur in Thalm. Jerosol. lib. Avoda-Zara: "Dixit Rabbi „ Johanan quod filius filii Rabbi Iosue „ filii Levi quoddam mortiferum deglutiverat, conjuratumque illi fuit in nomine Jesu filii Panther, & sanatus est. „ Cum autem evasisset dixit pater pueri „ ei qui eum sanum fecerat, quid super „ eum dixisti? Ait illi: Nomen Jesu „ Nazareni invocavi. Dixit Pater pueri „ remissius fuisset ei, si mortuus fuisset, „ & non audisset verbum hoc, & sic „ statim factum est ei. „ Igitur mirum nulli videri debet Joseph sicut alios Rabbinos, sic & de Christo mirabilia scripsisse.

Altera: Omnes auctores, paucis exceptis, & Manu-scripti codices eodem prope modo referunt testimonium; si qui vero codices non habeant, ibi abrasum, & expunctum animadvertitur: Sed istorum exemplariorum & editionum consensus manifestam arguit testimonii genuinitatem; si enim foret assutum, dubio-procul deesset in aliquibus primorum sæculorum exemplaribus: Quid plura? Si assutum appositum fuisset in codicibus, cum præ omnium oculis adessent libri Antiquitatum Judaicarum, viri cordati reclamassent contra mendacium, quod tamen nullus fecit. Ergo &c.

Tertia: Nullus in dubium revocat ea quæ Josephus de S. Joanne Baptista & de S. Jacobo Hierosolymorum Episcopo scripsit: Nullus accusat aut styli diversitatem, aut sermonis brevioris angustias, aut gloriam ex factis illorum Sanctorum in Christianos redundantem, odium vero & in Judæos sævientes adversus sanctissimos viros. Igitur nec iis levioribus argumentis abjiciendum est pro Christo Josephi testimonium, maxime cum historia SS. Joannis & Jacobi habeat ad Jesum relationem, & indivulsam cum vita, factis & miraculis Christi connexionem.

Quarta: Non decet Christianos argumentum, cujus pondere perfidia Judaica confunditur, subtiliori critice, quæ nihil prodest nisi ad subversionem audientium, evacuare: Sed absque sufficienti fundamento prorsus rejicitur a quibusdam Calvinistis testimonium Joseph in gratiam veræ religionis: Ergo &c.

Quinta: Nullus cordatus & optimis moribus institutus in religionis detrimentum sequi debet opinionem minus probabilem: Sed propugnare testimonium laudatum esse assutum, est citra dubium opinio minus probabilis, quæque non nihil vergit in religionis detrimentum, cum per hæc arma, quibus subvertuntur Judæi, subripiantur. Ergo &c.

Solvuntur argumenta adversus Josephi testimonium.

OBJICIES: Illud peregrina manu juxta critices legem scriptum censetur, quod non cohæret cum antecedentibus, & consequentibus: Atqui tale est Josephi de Christo testimonium: & probatur multis momentis. Primo quidem Josephus texit historiam ulla absque relatione ad Christum, cum prophetias non dicat in ipso adimpletas, quod tamen operis pretium expostulabat. Secundo, neque hoc ipsum peragere debuit, loquendo de Christo ut Deo, alias exosam propter deicidium suam reddidisset gentem. Tertio, pauca admodum ennarrat de Christo, silet multa quæ fusiori calamo scripsisset, si Messiam annuntiare voluisset. Quarto, in hypothesi, saltem ad Christum credendo sese convertisset, sin minus propriç non consuluisset famç, a fortiori nec saluti; quis enim malæ fidei non haberet auctorem, qui veritatem annuntians ab ea ipsa recedit. Quid plura? Vel ipse testimonii stylus, ab alio ejusdem auctoris stylo discrepat. Igitur testimonium a Josepho laudatum pro Christo, tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus assutum apparet.

Respondeo negando minorem: eo quippe loci Josephus de Christo instituit sermonem,

nem, ubi de Pilato qui Jesum innocentem, instigantibus Judæis, damnavit, loquitur. Hoc ipsum postulabat ordo temporum: hoc postulabant circumstantiæ, cum occasione Christi frequentes habitæ sint inter Pharisæos & alios Judæos disceptationes, & post ejus mortem irruentia mala in vindictam mortis Christi tandem ad consummationem usque pervenerint.

Ad primam probationem nego, Josephum locutum fuisse de Christo ulla absque relatione ad legem & Prophetas, maxime, cum suum his verbis concludat testimonium: " Post tertium diem redi„ vivus ipsis apparuit, cum divini vates „ hæc, aliaque multa admiranda de eo „ prædixissent. „ Audis antecedentia, videlicet Christum a Prophetis pluribus multis retro seculis annuntiatum: Deinde vero hanc subdit consequentiam: " Neque ad hanc diem defecit nomina„ tum ab eo Christianorum genus. „

Ad alteram distinguo: Et in hoc Josephus historici personam solum egit, concedo: & eo scripsit scopo de Christi mirabilibus ut in suam gentem ceterarum nationum odium commoveret, nego. Exigit fides humana ut Scriptor Eccles. cuncta ad veritatis metam concinnat, alias quis crederet historię? Quod autem auctor ille a convitiis erga Judęos abstinuerit, ex duobus potissimum claret: Primo quidem, excidium Jerusalem propter mortem sancti Jacobi, & solum indirecte in vindictam deicidii evenisse commemorat. Secundo, vel ipse in Judaismo permansit. Et vero si Christum credidisset Messiam esse, absque mora ad eius & fidem & religionem transiisset, quod fecisse nemo dixerit. Addo accuratam Josephi affulgere in scribendo veracitatem in eo maxime quod referat nedum ex gentilibus, sed ex Judęis multos Christo adhęsisse: " Magi„ ster hominum, *inquit*, qui vera libenter „ amplectuntur. Et plurimos quidem ex „ Judęis, plurimos etiam ex gentibus ad „ se pertraxit. „

Ad tertiam distinguo similiter: Pauca Josephus de Christo scribit, & multa paucis dicit, concedo: secus nego. Non erat instituti Joseph, Christi celebrare encomii, quippe qui Judaismi erroribus detineretur; sed historiam temporum texere; quam quidem provinciam egregie admodum in suis de antiquitate Judæorum libris adimplevit: tum ad Christum veniens, virum mirabilem, immo plusquam purum hominem eum vocat. Quid plura adjiciam? Scribit eumdem sub Pontio Pilato passum, postea resurrexisse a mortuis, & alia Prophetarum annuntiata in eo fuisse consummata, sicque paucis sed efficaciter quæ spectant substantiam historiæ Christi, perpetuæ commendavit memoriæ. Igitur non jejune de Christo scripsit.

Ad quartam nego, Josephum in hypothesi laudata propriæ non consuluisse famæ. Equidem in Christum non credidit, fides quippe magnum est Dei donum, de quo Propheta Regius loquens Psal. 147. 30. ait: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Sed in more semper fuit positum magnis efferre laudibus historiographum veracem, qui ideo majori dignus est fide quia accuratius, tum de propriæ gentis defectibus, tum de laudibus sibi ipsi adversantium scribit; utrumque autem momentum in suo de Christo testimonio peregit Josephus.

Ad quintam, nego stylum testimonii non cohærere cum præcedenti. Quin potius ex hoc potissimum momento Huetius adjudicat sententiam Josepho: "Con„ sentit, *inquit*, orationis filum, & di„ ctionis color, talis nimirum qualis He„ lenistarum esse solet. „ Concinit R. P. Pagi Critic. in Annal. Baronii ad ann. 32. num. 15. ubi sic propugnat Testimonium: " Denique, *ait*, consentit ad hæc „ omnia stylus, & dictionum color, ta„ lis nimirum qualis Halenistarum esse so„ let. Locutiones quasdam observare li„ cet Josepho familiares. „ Hoc ipsum illustrari potest exemplo Psalmorum, in quibus versus, ut plurimum in eodem Psalmo disparata continent, ut videre est in Psalmo 21. in Actib. Apost. ubi S. Lucas magis ad facta tametsi discrepantia quam ad stylum attendit.

Instabis: Atqui testimonium laudatum in gravissimam malæ fidei suspicionem venit: Ergo &c. Probatur subsumptum. Si genuinum foret, dubio-procul eo usi fuissent Patres primorum sæculorum adversus Judæos, immo & contra Gentiles, cum ex Prophetis qui multis retro sæculis Christum annuntiaverunt, sumerent argumentum pro veritate, & multi insi-

gnes

gnes Philosophi eo convicti ratiocinio fidei obedierint. Atqui tamen Patres neque in operibus Apologeticis, neque in aliis Polemicis illud usurparunt ad compescendam tum Judæorum, tum etiam Gentilium obstrepentium proterviam: Et probatur. Illud silent in Apologiis Justinus martyr, Tertullianus, Athenagoras, Minutius Felix: hujus non meminit Irenæus, non Arnobius, non Lactantius &c.

Respondeo I. Patres laudatos ea de causa omisisse testimonium, quod non extaret in exemplaribus quæ præ oculis habebant. Nec mirum, Judæi in Christi odium e multis illud expunxerant. Sic respondet Huetius. Ab hac solutione non recedit Baronius, qui ad annum Christi 34. cap. 226. allato testimonio, subjungit: " Hæc Josephi, cujus testimonium
" in pervetusto Judæorum Codice in quo
" ejus historiæ a Græco in Hebraicum
" translatæ antiquitus scriptæ sint, cum
" hic Romæ requireretur, o perfidorum
" impudentiam! Abrasum inventum est,
" adeo ut nulla ad excusandum scelus possit afferri defensio, cum membrana ipsa
" id exclamare videretur. "

Respondeo II. Ex argumentis negativis nihil adversus testimonium concludi posse; maxime cum juxta severioris critices legem, ne minimum quidem in hoc ponderent, quum ex aliis momentis affulget veritas, affulget autem ex sancto Hieronymo omni exceptione majori, quippe qui intelligentiam & scientiam Rabbinorum apprime calleret.

Respondeo III. negando subsumptum: ad probationem, distinguo minorem: Patres in Apologiis tacuerunt testimonium œconomiæ causa, concedo: illud rejiciendo, nego. Aliud est aliquid omittere, aliud vero improbare. Laudati Patres non negarunt testimonium, sed ea ducti ratione non usi sunt; adversus quidem Judæos, eo quod nullam aliam præter Scripturam veteris Testamenti, auctoritatem inter disputandum cum Christianis, teste Justino, Dialogo cum Tryphone, admitterent; tum adversus Gentiles, quia Judæorum historiam veluti fabulam habebant.

Urgebis: Melius judicare non possumus utrum testimonium sit assutum vel non, quam ex sententia auctoris & antiqui & doctissimi, qui accuratam dedit summam & criticem omnium Josephi operum: Atqui hoc peregit Photius alias doctissimus, & tamen omittit testimonium; quinimmo codice 48. scribit, idcirco dubitatum olim fuisse num liber de universo περὶ τοῦ παντός, extitisset, eo quod in eo mira de Cristo dicerentur, maxime de generatione ejus æterna, & concludit non esse Josephi fœtum, sed potius, ut acceperat, Caji Romani Presbyteri; quod non levius est argumentum, Photium eo siluisse animo testimonium, quia aliena manu in operibus Josephi additum putabat.

Respondeo distinguendo minorem: Et Photius summatim Josephi operum criticem dedit, concedo: fusam & accuratam, nego. Nullam injicit de testimonio mentionem, eo quod substantiam tantum historiæ de antiquitatibus Judaicis scripserit: & certe, sicut Hieronymus sic & Eusebius Photio antiquiores, atque in scribendo accuratiores ipsi præponderant:
" Si Josephi testimonium de Christo Jesu, *ait Huetius*, idcirco adulterinum
" esse creditur, quod a Photio prætermissum sit, adulterini quoque habean-
" tur quatuordecim libri priores Archæo-
" logiæ a Photio itidem prætermissi, &
" postea de Josephi Archæologia jam ante
" egerat Photius Themmate. 76. at ejus
" initium ac finem designasse contentus,
" in reliquis de Josepho tantum ipso disse-
" ruit, propterea ne dicamus supposititiam esse omnem Archæologiam Josephi
" præter finem & initium. "

Ad confirmationem ex libro De universo, excerptam, negamus paritatem: Ratio discriminis est, quod eo in libro clare admodum Verbi æterna celebretur generatio, quam nec credebat ipse Josephus, nec certam explicitamque haberet notitiam; hinc merito dubitatur num ille liber ejus sit fœtus. Et vero Messiam, ut Regem tantummodo temporalem, sed mirabilium effectorem habebat, ut constat passim ex ejus libris; Christum autem recte delineat in testimonio; quod non est levius argumentum laudatum testimonium esse genuinum.

Replicabis: Origeni fides in hac controversia adhibenda est. Sed ille testimonium Josephi abnegat: Et probatur: Tomo 2. Comm.

Comm. in Matthæum loquens de Josepho, ait : " Cum non probavit hanc sententiam, Jesum nostrum fuisse Christum, nihilo secius Jacobo tam magnificum justitiæ testimonium præbet. " Rursus Libro 1. contra Celsum scribit Josephum mala gentis suæ non Christi, sed divi Jacobi neci tribuisse, cujus vindictam sumpsit Dominus : " Eo, *inquit*, " hæc accidisse Judæis, ut Jacobus justus " ille vindicaretur. " Sed si Christum habuisset ut Messiam dubio-procul exterminium Judæorum in vindictam mortis Christi contigisse scripsisset. Ergo &c.

Respondeo I. magis esse credendum Hieronymo & Eusebio, qui accuratius de illo scripsere momento, quam Origeni.

Respondeo II. distinguendo minorem: Origenes silet testimonium œconomiæ causa, & abnegat omittendo, concedo : abnegat illud ut assutum habendo, nego. Origenes disputabat cum Triphone Judæo, qui solis credebat Scripturis, modo etiam cum Celso Philosopho Gentili, qui historiis Judæorum nullam adhibebat fidem; idcirco testimonium velut quid inutile in his congressibus omisit.

Ad probationem distinguo majorem: Josephus refundit mala gentis suæ in vindictam necis divi Jacobi, & consequenter Christi, concedo : nullo modo in vindictam mortis Christi, nego. Non erat instituti operis ut Josephus fuso calamo quæ de Christo erant annuntiaret, ne acrius Judæorum in se concitaslet odium, sed ex professo loquitur de Jacobo quem vel ipse populus, ut justum habebat. Solutio colligitur ex Origene, qui in opere primum citato suam sic prodit mentem : " Quare Judæorum populus tam acerba " passus sit, ut etiam templum subverte" retur, dixerit per Dei vindictam hæc " evenisse, ob ea quæ in Jacobum fratrem " Jesu qui dicebatur Christus, ausi fu" erant, quodquo mirum est, cum non " probavit hanc sententiam Jesum no" strum fuisse Christum, nihilo secius Ja" cobo tam magnificum justitiæ testimo" nium præbet. "

Rursus Libro I. contra Celsum, ait : " Qui utique Josephus, & si minus Je" sum, ut Christum crediderit, causam " tamen conquirens, Jerosolymitani ex" cidii, & cur esset templum deletum, " cum illud esset dicturus conspirationem " quam Judaicus populus adversus Jesum " fecisset, fuisse horum omnium causam, " & quia Christum per Prophetas, jam " pridem denuntiatum sustulerit, ipse " vero tamquam invitus haud quaquam " longe a vero aberrans, ea inquit, hæc " accidisse Judæis, ut Jacobus justus il" le vindicaretur, qui Jesu & frater es" set, qui dictus est Christus. " Audis Origenem propugnare Josephum mala gentis suæ in vindictam necis Christi implicite quidem tantum, sed invitum refundere ; quod & explicite factum dixisset, nisi exacerbare adversus seipsum Judæos putasset.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Testimonium Joseph de Christo non est assutum.

PRIMO : Invenitur in omnibus exemplaribus & Manu-scriptis, quod non levius est genuinitatis argumentum : non enim verisimile est deflorationem textus Joseph esse universalem. Ut primum enim est interpolatio, aliquod primigenium exemplar retinet innatum auctoris locum.

Secundo : Illud testimonium tamquam authenticum defendit Eusebius Lib. Demonst. Evang. tum Lib. 2. Hist. Eccles. cap. 12. illud, Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. illud Isidorus Pelusiota Lib. 4. Epist. 225. illud Sozomenus Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 1.

Tertio : Ratio suffragatur. Josephus præclara de S. Joanne Baptista, & de Jacobo Christi secundum carnem consanguineo scripsit : Igitur erat ejus instituti operis Christum non silere, cum sit inter Sanctos illos & Jesum mira & indivulsa connexio.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Tametsi Josephus non esset Christianus, & gentis suæ honori deberet consulere, expostulabat tamen scriptoris fidelitas, ut loquendo de Pilato, de nece S. Jacobi & de factis S. Joannis Baptistæ, aliquid diceret de Christo, qui tot mira his temporibus patrarat.

Se-

Secundo: Neque vero stylus brevior veritatem evacuat, quandoquidem scriptor ad facta potissimum enarranda attendit, unde non mirum si quandoque diversa & non nihil discrepantia inter scribendum commemoret.

Tertio: Patres primi & secundi sæculi œconomiæ causa testimonium siluerunt, ne Judæos simul & Gentiles, quibus Evangelium prædicabant, exacerbarent: priores quidem mortis Christi historia eos exosos reddendo; posteriores vero, quia parvi illud fecissent, quippe qui Judæos contemnerent, & omnia quæ erant ab eis scripta, ut meras fabulas haberent.

SECTIO SECUNDA.

Num testimonium Joseph in suo remaneat robore dicendo e margine irrepsisse in textum?

CONCLUSIO.

Opinio doctissimi Auctoris propugnantis testimonium e margine irrepsisse in textum, nihil roboris e testimonio detrahit, & est probabilis.

Probatur hoc efficaci argumento.

ILLA opinio nihil roboris a testimonio detrahit, & est probabilis, si illud retineat, si auctor non semel uti Josephi fœtum illud laudet, nec aliud pro scopo habere videatur, quam modum explicationis ita perspicuum præbere, ut severioris critices Patroni illud abnuere non valeant: Sed res ita se habet; & probatur quoad singula variis momentis excerptis ex Epistola sexta auctoris.

Primo: Retinet testimonium: sic enim habetur, pag. 89. & 90. *Praefulgens illud in gratiam Christi testimonium, tanti pro ejus miraculis momenti, datum ab homine inter Judæos a Christo nato, celeberrimo, rebellem incredulitatem proprio concutit pondere: testimonium illud quod etiam impræsentiarum est in libris Josephi a pluribus Eccles. auctoribus, inter quos tamen Eusebius Cæsariensis antiquior est, laudatur. Cuncta de historia antiquitatum exemplaria prælo mandata, in hoc consentiunt; & testimonium celebre retinent. Ne unus quidem codex Manu-scriptus, vel minimam diversitatem exhibet, si unum excipias Bibliotheca Vaticana. Perantiquum est exemplar libri Josephi ex Græco opera cujusdam Judæi hebraice redditum. Ibi adest quidem testimonium, sed expunctione mutilatum, seu abrasum. Non mirum si abraserit, ne inde Judæis exosus evaderet. Ista expunctio Judæorum exhibet fraudem, nec argumentum est abnegandi testimonium. Si translator commentitium existimasset, cur prorsus non sustulisset. Igitur translator ille Judæus ut genuinum illud habebat. Quidquid sit, non sine temeritate, & imprudentia aliquis de hoc dubitaret articulo.* Audis auctorem testimonium nedum retinere, sed subtilissima argumentatione probare non esse assutum.

Secundo: Auctor Epistolæ gravissimam solvit ex silentio Justini, Athenagoræ, & Origenis circa testimonium difficultatem, & inde unum dumtaxat concludit, Josepho non fuisse animum texere Christi historiam, sin minus fusiora & magis concinnata scripsisset, sed Christum in mente dum in historia scribenda insudabat, habuisse, & sponte sua per modum notæ testimonium ad marginem propria manu apposuisse; quod illustrat exemplo sectæ Calvinianæ auctorum, qui inter scribendum nonnulla Romanæ Ecclesiæ faventia dixerunt. Pag. 94. *Puto ista exempla posse applicari loco ex Joseph adducto, & audacter dicere, eo ipso quo scribebat momento, interius propensum fuisse in Jesum.* Tum pag. 102. *Inde concludo Josepho non fuisse animum, ut acta vitæ Christi corpus historiæ componerent, & locum in textu haberent: satis habuit notam ad marginem apponere*; videlicet inscribendo testimonium.

Triplicem Auctor de hoc affert rationem: Prima est, quia plerumque contingit scribam, ea quæ sunt in margine, in ipso textu collocare, quod non semel in operibus antiquitatis factum esse videmus. Altera eaque evidentior est: Josephus animadvertens se siluisse Christum, qui apud multos ut vir potens opere & sermone habebatur, juxta illud ipsius Christi ad discipulos Matth. 16. 14. *Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*; ne fidelitatem scriptoris abnuisse illi vitio verteretur, quædam palmaria de

de Christo per modum notæ apposuit : Tertia, quia vero Genti exosus fuisset si totam Christi vitam texuisset, aliquid tantum de eo in margine delibavit; qua quidem œconomia sicut Christianis & Judæis, sic & fidei publicæ, cui debitor est omnis scriptor, faciebat satis : Christianis quidem, cum Christum ut magnum Prophetam ventilaret; Judæis vero quatenus per transennam & quasi aliena manu Christum encomiis efferret; Paganis demum, & fidei publicæ, eo quod nihil alicujus momenti inter scribendum omitteret : *His tribus admissis suppositionibus*, ait eruditus Auctor pag. 105. *Dico Josephum esse verum auctorem testimonii de quo movetur controversia, verum tamen in origine & juxta historici intentionem, ipsum esse notam marginalem*.

Tertio : Varias sibi proponit Auctor objectiones, videlicet de silentio Patrum, de styli disparitate, quæ non nihil affulget : de sententiis antecedentibus & consequentibus, quæ sibi ad invicem satis non coherere videntur : Sed his omnibus absque negotio respondet, Patres ideo siluisse, quia corpus doctrinæ non instituitur de observatione ad marginem : notam marginalem, aut styli, aut sententiarum cohærentiam hoc non exigere, maxime cum Josephus loquatur ut historicus, nusquam vero ut aliquod proponens & defendens dogma. Adeoque hæc & similia non tentare testimonii genuinitatem; sicque auctor eruditissimus pari subtilitate & sagacitate, vana tum Judæorum tum Blondelli & Fabri contra testimonium molimina subvertit.

Ex his contra obstrepentes adversus testimonium istud irrefragabile sequitur argumentum. Iosephi de Christo Messia assertio apud Patres omni exceptione majores reperitur, & illam retinent omnia librorum antiquitatum Judaicarum exemplaria : eo loci sicut de Christo, sic & de Joanne Baptista & Jacobo mentionem facit : difficultates, si quæ in contrarium ponderent, ad summum probant testimonium in margine primum fuisse appositum, minime vero assutum. Igitur ex Josepho liquido constat Christum esse verum Messiam.

Dices I. Si Josephus hæc ita de Christo scripsisset, Christianus fuisset, quod tamen nemo de eo dixerit.

Respondeo negando sequelam. Non enim semel contigit historicos ne a veracitate factorum deficerent, multa scripsisse de religione quæ non credebant; sic Ariani in quatuor fidei professionibus Antiochiæ anno circiter 441. vel 443. factis, quædam fidei affinia dicebant : sic Protestantes in scriptis multa de Ecclesia Romana fausta dixere. Nec mirum : si historiographus ea solum quæ illi placent scriptis mandaret, exosus evaderet, ejusque opera veluti spuria & a veritate aliena abjicerentur : Igitur Josephus tametsi Judæus, eo ipso quo historici personam gerebat, suam in texendo temporum historiam non poterat provinciam adimplere omittendo Christum, nedum miraculis, sed lege sua, sed morum sanctitate, sed discipulorum mira patrantium auctoritate celeberrimum silere.

Dices II. Josephus Lib. 3. de Judæorum bellis prophetias in Vespasiano Imperatore adimpletas scribit, ipsi applicat, nec eum Christum nuncupare dubitat. Igitur non potuit eas Christo applicare : sin minus contradictoria loqueretur, nec esset fide dignus. Igitur testimonium de Christo est assutum.

Respondeo distinguendo : Et hæc fecit Josephus adulatoriæ gratiarum actionis pro beneficiis ab Imperatore acceptis, motivo, concedo : fecit animo historici veracis, nego. Duo in historia omni secernanda sunt : Primo quidem id quod est in historia palmare & essentiale, deinde vero id quod adulatorium. Primum respicit facta; alterum scriptoris eloquentiam & beneficentiam. Joseph suam ipse prodit mentem. Et vero dum Christum laudat, facta refert, videlicet miracula, legem, discipulos : & hæc historiam spectant : Tum marte suo & minerva propria applicat Vespasiano prophetias : jam interpretis subit munus, & adulatur : credendus est igitur ut historicus, quia omnia factis comprobata commemorat, abnuendus vero ut interpres, quippe qui aduletur, cujus quidem adulationis non una apud ipsum erat ratio & motivum : primo quidem captivus a Vespasiano in obsidione Jotapatæ factus, ipsi prædixit futurum esse Imperatorem, & seipsum a captivitate ab illo solvendum : utrumque probavit eventus, nam & Vespasianus

stianus Imperator inauguratus est, & captivum suum libertate donari voluit. Tum Titus qui Josephum multi faciebat, patris in Imperio successor, eum variis sic cumulavit beneficiis, ut septem de bellis ab illo Judæorum conscriptos libros, quibus subsignatione propria suum additit calculum, in bibliotheca publica collocari voluerit. Jam quid mirum, si eo adulationis gradu benefactoris patrem prosecutus sit Josephus. Ast defuncto Tito, regnante vero Domitiano, vinginti antiquitatis Judæorum libros concinnavit. Quia vero Christum de domo David oriundum sciebat, non curans retractare quod Rabbini solius adulationis motivo se dixisse noverant, scripsit in Lib. 18. Ant. cap. 4. Jesum Nazarenum mirabilium patratorem esse Christum.

Synopsis contentorum in Sectione.

Sententia, qua propugnatur testimonium Josephi e margine irrepsisse in textum, probabilitate non caret.

PRIMO: In hypothesi illæsum servatur contra perfidiam Judaicam testimonium, ut non semel dicit & fatetur hujusce opinionis assertor.

Secundo: Josephus scribendo ad marginem testimonium, sic & propriæ, & Gentis suæ consuluit famæ: propriæ quidem, ne scribendo ut historicus infidelis, omittens præclara alicujus facta, haberetur; Gentis vero suæ, cum ea quæ ad marginem apponuntur de Christo, non censeantur ad eorum perfidiam ex animo contundendam scripta.

Tertio: Hoc modo facile solvuntur objectiones adversus testimonium: respondetur enim Patres ideo siluisse, quia quod se habet per modum observationis ad marginem, corpus doctrinæ alicujus non constituit, seu non se habet ut pars. Attamen quidquid sit, adhæremus priori sententiæ & uti nostram adoptamus; maxime vero quia objectiones juxta auctores omni exceptione majores diluimus.



DISSERTATIO TERTIA DE ESSENTIA INCARNATIONIS DOMINICÆ,

Contra Ebionitas, Nestorianos & Socinianos.



DOMINICAM Incarnationem aperte inficiati sunt Ebionitæ, dicentes Christum esse purum hominem. Sanctus Joannes rogatus a fratribus suum scripsit Evangelium ad eos potissimum refellendos, & astruendam Christi divinitatem. Quinto tamen sæculo princeps tenebrarum ultimos exercuit conatus ut lucem hanc, si fieri posset, penitus extingueret. Nestorius enim simulata erga Christum Redemptorem pietate, Deum quidem prædicavit, sed nomine & officio tenus, contendens unionem Verbi cum humanitate esse dumtaxat affectivam. Socinus ultimis sæculis omnium renovavit errores propugnando Christum esse Maria posteriorem & creaturam. Sed contra quod dicitur Joan. 1. *Deus erat Verbum.... Et Verbum caro factum est : Et habitavit in nobis.*

Dogma divinitatis Christi quinque potissimum probatur argumentis.

PRIMO : Quia Christus est verus Deus, & Maria anterior.

Secundo : Quia unio Dei cum humanitate facta est in persona Verbi.

Tertio : Quia Christus est filius Dei naturalis, & non mere adoptivus.

Quarto : Quia BB. Virgo est vere Mater Dei.

Quinto : Quia ad hoc munus obeundum omnibus cumulata est gratiis & privilegiis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Christus sit verus Deus, & Maria anterior?

CHRISTUS potest considerari dupliciter, nempe ut homo, & ut humanitas est Verbo unita. Esse Maria posteriorem ut hominem constat, & est de fide. Caput igitur controversiæ est, utrum secundum suam personam sit verus Deus, & consequenter Maria anterior? Negant Sociniani. Ut clara methodo ad debellandos circa substantiam incarnationis errores procedamus, duę sunt quæstiones distinguendę, & nusquam confundendę; una scilicet de Verbo secundum se spectato, & ad intra, ut est secunda sanctissimę Trinitatis persona : altera de Verbo ad extra, & ut incarnato. Ariani erraverunt circa primum, negando Verbum esse Patri consubstantiale : Nestoriani circa secundum : ultro quidem fatentur Verbum esse Deum, sed negant unitum hypostatice sanctę humanitati, qui error est ab alio distinctus.

Ad illum confutandum duo occurrunt ostendenda : Primum quidem Christum in concreto & adęquate sumptum esse Deum, & hoc contra Socinianos, qui ex

ex professo propugnant Christum esse Maria posteriorem: Alterum, unionem esse immediate factam in persona, & esse substantialem. Impræsentiarum de primo momento agimus, & Christum esse Deum duodecim probamus argumentis. Primo, quia præexistit Mariæ. Secundo, quia nomina Dei illi conveniunt. Tertio, quia proprietates divinę illi attribuuntur. Quarto, quia operationes Dei ipsi sunt propriæ. Quinto, quia cultu divino donatur: Sexto, quia sic confessi sunt, & pro hac veritate mortui sunt Martyres. Septimo, quia hoc figuræ, hoc Prophetæ, & utriusque legis, veteris scilicet & novæ, concordia conclamat. Octavo, quia hoc miracula tum a Christo tum ab Apostolis, & Martyribus patrata confirmant. Nono, quia hoc itidem subindigitant Religionis & Mysteria, & Sacramenta. Decimo, quia hoc ipsum exigit veritas & sanctitas legis antiquæ. Undecimo, quia in hoc potissimum fundatur veritas & sanctitas novæ. Duodecimo, quia est de fide, tum in Scripturis, tum in Traditione fundata Christum esse Deum. Quoniam vero Socinianismus de die in diem, non sine animarum prope infinitarum pernicie serpit ut cancer, non abs re erit ante omnia ejus historiam texere, ne decipiat incautos.

Historia critica Socinianismi.

ORTUS.

ORTUM habet Socinianismus a Judæis, qui Christum Fabri filium reputabant: ab Ebionitis, qui purum hominem esse etiam effuciebant: a Nestorio, qui nomine tantum & functione Deum, quamvis operatione Spiritus sancti & Virgine natum dicebat, sed maxime a Lælio Socino, qui adhuc adolescens patriam reliquit anno 1557. annum videlicet agens alterum vigesimum. Proximo quadriennio Galliam, Britanniam, & alia Europæ regna lustravit. Demum apud Helvetios Tiguri sedem fixit. Familiaris fuit cum Calvino, Melanctone, Beza, & aliis Protestantium Coriphæis, a quibus pestiferam doctrinam hausit, ut testantur ejus ad Calvinum epistolæ. Jam jam corde corruptus in malignitate crevit, ita ut nævis Calvinistarum & Lutheranorum addiderit Sabellii contra SS. Trinitatem nefandos errores, quos & scriptis delineavit. Sed supplicio Michaelis Serveti perterritus, subtilis in dissimulando Artifex, quam ab isto Hæresiarcha didicerat, hæresim conticuit; hinc paucos ea infecit Italos per Germaniæ & Poloniæ diffusos, ait P. Alexander Hist. Eccl. Sæculi 15. & 16. §. 16. pag. 162. annis 1518. & 1519. litteris Poloniæ ac Bohemię Regum munitus Venetias appulit, ut cum amicis de patrimonio transigeret. Obiit Tiguri anno 1562. ætatis 37.

Progressus.

MORTUO Lelio, Faustus Socinus ejus nepos avunculi scripta sibi vindicavit, & suo nomine non sine magno scandalo, quos ab eo susceperat, maxime contra Christum errores palam verbis & scriptis vulgavit in variis tractatibus, scilicet Commentariis in cap. 5. & 6. Matth. in initium Evangelii Joan. in cap. 7. ad Rom. & in multis aliis, ut videre est apud auctores: ergo Maximiliani II. Cęsaris, & Gregorii XIII. summi Pontificis temporibus, Faustus Socinus Italus Senensis, ex Italia in Helvetiam secessit, ubi Basileę primum disputationem de Christo Salvatore exorsus est, tum a Georgio Blandrata in Transilvaniam evocatus, varios docuit errores, quem secuti sunt permulti, a quo Sociniani dicti sunt, quandoque etiam fratres Poloni.

Errores Socinianorum.

PRIMO: Tenent cognitionem Religionis ortum habere a natura: *Ita Socinus in prælectionibus Theologicis* cap. 2.

Secundo: Inutilem esse veteris Testamenti lectionem, & totam Religionem in Novo comprehendi.

Tertio: Scripturam sacram ita claram esse, ut sine Spiritus sancti illustratione quisquis possit eam capere.

Quarto: Unicam esse in Deo personam.

Quinto: Filium Dei vocari Deum improprie, & solum honoris causa, propter sublimem a Deo emendicatam potestatem: *Ita in examine argumenti pro trino & uno Deo.*

Sexto : Spiritum sanctum non esse personam divinam, sed virtutem & efficaciam Dei, *Ibidem*.

Septimo : Christum secundum personam esse verum hominem, non tamen dici purum hominem, quia ope Spiritus sancti conceptus ex Virgine natus est: *In opere*, cujus titulus est, *institutio Christianæ Religionis*.

Octavo : Negat Deum hypostatice naturæ humanæ unitum in Incarnatione: *In caput primum Joan.*

Nono : Christum esse quidem Prophetam, sed antequam Prophetæ munere fungeretur, in cœlum raptum fuisse, ubi edoctus prius a Patre, docuit homines ejusdem Patris voluntatem, sic scribit: *In Christiana Religionis institutione* pag. 675.

Decimo: Divinum quidem cultum Christo exhibendum esse censet, sed mediate tantum, ita ut Deus adoretur in ministro: *In resp. ad præfationem VVieKi*, *& alibi*.

Undecimo : Ideo Christum esse Salvatorem, quia præbuit nobis exemplum, & vitam æternam sibi fidelibus donat. Sic docet, *In Christiana Religionis institutione*, *& in prælect. Theol.* cap. 16.

Duodecimo : Christum non fuisse Sacerdotem antequam ascenderet in cœlum, sed tunc sui Sacerdotii subisse consummationem.

Decimo-tertio : Christum propria virtute a mortuis non surrexisse, in ascensione vero corpus ejus annihilatum fuisse, & nunc solum habere cæleste: Ita *in resp. ad defensionem Francisci Pucii*, cap. 8.

Decimo-quarto : Hominem ante lapsum non fuisse mortalem. *Ibid.* cap. 8.

Decimo-quinto : Originalem justitiam in primo homine, ante lapsum nullam fuisse, nec dari peccatum originale: *In prælect. Theol.* cap. 3. & 4.

Decimo-septimo: Baptisma a Christo mandatum non fuisse, quocirca quisquis ab eo poterat abstinere: *In disp. de Baptismo aquæ*.

Decimo-octavo : In Cœna Domini, nihil reperiri præter panem & vinum: *Ita in lib. de usu & fine Cænæ Domini*.

Decimo-nono : Justos veteris Testamenti non fuisse justificatos fide Christi, nec ad ipsos pertinere vitæ æternæ promissionem: *In lib. quod Regni Poloniæ*.

Vigesimo : Deum velle quidem beatitudinem concedere his qui credunt Evangelio, verum hoc posse viribus liberi arbitrii comparati: *Ita in Thesibus de justificatione*.

Vigesimo-primo : Nullam esse Dei prædestinationem, qua specialiter quidam eliguntur, ut promoveantur ad vitam æternam: *In prælectionibus Theologicis* cap. 6.

Vigesimo-secundo: Nullam esse in Deo futurorum, quæ ex hominis libertate pendent, certam præscientiam. *Ibid.* cap. 8. & 15.

Vigesimo-tertio : Animas, post mortem non superesse, impios penitus annihilari, sed eos tantum malos esse judicandos, qui tunc vivi ultimo die quo consummabuntur sæcula, eosque una cum diabolo in ignem æternum projectos iri; qui tamen erit solum nomine æternus. Unde negat cruciatus impiorum & dæmonum semper duraturos, quia inquit, absurdum est dicere Deum irasci in æternum: Ita *in* 5. *cap. Epist.* 1. *Joan.* Alia sunt commenta, quæ & Socinus & sui propugnant. In primis ille Zuinglium, Lutherum, & Oecolampadium, ut salutaris reformationis auctores prædicat. Conciliis Oecumenicis, etiam quatuor prioribus, præsertim Nicæno, fidem non esse adhibendam conclamat, sicut nec S. Athanasio, aliisque PP. *Sic scribit in solutione scrupulorum*.

Varios habuit discipulos Socinus, sed omnium celebrior fuit Crellius, qui verbis & scriptis Magistri errore cum omnium sectæ istius pestiferæ applausu Cracoviæ docuit.

Interitus.

SOCINIANI proscripti manent ex Concilio I. Antiocheno, ex Nicæno I. & ex Ephesino, in quibus de fide definitur Christum secundum suam personalitatem esse Deum. Iidem edicto promulgato in comitiis Poloniæ ejecti sunt e regno: sed profugi in Bataviam Amstelodami sedes præcipuas fixerunt: non tamen licitum est eis palam exercere nefandam istam Religionem. Utinam modicus foret numerus: sed multi passionibus indulgentes, hanc

hanc pessimam ubique amplectuntur sectam. Contra quos omnes probamus Christi divinitatem; unde sit

§. I.

Primum Divinitatis argumentum.

Christus Mariæ præextitit.

Probatio, ex veteri Testamento.

PRIMO : Num. 21. habetur : *Locutus est populus contra Dominum & Moysen , & ait : Cur eduxisti nos de Ægypto . . . . Quamobrem Dominus immisit in populum ignitos serpentes* . Atqui ille Dominus erat Verbum incarnandum, & ipse Christus, juxta illud 1. Cor. 10. 9. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt , & a serpentibus perierunt* . Igitur Christus præexistit Mariæ , cum apparuerit tempore Moysis.

Secundo : Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus , qui te eduxi de terra Ægypti.* Atqui ille Deus , qui eduxit de terra Ægypti populum , erat Christus , juxta illud Epistolæ Judæ : v. 5. *Jesus populum de terra Ægypti salvans , secundo eos , qui non crediderunt perdidit ; Angelos vero , &c.*

Tertio : Psal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum , cepisti captivitatem , accepisti dona in hominibus.* Atqui ille Dominus qui apparuit in Sina in sancto erat Christus , juxta illud Ephes. 4. *Unicuique nostrum, data est gratia secundum mensuram donationis Christi , propter quod dixit : Ascendens in altum , captivam duxit captivitatem , dedit dona hominibus .* Igitur Christus præextitit Mariæ.

Quarto : Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum . . . . Seraphim stabant super illud; . . . & clamabant alter ad alterum sanctus &c.* Atqui ille Dominus quem vidit Isaias , erat Christus , juxta illud Apoc. 4. 8. ubi Joannes testatur se audivisse clamantes : *Sanctus , Sanctus , Sanctus Dominus Deus omnipotens , qui est , qui erat , & qui venturus est* . Eo loci non de alio quam de Christo loquitur , ut omni legenti patebit.

Quinto : Isaiæ 6. *Excæcavit oculos eorum , & induravit cor eorum , ut non videant oculis.* Atqui ille Deus, qui excæcavit in vindictam peccatorum populos , erat Christus, juxta illud Luc. 2. *Positus est hic in ruinam , & resurrectionem multorum* . Et Rom. 9. 33. *Ecce pono in Sion lapidem offensionis , & petram scandali* . Et 1. Petr. 2. *Vobis honor credentibus , non credentibus autem lapis offensionis , & petra scandali*. Ergo &c.

Sexto : Isaiæ 41. *Ego sum primus , ego novissimus*. Atqui illle primus & novissimus est Christus, qui quidem ut Deus est primus, & ante omnia sæcula , ut homo vero Cruci affixus , novissimus dicitur : & concinit illud Apoc. 1. *Ego sum alpha & omega . . . . Ego sum primus & novissimus , & vivens & fui mortuus &c.* Igitur Christus præextitit Mariæ.

Probatio , ex novo Testamento.

PRIMO : Primus divinitatis Christi testis occurrit S. Joannes Baptista , qui de Christo loquens , ait Luc. 2. *Qui post me venit , ante me factus est* . Igitur Christus præextitit Mariæ, & est Deus, alias non diceretur ante Joannem , siquidem ipse Joannes in utero materno conceptus fuit , & postea in lucem editus ante Christum ut hominem.

Secundo : Joan. 1. habetur : *Deus erat Verbum ... Verbum caro factum est* . Sed Deus est ante omnem creaturam : Igitur & Christus , siquidem est Verbum quod erat apud Deum, & quod caro factum est.

Tertio : Joan. 8. sic loquitur Christus vers. 56. Judæis : *Abraham pater vester exultavit , ut videret diem meum , vidit & gavisus est : dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes , & Abraham vidisti? Dixit eis Jesus : Amen , amen dico vobis , antequam Abraham fieret , ego sum* . Igitur Christus præextitit Mariæ : Igitur est verus Deus ante omnem creaturam . Quod autem loquatur ex professo de sua divinitate, patet ex duobus . Primo quidem, quia se dicit ante Abraham natum ; deinde vero quia Judæi scandalizati sunt , eo quod se diceret Deum; hinc blasphemiam protulisse credentes , tamquam blasphematorem voluerunt lapidare, unde ibidem habetur : *Tulerunt ergo lapides , ut jacerent in eum . Jesus autem abscondit se , & exivit de templo .*

Probatio, ex Conciliis.

PRIMUM ordine occurrit Antiochenum primum, ea solum de causa congregatum, ut refelleret & damnaret Paulum Samosatenum, qui Christum purum hominem, & Maria posteriorem ausu temerario prædicabat. Variis Scripturæ locis ostendit Christum esse verum Deum, eumque esse, qui apparuit Abraham ad Quercum Mambre. Quod autem loquatur non solum de Verbo, ut sic, sed de Verbo incarnato, ait: *Hominem autem præfiguratum dicimus esse filium, quem ipsa Scriptura Deum esse declaravit, quin etiam legem similiter datam esse Moysi dicimus ministrante filio Dei, sicut Apostolus docet, cum ait: Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat ordinata per Angelos in manu Mediatoris. Mediatorem autem alium Dei, & hominum nescimus præter hunc.* *Idem*, ibidem sic loquitur: *Qui autem contradicit Filium Dei, non esse ante constitutionem mundi.... Qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab Ecclesiastica regula arbitramur....* Sed qui est ante constitutionem mundi, preextitit Mariæ. Ergo &c.

Secundo: Ex Nicæno I. quod Filium Dei dicit Patri consubstantiale, & coæternum ante omnia sæcula genitum. Tum in Symbolo de eodem prædicat: *Et homo factus est.* Igitur ille ex Nicæno est Filius Dei, coæternus Patri & ante sæcula genitus.

Tertio: Hanc veritatem definivit de fide Concilium Ephesinum contra Nestorium, dicens: Christum non esse Deum solum affective, sicut sunt cæteri justi, sed vere & substantialiter, adeoque ante Mariam secundum suam personalitatem. Ergo &c.

Probatio, ex Patribus.

IGNATIUS primus venit in testimonium pro Christi existentia ante Mariam: Enim vero in Epist. ad Magnesianos, sic loquitur: " Unus Deus est qui seipsum „ manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius „ æternum. „ Paucis his verbis omnia definit sanctus Martyr, dicens Jesum Christum esse Filium Dei naturalem, & Verbum ipsius æternum: sed Filius Verbum Patris qui est ab æterno, prior est omni creatura; Igitur Christus secundum suam personam, est ante Mariam.

Justinus, eidem veritati astipulatur in Dial. cum Triphone p. 284. ubi relatis visionibus Dei factis Abrahæ, Isaac, Jacob, & Moysi, subdit: " Quibus ostensum est a Patre, & Domino ordina„ tum esse, & ministrare voluntate ejus, „ qui apparuit Abrahæ, & Isaaco, & „ Jacobo, & aliis Patriarchis. Sed illum „ ipsum, qui juxta consilium ejus, & vo„ luntatem, & Deus est, filius ipsius, „ & Angelus ex eo quod sententiæ ejus „ est administer. „ In hac sententia Justinus propugnat Verbum incarnandum apparuisse Patriarchis: Igitur Christus, utpote Verbum Patris, est ante Mariam, quandoquidem multis retro sæculis apparuit Patriarchis.

Athenagoras eamdem propugnat præexistentiam Christi ante Mariam in legatione ad Imperatores, his verbis: " Filius „ Dei est Verbum Patris in idea efficacia; „ ab ipso enim & per ipsum facta sunt „ omnia, cum Pater & Filius unum sint, „ ita ut Filius sit in Patre, & Pater in „ Filio, per unionem & potentiam Spiri„ tus, siquidem mens & Verbum Patris „ Filius Dei est. „ Sed ille per quem omnia „ facta sunt, quique unum cum Patre facit, est ante omnem creaturam. Ergo &c.

Melito, Sardensis Episcopus præcedentium Patrum sequitur sententiam pro Christi præexistentia, nempe in Oratione pag. 145. ubi eam, quam acceperat a Justino doctrinam de divinitate Christi, sic luculenter exprimit: " Nunc manifestius „ Religionis nostræ arcana pandam. Deus „ erat in principio, principium autem „ Verbi potentiam esse accepimus; quip„ pe Dominus mundi, cum ipse sit uni„ versorum substantia, nondum condito „ mundo, solus erat. Si vero respicias po„ tentiam ejus, in qua visibilia & invi„ sibilia cuncta consistunt, omnia cum „ ipso erant, in ipso enim per potentiam „ Verbi tum ipse, tum Verbum quod in „ ea est, extitit. Cum voluit autem i„ pse, Verbum ex simplicitate ejus pro„ siliit, & Verbum non inaniter prola„ tum, primogenium opus fit ipsius Spi„ ritus. Hoc scimus esse principium mun„ di. Natum est autem per divisionem, „ non

„ non avulsionem ; quod enim avellitur, „ a primo separatur , quod vero dividitur , id functione donatum propria nihil minuit illum, a quo vim suam sumpsit . Quemadmodum enim ab una face , aliæ accenduntur, nec tamen primæ facis lux minuitur , propter plures inde succensas ; sic etiam Verbum a Patris potentia progressum, non relinquit genitorem Verbi expertem. „ Tria Pater iste cum aliis ejusdem sæculi, nempe secundi Patribus , edocet . Primum quidem , Verbum sua potentia omnem condidisse creaturam . Alterum , prolatum fuisse , tum in cratione mundi , tum in Incarnatione . Tertium denique , non inde separatum fuisse a Deo, nec quicquam amisisse in apparitionibus de sua virtute, sicut fax accensa alias inflammando , nihil de luce pristina amittit : Igitur ex triplici illo principio , tam subtiliter a Melitone delineato , Christus est ante Mariam.

Irenæus , ejusdem secundi sæculi Heros Christianus Lib. 3. cap. 10. 16. & 21. defendit præexistentiam Christi , præcipue vero cap. 6. ubi dicit ipsum fuisse , qui apparuit Moysi , & Patriarchis : " Filium enim hic, *ait* , significat , qui & Abrahæ collocutus sit .... Et iterum loquente filio ad Moysen , descendit , inquit, eripere populum hunc. „ Similia dicit eodem Lib. cap. 2. & 6. Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est , qui & Patribus manifestatus est.

Præter secundi sæculi Patres , eidem veritati patrocinantur qui tertio sæculo floruerunt, in primis Clement. Alexand. admonitione ad Gentes pag. 5. & 6. " Verbum quod erat apud Deum , Doctor apparuit , per quod omnia sunt fabricata : Verbum quod cum olim vitam in creatione, ut Opifex, dedisset, postquam tamquam Magister se manifestavit , bene vivere docuit , ut postea vitam æternam , ut Deus , suppeditaret . „ Rursus Lib. 1. Pedag. cap. 2. " Deus in figura hominis impollutus paternæ voluntati serviens .... est Deus. " Rursus ibidem cap. 7. pag. 110. eamdem celebrat Christi ante Mariam præexistentiam : Tum & Lib. 6. Strom. pag. 644. His omnibus non solum veritatem exponit Clemens , sed variis comprobat rationibus , Christum præextitisse Mariæ . Primo quidem , quia ipse est , qui apparuit Patriarchis , quia ipse est Verbum , quod erat apud Deum ab æterno. Secundo, quia per ipsum fabricata sunt omnia.

Athanasius ejusdem sæculi Pater Orat. 4. eadem utitur ratione ad probandum Christum esse Deum , & ante Mariam, quia ipse est, qui apparuit Abraham , & ceteris Patriarchis. Cui rationi astipulantur ipsi Rabbini . Enim vero Ezech. 1. 24. legitur : *Audiebam sonum .... Sublimis Dei* , vertunt *vocem Verbi Dei*. Item paraphrasis Kaldaica, illa Gen. 3. verba: *Audierunt vocem Domini Dei* ; scilicet Adam & Eva , Targum Unkelos, & Targum Jonatham vertunt : *Audierunt vocem Verbi Domini Dei*. Ergo &c.

Chrysostomus Homil. 58. in Gen. pag. 454. dicit Christum apparuisse Jacob , & ipsum esse qui sub forma Angeli cum eo luctatus est.

Denique Isidorus , ut ceteros omittam Lib. de Nativit. Dei cap. 1. eamdem confirmat veritatem , his verbis : " Ipse est „ enim filius, qui semper a Patre missus, „ visibiliter apparebat homo . " Ex his omnibus Patribus , Filius Dei erat antequam mitteretur in terras: Igitur præexistebat Mariæ.

Probatio, ex rationibus Theologicis.

PRIMA : Ille præextitit Mariæ, qui exivit a Patre , antequam incarnaretur : Atqui Christus exivit a Patre, antequam in utero Mariæ conciperetur, juxta illud Joan. 16. vers. 28. *Exivi a Patre , & veni in mundum*. Ergo &c.

Secunda : Ille præextitit Mariæ , qui erat antequam mitteretur a Patre in mundum: Atqui Christus erat antequam a Patre in mundum mitteretur , juxta illud ad Gal. 4. vers. 4. *Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex muliere*. Ergo &c.

Tertia : Ille præextitit Mariæ , qui descendit de cœlo , ut incarnaretur : Atqui sic descendit Christus , juxta illud Joan. 6. 38. *Descendi de cælo , non ut faciam voluntatem meam , sed ejus qui misit me*. Ergo &c.

Quarta: Ille præextitit Mariæ, qui ha-

bebat gloriam, antequam mundus fieret: Atqui Christus habebat gloriam, antequam mundus fieret; sic enim habetur Joan. 17. *Pater clarifica filium tuum claritate quam habuit, priusquam mundus fieret*. Ergo &c.

Quinta: Ille præextitit Mariæ, qui est æternus, & ab æterno, juxta illud Michææ 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Eo loci Propheta duplicem distinguit Christi Nativitatem, alteram temporalem in Bethlehem Juda: alteram vero æternam, in diebus æternitatis. Ergo &c.

Sexta: Filius Dei secundum Evangelium exivit a Patre, venit in mundum, descendit de cælo; secundum Apostolum ad Philipp. 2. formam servi accepit, exinanivit semetipsum, & teste Joanne, Verbum caro factum est: Atqui ex D. Thoma 4. contra Gentes cap. 8. istæ omnes locutiones forent falsæ, si Christus esset tantum homo. Ergo &c. Probat minorem S. Doctor, his verbis: " Non enim secundum positionem hujusmodi, Deus carnem assumpsisset, ut fieret homo; sed magis homo carnalis Deus factus fuisset ... Similiter etiam non conveniret Dei filio exinanitio, aut descensio, sed magis hominis glorificatio, & ascensio; & sic non verum esset quod Apostolus dicit, Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens; sed solum exaltatio hominis in divinam gloriam, de qua postmodum subditur: Propter quod Deus exaltavit illum. Neque verum esset, quod Dominus dicit: Descendi de cœlo, sed solum quod ait: Ascendo ad Patrem meum, cum tamen utrumque Scriptura conjungat .... Sic etiam non conveniret Filio quod missus esset a Patre, neque quod a Patre exiverit, ut veniret in mundum: sed solum quod ad Patrem iret. Cum tamen ipse utrumque conjungat, dicens Joan. 16. Vado ad eum, qui misit me; & iterum: exivi a Patre, & veni in mundum; & iterum: relinquo mundum & vado ad Patrem, & in quorum utroque, & humanitas, & divinitas conjungatur. "

Solvuntur objectiones Socinianorum.

OBJICIUNT I. Qui factus est in tempore ex matre, prior non est secundum personam ipsa matre: Atqui Christus factus est, juxta illud Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Si factus est, tam secundum personam, quam secundum humanitatem, concedo: si tantum secundum humanitatem, nego. Et distinguo minorem: Christus factus est secundum humanitatem, concedo: secundum personam, nego. In hoc solum sensu Christus dicitur factus in Scripturis, in quantum accepit formam servi, juxta illud Aug. Serm. de diversis " In formam servi *factus est* accipiendo formam servi, non amittendo formam Dei. " Hinc Cyrillus Alexand. Lib. 1. in Joan. pag. 99. sic loquitur: " Itaque enigmatice beatus Baptista dicit: Qui post me venturus est, inquit, ante me factus est, quasi diceret: qui mihi honore inferior erat, visus est illustrior, & incomparabili excellentia conditionem meam antecessit. " Paulo infra subdit: " Postquam dixit, ante me factus est, necessario subjungit, quia prior me erat, antiquissimam ei gloriam adscribens, & prestantiam supra res omnes, non temporariam sed superne inexistentem, ut Deo secundum naturam confirmans. Erat enim prior me, inquit, id est semper, & perpetuo major, & præstantior. Facta autem ejus cum una ex creaturis comparatione, supremum omnium decem, cum omnibus comparatum intellige. "

Quod autem factum non appellet supra Verbum secundum se, sed ut incarnatum, mirum in modum explicat S. Cyrillus Alexand. Lib. 9. Thes. cap. 1. " Quando igitur de Verbo & Filio Dei, qui æternaliter de Patre nascitur, aliquid hujusmodi reperitur, impium est ineffabilem ejus generationem negare, cum possumus vocabulum aut de incarnatione intelligere, aut indifferenter abusiveque capere ... Nam filii vocabulum, genitum, natumque ex Patre significat: creatura vero ad extra productum,

„ ductum. Quibus ita intellectis, quomo-„ do vere creatura erit, qui ex Patre ita „ est, ut sit unum cum eo? Qui virtus & „ sapientia Patris est, qui videtur in Pa-„ tre & Pater in ipso, cum sit imago ejus „ vera, & character immutabilis, qui ha-„ bet omnia quæ Patris sunt. Qui dile-„ ctus filius a Patre vocatur, cui dicitur „ a Deo Patre: Ego hodie genui te; &, „ Per quem omnia facta sunt. „

Rursus capit. 2. explanat quo sensu factus sit Pontifex, videlicet ratione naturæ humanæ assumptæ. Sic enim exponit illa Apostoli verba ad Hebr. 3. " Conside-„ rate Apostolum & Pontificem confessio-„ nis nostræ Jesum: qui fidelis est ei qui „ fecit ipsum, & juxta Vulgatam, qui „ præ fecit illum, ait, non de natura „ Verbi, sed de incarnatione verba hæc „ Paulus scripsit. „

Omnia Socinianorum sophismata distinctione duarum in Christo naturarum facile diluuntur. Et vero quando Christus dicitur subjectus Patri, prædestinatus sicut ceteri justi, minor Patre, paulo minus minoratus ab Angelis, hæc omnia intelliguntur de Christo ut homine, qui prædestinatus est & ordinatus ab æterno, ut esset Redemptor, quique secundum hominem subjectus Patri, etiam in passione & opprobriis ejus adimplevit voluntatem; ita Athanasius Lib. de natura humana suscepta. Hilarius enarratione in Psal. 2. & alii Patres communiter.

Instant: Christus fuit sanctificatus sicut ceteri justi, & hac sanctificatione suam probat Judæis divinitatem Joann. 10. his verbis: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dii estis vos: si illos dixit t eos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum*. Sed si Christus in tempore sanctificatus est, ipsa Maria posterior fuit: tum quia ante Mariam nondum erat Christus, tum quia illa sanctificatio facta est in Christi conceptione quæ contigit cum Maria dixit Angelo: *Fiat mihi secundum verbum tuum*.

Respondeo I. Eo loci Christum suam probare divinitatem tribus maxime momentis. Primo quidem miraculis: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo*. Secundo, sanctificatione substantiali, quæ illi soli propria est; quo quidem argumento utitur Apostolus Heb. 1. 9. ad idem probandum: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis*. Certe si præ ceteris Christus unctus est, restat ut unctus sit oleo divinitatis, qua a ceteris justis secernitur. Tertio, Dominus Jesus ostendit quoque & suam probat cum Patre consubstantialitatem ex sua missione. Et vero si a Patre missus est, profecto antequam ex beatissima Virgine nasceretur in tempore, jam jam florebat in æternitate, adeoque erat Deus: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum*.

S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 7. Thesauri cap. 2. hanc tradit explicationem: " Ipse „ Dominus, *ait*, longe se a Prophetis his „ verbis disseparet. Si illos dixit Deos, „ ad quos Verbum Dei factum est, nec „ potest dissolvi Scriptura: quem Deus „ sanctificavit & misit in mundum vos di-„ citis, quia blasphemas, quia dixi, Fi-„ lius Dei sum? si enim Prophetis sicut „ creatura exæquaretur, non sicut a mi-„ nore ad majus comparationem Prophe-„ tarum ad seipsum faceret? Nam cum „ dixit, si illos dixit Deos ad quos Ver-„ bum Dei factum est, aperte ostendit non „ factum fuisse ad se Verbum Dei sicut „ ad illos: sed quod ipse sit Patris Ver-„ bum in Prophetis locutum. „

Respondeo II. disting. Christus sanctificatus fuit in tempore secundum naturam humanam, concedo: secundum naturam & personam divinam, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Duplex est Christi sanctificatio, altera temporalis, altera vero æterna. Una fit in tempore per gratiam sanctificantem, & secundum naturam humanam, quæ est in Christo: altera vero æterna est, quam ab æterno Filius accipit a Patre in æterna sua generatione. Christus igitur duplici probat argumento Judæis, non blasphemasse se dicendo Deum, quia sicut ceteri justi, qui nomine Dei celebrantur, erat & ipse justus, utpote a Patre sanctificatus ut homo, per operationem Spiritus sancti, qua quidem sancta humanitas omni gratiarum supellectili decorata est in primo conceptionis exordio, deinde vero, quia vi originis ab æterno acceperat,

& ut

ut persona divina sanctitatem substantialem a Patre. Quam quidem sanctitatem respicit Augustinus Tract. 48. in Joan. his verbis: " Forte aliquis dicet, si Pater " eum sanctificavit, ergo aliquando non " erat sanctus? Si sanctificavit, quomodo " genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. " Nam si quod sanctificat, ante non erat " sanctum, quomodo dicimus Deo Patri, " sanctificetur nomen tuum. " Igitur Augustinus argumentatur a minori ad majus contra Judæos, dicendo: Si justi dicuntur Dii in lege vestra, & non potest solvi Scriptura, a fortiori ille dicendus est Deus, quem Pater sanctificavit, & in tempore secundum hominem, & in æternitate secundum personam.

Urgent: Joan. 17. Christus petit gloriam temporalem; & eamdem dicit cum gloria quam habuerat priusquam mundus fieret, his verbis: *Pater clarifica filium tuum claritate quam habuit, priusquam mundus fieret*. Sed ista gloria erat solum idealis, & realis data fuit tantummodo post resurrectionem: Igitur solum ut homo accepit gloriam: Porro ut homo est ipsa Maria posterior.

Respondeo distinguendo: Christus petit gloriam temporalem pro humanitate, concedo: pro persona, subdistinguo: gloriam extrinsecam, concedo: intrinsecam, nego. Duo igitur Christus postulat a Patre, alterum pro humanitate, & est gloria resurrectionis, & corporis, eaque intrinseca; altera vero extrinseca, quæ definitur ab Ambrosio, clara cum laude notitia, & hanc petit pro persona, nempe, ut sicut a Patre ab æterno agnoscitur Filius Dei, ita & in tempore ab hominibus recipiatur. Solutio est S. Hilarii Enarrat. in Psalm. 2. his verbis: *Accepta formæ servi gloriam Dei, in qua mansit, postulat, dicens: Pater, clarifica me apud temetipsum, ea claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te. Non nova quærit, non aliena desiderat: esse talis, qualis fuerat, postulat: sed precatur id se, quod antea erat, esse, gigni scilicet ad id quod suum fuit. Non erat autem idipsum tunc totus, quod ut fieret, precabatur: fieri autem totus, non aliud quam quod fuerat, postulabat*. Quibus verbis ostendit Hilarius Christum ab æternitate fuisse a Patre glorificatum in generatione æterna, ipsum autem petere, ut glorificetur totus, id est, & secundum personam, & secundum hominem.

Ejusdem est labii S. Cyrillus Alexandr. Lib. 10. Thesaur. capit. 9. vet. edit. " Non " sibi ergo a Patre gloriam petebat, quia " sicut natura Deus non indigebat, sed " paternam gloriam in hominem quem " assumpsit, petendo ut homo traducit. "

Replicant: Si Christus est Maria anterior, maxime propter illam Scripturæ sententiam, *descendi de cœlo*. Atqui hoc non potest colligi ex isto momento. Ergo &c. Probatur minor multipliciter. I. quia hoc significat, tantum Christum prius fuisse in cœlo mente, & deinde descendisse in terras propter homines, siquidem Matth. 16. habetur: *Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit*. Et Philipp. 2. *Nostra conversatio in cœlis est*. Igitur justus est mente in cœlo. II. Joann. 6. ait Christus: *Ego sum panis, qui de cœlo descendi*: qui quidem descensus solum metaphorice intelligitur, sicut & illud Apocal. 21. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo*. III. Quia Christus, postquam natus est, raptus est in cœlum sicut Paulus, ut audiret arcana Dei, deinde ex hoc loco descendit, ut eadem manifestaret hominibus, juxta illud Joan. 17. 16. *Manifestavi*, inquit Patri, *nomen tuum hominibus*.

Respondeo, ista omnia esse commenta sine fundamento, quandoquidem ex probationibus liquet, Christum descendisse a Patre, ab eodem fuisse missum, ut nostram operaretur in terris salutem: sicut igitur ista salutis operatio non fuit idealis & pure figurativa, quandoquidem ipsas veteris Testamenti figuras terminabat, ita a fortiori, & missio personæ, quæ nusquam figurativa dicitur.

Jam ad singula faciendum est satis. Respondeo ad primum negando paritatem: quia missio respicit personam, persona autem non dicitur figurative mitti, sed realiter.

Ad secundum, nego utique paritatem: nam propositio appellat supra panem, unde facit sensum metaphoricum; panis enim producitur, unde non dicitur mitti: si vero missio consideretur respective ad personam, quæ panis nomine donatur, intel-

intelligenda est ad litteram, & secundum verum descensum.

Ad tertium, nego etiam paritatem: Apostolus enim dicitur raptus, Christus vero descensus, unde gratis dicunt Sociniani Christum natum raptum fuisse in cœlum, ex quo postea descendit, cum nullibi in Scriptura mentio fiat, nisi de ascensione, qua facta, Christus permansit & permanet semper in cælo.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus praextitit Maria.

PRIMO: Hoc constat ex veteri Testamento, juxta illud Psal. 67. *Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Rursus Isaiæ 41. *Ego sum primus, & ego novissimus.* Primus quidem ut Deus; novissimus ut homo: quis autem, ait Apostolus, ascendit, nisi qui prius descendit; primum in inferiores partes terræ, sicque illa loca nonnisi de Christo intelliguntur. Concinit novum Testamentum; sic enim loquitur Joannes Baptista Luc. 2. his verbis: *Qui post me venit, ante me factus est.*

Secundo: Idem annuntiant Concilia, in primis primum Antiochenše in professione fidei, in qua quidem Patres asserunt Verbum incarnandum apparuisse Patriarchis: Nicænum I. definit Verbum esse Patri consubstantiale: Ephesinum dicit Christum esse Deum, & Verbum nedum affective, sed & hypostatice humanitati sanctæ unitum esse.

Tertio: Id ex professo docent Patres, nimirum Ignatius Epist. ad Magnesianos, Justinus Dial. cum Triphone, Athenagoras Leg. pro Christianis. Athanasius Orat. 4. & alii. Ratio suffragatur: Christus enim ait se a Patre exivisse, & ante Abraham extitisse. Ergo &c.

Objectiones Socinianorum absque negotio solvuntur, spectando Christum ut Deum, & ut hominem; hinc quum dicitur aut factus, aut sanctificatus, hoc intelligendum est de humanitate, vel etiam de unione Verbi cum humanitate quæ facta est in tempore: quia vero Christus dicit unionem substantialem cum humanitate, quæ in utero BB. Virginis completa est, potest dici in concreto factus, nusquam vero in abstracto & secundum personam spectatus.

§. II.

Secundum divinitatis Christi argumentum, ex nominibus Dei, quæ illi conveniunt.

ILLE est Deus, qui omnibus Dei nominibus donatur in Scripturis sacris: Atqui Christus omnibus Dei nominibus insignitur in Scripturis sanctis: Igitur Deus, siquidem nomen explicat naturam rei. Probatur minor.

Primo: Supremum numen vocatur, quod est, juxta illud Exod. 3. *Hæc dices populo Israel, qui est, misit me ad vos*: Atqui illud nomen etiam Christo tribuitur. Apocal. 1. 4. his verbis: *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Et iterum Joan. 13. 14. *Modo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum.* Ergo &c.

Secundo: Supremum numen vocatur *Geova*, & *Tetragamaton*, quod interpretatur, *Deus*, id est, videns & prævidens; *Theos* enim dicitur a *Teasiny*, id est, videre: Atqui illud nomen convenit & tribuitur Christo, juxta illud 1. Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille pro nobis animam suam posuit.* Certe ille Deus, qui posuit animam suam pro nostra salute, non est alius præter Christum. Ergo &c.

Tertio: Deus passim vocatur in Scripturis *Dominus*: Atqui utique Christus vocatur Dominus; sic enim habetur Apoc. 4. de eo: *Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Quasi diceret Joannes: Christus erat ab æternitate omnipotens, nunc autem est universorum Dominus, & veniet in fæculorum fine tamquam Dominus dominantium ad judicandum vivos & mortuos. Rursus Matth. 21. *Dicite, quia Dominus his opus habet.* Et adhuc Joan. 13. *Vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim*: Ergo &c.

Quarto: Deus dicitur *invisibilis*, juxta illud Exodi 33. 20. *Non enim videbit me homo, & vivet*: Atqui etiam Christus dicitur invisibilis; sic enim scriptum est ad 1. Tim. 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili soli Deo honor & gloria.* Et Matth. 11. Ne-

11. *Nemo novit Filium, nisi Pater*. Ad Coloss. 1. *Imago Dei invisibilis*. Et adhuc Apoc. 19. *Nomen habet scriptum, quod nemo novit, nisi ipse, & nomen ejus est Verbum Dei*: Ergo &c.

Quinto: Deus vocatur *Rex gloriæ*. Act. 7. his verbis: *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ*. Atqui similiter Christus dicitur Rex gloriæ 1. Cor. 2. 8. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Profecto loquitur Apostolus de Christo, qui solus crucifixus est; unde ad 1. Tim. 6. 15. habetur de eodem: *Solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium*: Ergo &c.

Sexto: Deus vocatur *Altissimus*, Psal. 82. his verbis: *Tu solus Altissimus in omni terra*: Atqui Christus etiam celebratur isto nomine Luc. 1. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*, inquit Zacharias, *præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*: Ergo &c.

Septimo: Deus vocatur *Mirabilis*, juxta illud Judic. 13. 18. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Atqui etiam Christus vocatur mirabilis ab Isaia, cap. 7. Consiliarius, Princeps pacis, Pater futuri sæculi: Tum ad Philipp. 2. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur*: Ergo Christus est verus Deus.

Patres ex istis fontibus deducunt argumenta ad probandam Christi divinitatem contra Ebionitas, dicentes fieri non posse, illum non esse Deum, cui omnia Dei nomina tribuuntur. Juvat aliquorum afferre auctoritatem.

S. Justinus Apol. 1. eleganter explicat Christi divinitatem per nomen Filii Dei, quod illi convenit: " Universarum au„ tem, *inquit*, rerum Patri, quia ingeni„ tus est, nomen impositum non est .... „ Porro Filius ejus, qui solus proprie di„ citur Filius, Verbum, simul cum illo „ ante creaturas, & existens, & na„ scens: quoniam primitus per eum cun„ cta ordinavit, & ornavit. Christus qui„ dem ex eo, quod per illum Deus om„ nia conformaverit, atque ornaverit, ap„ pellatur.. „

Tertullianus Lib. contra Praxeam, etiam repetit æternam Christi nativitatem a nominibus divinis, quæ illi conveniunt: " „ Itaque, *inquit*, Deos omnino non di„ cam, nec Dominos, sed Apostolum se„ quar, ut si pariter nominandi fuerint, „ Pater, & Filius, Deum Patrem appel„ lem, & J. C. „

Cyprianus attendit quoque ad nomina divina, ut Christi probet divinitatem: nam Lib. de idol. vanitate, de Christo sic loquitur: " Hic est virtus Dei, hic ra„ tio, hic sapientia ejus & gloria. „

Origenes iisdem adhærens vestigiis Lib. 7. contra Celsum, ait: " Quod si divi„ num quiddam erat in eo homine, qui „ in illo intelligitur; cujusmodi erat uni„ genitus Dei, & primogenitus omnis „ creaturæ, dicit: Ego sum veritas, & „ ego sum vita, & ego sum ostium. „

Ex his Patrum sententiis Christus nominatur modo Dei Filius, modo genitus in æternitate: modo Dominus, modo etiam virtus Dei & sapientia & gloria: Igitur est verus Deus, siquidem in tanto nominum numero designatur veritas; etenim figura non exquisito, & repetito nominum sermone celebratur.

Diluuntur objecta Socinianorum.

OPPONUNT: Qui Deus nominatur, non ideo Deus censendus est. Probatur Antecedens: Primo quidem exemplo Moysis, qui dicitur Deus Pharaonis in Scriptura, & tamen erat purus homo. Secundo, Justi vocantur Dii, juxta illud Psal. 81. 6. *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes*. Tertio, Joan. 1. 12. habetur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*. Et tamen justi sunt puri homines, inquiunt; idem de Christo dicendum, qui quidem Dei nomine merito donatus est, tum quia sola Spiritus sancti operatione in utero virgineo conceptus est, tum quia Propheta magnus fuit, & vir potens opere & sermone: tum quia denique omnibus Dei gratiis & donis cumulatus est.

Respondeo distinguendo: Qui nominatur Deus solum improprie, non ideo verus Deus censendus est, concedo: si nominetur proprie, nego: unde similiter distinguendum est consequens, & neganda paritas, quia ceteri, de quibus fit sermo, puri declarantur homines, & quidem mortales; legitur enim in Scriptura Moysen mortuum esse; unde dicitur solum Deus, in

in quantum sicut Oratores & Legati loquuntur in nomine Regis, ita & Propheta in nomine Dei vivi locutus est Pharaoni. Neque magis urget secundus locus, quandoquidem subdit Psalmista: *Vos autem sicut homines moriemini*. Denique liquet ex textu S. Joannis mentionem fieri de filiatione tantum adoptiva, & de puris hominibus, nam immediate ante verba laudata, de filio Dei dicit: *In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri*. At vero non sic de Christo; proprie enim vocatur Deus, quia & æternus, & Verbum ab æterno apud Deum, & filius, qui, teste Apostolo, omnia & ipsos Angelos creavit.

Insistunt: Nomen Dei non significat vere & extrinsece supremum numen; ita Justinus 1. Apol. his verbis: *Ipsum nomen est, significationem minime notam complectens: quemadmodum & Dei appellatio nomen non est, sed ineloquibilis naturæ hominum insita opinio. Jesus vero & hominis, & Servatoris nomen ac designationem habet; nam & homo sicut prius diximus, est factus, & Dei & Patris consilio, ac voluntate partu editus*. Quibus verbis designare videtur Justinus, non ideo Christum vere dicendum esse Deum, quia nomine Dei celebratur, bene vero Servatorem, quia nomen Jesus illi convenit. Nomen autem Jesus non significat Deum, sed Mediatorem. Iterum ex Tertulliano, qui Lib. contra Praxeam dicit, Patrem se appellare, *Jesum vero tantum Dominum*, his verbis: " Deum Patrem „ appellem, & Jesum Christum nomi- „ nem. „ Ergo &c.

Respondeo negando majorem. Ad primam probationem distinguo: Nomen Dei significat rem ineloquibilis naturæ respectu hominum, concedo: quoad se, nego. Nomen Deus potest considerari dupliciter, nempe quoad nos, & quoad se. Respectu nostri, significat rem ineloquibilem, quia nec capere, nec dicere quid sit Deus haud valemus, immo hoc concludimus, illum esse Deum cui nomen Dei competit, quia ly *Deus*, significat rem cogitatu incomprehensibilem, adeoque divinam. Si vero nomen Dei convenit Christo, dicit Deum, quia significat ens a se, omnibus refertum perfectionibus, & sic patet mens Justini, cujus scopus est probare Christum esse Deum.

Ad secundum distinguo: Nomen Jesus non significat primario divinitatem, concedo: secundario, nego. Duplex nomen præcipue Christo attribuitur tum a Scripturis, tum a SS. Patribus, nempe nomen Christi, quod quidem significat *unctus*, & nomen *Jesus*. Primum nomen per se primo significat divinitatem, juxta illud Psal. 44. *Propterea unxit te Deus.... oleo lætitiæ, præ consortibus tuis*; id est, unctus est unctione substantiali & hypostatica super omnes. Ita Prophetam explicat S. Paulus Hebr. 1. 5. his verbis: *Cui enim Angelorum dixit: Filius meus es tu.... Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, oleo exultationis præ participibus tuis: Et tu in principio Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli*: Nomen vero *Jesus* primario significat hominem, quia impositum est Christo, quando circumcisus est, circumcisus autem fuit ut homo. Attamen secundario dicit divinitatem, juxta illud ad Philipp. 2. 8. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c.* Solum autem nomen divinum est adorabile.

Ad tertium distinguo similiter: Et Tertullianus non excludit divinitatem a Christo, concedo: & excludit, nego. Vult solum explicare per nomen Jesu, dominium Christi super omnem creaturam, quod quidem dominium Christus proprio acquisivit sanguine, & sic Tertullianus alludit ad verba Apostoli de Christo Phil. capit. 2. 8. *Humiliavit semetipsum.... propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, & infernorum*. Quod autem ille Doctor non excludat divinitatem, subdit post verba in objectione allata: " Solum „ autem Christum potero Deum dicere, „ sicut ibidem Apostolus: Ex quibus Chri- „ stus, qui est Deus super omnia benedi- „ ctus in sæcula. „

Reponunt: Implicat Christum vocari Deum in sensu proprio: Igitur ex nomine Dei, quod illi tribuitur, non infertur quod sit verus Deus. Probatur Antecedens: implicat aliquem esse factum & non factum: æternum, & non æternum: Sed Deus est æternus & non factus: secus vero Chri-

ro Christus, alias incarnatio foret ab æterno: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Implicat eumdem dici æternum, & non æternum secundum eumdem respectum, concedo: secundum diversum, nego. Christus autem secundum professionem fidei Concilii Antiocheni primi, ut Filius Dei, est persona divina ab æterno, secus vero secundum hominem. Licet autem Christus factus sit in tempore, quia unio naturæ divinæ cum humana facta est in utero sacratissimæ Virginis, eo ipso quo persona est æterna, optime dicitur æternus, sicut homo dicitur spiritualis, quamvis in corpore concreta sit anima, & hoc quia ipsa anima est spiritualis.

Persistunt: Quando aliquid asseritur de aliquo, & postea negatur, tunc prima propositio sumenda est in sensu metaphorico, sicut v. g. Christus dicitur petra, & leo; quia vero dicitur homo, negatur ipsum esse proprie aut petram aut leonem: Igitur a simili quamvis Christus dicatur Deus, quia tamen postea appellatur homo, & dicitur factus, sequitur dicendum esse Deum solum improprie.

Respondeo distinguendo: Si prima propositio non habeat sensum obvium naturalem, debet sumi in sensu metaphorico, quando contrarium asseritur, concedo: secus, nego. Antecedens & paritatem: voces *Petra* & *Leo*, præ se ferunt sensum metaphoricum respectu hominis, minime vero nomen Dei respectu Christi, quandoquidem dicitur a Deo exiisse.

Replicant: Atqui Christus nomine Dei veri non nisi metaphorice celebrandus est: Ergo &c. Probatur subsumptum. Christus ipse Joann. 17. 3. Patrem solum appellat Deum verum. Sic enim habetur: *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum verum Deum*. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo: Christus suum appellat Patrem solum verum Deum per exclusionem falsorum numinum, concedo: per sui exclusionem, nego. Dominus Iesus est sui ipsius interpres, quippe qui subjungat post ista verba: *Verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Jam vero solus Deus est vita æterna, cum igitur Christus eo loci se quoque vitam æternam esse asserat, sicut Pater, sic & ipse verus Deus dicendus est. Quod autem vox *solus* non sit in omni sensu exclusiva, non uno probatur exemplo. Primo quidem Genes. 42. 38. Jacob de filio suo Benjamin loquens, ait: *Non descendet*, inquit, *filius meus vobiscum, frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit*. Non quod solus absolute remansisset, sed quia solus ex filiis Rachel remanserat. Secundo, Deut. 32. 12. legitur: *Dominus solus dux ejus fuit*: nemo tamen non novit ipsum Moysen fie loquentem populi Israelitici fuisse ducem, immo & Legislatorem. Rursus Matth. 11. 27. scriptum est: *Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius*. Ergo-ne Pater se ipsum non novit? Qualis consequentia?

Quod autem eo loci Christus non nisi falsa excludat numina, ex B. Paulo liquet, qui cum non absimilem ab ea, quæ a Christo pronuntiata fuerat, dixisset sententiam 1. Corinth. 8. 6. his verbis: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos illum*: suam ipse postea prodit mentem v. 4. *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, & Domini multi, nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia*. Quia tamen prima persona est principium non de principio, specialiter dicitur causa rerum, ut in loco mox laudato: *Nobis unus est Pater, ex quo omnia*. Et iterum Ephes. 4. 5. *Unus Deus & Pater omnium*.

Quid plura adjiciam? In more positum est frequenter, ut cum in sacris Scripturis nominatur persona, aliæ duæ simul intelligantur. Sic Act. 4. Petrus interrogatur qua virtute erexisset claudum, respondet in nomine Christi. Ibid. capit. 10. 48. *Jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*. Porro S. Petrus ideo solum nominavit Christum sanitatis claudi auctorem, quia Deum a Patre & Filio indivisum credebat; in Baptismo vero juxta Patrum interpretationes non exclusit Patrem & Spiritum sanctum, sed ad ciendos erga Christum pietatis affectus, voluit Christi nomen formæ adjici.

Absque negotio, innumera prope alia Scripturæ loca a Socinianis incassum adversus Christi divinitatem objecta explicantur. 1. Cor. 12. habetur: *Idem vero*

Deus

Deus qui operatur omnia in omnibus. 1. Timoth. 2. 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Ad hæc enim & similia dicimus esse unum Deum, sed trinum in personis, quocirca solum Patrem non intelligit Apostolus in primo loco; neque vero plus virium habet objectio ex altera auctoritate B. Pauli desumpta; tametsi distinguat Mediatorem a Deo: cum enim Christus sit Deus simul & homo, Mediator vero ratione humanitatis assumptæ, vel minimum quidem hæc distinctio a divinitate Christi non detrahit.

Contra: Si Christus a Deo indivulsus foret, non se ipsum a Deo Patre secerneret: Atqui tamen se distinguit a Patre: Eumdem & sejungit a Deo S. Paulus: Et probatur: Ecce Christi verba, Joan. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Dubio-procul ibi est distinctio inter Deum & Christum, & quidem plusquam relativa: si enim penes hypostasim foret, dixisset: *Ut cognoscant te Patrem, & quem misisti Jesum Christum Filium*. Apostolus non leviora pro eodem profert distinctionis momento, cum ait 1. Tim. 2. 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, &c.* Quibus ultimis verbis: *Mediator Dei*, secernit Christum a divinitate; alias idem esset simul & Deus, & Mediator sub eodem respectu, quod est a mente B. Pauli alienum. Nulla igitur ratione Christus appellandus est Deus.

Respondeo distinguendo: Christus seipsum a Patre secernit ratione humanitatis, concedo: ratione personæ, & hypostasis, subdistinguo: si persona sumatur relative, concedo: si juxta absolutum, nego. Christus est Deus & homo: Deus quidem ut innumera probant Scripturæ testimonia: quia tamen personæ in divinis reduplicative ut personæ: & secundum relativum ad invicem realiter distinguuntur, Christus etiam ut Deus sub isto respectu a Patre se distinguit; maxime vero ut homo. Igitur in utroque sensu recte dicitur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*. Solum verum Deum excludendo a divinitate Christi humanitatem, sed non personam, cum Pater & Filius ratione naturæ sint quid unum, juxta illud ipsius Christi, Joan. 14. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Rursus ibidem vers. 10. *Ego in Patre & Pater in me est*. Quia tamen prima persona a secunda distinguitur, Christus primo posuit Patrem: *Ut cognoscant te solum Deum verum*. Deinde se ipsum his verbis: *Et Jesum Christum*; ut intelligerent discipuli Filium a Patre distinctum esse. Quod autem se a divinitate non separet, patet ex duobus. Primo quidem ex eo quod se dicat a Patre missum: Igitur Mariæ præexistebat. Quomodo? Nisi ratione personæ quæ est Deus. Secundo, non Patrem solummodo, sed & se simul cum Patre vitam æternam esse prædicat: solum autem Deum ipsam vitam æternam esse nemo Catholicus non novit.

Neque vero plus virium habet altera Socinianorum objectio: quandoquidem hæc est fides catholica unum esse Deum: unumque Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum: Deum quidem ratione personæ, Mediatorem vero ratione naturæ assumptæ, cujus actiones propter Filium Dei vices humanæ subsistentiæ gerentem, infiniti valoris meriti erant. Et sic patet solutio ad utrumque Scripturæ locum: namque unum tantummodo probant, videlicet Christum ratione humanitatis non esse Deum: quod si quis de Christo ratione personæ eas velit intelligere auctoritates, habebit plures in Patre & Filio personas, sed non deos. Hanc ipsam personalem distinctionem innuunt varia quæ soli Filio tribuuntur nomina, ut cum vocatur Imago, Verbum, figura substantiæ paternæ, sed nihil ultra. Qua quidem adhibita distinctione, evanescunt omnia Crellii adversus Christi divinitatem commenta.

Insistunt: Atqui vox *solus* nedum personam, sed & naturam divinam excludit a Christo: Ergo &c. Probatur subsumptum, & quidem multis momentis: Primo quidem, vox *solus* de se excludit alterum & in persona & in natura distinctum. Secundo, hoc ipsum probant circumstantiæ: quandoquidem ista protulit verba Christus, *Ut cognoscant te solum verum Deum*, cum oraret: eo quippe loci rogat Patrem ut suos servet a malo discipulos, fundit preces pro iis omnibus qui erant in ipsum credituri: sicque purum hominem se prodit.

dit. Tertio inde magnum sequitur absurdum, videlicet justos non excludi a deitate substantiali, cum vox *solus* non naturam, sed personam tantum dicat, juxta solutiones datas diversam: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem distinguo: In creatis vox *solus* exclusionem & personæ & naturæ ab alio importat, concedo: respectu Christi, nego. Nam & Deus est.

Ad secundam, similiter distinguo: Et ex eo quod oraret cum dixit: *Hæc est autem vita æterna, &c.* sequitur esse Deum simul & hominem, concedo: hominem tantum, nego: eo quippe loci absque dispendio suæ divinitatis loquitur, cum Deum appellet suum Patrem, cum ab eo se esse missum asserat, & quod omnium majus in sui non minus quam Patris cognitione vitam collocet æternam.

Ad tertiam nego sequelam: namque ex innumeris tum veteris, tum novi Testamenti auctoritatibus constat Christum esse substantialiter Deum: quocirca respectu sui vox *solus*, solam suppositi distinctionem importat; quod de ceteris justis nemo dixerit. Quinimmo ex ipsa auctoritate pro objectione allata, colligitur Christi divinitas, ut dictum est: nam & missus a Patre, & uti vita æterna proclamatur. Audiendus est de hoc momento auctor libri de Trinitate, qui Novatiano tribuitur apud Tertullianum cap. 4. " Si homo tantum Christus, *inquit*, „ quare credendi nobis talem regulam „ posuit, quo diceret, hæc est autem vi„ ta æterna ut sciant te unum & verum „ Deum, & quem misisti Jesum Christum? „ Nisi quoniam & Deum accipi voluit, „ quoniam si se Deum nollet intelligi, „ addidisset, & quem misisti hominem „ Jesum Christum, nunc autem neque addidit, nec se hominem nobis tantum„ modo Christus tradidit, sed Deo jun„ xit, ut & Deum per hanc conjunctio„ nem, sicut est, intelligi vellet. „

Insistunt: Christus ipse se dicit creaturam: Ergo &c. Probatur Antecedens: Joan. 14. 29. ait: *Pater major me est*. Sed qui Deo Patre minor est, citra dubium est creatura: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Pater major est Filio, si Filius spectetur ut homo, concedo: si ratione personæ, subdistinguo: Pater major est majoritate originis, concedo: majoritate naturæ, nego. Pater æternus, major est Filio ratione originis: Ita Concilium Sardicense Epistola Synodica, quam refert Theodoretus Lib. 2. cap. 8. Basilius Lib. 1. contra Eunomium: Major est etiam in natura si Filius spectetur ut homo. In isto sensu interpretantur sententiam Christi Patres, maxime S. Athanasius Lib. de humana natura suscepta. Gregorius Nyssenus Lib. de Abraham, Ambrosius Lib. 3. de fide cap. 4.

Obstrepunt: Atqui Christus secundum se totum se Patre minorem dicit: Ergo &c. Probatur subsumptum: Primo quidem, ideo hæc verba protulit, ut intelligerent discipuli se ad Patrem confugiendum esse, ut majori donetur felicitate. Secundo, si fuit Deus, non potuit absque æquivocationis labe se Patre minorem proferre; falsa, quod absit dicere, fuisset ejus propositio. Ceterum, asserere Christum esse Patre minorem ratione humanitatis, non divinitatis, est petere principium, cum caput controversiæ sit inter Socinianos & Catholicos de ejus divinitate, quam illi negant.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem distinguo: Et ibi loquitur Christus ut homo, concedo: unde non mirum si dixerit se ascendere ad Patrem, ut majorem haberet felicitatem, scilicet pro sua mirabili humanitate: & loquitur ut Deus, nego.

Ad secundam dicimus, Christum citra æquivocationis nævum potuisse varia de se asserere propter duas quas in se complectitur naturas, humanam scilicet & divinam; porro juxta Logicæ leges, ubi sunt diversæ naturæ, diversa quoque adsunt prædicata.

Ad tertiam nego, Catholicos petere principium cum diversa in Christo concilient ratione humanitatis & divinitatis: dependentiam hominis, independentiam vero Dei: namque omni argumentorum genere probatur Christum esse Deum. Sanctus Chrysostomus Homil. 26. in 1. ad Cor. 48. ait: " Cum humile aliquid dici„ tur de Christo qui carne præditus est, „ non ad divinitatis abjectionem trahen„ dum est: quod dicitur, cum Incarna„ tioni conveniat. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Constat ex nominibus Dei quæ Christo tribuuntur, ipsum esse Deum.

PRIMO: Supremum numen vocatur I. Exod. 3. *qui est*, sic & Christus, Joan. 3. II. Deus passim in Scripturis, *Geova* & videns appellatur, sic & Christus, Joann. 1. III. Dominus, sic & Christus Apoc. 4. IV. Invisibilis Exod. 33. 20. sic & Christus 1. Tim. 1. 2.

Secundo: Suffragantur Patres: Justinus Apol. 1. Tertullianus Lib. contra Praxeam, Cyprianus Lib. de vanitate Idol. Origenes Lib. 7. contra Celsum, qui omnes ex nominibus Dei Christo attributis concludunt illum esse Deum.

Tertio: Idem ex ratione constat: nomina enim explicant rerum naturas, maxime dum cuncta & semper de eodem dicuntur, sicut contingit in Christo, qui ubique & perpetuo nominibus Dei celebratur.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Objecta Socinianorum ne minimum quidem in hoc momento facescunt negotium: ultro quidem fatemur homines quandoque deos nominari, sed hoc intelligi improprie & lato modo liquet, cum in eadem Scriptura homines nuncupentur, nusquam vero de eis prædicetur eos ante mundum extitisse, sicut de Christo non semel dicitur.

Secundo: Cum ait Christus vitam æternam in eo sitam esse, ut homines cognoscant solum Deum verum, non personam suam, sed naturam humanam in se spectatam a divinitate sejungit.

Tertio: Similiter quando ait Patrem esse seipso majorem, loquitur de se ut homo est.

§. III.

Tertium divinitatis Christi argumentum ex proprietatibus Dei, quæ illi conveniunt.

ILLE est Deus, cui conveniunt Dei attributa: Atqui Christo conveniunt Dei attributa & proprietates: Igitur est Deus. Probatur minor ab enumeratione partium.

Prima, Dei proprietas est, quod sit ens a se, juxta illud Exodi: *Ego sum qui sum*: Atqui ista proprietas etiam Christo convenit, juxta illud Apocalypsis 1. *Ego sum alpha*: Ergo &c.

Secunda, Est æternitas; sic enim scribitur Gen. 21. 33. *Invocavit ibi nomen Domini Dei æterni*: Atqui istud attributum etiam Christo convenit, juxta illud Joan. 1. *In principio erat Verbum*: Igitur est ab æterno, ut interpretantur Patres, & illud Matth. 6. *Qui inhabitat lucem inaccessibilem*. Quæ verba ex Aug. Tract. 25. in Joan. designant veram æternitatem.

Tertia, Immutabilitas de Deo prædicatur Psal. 101. 28. his verbis: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Atqui etiam immutabilitas Christo competit; sic enim de eo disserit Paulus ad Hebr. cap. 1. 12. *Omnes ut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Ergo &c.

Quarta, Est immensitas, juxta illud Jerem. 23. 24. *Cælum & terram ego impleo*: Atqui etiam hæc convenit Christo; habetur enim Joan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi quid descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo*. Et illud Matth. 18. 20. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Ergo &c.

Quinta, Est omnipotentia juxta illud Gen. 17. *Ego Deus omnipotens*. Idem de Christo prædicatur Apoc. 4. 8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*. Quæ quidem verba intelliguntur de eo: Enim vero cap. 1. 8. habetur de eodem Domino: *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus, Deus, qui est, qui erat, & qui venturus est, omnipotens*. Ille autem qui venturus est, ad judicandum orbem terrarum in justitia, est ipse Christus.

Sexta, Est sapientia, sic enim scriptum est Rom. 16. 27. *Soli sapienti Deo*. Atqui ista proprietas divina utique Christo convenit, juxta illud ad Coll. 2. 3. *In agnitionem mysterii Dei Patris & Christi Jesu: in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*: Ergo &c.

Septima: Est bonitas, juxta illud Sap. 7. 24. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia .... Vapor est enim virtus Dei....*

Et imago bonitatis illius. Sed & illud attributum Christo Domino tribuitur, juxta Matth. 20. 15. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Ergo &c.

Octava, est suprema majestas, quæ passim in Scripturis de Deo prædicatur: ut Isaiæ 6. 1. his verbis: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum &c.* Atqui majestas etiam Christo Jesu competit; ait enim Apostolus Hebr. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus*: Ergo &c.

Patres passim delineant Christi attributa: unum solum, aut alterum afferemus in testimonium.

Primus est Tertullianus, qui libro de præscriptionibus adversus hæreticos cap. 13. pag. 235. sic loquitur: "Regula est „ autem fidei, ut jam hinc quid credamus, profiteamur; illa scilicet qua credit, unum omnino Deum esse; nec „ alium præter mundi conditorem; qui „ universa de nihilo produxerit per Verbum suum, primo omnium emissum: „ id Verbum filium ejus appellatum, in „ nomine Dei varie visum Patriarchis. „ Ergo &c.

Irenæus ante ipsum Lib. 3. cap. 20. pag. 282. de filio Dei incarnato idem dicit; " Ostenso manifeste quod in principio „ Verbum existens apud Deum, per „ quem omnia facta sunt, qui & semper aderat generi humano, hunc in „ novissimis temporibus secundum præfinitum tempus a Patre, unitum suo „ plasmati passibilem hominem factum: „ exclusa est omnis contradictio dicentium: si Ergo tunc natus est, non erat „ ante Christus. Ostendimus enim, quia „ non tunc cœpit filius Dei, existens „ semper apud Patrem, sed quando incarnatus est & homo factus, longam „ hominum expositionem in seipso recapitulavit ..... ut quod perdideramus in „ Adam ..... reciperemus. „ Sed ille qui est & Verbum, & Patris æterni Filius; qui teste Tertulliano, apellatur Deus, qui ex Irenæo apud Deum semper præexistebat, incarnatus est ut nos redimeret, habet omnes Dei proprietates: Igitur est verus Deus.

Fit satis Socinianorum objectionibus.

OBJICIUNT: Ille non habet proprietates divinas, qui non habet supremam potestatem, quæ quidem inter attributa divina est perfectio palmaris. Atqui Christus non habet supremam potestatem: Ergo &c. Probatur minor: Primo, quia Matth. 20. 23. sic respondet matri filiorum Zebedæi petenti primas in regno suo sedes pro filiis suis: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis*: Ergo &c. Confirmatur 1. Cor. 15. Apostolus de Christo sic loquitur: *Cum tradiderit regnum Deo & Patri: cum evacuaverit omnem principatum & potestatem, & virtutem*; quibus verbis liquet Christum oblaturum esse regnum suum Deo Patri tamquam superiori, unde ibidem v. 28. subdit: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia*. Sed qui est subjectus Deo Patri, non est Deus, nec divinis gaudet proprietatibus: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem, distinguo: Et Christus loquitur ut homo, quum dicit, sedere ad dexteram meam, aut ad sinistram non est meum dare vobis, concedo: & loquitur ut Deus, nego.

Respondeo II. aliter distinguendo: Non est meum dare vobis, hoc est, nec voluntas & decretum Patris, nec justitia quæ distribuit unicuique juxta laborem, hoc exigunt, concedo: hoc est, non habeo potestatem, nego. Deus decernit coronas juxta merita; idcirco ait Christus: *Non est meum dare vobis*. Hoc est indiferenter, quia justitiæ jura observanda sunt: sensus est igitur, tantum meriti habete, quantum requiritur ad illam sessionem, quia dubioprocul illam habebitis, sin minus e contra. Sic Scripturæ locum explanat S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 10. Thes. cap. 5. " Oportet certe non ita inconsiderate Salvato„ ris verba exponere. Nam si diligenter „ perspicere singula volueritis, nihil in„ venietis quo impietas vestra possit juva„ ri. Accesserunt Zebedæi filii ad Chri„ stum, supremosque honores petebant, „ qui aliis debebantur. Ad quam petitio„ nem convenienter Salvator respondit:

non

„ non est meum dare; non quia potesta-
„ tem dandi non habeat, sed quia pro-
„ portionaliter certantibus dantur. Nam
„ quemadmodum, si quis certamen insti-
„ tuerit, & munera declaraverit, ad pe-
„ tentes maxima præmia dicat, non est
„ meum dare: non enim certandi mune-
„ ra sic mihi proposita sunt, ut velim
„ petentibus dare quibuscumque, sed illis
„ solum qui certando superabunt: sic Sal-
„ vator quoque: Non est meum dare,
„ inquit, supremum honorem petentibus,
„ qui reservatus est in præscientia Patris
„ illis, quos excessus certandi commenda-
„ vit. Quare Domini hæc responsio, non
„ potestatem negat, sed dispensationem
„ ostendit. Quomodo enim ipse non pot-
„ est dare quibus velit, cum inveniatur
„ omnibus discipulis id esse largitus? A-
„ men amen, inquit, dico vobis, quando
„ filius hominis sedebit in solio majesta-
„ tis suæ, sedebitis & vos super duode-
„ decim sedes. Quomodo ergo qui omni-
„ bus potuit dare, duobus non potuit? ...
„ Præterea, si vere dicit omnia sibi tra-
„ dita esse a Patre, & in omnibus gratia
„ etiam hæc continetur: non negat po-
„ testatem dandi cum dicit: non est meum
„ dare; sed dispensativa oratio est. „

Ad primam confirmationem distinguo: Christus offert Patri regnum suum, ut homo, & mediator de inferis triumphans, seu ut Ecclesiæ Caput, concedo: ut Deus, nego. Christus potest considerari dupliciter, nempe ut Deus formaliter; deinde ut Redemptor & Caput Ecclesiæ. Primo modo spectatus nihil offert, sed tantum secundo modo consideratus: enim vero caput morale non censetur perfectum, nisi cum membris unitum: porro in fine sæculorum omnia membra electa erunt subjecta Christo triumphatori, & tunc offeret regnum illud gloriosum, Ecclesiam scilicet sine ruga, Patri, ipse utique ut homo, ac Redemptor tamquam Patri subjectus sese Patri offeret in odorem suavitatis. Solutio est Hilarii in Psal. 149. his verbis: " Regnat itaque Domi-
„ nus non regni potestate cariturus, sed
„ nos, qui regnum ejus sumus, Deo Pa-
„ tri traditurus in regnum, Regni tradi-
„ tio, nostra provectio est, ut qui in re-
„ gno filii erimus, in regno quoque si-
„ mus & Patris. „

S. Athanasius Lib. de natura humana suscepta, sic interpretatur ista Apostoli verba in objectione laudata: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subditus erit ei: Quæ verba*, inquit, *hunc habent intellectum: cum omnes filio subjecti, ejusque membra reperti fuerimus, ac per eum geniti in filios Dei: vos enim estis*, inquit, *in Christo Jesu: tunc & ipse pro nobis subjicietur Patri, ut caput pro suis membris. Quamdiu enim non subjecti sunt omnes, ipse eorum caput, nondum subjectus Patri suo videtur, expectans sua propria membra.* Et sic patet solutio ad 2. confirmationem.

Non absimili modo S. Cyrillus Alexandrinus respondet ad objectionem, & de hoc momento mira dicit Lib. 10. Thes. cap. 8. pag. 131." Nonne, *ait*, in homini-
„ bus quoque filii Patribus subjiciuntur,
„ nec tamen minores ullo modo sunt,
„ quantum ad substantiæ naturæque ra-
„ tionem? Si ergo deberet ita fieri, ne-
„ mo negabit in nobis, neque idcirco ma-
„ jores esse aut minores natura diceteos
„ qui subjiciunt, aut qui subjiciuntur:
„ quare id in Deo quoque similiter sine
„ impietate fieri non putabimus: non enim
„ subjectio in ipso esse filii est, aut ipsum
„ esse filii in subjectione: Sed cum in
„ propria sit hypostasi, subjici Patri dici-
„ tur. Unde subjectio minorem filii natu-
„ ram Patre ostendere non potest... Sed
„ quid dicetis, si Pater quoque subjici fi-
„ lio reperietur? Subjicitur certe alteri
„ qui ei ministrat. Pater vero ministrat
„ filio, ut canit Psalmista: Sede a dextris
„ meis, donec ponam inimicos tuos, sca-
„ bellum pedum tuorum. Si ergo Pater
„ quamvis ministrat filio, minor tamen
„ ipso propterea non est: nec filius quia
„ Patri subjicitur, minor Patre putandus
„ est. Sed sensum verborum Apostoli mo-
„ do consideremus. Omnia Pater per fi-
„ lium operatur: idque subjectionis con-
„ ditio est, ut voluntatem Patris in om-
„ nibus filius habeat. Una enim voluntas
„ amborum est, unde cum dicat Pater:
„ faciamus hominem; homo a filio divi-
„ nitus formatur. Docet igitur Paulus,
„ in futuro quoque sæculo Patrem in no-
„ bis non aliter quam per filium habitare,
„ ideo scribit: quando subjecta filio erunt
„ omnia, tunc ipse quoque Patri subjicie-
„ tur qui sibi omnia subjecit. Et addit:

„ ut Deus sit omnia in omnibus.... Verba igitur singula diligenter, & totus contextus eorum considerandus est. „ Quando inquit subjecta ipsi erunt omnia, illo videlicet excepto qui filio subjicit omnia, tunc ipse quoque filius subjicietur ei, qui subjecit sibi omnia ut sit Deus omnia in omnibus. Hoc igitur significare voluit: Subjectus nunc quoque Christus Patri est, non tamen pro omnibus, sed pro solis credentibus in eum, pro quibus seipsum tamquam immaculatum agnum Patri obtulit, ut ab omni peccato liberatos Patri offerret. „ Quando igitur omni undique exterminato errore, universus terrarum orbis ad verum Deum conversus, Dominum Deum Jesum Christum confitebitur, salutariaque ipsius mandata sequetur: tunc, inquam, quia omnes ibi erunt subjecti, ipse quoque pro omnibus Patri subjicietur, & Pontifex omnium simpliciter factus omnibus per seipsum participationem Patris largietur. „ Tum subdit: " Hæc autem administratio atque subjectio non repellit eum a naturali dignitate filii. Nam quamvis natura filius & æqualis Patri, condescendens tamen etiam tunc ministrabit Patri, cognitionem deitatis nobis largiens, ut tantum cognoscamus, quantum recipere poterimus. „

Instant: Ille non habet proprietates divinas, nisi per participationem, & Patri subjectionem, qui per se, & ex natura sua non habet: Atqui Christus non habet per se, & ex jure avito Dei proprietates, sed tantum per dependentiam a Patre: Ergo &c. Probatur minor: si proprietates divinæ Christo competerent jure naturali simpliciter & absolute, utique semper de illo prædicarentur: Atqui hoc non est, juxta illud Marci 10. 19. *Nemo bonus nisi Deus*; inquit Christus homini, qui illum appelhabat bonum.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Et Christus loquitur ut homo, concedo: ut Deus, nego. Vir de quo sermo habetur, Christum agnoscebat ut magistrum bonum, sed nondum confitebatur Deum; ut igitur Christus illum quasi manu duceret ad suæ divinitatis agnitionem, dixit illi, *nemo bonus, nisi unus Deus*; ut juvenis intelligeret in Christo non solum agnoscendum esse hominem, verum etiam Deum. Ita Athanasius Libr. de natura humana Hilar. Lib. 9. de Trinitate. Basilius Libr. 4. contra Eunomium, Gregor. Nyss. Lib. 1. contra eumdem, Nazianzenus Orat. 36. tum & Ambrosius Lib. 2. de fide.

Urgent: Si Christus haberet proprietates divinas, maxime immensitatem: Atqui non habet. Ergo &c. Probatur minor: Si immensitate Christus gauderet, maxime quia 1. Cor. 10. 9. Apostolus dicit Christum extitisse tempore Israelitarum, ipsosque illum tentasse in deserto, juxta illa ejusdem Apostoli verba: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*: Atqui hoc intelligitur solum metaphorice; & probatur: Primo, quia omnia in figuris contingebant Judæis ex Apost. II. Epiphanius Hær. 42. dicit locum Apostoli fuisse a Marcione defloratum, & pro ly *Dominum*, posuisse *Christum*. III. Codex Alexandrinus antiquissimus pro Christo ponit, Deum: & sic etiam legit codex Lincolniensis in Polyglottis, ubi refertur: Ergo &c.

Respondeo negando minorem primi & secundi argumenti. Ad primam probationem distinguo: Omnia contingebant in figuris in v. Lege, quantum ad Incarnationem præludendam, concedo: quantum ad divinitatem, nego. Ex Patribus in primo articulo citatis, filius Dei apparebat Patriarchis, ut suam præluderet Incarnationem, idcirco ab Apostolo vocatur Christus: nempe figurative, & ut incarnandus: Sed in sensu reali & identico, nominatur filius Dei. Christus dicitur Deus secundum personam, unde verum est in hoc sensu Israelitas tentasse Christum in deserto.

Ad Epiphanium distinguo: Putavit errore deceptus Marcionem adulterasse Apostoli locum, concedo: secus, nego. Igitur quando Epiphanius facit Marcionem auctorem codicis nostri, errore detentus fuit, siquidem lectio talis codicis cum ceteris codicibus retinet *Christum*; ita etiam Syriaca lectio ipso Marcione antiquior: eodem modo legitur in variis Ecclesiarum codicibus Marcione vetustioribus.

Ad secundam confirmationem dico, ceteros

ros codices anteponendos esse Alexandrino: principium erroris illud est, quod Scriptor non capiens quo sensu Christus ab Israelitis tentatus fuisset, pro *ly Christum*, posuerit *Deum*.

Replicant: Qui est mutabilis non est Deus, nec habet proprietates divinas: Sed Christus est mutabilis, juxta illud Hebræor. 1. *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*. Ecce ex Apostolo Christus fit melior Angelis. Igitur transit a statu minus perfecto ad meliorem, quod sane Deo nusquam convenire potest.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo: Christus factus est melior Angelis ut homo; quatenus legem & meliorem & efficaciorem dedit ea quam Moysi dederunt, concedo: & ideo majori gloria donatus est, quippe qui nedum legem quæ erat umbra futurorum, sed & veritatem, & gratiam peccatorum remissivam contulerit, dicente Joanne 1. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Melior ut Deus factus est, nego. Quocirca Apostolus non dicit, filius factus est melior, sed Christus. Sic explicat Apostolum S. Cyrillus Alex. Lib. 8. Thes. pag. 102. cap. 2. his verbis: " Quum hæc ita se habeant, sic „ aperte Paulus dicere videtur: quando „ filius Dei propter nos factus est homo, „ quando immunditia peccatorum per ip„ sum purgata, sed & in dexteris magnitu„ dinis in excelsis: tum melior Angelis „ factus est, non quia naturam in aliud „ mutaverit, vel quia factus sit postea „ quod prius non erat. Non enim de na„ tura filii modo sermo habetur, sed de „ ea, quæ tempore Incarnationis facta fit. „ Ita non Angelorum naturam naturæ fi„ lii comparat, sed rerum & administra„ tionum comparatione inducta, melio„ rem administrationem filii fuisse affir„ mat. „ Igitur ex Cyrillo Apostolus intendit solum probare Hebræis legem Christi esse lege Mosaica longe meliorem.

Contra: Qui est solum Deus lato modo, non habet proprietates divinas sibi connaturales: Atqui Christus sic habet solum divinitatem; Ergo &c. Probatur minor: Philip. 2. 7. Christus dicitur in forma Dei esse, & exinanitus, juxta illud Apostol. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo*. Deus autem exinaniri nequit. II. Ibidem additur: *Propter quod & Deus exaltavit illum*; Deus autem non exaltatur, cum nihil sit supra ipsum. III. Apocal. 5. 12. legitur: *Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam*. Sapientia autem, fortitudo, atque honor sunt quædam perfectiones accidentales, maxime quando dicuntur accipi: Quid plura? Propheta Evangelista loquitur eodem modo de divinitate, & sapientia, & fortitudine: dicit Agnum recipere divinitatem, sicut sapientiam & honorem: Sed sapientia & fortitudo sunt virtutes accidentales & creatæ. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem distinguo: Christus erat in forma Dei naturali, concedo: in forma Dei tantum morali, nego. Prima forma non excludit divinitatem, sed tantum secunda. Quod autem Apostolus loquatur in primo sensu, patet ex verbis antecedentibus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Ceterum Christus exinanitus est ut homo, minime vero ut Deus.

Respondeo ad 2. distinguendo minorem: Christus ut homo exaltatus est, concedo: ut Deus & ratione personæ, nego. Ipse Apostolus cuncta secernit. Audias velim verba antecedentia: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens .. propter quod Deus exaltavit illum*. Quem quæso exaltavit, non certe personam Deo æqualem, sed servum quem accepit? *Propter quod*, inquit Apostolus, *& Deus exaltavit illum*. Audi subsequentia, & humiliatum adorari: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur*. Porro nemo non novit adorationem soli Deo deberi: Igitur Christus nedum homo, sed & Deus erat.

S. Cyrillus hanc præoccupat Eunomii objectionem Lib. 8. Thesau. cap. 1. pag. 99. & sic respondet: " Quomodo autem „ nomen quod est super omne nomen ac„ cepit, qui semper in eo ipso nomine „ adoratus est? Semper enim ut Deus a „ creaturis colitur. Audi Scripturam: „ Deus in nomine tuo salvum me fac: & „ ado-

„ adorent nomen tuum Domine magnum. Et ante solem permanet nomen ejus: & date gloriam nomini ejus. Et isti in equis, nos autem in nomine Domini nostri magnificabimur. Quomodo ergo accepit nomen quod semper habebat? Sed manifestum, videlicet est, quia Verbum in principio erat, & Deus erat Verbum, & erat semper in principio apud Deum. In extremis vero temporibus propter salutem nostram verus Deus factus homo verus, humiliavit seipsum, & ideo dicitur exaltari: non secundum Verbi naturam, sed secundum Incarnationis Mysterium. „

Subjicit ibidem, filium Dei incarnatum exaltatum fuisse, ut nos ipsos exaltaret: “ Non erat igitur opus, *inquit*, sicut Deo, sed sicut homini portas cœlorum aperire. Quare sicut non ut Deus, sed ut homo propter nos, & pro nobis cœlos ingreditur, ut nos per ipsum introducat, quamvis semper Altissimus ut Deus sit, tamen ut homo propter nos exaltatur, ut in ipso nos quoque exaltemur, & ita reformaret nos in seipsum: totamque naturam nostram ad Creatoris imaginem reformaret. „

Ad 3. distinguo utique: Dignus est Agnus recipere virtutem & divinitatem, quoad nos, id est, ut cognoscatur ejus divinitas, concedo: accipere rigorose, nego. Porro Christus erat Deus, sed ut talis non cognoscebatur ab omnibus; Incarnatio enim erat scandalum Judæis, Gentilibus vero stultitia: promeruit laboribus suis hanc gloriam accidentalem, quæ consistit, teste Ambrosio, in clara Dei cum laude notitia: essentialis quidem ea est ut Christus cognoscatur a Patre in æternitate tamquam filius naturalis & sibi coæqualis, accidentalis vero ut cognoscatur uti talis etiam ab omnibus hominibus. Quod autem ille sensus sit germanus, patet ex Apoc. 4. 11. postquam enim seniores adoraverunt in Throno viventem in sæcula sæculorum, mittebant coronas suas ante thronum Agni, dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, qua creasti omnia*. Certum est Patrem æternum non accipere virtutem a creaturis; hoc ergo intelligitur de confessione perfectionum filii Dei, tum quia ille qui dicitur dignus accipere divinitatem, ipse nominatur Deus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Attributa Dei Christo conveniunt.

PRIMO QUIDEM Apoc. 1. dicitur *Alpha*, hoc est omnis creaturæ principium, & qui est. II. Æternus Joan. 1. his verbis: *In principio erat Verbum*. III. Immensus Matth. 18. IV. Bonus Matth. 20. supremus Dominus Heb. 1. *Et cum introducit primogenitum*, ait Apostolus, *in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus &c.*

Secundo: Astipulantur Patres: In primis Irenæus Lib. 3. cap. 20. ubi docet filium Dei incarnatum ab æterno in sinu Patris præextitisse, & esse Deum omnibus perfectionibus affluentem. Tertullianus Lib. de Præscr. cap. 13. idem dicit.

Tertio: Hoc probat ipse Christus Joan. 10. ubi se dicit Deum, & suam probat Judæis divinitatem operibus omnipotentiæ, dicens v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Non deficit potentia divina Christo, tametsi dicat matri filiorum Zebedæi: *sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram non est meum dare vobis*; quia ibi loquitur ut homo, & juxta decretum quo ipse ut Deus cum Patre statuerat electis juxta eorum opera gloriam retribuere.

Secundo: Verum quidem est Christum ut Ecclesiæ Caput cum electis & sanctis membris unitum in consummatione sæculorum Deo subjectum fore, sed & in hoc loquitur ut homo, & ut mediator, qui Ecclesiam absque ruga, quando per gratiam consummatam triumphabit in electis, veluti suum regnum offeret Patri. Sic Scripturam interpretatur Cyrillus Lib. Thes. cap. 8.

Tertio: Neque vero Christus intelligi debet exaltandus ut Deus, sed solum ut homo, cum Apostolus Phil. 2. expresse dicat

dicat propter exinanitionem assumptam, a Patre fuisse exaltatum.

§. IV.

Quartum argumentum Divinitatis Christi, ex operationibus divinis quas ipse habet.

ILLE est Deus, cui competunt omnes operationes Deo propriæ: Atqui operationes Deo propriæ, Christo conveniunt: Igitur est Deus. Probatur minor ab enumeratione partium.

Prima Dei operatio est processio Dei activa ad intra, a Patre siquidem procedit filius, juxta illud Christi effatum Joann. 16. 28. *Exivi a Patre:* Atqui processio activa etiam Christo competit, nam Spiritus sanctus ab ipso procedit, juxta illud Joan. 16. 14. ubi Christus loquens de Spiritu sancto, ait: *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quibus verbis duo nos edocet Christus, nempe Spiritum sanctum ab ipso procedere, quia de illo accipit: alterum vero, ideo ab ipso procedere, & de illo accipere, quia quæcumque habet Pater, sua sunt.

Secunda Dei operatio est missio; Pater enim misit filium suum in mundum, ut legitur passim in Evangelio: Atqui mittere convenit utique Christo, juxta illud Joan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Et cap. 16. 8. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ex istis verbis duo resultant, nempe Spiritum sanctum procedere a Patre, & a Filio, seu, ut multi Patres vertunt, a Patre per filium, siquidem omnia, quæ Patris sunt, etiam sunt Filii: deinde Spiritum sanctum etiam a Christo mitti ad fideles, unde Joan. 5. 17. 18. habetur, filium facere quæ Pater facit. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo, ... Quæcumque enim ille fecerit: hæc & filius similiter facit.*

Tertia Dei operatio est creatio; sicenim habetur Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Atqui creatio competit Christo; scriptum est enim Coloss. 1. 16. *In ipso condita sunt universa in cælis, & terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Et 1. Cor. 8. *Unus Dominus J. C. per quem omnia.*

Quarta Dei operatio est rerum conservatio, juxta illud Act. 17. 28. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Atqui conservatio tribuitur etiam Christo, juxta illud Hebr. 13. *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* Ergo &c.

Quinta Dei operatio est dare vitam, & omnia vivificare, juxta illud Genes. 2. 7. *Factus est homo in animam viventem:* Atqui etiam Christus dat vitam creaturis, ut habetur Joan. 13. *Quod factum est in ipso vita erat.* Rursus Joann. 10. 10. *Veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant:* Ergo &c.

Sexta Dei operatio, est salvare homines, juxta illud Psalmi 27. *Deus noster, Deus salvos faciendi.* Et Isai. 45. 22. *Deus justus, & salvans non est præter me.* Atqui similiter competit Christo salvare homines, juxta illud Matth. 1. 31. *Vocabis*, inquit Angelus S. Josepho *nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et Philipp. 3. 20. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.*

Septima Dei operatio, est sanctificare animas; legitur enim Levit. 21. 9. *Ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico eos.* Atqui sanctificare animas pertinet utique ad Christum; ait enim Apostolus Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret.* Ergo &c.

Octava Dei operatio, est justificare peccatorem; sic enim scribit Paulus Rom. 8. 34. *Deus qui justificat.* Et ante ipsum Isaias cap. 43. 25. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Atqui etiam Christus delet peccata; scriptum est enim Joann. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Et adhuc Hebr. 1. 3. *Portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens.* Ergo &c.

Nona Dei operatio est suscitare mortuos, juxta illud Joan. 5. 21. *Pater suscitat mortuos,*

tuos, inquit Christus, *& vivificat*. Postea subdit: *Sic & filius, quos vult, vivificat*. Ergo &c.

Decima Dei operatio, est regere, & gubernare animas; scriptum est enim Psal. 22. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*: Atqui Christus etiam gubernat animas, juxta illud Joan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*. Ergo &c.

Undecima Dei operatio, est consolari animas tribulatorum, juxta illud 2. Cor. 1. *Benedictus Deus & Pater D. N. J. C. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Atqui supra modum etiam Christus consolatur tribulatos; ait enim Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Et iterum 2. Cor. 1. 5. *Per Christum abundat consolatio nostra*. Ergo &c.

Denique proprium est Dei operari mirabilia, juxta illud Baruch 3. 33. *Qui emittit lumen, & vadit: & vocat illud, & obedit illi in tremore; stella autem dederunt lumen in custodiis suis; & latata sunt: vocata sunt, & dixerunt: adsumus*. Atqui etiam Christo competit mirabilia operari, juxta illud Luc. 8. 25. *Quis putas hic est, quia & ventis, & mari imperat, & obediunt ei?*

Respondetur objectionibus Socinianorum obstrepentium.

OBJICIUNT: Prima inter Christi operationes quoad nos, est apparitio facta Patriarchis, quos allocutus est, ut dictum est supra: Atqui Angelus solum præfigurans Christum locutus est Patriarchis: legitur enim Gen. 31. 11. *Dixitque Angelus Dei ad me in somnis: Jacob; & ego respondi, adsum*. Tum cap. 32. 24. *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane*, scilicet cum Jacob: ergo non Christus, sed Angelus locutus est Patriarchis.

Respondeo distinguendo minorem: Magni consilii Angelus locutus est Patriarchis, quique filius Dei est, concedo: Angelus purus, nego. Nam ibidem capit. 31. 13. post verba subsequentia habetur: *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi*. Porro votum non nisi Deo fit. Rursus capit. 32. 30. post verba in objectione laudata legitur: *Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima*. Utrumque locum interpretatur Concilium Antiochenum I. his verbis pagin. 209. *Qui implens voluntatem paternam Patriarchis apparet, & cum eisdem loquitur in eisdem clausulis, & in eisdem capitibus, aliquando quidem tamquam Angelus, quandoque vero tamquam Dominus, quandoque autem Deus esse affirmatur. Deum enim universi impium est existimare vocari Angelum: filius vero Angelus Patris est, qui est ipse Dominus & Deus. Scriptum enim est, Angelus magni consilii, sicut & alias in Abraham: Et vocavit eum Angelus Domini de cœlo, & qua deinceps sequuntur: nunc enim cognovi quod times Deum . . . . . Et vocavit nomen loci, Dominus vidit. Et in Jacob dixit, inquit mihi Angelus Dei per somnium . . . . . . Ego sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei ubi unxisti mihi illic titulum, & vovisti mihi illic votum. Et post luctam eamque hominis prafigurati subjungitur: & appellavit Jacob nomen loci illius, facies Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.*

Reponunt: Salvatio tribuitur Christo, solum ut instrumento, aut ad summum ut causæ minus principali & ministeriali; Christus enim dicit passim in Evangelio se voluntatem Patris facere: Tum Patres primorum sæculorum vocant Christum etiam ut filium Dei, Patris Ministrum.

Respondeo negando antecedens propter tria. I. Quia Patres interpretantur loca, ubi Christus dicitur Creator, ad litteram, & secundum Patris æqualitatem. Ita Athanasius Serm. 3. contra Arianos. II. Quia in Scripturis eodem modo creatio tribuitur Filio incarnato, sicut Patri, & eodem modo exprimitur, nempe particulis *per*, *ex*, & *sicut*, quæ denotant omnimodam æqualitatem, juxta illud 1. Cor. 8. 6. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum*. Rursus Joan. 5. 19. *Quacumque enim ille fecerit, hac filius similiter facit*. III. Quia pura creatura non potest assumi, ut instrumentum creationis, siquidem sola causa infinita adeoque & prima potest educere e nihilo creaturam propter infinitam distantiam vincendam quæ est inter ens & non ens.

Instant: Christus dicitur Creator solum propter restaurationem, juxta illud Ephes. 1. 10. *Instaurare omnia in Christo, qua in cœlis, & qua in terra sunt*: igitur

non

non nisi improprie Christus dicendus est Creator.

Respondeo distinguendo : Et instauratio tribuitur Christo, non excludendo creationem veram, concedo : secus, nego. Joan. enim 1. 3. habetur: *Sine ipso factum est nihil*. Et ad Col. 1. 16. ait Apostolus Christum creasse visibilia & invisibilia, immo & ipsos Angelos.

Urgent : Joan. 20. 17. Christus dicit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum* : Igitur sicut nos ascendimus ad Deum, solummodo ut filii ejus adoptivi, ita & Christus.

Respondeo distinguendo: Christus ut homo ascendit ad Deum tamquam illi subjectus, concedo : in hoc est paritas : ut persona, subdistinguo : & hoc debet intelligi secundum distributionem accommodam, concedo : omnimodam, nego. Christus ibi loquitur ut homo, unde postea subdit: *Vado parare vobis locum*, videlicet gloriam, quam nobis sui sanguinis effusione promeruit. Unde nego consequentiam.

Instant : Christus Matth. 11. ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre*. Igitur ex se nihil habet, adeoque non idem cum Deo operatur, nec est Deus.

Respondeo distinguendo : Christus omnia accipit a Patre ut homo, concedo : ut Deus, subdistinguo : accipit per originem & absque dependentia, concedo : per dependentiam, nego. Christus duobus modis spectari potest, scilicet ut homo est, & ut Deus. Priori modo cuncta accipit per dependentiam, quippe qui fit factus in tempore. Posteriori modo etiam dicitur a Patre accipere, sed hoc per originem, ut revincantur Sabelliani negantes Filium a Patre personaliter distinctum esse. D. Cyrillus Alexandrinus sic solvit difficultatem Lib. 10. Thes. cap. 1. pag. 115. " Quid facietis o vos, quum audieritis ipsum dicere, omnia quæ habet Pater, mea sunt, & omnia mea Patris similiter? Nam si nihil habet filius a seipso, nihil etiam habebit Pater a seipso: Patris enim sunt omnia, quæ filii sunt. Quod si omnia Pater naturaliter habet, ea ipsa filius quoque naturaliter habet .... Nam dum filius a Patre nascitur, omnia naturaliter, ipsum etiam esse a Patre habet ; & ideo dicitur a Patre accipere. Non igitur quoniam non habet, accipere aliquid a Patre scribitur. Habet enim omnia naturaliter cum Verbum & splendor lucis paternæ sit, uno solo excepto, quod Pater non est. Accipere autem a Patre se dixit, ut futuras hæreticorum opiniones radicitus everteret. Nam ne quis omnia Patris in Filio perspiciens, propter incommutabilem similitudinem atque identitatem eumdum putet Patrem & Filium esse, quod Sabellio accidit, necessario a Patre se accipere ait, quæ ab eo naturaliter hebet. "

Persistunt : Qui aliquid ignorat, non habet operationem divinam, videlicet intellectionem quæ ad omnia sese extendit : Atqui videtur quod Christus aliquid ignoraverit; habetur enim Marc 13. 32. *De die autem illo* judicii, *vel hora nemo scit neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*.

Respondeo distinguendo: Christus ignorat diem judicii secundum formam servi, concedo : ignorat ut Deus, nego. Dicamus potius ignorare ut revelet, ut homines ex incertitudine illius diei vigilent : ceterum non loquitur rigorose. Solutio est S. Cyrilli Lib. 9. Thes. cap. 4. pag. 111. " Quomodo enim ignorare poterit ea quæ ipse fecit? Et certe si diligentius examinatis quæ ad discipulos dicit, facile inde perspicere poteritis ultimum quoque diem & horam ut Deum non ignorare. Omnia enim quæ diem ultimum præcedunt discipulis suis narrabat, dicens, hoc & hoc erit. Et tandem addit, quod consummatio & finis erit : finis autem sæculi quid aliud est, quam ultimus dies? Eam ignorare dispensando dixit ; ut homini quem assumpsit congruentia diceret. " Subdit pag. 113. " Quoniam auditores vigilare hortatur, quoniam nesciant quando ipse venturus est, patet ; quia ipse ut Deus scit, ignorat autem in quantum servi formam assumpsit. "

Contra : Qui de novo aliquas acquirit perfectiones, neque Deus esse videtur, neque eadem cum Deo operari : Atqui Christus dum erat viator novas acquirebat perfectiones. Et probatur: Luc. 2. 52. legitur: *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*: Ergo &c.

Re-

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Jesus proficiebat quoad nos, quatenus successive & paulatim suam prodebat sapientiam, concedo: quo ad se, & aliquid de novo acquirendo, nego. Solutio est S. Cyrilli, qui sic respondet ad difficultatem Lib. 10. Thes. cap. 7. pag. 128. & 129. " Quod si æqualis „ Deo est, ut Paulus affirmat, & tamen „ proficiebat, majorem jam Patre secun- „ dum vos dicere eum necesse erit: quod „ absurdissimum est. Quum igitur perfe- „ ctus sit & perfecti Patris filius, pro- „ pter incarnationem dictum esse istud ac- „ cipiatis .... Naturalis quædam Lex fa- „ cit, ut non subito nec in brevi tempo- „ re, sed paulatim secundum profectum „ corporis, in sapientia etiam, omnique „ virtute homo proficiat. Verbum igitur „ Dei quod factum caro describitur, „ quamvis sapientia & virtus perfecta Pa- „ tris sit, tamen quoniam se vere factum „ hominem oportebat ostendere, non præ- „ ter naturam hominum, sed secundum „ naturam paulatim crescente corpore, „ paulatim quoque sapientior videbatur, „ occultam igitur sapientiam suam pau- „ latim revelabat, legem naturæ nostræ „ sequutus. Quum igitur audis profecisse „ ipsum in sapientia & gratia, noli puta- „ re quicquam ipsi additum fuisse, qui „ nullius unquam rei egere potest. Sed „ quia videntibus atque audientibus eum, „ sapientiorem, gratioremque in dies se „ præbebat, idcirco scribitur profecis- „ se. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Conveniunt Christo operationes Dei.

CONVENIT illi, I. Processio activa; habetur enim Joan. 16. 14. Spiritum sanctum ab illo procedere. II. Creatio. Coll. 1. 16. III. Vitam dare creaturis, Joan. 1. Rursus cap. 10. 10. *Ut vitam habeant & abundantius habeant*. Et sic de ceteris.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Christus accipit quidem a Patre, sed ut homo: potest etiam dici quod accipiat, ut persona divina ratione originis, sed absque dependentia.

Secundo: Similiter Marci 13. dicit se ignorare diem judicii, sed intelligas velim, ut illum revelet; cum enim vir prudens non judicat congruum aliquod absconditum reserare, ait petentibus, illud nescire, hoc est, non esse aperiendum. Respondet B. Cyrillus Lib. 9. Thes. cap. Christum ignorasse diem judicii, ut hominem.

Tertio: Ibidem Lib. 10. cap. 7. scribit Christum crevisse in sapientia quoad nos, non quoad se. Hoc est paulatim suam aperuit hominibus doctrinam, pro ut tempus & occasio id postulabant.

§. V.

Quintum divinitatis Christi argumentum ex cultu divino qui illi tribuitur.

ILLE est Deus cui cultus divinus tribuitur & debetur: Atqui Scriptura, Patres & facta comprobant cultum divinum Christo deberi: Igitur de facto est Deus. Probatur minor.

Primo quidem, Joan. 5. 23. habetur: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*: Rursus cap. 25. *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua*. Scriptura dicit eodem modo Filium esse honorandum ac Patrem divinum: & ratio affertur in Scripturis, quia est æqualis Patri tum in gloria, tum in majestate: Ergo etc.

Secundo: Patres hanc confirmant Scripturarum sententiam. Athanasius quidem Lib. de communi essentia Patris, & Filii, et Spiritus sancti, sic loquitur: " Non „ permisit Christus dividere honorem sibi „ debitum ab honore qui debetur Patri. „ Augustinus Serm. 2. de Epiph. eidem veritati patrocinatur: " Isti, *scilicet Magi*, „ in membris Patris Deum adoraverunt. „ Item & S. Leo Magnus Serm. 2. de Epiphania: " Agnoscamus, ergo, *inquit*, „ dilectissimi in Magis adoratoribus Chri- „ sti, vocationis nostræ, fideique primi- „ tias ... & sicut illi de thesauris suis „ mysticas Domino munerum species ob- „ tulerunt, ita & nos de cordibus no- „ stris, quæ Deo sunt digna promamus. „

Tertio: Multa exhibet Scriptura exempla, et facta pro Christi adoratione. Primo qui-

quidem Matt. 2. 11. de Magis habetur: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum*. Item apud Joan. habetur 9. 38. de Cæco illuminato a Christo: *Et procidens adoravit eum*. Rursus ad Philip. 2. *Ut in nomine Jesu, omne genu flectatur*: Ergo &c.

Quarto: Ille cultu divino donandus est, in quem debemus & credere, & sperare, & quem ex toto corde, sicut Dominum, debemus diligere: Atqui debemus in Christum & credere, & sperare, illumque tamquam Dominum ex totis præcordiis amare. Ergo &c. Major patet: Virtutes enim Theologales Deum solum habent pro objecto. Probatur igitur minor. Primo quidem, debemus in Christum credere, juxta illud Joan. 14. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*. Et illud Hebr. 12. 2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum*. Secundo, debemus sperare in eumdem: scriptum est enim 1. ad Tim. 1. 1. *Paulus Apostolus Jesu Christi, secundum imperium Salvatoris nostri, & J. C. spei nostræ*. Denique Jesum Christum ex tota fortitudine diligere debemus, juxta illud 1. Corinth. 16. 23. *Si quis non amat Dominum nostrum J. C. sit anathema*. Ergo &c.

Confirmatur: Exhibemus cultum divinum, I. cum Deum invocamus: II. cum illi obedimus spe vitæ æternæ: III. cum illum ut vindicem peccati timemus: IV. cum in illo gloriamur: V. cum gratias illi agimus tamquam bonorum omnium auctor: VI. cum per ejus nomen juramus: VII. cum illi tamquam Domino famulamur: VIII. cum ejus nomine & auctoritate Sacramentis initiamur: Atqui hæc omnia utique Christo debentur: Ergo &c. Probatur minor quoad singula.

I. *Invocare* debemus Deum, juxta illud Joel. 2. 32. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Atque idem dicitur de Christo, Rom. 10. 9. *Si confitearis*, inquit Apostolus, *in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*: Et in probationem affert ista verba. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*: quasi diceret, invocandus est Christus, quia est Dominus.

II. *De* obedientia Deo debita multus est sermo apud Prophetas, sed Matth. 7. 24. Christus pro obedientia erga seipsum, ait: *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram*.

III. *Pro* timore Dei dicitur Psal. 33. 9. *Timete Dominum omnes sancti ejus* Sed 1. Cor. 10. 9. utique edocemur de timore Christi, his verbis: *Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*.

IV. *Debemus* in Deo gloriari, juxta illud Apost. 2. Cor. 10. 18. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur*: Sed ad Gal. 6. 14. commendat Apostolus nobis in Christo gloriari: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*: Et ad Philipp. 3. 3. *Gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fiduciam habentes*: Ergo &c.

V. *Pro* gratiarum actione Deo exhibenda in omnibus fere paginis exhibetur præceptum; hinc Angeli, Luc. 2. 14. canunt, *Gloria in altissimis Deo*: Hinc utique gratias agere debemus Christo: Atqui leprosi ingrati redarguuntur in Evangelio quod inter eos unus solum gratias egerit Christo. Tum 1. ad Tim. 1. 12. *Gratias ago ei*, inquit Apostolus, *qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro*. Et Apoc. 11. 17. *Gratias agimus tibi Domine, Deus omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es*. Ibi Joan. loquitur de Christo.

VI. *Pro* juramento habetur Psalmo 62. 12. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*, (intellige in Deo.) Sed etiam juramentum per nomen Christi commendatur in Scriptura, juxta illud Rom. 9. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior*: Ergo &c.

VII. *Debemus* Deo servire; scriptum est enim Psal. 2. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*: Atqui utique Christo debemus servire; sic enim scribit Apostolus ad Col. 3. 24. *Domino Christo servite*.

VIII. *Denique* initiamur Sacramentis nomine & auctoritate SS. Trinitatis, juxta illud Matth. 28. 20. *Baptizantes eos, in nomine Patris, &c.* Atqui utique initiamur Sacramentis in nomine Christi, juxta illud Act. 38. *Petrus verò ad illos: pœnitentiam agite*, inquit, *& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*.

Respondent Sociniani, Christo quidem de-

deberi & cultum & honorem, immo & adorationem, quia conceptus est operatione Spiritus sancti, propter quod Deus exaltavit illum, & omnibus gratiæ honoribus donari voluit, sed ex hoc non inde sequi Christum esse Deum.

Respondeo gratis hæc dici, & absque fundamento, quandoquidem adoratio & cultus soli Deo per exclusionem alterius debentur, juxta illud Isa. 48. 12. *Gloriam meam alteri non dabo*. Hinc Christus Matth. 4. 10. repulit Satan, qui adorationem exigere audebat; sic enim habetur: *Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Hinc Petrus, ut legitur Act. 10. 25. prohibuit ne Cornelius eum adoraret, quod & Angelus in Apocalypsi fecit. Solutio est Athanasii, qui Serm. 3. contra Arianos explicans illud Matth. 4. 11. *Et Angeli accesserunt & ministrabant ei*, ait: " Serviebant ei „ Angeli, ut diverso alienoque ab illis na„ tura, & adoratur ab illis, non ut glo„ ria tantum major, sed ut alius, discre„ tus, & sejunctus a conditione tum reli„ quarum creaturarum, tum etiam ipso„ rum Angelorum, Patri tantummodo æ„ qualis secundum rationem substantiæ. „ Si enim, quia gloria sublimior, adora„ tur, par erat, ut omnia inferiora supe„ rioribus se in adorationibus inclinarent, „ at non ita est. Petrus enim Cornelium „ adorare se volentem inhibuit, dicens: „ quia & ego homo sum; Angelus quo„ que, ad Joannem: Vide ne feceris, „ conservus enim tuus sum: At Christus di„ scipulos adorare se permittit, & quis„ nam sit, eos instruit: Vos vocatis me, „ Magister, & Domine, & bene dicitis, „ sum etenim: Thomam item sic allo„ quentem eum: Dominus meus, & „ Deus meus, his verbis uti concedit, „ nihilque impedimenti ei opponit. „

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Cultus divinus Christo tributus.

Primo: Hebræorum 1. habetur Filium Dei incarnatum ab Angelis coli: Sic propugnant Patres, scilicet Athanasius Lib. de communi essentia. Augustinus Serm. 2. de Epiphania, &c. Secundo, Matth. 2. Magi adorant Christum: Porro adorationis cultus soli Deo debetur 3. Phil. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*.

Secundo: Incassum replicant Sociniani, Christum his celebrari honoribus, eo quod operatione Spiritus sancti in utero sanctissimæ Virginis conceptus & formatus sit, sed non inde sequi esse Deum, cum multi Prophetæ, & Sancti non absimilia eis quæ fecit, operati sint, ut Moyses qui magnalia patravit in Ægypto, propter quod Pharaonis Deus nuncupatus est; namque nullus homo adoratus est, ne quidem Angelus in Apocalypsi permisit, Joannem ipsi talem honorem exhibere. Hac ratione S. Athanasius Serm. 3. contra Arianos probat Verbum esse Patri consubstantiale, nos vero Socinianis eodem innixi fundamento ostendimus Christum esse Deum.

§. VI.

Sextum Christi divinitatis argumentum ex confessione Apostolorum, Discipulorum, & Martyrum.

Ille est Deus, quem ita confessi sunt Martyres usque ad sanguinis effusionem: Atqui Martyres confessi sunt Christi divinitatem, & pro hac veritate sanguinem effuderunt: Ergo &c. Probatur minor.

Primo Sæculo occurrit S. Stephanus, qui Act. 7. fortiter coram Legis Doctoribus Christi defendit divinitatem, probans per omnia Prophetarum oracula esse Deum Redemptorem, propter quod cum lapidibus impeteretur, exclamavit, dicens: *Ecce video cœlos apertos, & Filium Dei stantem a dextris virtutis Dei*.

Eodem Sæculo Zacharias Episcopus Viennensis in Gallia Martyr, pro Christi divinitate occubuit. Enim vero cum doceret populos, qui ad se veniebant, ut baptizarentur, dicebat illis, Credite in Jesum Filium Dei D. N. quia ipse est Creator & Salvator omnium hominum. Cumque in Templo quoddam Paganorum evertisset simulacrum Martis, dixit ei Præ-

Præses: Quis tibi hanc dedit potestatem? Respondit sanctus Martyr: Jesus Christus, Filius Dei, qui sæculum renovavit perditum. Ita refert Bolandus die 27. Maji.

Secundo Sæculo venit insignis Ignatius, qui pro Christi divinitatis confessione dilaceratus est in amphitheatro a leonibus ann. 107. In sua ad Romanos epistola sic scribit: " Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, ut Jesum Christum inveniam: Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantum ut Christo fruar. Eodem anno pro eadem causa Justinus Philosophus Martyr occubuit. Ita refertur in Act. edit. Parif.

Tertio Sæculo multi Hebræi ad fidem conversi per miracula SS. Alphii, Philadelphi, & Cyrini Martyrum Leontinorum in Sicilia, adducti ante Tertullum Judicem, & Præsidem Siciliæ, atque rogati cur patrias leges deseruissent, responderunt: decepere nos Doctores nostri, sed ope Dei & miraculis SS. Christianam Religionem veram esse cognoscentes, in Jesum Christum credimus, & confitemur verum esse Deum, pro eo mortem subire cupimus: tum lapidibus obruti sunt sub Decio Imp. Ita Bolandus die 9. Aprilis.

Eodem Sæculo passa est Corinthi pro defensione divinitatis Christi sancta Helicon in fornacem injecta, quæ hanc orationem in medio flammarum protulit: *Domine, Jesu Christe, qui in Babylonicam quondam fornacem descendisti, & trium puerorum flammas quasi quodam rore temperasti; Tu, Domine, idem ipse es, &c.* Bolandus die 28. Maji.

Ex quarto Sæculo S. Theodulus pro Christi fide in civitate Thessalonica comprehensus est: Interrogatus a Præside cujus amore mortem contemneret? Respondit, pro Deo ejusque Filio incarnato, cujus divinitatem ad effusionem usque sanguinis defendere volo. Bolandus die 4. Aprilis. Eodem sæculo Pancratius Nicomediæ, Maximiano & Diocletiano Imperatoribus, blanditiis primum superatus fidem ejuravit; sed matre & sorore hortantibus, ad meliorem reversus frugem, pro Christo mortuus est. Bolandus die 19. Maji.

Ex his & similibus factis sequitur istud argumentum. Nulla major veritas ea quæ sanguinis effusione consignatur: Atqui pro Christi divinitate defendenda infiniti prope Martyres sanguinem suum effundi passi sunt: Ergo &c.

Replicant Sociniani, alias sectas suos quoque habere Martyres, ut legitur de Donatistis, & Calvinistis.

Respondeo distinguendo: Commentitios aliæ sectæ habent Martyres, concedo: veros, nego. Non præcise sanguis effusio Martyrem facit, sed motivum, videlicet propter fidem, & Ecclesiæ obediendo; quæ duæ conditiones deficiunt in Martyribus aliarum sectarum; hinc non Christi fides & charitas, sed superbia & ostentatio in prælio eis dedit vires, juxta illud Concilii Arausicani II. can. 17. effatum. *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, Christianorum divina facit charitas.*

Epilogus probationum.

Ille profecto censendus est Deus, quem multi uti talem etiam adversantibus Judæis confessi sunt, & adoraverunt: Atqui permulti Christum in terra adhucsuperstitem & Deum confessi sunt, & uti talem adoraverunt: Ergo &c. Probat diserte minorem Clemens XI. in homilia quam ad populum habuit in festo SS. Apostolorum Petri & Pauli inter Missarum solemnia ann. 1717. & hoc exemplo Nathanael, Centurionis, Marthæ, sed maxime B. Petri, qui omnes Christum ut Deum & agnoverunt & confessi sunt: Petrus quidem nomine omnium Apostolorum loquens. Sic igitur intonat summus ille Pontifex.

HOMILIA,

Summi D. N. Clementis XI. Pontificis Maximi.

De confessione divinitatis Christi.

" Magnum adeo, ac mirabile potentiæ suæ consortium Principi Apostolorum contulit divina dignatio, cum primum ille interroganti Domino discipulos suos, quem ipsi eum esse dicerent, fidei confessione respondit: *Tu*

" *Chri-*

,, *Christus Filius Dei vivi*: ut satis mirari ,, non possimus soli Petro pro ejusmodi ,, justissima ac prorsus debita, immo & ,, ab aliis edita confessione, amplissimum ,, illud, ac singulare præmium, quod ,, nobis Evangelica lectio reseravit, tri- ,, butum fuisse. Nonne enim etiam Na- ,, thanael vere Israelita, & in quo dolus ,, non erat, prius quam ipsemet Petrus, ,, vel alius quisquam Christum Dei Filium ,, pronuntiasset, palam & aperte ei di- ,, xerat: *Rabbi, tu es Filius Dei*? Nonne ,, pariter cum ascendisset Jesus in navi- ,, culam, omnes, qui in illa erant, ,, adoraverunt eum, dicentes: *Vere Fi-* ,, *lius Dei es*? Nonne & Martha dicenti ,, Domino ad eam: *Omnis qui vivit, &* ,, *credit in me, non morietur in æternum*, ,, confestim respondit: *Utique, Domine,* ,, *ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei* ,, *vivi, qui in hunc mundum venisti*? ,, Nonne demum etiam Centurio, ubi ,, vidit Christum in cruce expirantem, ,, libera voce clamavit: *Vere Filius Dei* ,, *erat iste*? Quare igitur Nathanael, ta- ,, metsi primus omnium Christi divinita- ,, tem promulgasset, adeoque, ut Augu- ,, stinus advertit, primus similiter inter ,, Apostolos recensendus videatur, non so- ,, lum primus non fuit, sed nec medius, ,, nec postremus duodenario illorum nu- ,, mero adscriptus invenitur? Quare iti- ,, dem, qui in navicula erant, licet Chri- ,, stum adoraverint, illumque Dei Filium ,, confessi fuerint, Beati a Domino mini- ,, me dicti sunt: Quare demum nec Mar- ,, thæ fides laudari meruit, nec Centurio- ,, nis confessio celebrari? Solusque Petrus ,, Christum Dei Filium enuntians æternæ ,, veritatis testimonio beatus prædicatur, ,, felix ædificandæ Ecclesiæ fundamentum ,, in novi nominis nuncupatione consti- ,, tuitur, cælestis regni claviger declara- ,, tur, ligandorumque, ac solvendorum ,, arbiter, mansura etiam in cœlis judi- ,, ciorum suorum definitione, præficitur? ,, Scrutemur, venerabiles fratres, dilecti ,, filii, scrutemur sigillatim rationes, ,, ut mysterium agnoscamus. Dixit Chri- ,, stum Nathanael Dei Filium: at simul ,, etiam dixit Regem Israel: *Rabbi, Tu* ,, *es Filius Dei: Tu es Rex Israel*. Huma- ,, num aliquid sapere poterat fides illa, ,, quæ Dei Filium agnoscebat eum, quem ,, Regem credebat. Agnovit Martha Chri- ,, sti divinitatem; sed tunc agnovit, cum ,, ab eo Lazarum fratrem suum ad vitam ,, revocandum postulabat. Adoraverunt ,, Christum qui in navicula erant, eum- ,, que confessi sunt Filium Dei; sed hanc ,, ab eis confessionem naufragii timor ex- ,, torsit. Hoc ipsum confessus est Centu- ,, rio; sed, ut in Evangelio legimus: *Viso* ,, *terræ motu*. Solus Petrus terrena sper- ,, nens, cælestia respiciens, nulla caducæ ,, felicitatis cupidine illectus, nulla cu- ,, jusvis discriminis formidine territus, sub- ,, limi illa confessione, quam nec caro, ,, nec sanguis eis revelavit, sed divinus ,, Pater, qui in cœlis est, Apostolico cor- ,, di inspiravit, diversa opinantibus aliis, ,, Christum Dei vivi Filium promulgavit, ,, & credidit. Mirari itaque desinamus, ,, si solus itidem Petrus insigne illud, ac ,, præclarum suæ confessionis præmium ,, meruit, quod illi Dominus largitus ,, fuit, cum dicit: *Beatus es Simon Bar-* ,, *jona, quia caro & sanguinis non revelavit* ,, *tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego* ,, *dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc* ,, *petram ædificabo Ecclesiam meam: Et porta* ,, *inferi non prævalebunt adversus eam. Et ti-* ,, *bi dabo claves regni cœlorum. Et quod-* ,, *cumque ligaveris super terram, erit ligatum* ,, *& in cœlis; & quodcumque solveris super* ,, *terram, erit solutum & in cœlis*. ,,

§. VII.

Septimum Christi divinitatis argumentum ex concordia veteris Legis cum Nova de ejus divinitate eruitur.

Ille est verus Deus, cui testimonium perhibent lex vetus & nova: Atqui res sic se habet: Ergo &c. Probatur minor: Dictum est supra, Scripturas veteris Testamenti concordare cum Scripturis novi, circa Christi divinitatem, ceterasque tum vitæ, tum mortis, tum etiam gloriæ circumstantias: Igitur testimonium perhibent ejus divinitati. Probatur consequentia: Si Christus non est Deus, I. nulla est consensio inter vetus & novum Testamentum: II. nulla veritas in utroque: III. immo nec religionis sanctitas: Atqui hoc est absurdum, immo impium dicere: Ergo &c. Probatur major quoad tres partes.

Primo

Primo quidem : Si Christus non est Deus, nulla est concordia, inter vetus & novum Testamentum; siquidem Apostoli male interpretati sunt Prophetas, probando ipsorum testimonio Christi divinitatem. Figuræ veteris Testamenti, quæ Deum prænuntiant incarnandum, ut apparitiones factæ Patriarchis, serpens elevatus in deserto, Agnus Paschalis, alium præter Christum præfigurabant: Enim vero apparitiones denotabant Deum incarnandum, Deum & dicebat Agnus qui populum a peccatis solvere debebat. Item sacrificia V. L. prænuntiabant Messiam, qui sanguinis sui effusione salvaret populum; nam ad Deum dumtaxat pertinet salvare hominem, & a servitute diaboli, & a massa perditionis peccati: Sed omnia falsa in hypothesi: Enim vero si Christus non est Deus, ipse fuit servus peccati, & quod absit dicere, prævaricator in Adam: jam ipsius gratia in plures non abundavit. Hinc Sociniani novam addunt blasphemiam, dicendo satisfactionem Christi esse inutilem, jam Sacramenta ejusdem legis sunt vacua & in se, & a parte post, quia vim non habent justificandi per fidem in Christum: quia eo ipso, quo Christus non est Deus, justificare homines haud valet; Igitur si Christus non est Deus, nulla est inter utrumque Testamentum relatio.

Secundo : Nec ulla veritas in utraque lege, si Christus non est Deus, nulla in apparitionibus Patriarcharum, quibus Christus apparet ut Deus, nulla in ore Prophetarum qui illum annuntiant ut Deum, atque Emmanuel; nulla in sententia Apostolorum, qui illum celebrant & nominibus & proprietatibus, & operationibus divinis: Et vero neque omnipotens est, neque immensus, neque æternus: Ergo &c.

Tertio : Si Christus non est Deus, nulla demum est sanctitas in utraque lege, siquidem Prophetæ annuntiaverunt falsa, Christum prænuntiando Deum, & seduxerunt populos: Pari modo Christus ipse, quod est dictu horrendum, & tamen quod sequitur ad sententiam Sociniani, ipse seduxit turbas, se dicendo Deum; immo & in hoc blasphemavit, de qua tamen injuria ipse se vindicat & purgat Joan. 10. ex his alia terribilis sequitur consequentia, nempe Judæos juste Christum accusasse ut seductorem, & obsequium Deo præstitisse, cum eum de medio sustulisse voluerunt. Denique rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, quippe qui non esset Deus. Et sequitur Apostolos in eamdem impegisse blasphemiam, item & Martyres, & Confessores, omnes, quia hominem purum, ut effutiunt Sociniani, Deum conclamarunt, immo & pro ejus divinitatis defensione sanguinem permulti effuderunt. Sequitur etiam Paulum & Barnabam grande commisisse peccatum, quum ut deos se haberi renuentes, solum Christum Deum prædicarunt.

Synopsis contentorum in paragrapho.

CHRISTI divinitatem mirum in modum annuntiant utriusque legis consbciatio, sin minus utraque abjicienda & flocci facienda: Et vero, si Christus non est Deus, falsæ sunt apparitiones Verbi incarnandi factæ Patriarchis: falsæ figuræ, in primis ea quæ est Agni Paschalis, qui sua immolatione & sanguinis aspersione, Israelitarum domos ab Angelo exterminatore in Ægypto liberans, præludebat Christum ut Redemptorem, qui genus humanum a morte æterna eriperet. Vacua demum Sacramentorum efficacia, quippe quæ peccatorem justificandi vim non habeant, si Christus non est Deus, cum ad solum Deum spectet impium justificare.

§. VIII.

Octavum divinitatis Christi argumentum ex miraculis pro hoc momento patratis.

ILLE est Deus, quem continua miraculorum traditio prædicat esse talem: Atqui traditio perpetua miraculorum probat Christi divinitatem: Ergo &c. Probatur minor discurrendo per sæcula usque ad septimum.

Ex primo sæculo Act. 3. habetur de Petro & Joan. quod ascendentes in Templum oraturi claudum ad portam speciosam stantem erexerint: de Paulo Act. 28. 8. quod per solam manuum impositionem patrem Publii a febribus & dysenteria vexatum

tum sanaverit: Act. 5. de ceteris Apostolis: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*. In primis de Petro Act. 5. 15. & 16. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum numerus, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*.

Ex secundo Saeculo, adducitur sancta Thecla B. Pauli in fide discipula, cujus Acta martyrii, sunt ferme tot miracula. Injecta in rogum ardentem, pluvia è cœlo protinus delapsa, ignis extinctus est, & inde evasit incolumis. Objecta leoni, fera crudelis, stupentibus Paganis, vix eam nisi blandiendo ausa est accedere. In foveam serpentibus & malis bestiis plenam, igne e cœlo relapso consumpte sunt, ipsa vero intacta & salva remansit. Vel etiam taurus tametsi repetitis aculeis exacerbatus, ipsa præsente, mansuescere visus est; ac tandem absoluto pro Christo agone ejus divinitatis testis obiit.

Ex eodem Sæculo anno scilicet 110. sanctus Ignatius Martyr Romæ occubuit pro Christi divinitatis desensione. Refertur sancti Martyris corpus, post mortem apparuisse aureis characteribus nomine adorabilis Jesus subsignatum. Tum immediate post ejusdem Martyris mortem, ut scribit Metaphrastes, terra concussa Antiochiæ contremuit, & in vindictam mortis B. Episcopi multos absorbuit Paganos. Ipse Trajanus vix e periculo imminenti liberatus, ita perterritus fuit, ut finem imposuerit persecutioni.

Ex tertio Sæculo ann. circiter quinquagesimo, ante natam Arii hæresim apparuit BB. Virgo, & cum ea S. Joannes Evangelista B. Gregorio Taumaturgo, qui imperante Maria, de manu sancti Joannis accepit fidei confessionem, in qua Verbum incarnatum verus Deus appellabatur. De hac apparitione mentionem facit Gregorius Nyssenus in Orat. de præclaris factis Taumaturgi.

Ex quarto Sæculo, perfidus Arius divinitatis Christi impugnator, dum triumphans Constantinopolim brevi intraturus est, subita ventris solutione occupatus, omnia in vindictam sceleris veluti alter Judas, effudit viscera; ita refert Athanas. Orat. 1. adversus Arianos, Rufinus & alii permulti.

Eodem Sæculo B. Hilarius actus in exilium, propter defensionem divinitatis Verbi incarnati, mortuum ad vitam revocavit, ut scribit Fortunatus in ejus vita. Item S. Martinus pro eadem causa ab Arianis lacessitus, pluribus corruscavit miraculis, quæ fuse describit Severus Sulpicius.

Ex quinto Sæculo S. Basilius ad solvendam controversiam de quadam Ecclesia, quam Ariani divinitatis Christi hostes suam sibi vindicare volebant, proposuit, ut ista Ecclesia firmissimis repagulis clauderetur, & ad eos pertineret, quorum oratione sine alia vi & manu aperiretur. Conditione accepta, clamaverunt Ariani, sed tamquam Prophetæ Baal, minime exauditi sunt: at vero Basilio cum catholicis orante, ultro ex impetu eis aperta est, ut refert Amphilochius in vita sancti Basilii.

Ex sexto Sæculo, scribit Victor Uticensis Lib. 1. de persecutione Vandalica, Martyres ab Arianis, usque ad ossium denudationem flagellatos sequenti die sanos & incolumes apparuisse. Gregorius Turonicus Lib. 2. Historiæ Francorum 3. multa alia refert miracula in Africa patrata, ad confirmandam adversantibus Arianis Verbi incarnati divinitatem. Mitto alia prope infinita miracula tum a Martyribus, tum a Confessoribus Christicolis, facta in nomine Christi. Igitur Christus verus Deus, siquidem solus omnipotens, inquit D. Thomas, potest immutare creaturas quoad substantiam, puta suscitando mortuos, &c.

Synopsis contentorum in paragrapho.

CHRISTUS ipse suam infinitis prope miraculis probavit Judæis divinitatem: Apostoli tot & tanta pro eadem causa patrarunt, ut vel sola Petri umbra, tot sanaret quot adumbrabat ægrotos. Martyres innumeri fuere, quinimmo singuli sunt veluti pro eodem momento comprobando prodigia & signa.

§. IX. No-

§. IX.

Nonum Christi divinitatis Christi argumentum, ex Mysteriis Incarnationis desumitur.

ILLE est Deus, quem talem annuntiant mysteria sua in terris adimpleta: Atqui mysteria Incarnationis in terris adimpleta denotant Christi divinitatem: Igitur est verus Deus agnoscendus. Probatur minor ab enumeratione mysteriorum.

Primum est Conceptio Christi, de qua Luc. 1. 35. habetur: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quæ quidem sententia, tam urget Socinum, ut propter hanc mirabilem operatione Spiritus sancti conceptionem, Christum nomine & dignitate Dei, immo & speciali prærogativa honoribus divinitatis donari velit. Sed non solum nomine & dignitate, verum etiam & veritate Christus est Deus. Ita Scripturam interpretatur S. Leo Serm. 2. de Nativit. Domini, his verbis: " Deus omnipotens „ & clemens, cujus natura bonitas.... „ Prædestinata renovandis mortalibus suę „ pietatis remedia, inter ipsa mundi pri„ mordia præsignavit, denuncians serpen„ ti futurum semen mulieris, quod no„ xii capitis elationem sua virtute con„ tereret, Christum scilicet in carne „ venturum Deum hominemque signans, „ qui natus ex Virgine, violatorem hu„ manæ propaginis incorrupta nativitate „ damnaret. „

Secundum, occurit Nativitas, de qua Joannes cap. 1. sic loquitur: *Deus erat Verbum.... Verbum caro factum est.* Et iterum S. Luc. 2. 2. *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Ille est, de quo Isaias loquitur cap. 7. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Concinit, idem S. Leo Serm. 1. de Nativit. Domini: " Dei namque, *inquit*, Filius secun„ dum plenitudinem temporis, quam di„ vini consilii inscrutabilis altitudo dispo„ suit, reconciliandam auctori suo na„ turam generis assumpsit humani, ut „ inventor mortis Diabolus per ipsam, „ quam vicerat, vinceretur. „ Ergo &c.

Circumcisio sequitur ad Nativitatem. De ea loquens S. Luc. 2. 21. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus, Jesus*; id est, Unctus unctione substantiali & hypostatica divinitatis. Ita hunc exhibet sensum S. Paulus Hebr. 1. his verbis, *Ad filium autem: thronus tuus Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio, Domine, terram fundasti.* Ungitur præ participibus suis Christus, id est, præ ceteris justis, nempe unctione substantiali, unctione divinitatis; unde Apostolus ut divinitatem Christi proclamet, tribuit illi creationis opus: *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.*

Adoratio Magorum venit post Circumcisionis mysterium; sic enim legitur Matth. 2. 11. de Magis: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Porro adoratio soli Deo competit, Magi autem adoraverunt Christum ut Deum, juxta illud Gregor. Homil. 10. in Evangelia: " Eum ergo Magi, quem „ adorant, etiam mysticis muneribus „ prædicant: auro Regem, thure Deum, „ myrrha mortalem. „ Ergo &c.

Quinto loco est Præsentatio Christi in templo, quæ utique suam annunciat divinitatem; sic legitur Luc. 2. 28. *Accepit eum Simeon in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.... Lumen ad revelationem Gentium.* Illud autem lumen idem est, de quo loquitur, Isaias cap. 60. 1. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Quomodo autem *gloria Domini?* nisi quia ipse puer erat lux mundi, juxta ipsius Christi effatum: *Ego sum lux mundi.* Eidem veritati suffragatur Augustinus Serm. 13. de tempore, ubi sic exclamat: " O omnipotentia nascentis! o magnificen„ tia de cœlo, ad terram descendentis.... „ In templo præsentabatur, & a Simeo„ ne sene famoso, annoso, probato, „ coro-

„ coronato agnoscebatur. Tunc cognovit, „ tunc adoravit. „ Igitur Christus annunciatur ut Deus in sua Præsentatione.

Mysterium adolescentiæ Christi succedit, in quo sapientia divina eluxit, quum vel ipsos doctores in templo erudiebat; scriptum est enim Luc. 2. 42. *Cum factus esset annorum duodecim .... remansit puer Jesus in Jerusalem ... Factum est, post triduum invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos: stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus, & videntes admirati sunt.* Tum Maria suaviter & præ summo erga Christum amore conquerens de ejus absentia, respondit ei Jesus: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* significans Patrem habere Deum. Demiratio etiam Doctorum Christum esse Deum denotat: siquidem nemo sine studio tot & tam mirabilia propalare poterat, nisi fuisset Deus ille, de quo Apostolus loquens, ait, Col. 2. 3. *In quo sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

S. Ambrosius Lib. 2. in cap. 2. Luc. pag. 10. 44. explicans ista Christi ad Mariam verba: *Quid est quod me quærebatis*; ait: " Duæ sunt in Christo generationes, „ una est paterna, materna altera. Paterna illa divinior, materna vero quæ „ in nostrum laborem usumque descendit. „ Et ideo quæ supra naturam, supra „ ætatem, supra consuetudinem fiunt, „ non humanis assignanda virtutibus, „ sed divinis referenda sunt potestatibus. „

Passio Christi, etiam pro ejus divinitate loquitur. Matth. 26. 60. interrogatus a Judice an foret Deus? respondit: *Tu dixisti*; propter quod Caiphas scidit vestimenta sua, dicens Christum blasphemasse, eo quod se dixisset Deum, qua de causa mortis reum esse judicavit: mortuo vero Domino ibidem cap. 27. 54. Centurio percutiens pectus revertebatur, dicens: *Vere Filius Dei erat iste*. Quam quidem veritatem, inquit, Gregorius Magnus, Sol obscuratus, & monumenta aperta annuntiaverunt. Hinc Augustinus in Psal. 63. loquens de Passione Christi, ait: " Protectus est a „ multitudine malignantium, protegente „ se Deo, protegente carnem suam ipso „ filio & homine, quem gerebat: quia „ filius hominis est, & Filius Dei est; „ Filius Dei propter formam Dei: Filius „ hominis propter formam servi. „

Resurrectio Christi, est etiam magnum suæ divinitatis argumentum, quandoquidem ipso resurgente, etiam alii bene multi resurrexerunt, juxta illud Matth. 27. 52. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis.* Tertullianus dicit Christum surrexisse totum Deum, qua quidem expressione ostendit potuisse Christum esse Deum, quia virtute propria resurrexit.

Ascensio Domini non levius est ejus divinitatis argumentum, Apostolo dicente Ephes. 4. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit.* Si descendit, erat ergo ante sæcula: non enim accidentalis quædam sapientia metaphorice descendit de cœlo, ut somniant Sociniani, sed sola persona dicitur descendere: idem autem Deus, qui descendit de cœlo, ipse est, qui ascendit. Quamobrem S. Leo Serm. 2. de Ascensione, ait: " Tunc „ igitur, dilectissimi, filius hominis, Dei „ Filius excellentius, sacratiusque innotuit, cum in paternæ majestatis glo„ riam se recepit. „

Denique Missio Spiritus sancti a Christo; ait enim Joan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me.* Unde August. Tract. 69. in Joan. explicans illa Christi verba, *Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos*, ait " Quamvis nos Filius Dei suo „ Patri adoptaverit filios, & eumdem „ Patrem nos voluerit habere per gra„ tiam, qui ejus Pater est per naturam: „ tamen etiam ipse circa nos pater„ num affectum quodammodo demon„ strat, cum dixit: Non relinquam vos „ orphanos. „

Juvat hanc præclaram de testimoniis divinitatis Christi ex mysteriis claudere materiam verbis aureis S. Leonis Serm. 2. de Ascens. Domini: " Hanc fidem, *nem*„ *pe Christi divinitatis*, Ascensione Domi„ ni auctam, & spiritus sancti munere „ roborata non vincula, non carceres, „ non exilia, non fames, non ignis, „ non laniatus ferarum, nec exquisita per-

„ persequentium crudelitatibus supplicia „ terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam „ feminæ, nec tantum impubes pueri, „ sed etiam teneræ virgines usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. „ Hæc fides dæmonia ejicit, ægritudines „ depulit, mortuos suscitavit. „

SYNOPSIS PROBATIONUM

Mysteriorum, quæ Christum ut Deum annuntiant.

D. THOMAS Serm. in die Pentecostes, paucis hæc omnia pro divinitate Christi testimonia concludit, his verbis: " Tres „ sunt qui testimonium dant in cœlo, „ Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. „ Quarto, Sancti, ibi. Et vos testimonium „ perhibebitis de me; perhibuerunt autem sancti testimonium de Christo tripliciter. Primo, venturum prædicando „ Joan. 5. Scrutamini Scripturas, quia „ vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & ipsæ sunt quæ testimonium „ perhibent de me. Secundo, præsentem „ demonstrando. Joan. 1. Sic venit ut testimonium perhiberet de lumine. Tertio, venisse prædicando. Actuum 2. „ Hunc Deus suscitavit, cujus nos testes „ sumus. Quarto, testimonium perhibuerunt de Christo miracula, quæ „ nullus posset facere nisi Deus, Joan. 5. „ Opera quæ ego facio, ipsa testimonium „ perhibent de me. Quinto, perhibuerunt „ testimonium Angeli. Primo, nasciturum nuntiando, Luc. 1. Missus est „ Angelus Gabriel a Deo, &c. Secundo, natum prædicando, Luc. 2. Ecce „ Angelus Domini stetit juxta illos, &c. „ Tertio, resurrexisse affirmando, Matth. 28. Angelus Domini descendit de „ cœlo. Quarto, eum venturum ad judicium prænuntiando, Act. 1. Ecce „ duo viri astiterunt juxta illos, &c. „ Quinto, perhibuit testimonium creatura corporalis, & hoc septem modis. „ Primo, cœlum quadrupliciter. Primo, „ in nativitate stellam emittendo. Matth. „ Vidimus stellam ejus &c. Secundo, in „ Ascensione ejus, ipsum gloriose suspiciendo, Ephes. 4. Qui descendit, ipse „ est qui ascendit, &c. Tertio, in Baptismo se super eum aperiendo, Matth. 3. Cœli aperti sunt super eum. Quarto in passione, solis lucem auferendo, „ Luc. 23. Et obscuratus est sol. Secundo, testimonium perhibuit aer. Tertio, aquæ obediendo, Matth. 8. Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Quarto, terra, Matth. 28. „ Et terra mota est, & ecce terræ motus &c. Quinto, infernus mortuos „ restituendo, Matth. 27. Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt. Sexto, ignis super discipulos apparendo, Act. 1. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis &c. „ Cum ergo Creator & omnis creatura testimonium de Christi divinitate perhibeant, credamus omnes & imitando colamus ipsum Dominum super omnia benedictum in sæcula sæculorum.

§. X.

Decimum divinitatis Christi argumentum est, quod sit de fide illum esse Deum.

HANC propositionem inficiati sunt ausu temerario Calvinistæ. Enim vero ipse Calvinus Lib. contra Gentilem, nomen Dei soli Patri per excellentiam convenire propugnat. Theodorus Beza Lib. contra Frintium de omnipotentia carnis Christi, docet duas esse in Christo hypostaticas uniones; alteram carnis cum anima, ex qua resultat propria persona: alteram Dei cum homine; & sic consequenter de medio tollit unionem hypostaticam; nam si duæ sint in Christo personæ, jam Christus non est personaliter Deus. Arminiani, qui Remonstrantes apud Batavos appellabantur, negaverunt esse de fide Christum esse Deum. Ducem in hoc errore habuerunt quemdam Simonem Episcopum, qui Lib. 4. institutionum Theologicarum Sect. 2. cap. 34. hanc blasphemiam prædicat: contra quos

Probatur multis argumentis Propositio nostra.

Probatio, ex Scriptura sacra.

QUINQUE mediis procedit istud caput, I. Quia ex Scriptura Christus est verus

 Deus,

Deus, II. Quia non est pura creatura. III. Quia est æqualis Patri secundum personam. VI. Quia est Filius Dei naturalis. V. Quia Scriptura præcipit credere Christum esse Deum, & negantes vocat mendaces & Antichristos.

Primum medium ex Scriptura sic procedit: Ille est verus Deus, quem uti talem clare annunciat Scriptura: Sed res sic se habet: & probatur. I. Matth. 27. 55. Centurio, mortuo Christo, revertens dicit: *Vere Filius Dei erat iste*. II. Ipse Christus seipsum Joan. 10. dicit Deum, alibi autem ut Hebr. 1. 10. habetur de eo: *Tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*. Igitur est de fide Christum esse Deum.

Alterum medium: Christus ex Scriptura non est pura creatura: Igitur est de fide ipsum esse Deum. Probatur antecedens: Matth. 22. 42. sic loquitur Christus Pharisæis: *Quid vobis videtur de Christo, cujus Filius est? Dicunt ei David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo .... Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat respondere verbum*. Rursus Philipp. 2. habetur: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Audis Apostolum dicentem Christum non esse creaturam, tametsi sese exinaniverit formam servi accipiens.

Tertium medium: Christus est æqualis Patri divino, & ipsi consubstantialis: Igitur est de fide esse Deum. Probatur antecedens. I. Ex loco mox citato. II. Joan. 5. 18. *Quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Ibidem cap. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus*. Rursus cap. 17. 10. ad Patrem, sic loquitur: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*. Igitur Christus est æqualis Patri, unde ipse dicebat Judæis Joan. 10. 38. ut eorum revinceret circa hoc momentum incredulitatem: *Operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*. Et iterum Joan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*.

Quartum medium: Christus est Filius Dei naturalis: Igitur est de fide esse Deum. Probatur antecedens undecim testimoniis. Primum, habetur Matth. 3. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. II. Joan. 3. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. III. Luc. 1. 32. *Filius Altissimi vocabitur*. IV. Matth. 16. 17. *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, ait Petrus. V. Joan. 1. 14. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre*. VI. Ibidem vers. 18. *Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. VII. Gal. 4. 4. *Misit Deus Filium suum .... ut adoptionem filiorum reciperemus*. VIII. Heb. 1. 5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* IX. Ibid. vers. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*. X. Rom. 8. 32. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* XI. Psal. 109. 4. *Ex utero ante luciferum genui te*.

Quintum medium: Scriptura præcipit Christum vocari Deum, & negantes mendaces vocat & Antichristos. Ergo &c. Probatur antecedens.

I. *Ex* S. Joanne, qui suum scripsit Evangelium ad refellendos Ebionitas, qui Christum dicebant purum hominem. Cap. 3. vers. 14. sic loquitur: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui creditur in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam ....* Vers. 18. *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est ....* Vers. 36. *Qui incredulus est Filio non videbit vitam*. Tum cap. 20. 31. sic concludit: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Quo posito sic argumentor: Ex Joanne fides in Christum Deum requiritur, ut homo non pereat, ut non judicetur, ut vitam habeat æternam: Igitur divinitas Christi est articulus fidei fundamentalis, ad solum enim Deum spectat salvare, ad ipsum solum dare vitam æternam. Joannes vero, ait, ad hoc requiri, ut credamus Christum esse Dei Filium.

II. *Idem* Joan. Epist. 1. cap. 2. 22. ait: *Quis est mendax, nisi is, qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic Antichristus est, qui negat Patrem & Filium*. Rursus cap. 5. 5. *Quis est qui vincit mundum? Nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei*.

Dei. Unde sequitur illud argumentum: qui non credit in Christum, Antichristus est, adeoque reprobus: qui e contra credit in illum vincit mundum: Igitur divinitas Christi est de fide.

III. *Apostolus* anathema dicit ei, qui non amat Jesum Christum Deum; ubique enim & passim in suis Epistolis vocat Deum, maxime Hebr. 1. ubi ex professo ejus ex adoratione illi debita, & ex creatione illi attributa, ejus probat divinitatem. Ergo &c.

Scripturæ sacræ pro fide divinitatis Christi a S. Cyrillo Alexandrino Lib. 12. Thes. explanatæ.

Ex Evangelio secundum Matthæum.

SIC intonat cap. 1. *Joseph fili David, ne timeas accipere Mariam uxorem tuam: quod enim in utero habet, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvabit populum suum a peccatis suis.* " Salvat populum suum filius, & dimittit peccata populi ut Deus, & Dominus legis. Quis igitur inter creaturas ipsum, nisi temerarius, atque impius, collocare audebit? Cum nullus possit peccata dimittere, nisi solus Deus.... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. Nisi Filius naturaliter Deus esset, non vocaretur nomen ejus Emmanuel, quod est nobiscum Deus. Per Virginem enim sanctam, & de Spiritu sancto factus est homo, quem non Angelus, neque alia creatura, sed ipse Deus Emmanuelem vocavit: sicut ipse ostendit Propheta, dicens de Christo: Et vocabunt nomen ejus novum, quod Dominus nominabit. "

S. Cyrillus, eo loci duplici ratione ostendit Christum esse Deum. Primo quidem, ex eo quod ipse det gratiam & salutem: solus autem Deus hæc elargitur, dicente Propheta Psal. 83. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Secundo, quia vocatur Emmanuel, hoc est nobiscum Deus: Porro neminem latet nomen explicare naturam rei. Observes prophetam asserere Christum esse nobiscum Deum: Igitur est Deus naturaliter, alias sibi soli, non aliis foret Deus: nemo enim dixerit justum esse aliis Deum, cum gratia sanctificans sit illi appropriata, nec eam in alterum trasfundere possit. Isaias totum dilucide explanat mysterium, dicens nomen Christi esse novum: sed quomodo novum esset, si non per naturam, sed per adoptionem tantum Christus Deus existeret, cum ante ipsum tot essent dii, quot sanctos numeraremus Patriarchas?

Ex Evangelio secundum Joannem.

INNUMERA ex hoc purissimo fonte pro Christi divinitate irrefragabilia deducit argumenta S. Cyrillus; ibidem cap. 15. instar omnium sit istud ex capite primo B. Joannis depromptum: *In principio erat Verbum.* " Si erat, *ait*, in principio, quomodo isti dicunt factum atque creatum esse? Principium enim necessario ante omnem creaturam est. Nec potest quod a nihilo ad esse productum est, in principio esse. Sed ipse Filius etiam principium est: non est igitur ipse ab alio principio creatus. Ita enim duo principia, unum ante alterum darentur: quod dicere stultum est. Deinde si sic erat Filius, quomodo a nihilo productus est? Nam si a nihilo productus est, non erat: sed erat, non est igitur a nihilo productus. "

Pergit: *Et Verbum erat apud Deum*. " Apertius nobis Evangelista principii vocabulum explanat, nihil aliud esse dicens, quod principium appellavit, quam ipsum Deum Patrem: unde Filius effulget, sicut lumen ex sole: alius quidem hypostatice a Patre, sed non alius ratione substantiæ. Principium igitur Filii Pater est, non temporis aut aliud hujusmodi: sed ex quo filius, & in quo simul est, sicut calor ex igne. "

Pergit, iterum: *Et Deus erat Verbum*. " Apertissime hic non esse recentem Deum Filium asserit; Deus enim erat, ait, & in principio erat: quomodo igitur isti creaturam ipsum esse opinantur? præsertim cum non possint dicere, per gratiam deificatum. Nam quod per gratiam alicui datur, id addi postea ne-

„ necesse est, præintelligitur enim necessario natura & essentia, & hypostasis cui conceditur gratia: sicut & nos cum simus natura homines, per gratiam Dei dii appellamur: & homines nos esse, per prius intelligitur, cum simus per gratiam deificati. Sed non habent dicere, qui creaturam esse filium mentiuntur, quid filius secundum naturam esse per prius intelligatur, cum Deus esse dicatur. Deus enim erat Verbum, secundum Joannem. Hoc erat in principio apud Deum: non ad extra productum, sed ex ipsa Patris substantia emanare Filium ostendit.... Quoniam ergo Pater natura Deus est, erit filius quoque Deus natura. „ Audis S. Cyrillum Christi repetere divinitatem ex ejus æternitate, ex eo quod sit in principio ante omnem creaturam: ex eo potissimum quod non possit esse Filium tantummodo per adoptionem, cum non præextiterit gratiæ qua unctus est, sed omne ante tempus illud & ævum habuerit: Igitur est de fide, eum esse Patri consubstantialem.

Ex Epistola ad Romanos.

EAMDEM adimplet Provinciam auctoritate Epistolarum S. Cyrillus ibidem cap. 1. Exordium ab epistola ad Romanos sumit: " Ad Romanos, scribens Paulus, „ Servus, inquit, Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei. De Salvatore autem dicit, per quem accepimus gratiam & Apostolatum in obedientiam fidei in omnibus Gentibus pro nomine ipsius. Attendite diligenter, quia cum in Evangelium Dei segregatum se scripserit, statim addidit, ut prædicaret in omnibus Gentibus pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Quare necesse est Christum esse Deum, in cujus Evangelium segregatus fuit. Quomodo igitur erit creatura, qui Deus naturaliter est? In eadem epistola: Gratia, inquit, vobis, & pax a Deo Patre, & a Domino Jesu Christo. Advertite simul cum Deo Patre Christum in gratiæ ac pacis concessione connumerari. Quomodo igitur non est naturaliter Deus, qui simul cum Patre dona Sanctis largitur; & omnia facit similiter quæ genitor suus facit? Nemo enim „ unam esse operationem Dei veri & creaturæ concedet, ne aut creaturam in dignitate divinæ collocet essentiæ, aut Deum in creaturarum conditionem deprimat. „ Audis S. Doctorem probare Christi divinitatem, ex una operatione & Patre & Filio communi. Quandoquidem quæ sunt Dei propria, non nisi Filio consubstantiali conveniunt. Igitur est de fide Christum esse Deum.

Ex Epistola prima ad Corinthios.

PERGIT S. Cyrillus capit. 2. " De principibus hujus sæculi, & temeritate ipsorum verba faciens Paulus scribit: Si cognovissent, non utique crucifixissent Dominum gloriæ. Si gloriæ igitur Dominus est Filius, qui pro nobis patibulo secundum carnem fuit affixus, quomodo non erit natura Deus? Quomodo erit creatura, qui a Seraphim, ceterisque cœlorum virtutibus glorificatur, plenos dicentibus esse cœlum & terram gloria sua, & Dominum Sabaoth nominantibus? De ipso enim hæc glorificantes dicunt, cum ipse Dominus sit gloriæ, secundum Paulum. In eadem epistola sic ait, Nos homo existimet ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Si ergo Filii mysterium, Dei mysterium vocat, quomodo Filius non erit natura Deus? „ Christus est Dominus gloriæ: ejus mysterium, ex Apostolo est ipsum Dei mysterium: Igitur cum B. Cyrillo concludamus: ergo & natura Deus, est de fide.

Ex secunda ad Corinthios.

EODEM tenore ibidem cap. 3. perstringit heterodoxos S. Cyrillus; ex epistola enim ad Corinth. secunda cap. 1. istud desumit argumentum: *Volumus*, inquit, *vos fratres ignorare de tribulatione nostra facta in Asia: quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ut taderet etiam nos vivere, sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitavit mortuos.* " Hoc est, responsum liberationis a morte in nobis ipsis cognovimus. Ecce rursus Deum esse, ait, aperte eum qui suscitat mortuos: id autem Chri-

„ stus

„ ftus facit qui est resurrectio & vita, in „ quem qui credit vitam æternam habet: „ & ego, inquit, suscitabo eum in novissimo die. „ Quibus positis licet sic argumentari: Solus Deus resuscitare potest mortuum: sed ex Apostolo juxta B. Cyrilli explicationem, Christus est causa resurrectionis mortuorum. Igitur est de fide esse Deum.

Ex Epistola ad Galatas.

S. CYRILLUS gradum facit ad Epistolam, quæ est ad Galatas, ubi & nova adinvenit pro divinitate Christi astruenda testimonia. Ex capit. 1. sic intonat ibid. capit. 4. *Si quis evangelizat aliud quam accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* " Si ergo „ Paulus Deo persuadere, hoc est, ostendere conabatur, quantum ipsum amaret, idque faciebat, non ut hominibus „ placeret, sed Christi servus esset: Deus „ certe secundum naturam Filius est, cui „ bonorum operum servitutem offerentes, ut Deo & Domino rationem omnes reddimus: hoc enim est ipsi persuadere. Non est ergo creatura, qui „ Deus naturaliter est. „ Observes Apostolum habere Christum ut supremum Dominum. Ex quo concludit B. Cyrillus esse Deum, & hoc de fide, nam in his omnibus explanat fidem de Christi divinitate contra obstrepentes.

Ex Epistola ad Ephesios.

ILLE est Deus, qui est perfectissimi Dei Patris character & imago: Atqui sic propugnat B. Cyrillus ibidem cap. 5. innixus auctoritate Apostoli, cap. 1. & ita citat: *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei sanctis omnibus qui sunt in Epheso, & fidelibus in Christo Jesu.* " Qui per voluntatem Dei Patris Apostolum accepit, „ ut ipse ait, is ipse asserit splendorem „ Patris & characterem Filium esse: quo„ modo igitur increatæ Patris hypostasis „ filius character erit, si a nihilo ipse secundum hæreticos creatus est? Necesse „ enim est ut imago perfecta habeat similitudinem illius, cujus imago est. Quare sicut Pater increatus est, ita & Filius increatus erit: & sicut Pater Deus „ verus est, ita & Filius verus est Deus. „

Ex Epistola ad Philippenses.

QUI eamdem cum Patre potestatem habet, est Deus: Atqui Christus eamdem cum Patre potestatem habet: quinimmo nos sumus filii Christi, quippe qui dederit nobis potestatem filios Dei fieri. Ergo &c. Sic argumentatur S. Cyrillus ibidem cap. 6. ex auctoritate Apostoli Epist. ad Philipp. capit. 3. *Omnia facite sine murmuratione & hæsitatione, ut sitis sinceri absque ulla querela, filii Dei sine reprehensione.* " Et sicut ipse Paulus alibi dicit, a Christo de nobis illud dicitur: Ecce ego „ & filii, quos dedit mihi Deus. Ipsius „ Christi ergo filii sumus, per fidem & „ charitatem immaculati. Deus igitur „ Christus est, & non creatura. Rursum „ in eadem epistola: *Nostra autem conversatio in cœlis est. Unde & Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ, secundum operationem, qua ipse potest subjicere sibi omnia.* Ecce „ Paulus eamdem potentiam tribuit filio„ hic, ut possit cuncta sibi subjicere: quæ „ res in sola virtute Patris est. Nam „ quoniam Deus simplicissimus est, non „ est aliud ipse, aliud virtus sua, hoc „ est, filius suus, sed unum et idem essentialiter ac naturaliter. „

Ex Epistola ad Colossenses.

NULLUS ex Deo naturaliter nascitur, ut cum eo regnet & cuncta creet, nisi sit ipse substantialiter Deus: Atqui talis est Christus: & probatur, tum ex epistola ad Coloss. cap. 1. tum ex S. Cyrillo illam hic cap. 7. sic interpretante: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in parte sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.* " Omnem creaturarum naturam Deo „ divina Scriptura ut servam subjicit: om„ nia inquit, tibi serviunt. Soli autem „ Deo regiam dignitatem attribuit, cla„ mans ad ipsum, Tu es ipse Rex meus &

„ Dominus meus. Nam qui natura Deus „ est, is etiam Rex est: & contra qui „ natura Rex est, is etiam Deus est. „ Si ergo nulla creatura regnare cum Pa„ tre dicitur, Filius autem id habet: „ quomodo erit creatura Filius, qui una „ cum Patre in Spiritu sancto regnat? „ Rursum ibidem, In ipso creata sunt „ omnia, quæ in cœlis & quæ in terra „ sunt, sive visibilia, sive invisibilia. Si „ ergo omnia in ipso creata sunt, quare „ vos cum omnibus ipsum creaturis con„ numeratis? Nam cum omnia dixerit, „ nihil eorum dimisit quæ ex nihilo ad „ esse producta sunt. Aliud ergo ipse est „ præter creaturas, & ideo non est crea„ tura. „

Ex Epistolis ad Timotheum, & ad Hebræos.

PLURES alias ex iis locis, ibidem S. Cyrillus deducit pro fide divinitatis Christi probationes. Cap. 10. Apostolus 1. ad Timoth. 1. vocat imperium Christi, imperium Dei; sic refert sanctus Doctor: " Paulus Apostolus Jesu Christi secundum „ imperium Dei Salvatoris nostri & Chri„ sti Jesu Dei nostri &c. „ Cap. 11. ex 2. ad Timoth. cap. 1." Noli igitur eru„ bescere testimonium Domini nostri, „ neque me vinctum ejus: sed collabo„ ra in Evangelio secundum virtutem „ Dei, qui nos liberavit, & vocavit vo„ catione sua sancta. Ecce rursus Christ. „ Deum & Salvatorem nominat. „ Cap.9. explanat epistolam ad Hebræos S. Cyrillus, maxime caput primum, in quo Christus dicitur Filius Dei, heres universorum, sæculorum Creator & omnibus præcellentior Angelis: " Ego autem „ dico vobis. Quomodo igitur creatura „ erit Filius Dei secundum naturam, aut „ quomodo erit servus, qui omnium Do„ minus est, & omnium heres? Necesse „ est enim ut aliud ipse sit præter omnia, „ quorum heres est. Sed per ipsum etiam „ sæcula facta sunt: Erat ergo ante sæ„ cula. Nulla vero creatura ante sæcu„ la fuit: omnia enim in tempore sunt, „ præter solum Deum. Verus igitur Deus „ & non creatura Filius est ... Quantum „ autem Filius Angelis præstet, perspi„ cuum est: quia illi ministri sunt, & ad „ ministrandum mittuntur: Filius autem „ cum Patre glorificatur, & Angeli sibi „ ministrant, ut in Evangelio scribitur: „ Et ecce Angeli venerunt, & admini„ strabant ei. „

Mitto alia argumenta, quæ S. Cyrillus eruit ad probandam fidem Christi divinitatis. Ibidem cap. 12. ostendit auctoritate Actuum 16. Spiritum sanctum esse, vel ipsum Jesu Spiritum; cap. 13. ait Jacob. 2. vocari Deum, eum esse a principio juxta epistolam primam Joan. cap. 2. quod nulli inquit competit creaturæ. Gregem Christi esse gregem Dei 1. Petr. 5. Eumdem, ut ait S. Judas, salvasse populum de Ægypto subdit Cyrillus: p. 160. " Si Je„ sus, secundum Apostolum Judam, po„ pulum eripuit ex Ægypto, ipse certe „ est qui dicit ad Moysen: Ego sum qui „ sum: & audiens gemitum filiorum „ Israel descendi ad liberandos ipsos. Si „ ergo ipse est qui est, quomodo erit crea„ tura? Nam qui est, semper est, crea„ tura vero non semper est. „

Probatio fidei divinitatis Christi, ex Traditione & Conciliis.

CONCILIUM Antiochenum primum adunatum est ann. 265. contra Paulum Samosatenum, qui Christum dicebat purum hominem: hunc autem sic revincit in præclara fidei confessione: *Hominem autem præfiguratum dicimus esse Filium Dei, quem ipsa Scriptura Deum esse declaravit. Quin etiam legem similiter datam esse Moysi dicimus, ministrante Filio Dei, sicut Apostolus docet, cum ait: Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris: Mediatorem autem alium Dei & hominum nescimus præter hunc .... Filium vero, qui apud Patrem, Deum quidem & Dominum omnium creaturarum dicit; a Patre autem missum de cœlis, & carne assumpta factum esse hominem.* Contra eumdem Paulum altera Synodus Antiochiæ celebrata est an. 270. & in epistola Synodica, altera ad Dionysium Romanum Pontificem directa: altera ad ipsum Paulum, Christus asseritur Filius Dei, a Patre missus in terras propter nostram salutem.

Sequitur primum Concilium Oecumenicum 4. Sæculo congregatum, in quo co-

sub-

substantialitas Verbi incarnati conclamata est in Symbolo: *Credo in unum Deum .... Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum*. In eo Symbolo de Filio dicitur. I. Esse verum Deum. II. Esse Patri consubstantialem. III. Esse æternum. IV. Esse immutabilem. V. Esse genitum, & non factum. Atqui Symbolum est summa credendorum: Igitur debemus credere, & quidem explicite Christum esse verum Deum.

Eodem Sæculo, adunatum est Concilium Constantinopolitanum I. contra Macedonium, negantem Spiritum sanctum esse Deum: in eo autem confirmata est fides Nicæna, & maxime Symbolum.

Quinto Sæculo, Concilium Ephesinum in Epist. ad Nestorium, & Chalcedonense eodem sæculo congregatum actione 2. confirmat de divinitate Christi fidem.

Sexto Sæculo, quinta Synodus Oecumenica Can. 1. asserit tres personas unius essentiæ. Et Can. 11. anathema dicit Ario, Eunomio, & aliis hæreticis, qui Verbi incarnati negabant divinitatem.

Septimo Sæculo, sextum Concilium Generale. Act. 17. eamdem propugnat Christi divinitatem.

Octavo Sæculo, Concilium septimum Oecumenicum Act. 7. eamdem repetit fidem.

Nono Sæculo, octava Synodus Oecumenica, eodem modo loquitur pro Christi divinitate.

Decimo-tertio Sæculo, Concilium primum Lateranense generale cap. 1. eodem modo, sicut alia præcedentia, defendit fidem de Christi divinitate.

Decimo-quarto Sæculo, Concilium Viennense, unde extat Clementina unica de *summa Trinitate*, & fide catholica, ibi eamdem explicat fidem.

Decimo-quinto Sæculo, Concilium Florentinum Sess. ult. in Decreto de processione Spiritus sancti, etiam Christi divinitatem suo calculo communivit.

Decimo-sexto Sæculo, Tridentinum Sess. 3. confirmat eamdem fidem, ab ore ipsius Christi per Apostolos & Concilia, usque ad nos transmissam. Ergo &c.

Patres.

Ex primo Sæculo, occurrit primus B. Ignatius Martyr Epist. ad Ephes. ubi dicit eos, qui non agnoscunt Deum incarnatum, in ignem inextinguibilem traditurос esse. Unde in Epist. ad Philadelphienses, ait: " Si quis dicat, unum „ esse Deum, & confiteatur Christum „ Jesum, sed eumdem nudum esse hominem putet, hujusmodi serpens est, fraudem & errorem prædicans, in exitium „ hominum, & est ejusmodi inops sensu, cognomento Ebion. „ Tum Epist. ad Antiochenos: " Omnis, *inquit*, qui „ annunciat unum solum Deum, & tollit Christi divinitatem, is est diabolus, „ & hostis omnis justitiæ. „

Dionysius, qui creditur Areopagita eodem apparet Sæculo defensor Christi divinitatis: nam de mystica Theologia cap. 9. sic habet: " Quomodo supersubstantialis Jesus humanæ naturæ substantia factus est. „ Id est, quomodo Deus homo factus est: Igitur agnoscit Deum in humanitate.

Ex secundo Sæculo, multi veniunt testes pro Christi divinitate. Justinus Apolog. 2. pag. 57. ait: " Solum proprie Filium Deo genitum, qui est Verbum ipsius, & primogenitus, & virtus; ac „ de illius voluntate hominem esse factum.„

Clemens Alexand. qui eodem floruit Sæculo Adm. ad Gent. pag. 5. sic habet: " Qui in principio erat Verbum divinum, „ principium universorum & erat, & „ est .... Hoc igitur Verbum, qui Christus est, tum olim nobis ut simus, „ tum ut bene simus causa extitit, & „ nunc hominibus apparuit illud idem „ Verbum: quod cum solum utrumque sit, „ Deus & homo, fons & origo nobis est „ bonorum omnium. „

Hippolytus Portuensis egregius Chr. Martyr, ait, apud Theodoretum in Dialog. 1. " Verbum Dei primogenitum in Virginem descendisse, & primogenitum perinde hominem in illius utero formatum: ut primogenitum Verbum Dei, „ cum homine primogenito conjunctum „ esse monstretur. „

Athenagoras, eodem numeratur Sæculo, & quidem inter ceteros percelebris Christi divinitatis zelator atque defensor, etiam coram Imper. Christianos persequentibus; his autem Lib. 4. cap. 11. sic loquitur: " Ipse Christus cum Pa-

„ tre

„ tre vivorum eſt Deus, qui & locutus „ eſt Moyſi, & qui Patribus manifeſtatus „ eſt. „

Irenæus ceteris adjungitur, equidem tamquam generoſus Chriſti divinitatis athleta, quippe qui & ſcriptis & ſanguine Chriſti propugnaverit divinitatem. Lib. 3. cap. 21. loquens de Ebionitis, contra Chriſti divinitatem debacchantibus, dicit illos privari vita æterna, quia non agnoſcunt Emmanuel, id eſt, Verbum caro factum... Ibidem capit. 6. fuſe probat Chriſti divinitatem, ſicut & cap. 8. Cap. 12. ſic habet: " Annunciaverunt Apoſtoli, hunc eſſe „ Chriſtum, Filium Dei æternum, eorum „ Regem. „ Idem proſequitur capit. 16. Capit. 20. ſubdit reſpondens ab objecta Ebionitarum: *Excluſa eſt omnis contradictio dicentium, ſi ergo tunc natus eſt, non erat ante Chriſtus. Oſtendimus enim, quia tunc non cœpit Filius Dei, exiſtens ſemper apud Patrem*. Libr. 4. capit. 11. aurea ſententia omnia claudit: *Ipſe igitur Chriſtus*, inquit, *cum Patre vivorum eſt Deus, qui & locutus eſt Moyſi, & qui Patribus manifeſtatus eſt*.

Ex tertio Sæculo, apparet nubes teſtium pro eadem fide. Origenes Lib. 1. de principiis apud Pamphilium de Apolog. Origenis, in primo ordine ponit catholicam de Chriſti divinitate fidem. Ipſe vero Origenes Comment. in capit. 9. epiſtol. ad Rom. ſic effatur: " Miror quomodo „ quidam legentes, quod Apoſtolus ait, „ Unus Deus Pater, ex quo omnia, & „ unus Dominus J. C. per quem omnia; „ negant Filium Dei Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et „ quid de hoc loco Apoſtoli facient, in „ quo aperte Chriſtus ſuper omnia Deus „ eſſe perſcribitur? Sed non advertunt, „ qui hæc ita ſentiunt, quod ſicut Dominium Jeſum Chriſtum, non ita unum „ eſſe Dominum dixit, ut ex hoc Deus „ Pater non eſſe Dominus dicatur; ita „ etiam Deum Patrem, non ita unum „ Deum eſſe dixit, ut Dei Filius Deus „ non credatur. Dominus autem uterque eſt „ Deus.. „ Hunc locum citat Athanaſius in Epiſt. de decretis Concilii Nicæni, unde maxime ponderare debet.

Dionyſius Romanus apud Athanaſium de Decretis Synodi Nicænæ, hanc fidem ſuo munivit calculo, his verbis: " Credendum eſt in Deum Patrem, & in Filium ejus Jeſum Chriſtum, & in Spiritum ſanctum, unirique Deo totius „ univerſitatis Verbum: Ego enim, *inquit*, & Pater unum ſumus. Et ego „ in Patre, & Pater in me. „ Reddit rationem cur Chriſtus ſit Deus, nempe quia unum eſt cum Patre.

Tertullianus, inſignis eſt Chriſti divinitatis teſtis; Apolog. enim Libr. contra Praxeam ſub finem, cap. 21. ait: " Ceterum Judaicæ fidei iſta res, ſic unum „ Deum credere, ut filium adnumerare „ ei nolis, & poſt Filium, Spiritum. „ Quid enim erit inter nos & illos, niſi „ differentia iſta? Quod opus Evangelii, „ quæ eſt ſubſtantia novi Teſtamenti... ſi „ non exinde Pater, & Filius, & Spiritus tres crediti, unum Deum ſiſtunt?.... „ Viderint igitur Antichriſti, qui negant „ Patrem, & Filium. Negant enim, „ &c. „ In eod. Lib. ſic habet: " Itaque „ Deos omnino non dicam, nec Dominos, ſed Apoſtolum ſequar, ut ſi pariter nominandi fuerint Pater & Filius, „ Deum Patrem appellem, & Jeſum Chriſtum Dominum nominem. Solum autem „ Chriſtum potero Deum dicere, ſicut „ idem Apoſtolus. Ex quibus Chriſtus, „ qui eſt, inquit, Deus ſuper omnia Dominus benedictus. „ Quibus verbis agnoſcit Chriſtum Deum & nominat, atque confitetur: Deum quidem ſub nomine Chriſti, ut mos eſt apud primorum ſæculorum Patres: quia Chriſtus idem eſt ac unctus: hominem vero ſub nomine Jeſu, quod quidem ordinatione Patri æterni Chriſto impoſitum eſt, quando ut homo & Filius Abrahæ circumciſus eſt.

Cyprianus Epiſt. ad Jubajanum, ſic ait: " Nec hujus Dei fieri poteſt Templum „ qui negat Deum Chriſtum. „ Tum Libro 2. ad Quirinum cap. 6. pag. 353. " Fac „ illic altare illi Deo, qui tibi apparuit „ cum fugeres a facie Eſau fratris tui.... „ in te Deus eſt, & non eſt alius Deus „ præter te. Tu enim es Deus, & non „ ſciebamus, Deus Iſrael Salvator. „ Quæ quidem ultimæ particulæ figunt ſenſum Cypriani in Chriſto. Denique S. Athanaſius, qui longum pro Chriſti divinitatis defenſione tulit martyrium, ſic concludit Symbolum de divinitate Verbi incarnati: *Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideli-*

deliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit: Igitur Christi divinitas est de fide explicita.

Ex quarto Sæculo præter Athanasium numeramus Basilium, qui libros quinque contra Eunomium elucubravit, in quibus Christi divinitatem propugnat, sicut & Gregorius Nazianzenus in Orationibus quinque de Theologia. Item Gregorius Nyss. Cyrillus Jerosolymitanus a septima usque ad undecimam Catechesim scripsit de Christi divinitate, sicut & Epiphanius Hæresi 65. contra Paulum Samosatenum. Græcis Patribus adjiciuntur Latini, nempe Hilarius in Libris 12. de Trinitat. Lucifer Calaritanus Lib. ad Constantium pro Athanasio. Marius Victorinus in quatuor Libris contra Arium. Philastrius in Libro de hæresibus.

Ex quinto sæculo, inter Græcos Chrysostomus multa diserte loquitur pro Christi divinitate in Oratione, quod Christus sit Deus, tum & in Commentariis in 1. cap. Joan. Theodoretus Lib. 4. de Hæreticorum fabulis. Ex Latinis Gaudentius Tract. 7. in Exodum, & in Epist. ad Paulum de ista Evangelii sententia: *Pater major me est*. Hieronymus Lib. contra Luciferianos, Augustinus in Libris 13. de Trinit. & alii permulti apud Bellarminum Lib. 1. de Christo cap. 10.

Ex sexto Sæculo, multi etiam pro Christi divinitate locuti sunt, ut Fulgentius Lib. de fide ad Petrum cap. 1. Joannes Maxentius in professione fidei. Boetius Severinus, qui librum mirabilem de Trinitate scripsit.

Ex septimo Sæculo, occurrit pro eadem causa Gregorius Magnus Lib. 3. Dial. cap. 29. Gregorius Turonicus Lib. 5. cap. 43. sicut & Isidorus Lib. de Trinit.

Ex octavo Sæculo, eminent V. Beda, qui præter alia scripsit Commentaria in Boetium de Trinit. Joannes Damascenus Lib. 1. de fide orthodoxa cap. 2. 6. & 8.

Ex nono Sæculo, Rabanus in caput 9. ad Rom. & in caput 2. ad Philipp. multa eloquenter & pie differit de Christi divinitate. Item Theophilactus & alii.

Ex decimo Sæculo, Ambrosius Anibertus in Commentariis in Apoc. & potissimum in initio & fine: sicut & Radulphus Aurelianensis in Levit. cap. 2. probant Christi divinitatem.

Ex undecimo Sæculo, easdem propugnant partes Anselmus Lib. de summa Trinit. & Gisebertus in Lib. de altercatione Ecclesiæ & Synagogæ.

Ex duodecimo Sæculo, Ricardus a S. Victore, qui in Libris sex de Trinit. & S. Bernardus Epist. 190. ad Innocentium Papam contra Abaillardum mira dicunt de Christi divinitate.

Ex decimo-tertio Sæculo, occurrunt Theologi omni exceptione majores pro hoc momento, ut Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Angelus Scholæ divus Thomas, S. Bonaventura, Scotus: tum omnes catholicæ Universitates, quæ ad nos usque perpetua & illibata Traditione Christi divinitatem propugnant atque defendunt.

Ex his sequitur illud irrefragabile argumentum: Quod omnes ab Apostolis usque ad nos, tum virtute, tum scientia præditi, perpetua Traditione in Scripturis fundata tenuerunt, illud est de fide: Atqui quotquot extitere inter Patres & Theologos percelebres, hi omnes una voce tum Scripturis, tum Conciliis innixi conclamaverunt Christum esse Deum: Igitur Christi divinitas est de fide. Et vero quid ultra requiritur ut res de fide teneatur, nisi post totum exigere aliquid? Igitur Arminiani & ceteri Protestantes, in veritate non steterunt, quum Christi divinitatem e numero credendorum impie abstulerunt.

Probatio fidei de Christi divinitate rationibus Theologicis.

PRIMA: Quotiescumque Ecclesia suis anathematibus insectatur aliquem errorem, toties dogma oppositum est de fide explicita: Atqui Ecclesia in omnes qui divinitatem Christi impugnaverunt suis animadvertit fulminibus: Igitur divinitas Christi est de fide explicita. Probatur minor.

Primo Sæculo, S. Joannes Ebionitas ut Antichristos habet, eo quod Christum dicerent purum hominem. Ignatius Epist. ad Ephes. anathema illis dicit. Et Origenes in Epist. ad Tit. tamquam pestem fugiendos esse docet. Secundo exeunte sæculo, Theodotus volens renovare Ebionitarum errorem, a Victore Papa ab Ecclesia

clesia expulsus est. Tertio sæculo, Antimus a communione Ecclesiæ ejectus est, eo quod eamdem hæresim instaurare satageret. Et Patres Synodi Antiochenæ propter hoc Paulum Samosatenum de gradu, & Ecclesia ejecerunt. Quarto denique sæculo Arius ob blasphemias erga Christi divinitatem in primo Concilio generali damnatus est: sic in aliis Conciliis de Nestorio, de Socinianis & Arminianis.

Secunda: Fides, spes & charitas fundantur in divinitate Christi: fides quidem, quia credimus illi ut Deo, & mysteriis quæ nobis revelavit: quocirca si non esset Deus, nec utique foret infallibilis, & sic nulla fides extaret; spes vero, eum quippe habemus ut Salvatorem qui nobis cœlos aperuit: Charitas demum, quandoquidem debemus redamare eum qui proprii sanguinis effusione nos & a peccato & a morte æterna redemit.

Tertia: Fides in Deum trinum & incarnatum explicita est ad salutem necessaria, juxta illud Heb. 11. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Sic propugnant Theologi omnes: Igitur divinitas Christi est de fide, & datur de ea præceptum quod omnes obligat.

Fit satis objectionibus Heterodoxorum.

OBJICIUNT: Qui accipit a Patre omnia quæ habet, non est Deus: Atqui Christus omnia quæ habet accipit a Patre, juxta illud Luc. 10. & Joan. 10. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Igitur non est de fide Christum esse Deum. Confirmatur. Philipp. 2. habetur: *Exinanivit semetipsum ... propter quod & Deus exaltavit illum*: Sed qui semetipsum exinanivit, secundum personam exinanitus est: Item & secundum personam exaltatur; actiones enim & passiones sunt suppositorum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Christus ut homo omnia accipit a Patre, concedo: ut persona, subdistinguo: accipit per originem & sine dependentia, & in æternitate, concedo: secus, nego. Christus est Deus simul & homo: ut homo cuncta accipit a Patre per dependentiam, & hoc in tempore: ut Deus vero utique accipit, sed per modum emanationis seu originis, quia est principium de principio in æternitate. Ita Athanasius, Basilius, & alii Patres.

Ad confirmationem distinguo: Christus semetipsum exinanivit ratione humanitatis, concedo: ratione personæ, nego. Tametsi enim actiones & passiones sint suppositorum, quia tamen Verbum incarnatum supplet vices suppositi creati, humiliatio, dolor, ceterique defectus non refunduntur in Verbum secundum se spectatum, sed in hominem assumptum.

Ad aliud distinguo: Christus exaltatus est ratione humanitatis, concedo: ratione personæ, subdistinguo: in concreto consideratæ, & ut subsistentis in natura humana, concedo: in se spectatæ, nego. Hæc solutio est S. Cyrilli, qui Lib. 8. Thes. proposita sibi objectione, pag. 99. sic respondet: " In extremis vero temporibus propter salutem nostram verus Deus factus homo verus, humiliavit seipsum, & ideo dicitur exaltari: non secundum Verbi naturam, sed secundum Incarnationis mysterium. Nam cui humilitas congruit, hic exaltari quoque dicitur convenienter: Humana vero natura, res humilis est, ipsa ergo exaltari quoque intelligitur. "

Instant: 1. Cor. 8. habetur: *Nullus est Deus, nisi unus, nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, & domini multi, nobis tamen unus Deus Pater*: Igitur est de fide solum Patrem esse Deum.

Respondeo distinguendo: Est unus Deus per exclusionem falsorum numinum, concedo: per exclusionem Filii & Spiritus sancti, nego. Solutio patet ex verbis immediate antecedentibus: Sic enim loquitur Paulus vers. 4. *De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus.* Idem patet v. 6. ex verbis subsequentibus: *Unus Deus*, inquit Apostolus, *Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Ibi eadem tribuit Christo sicut Deo Patri, nempe dominationem & omnipotentiam. Igitur agnoscit illum ut Deum. Solutio etiam patet ex Origene supra citato, qui dicit Scripturam non excludere a divinitate Filium,

lium, quando solum Patrem nominat: neque e converso Patrem, dum dicit Christum Deum, nullam de prima persona faciendo mentionem.

Instant: Hebr. 5. Christus dicitur Pontifex & Mediator hominum: Sed Pontifex & Mediator distinguitur a Deo: siquidem eadem persona non satisfacit, & recipit satisfactionem: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Christus est Pontifex Mediator ut homo, concedo: ut Deus, subdistinguo; quatenus subsistit in natura humana, concedo: in natura divina, nego. Et sic sub diverso respectu Filius Dei & satisfacit, nempe ut subsistens in natura humana, & recipit satisfactionem, nempe ut subsistens in natura divina. Ita Apost. ibid. his verbis: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate...... sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Postea addit Pontificem fundere preces, quod officium soli homini convenit: Igitur ex Apostolo, Christus fuit Mediator ut homo; & etiam ratione personæ, sed reduplicative ut subsistentis in natura humana.

Urgent Heterodoxi: Qui tristis fuit, qui metuit, non dicendus est Deus, cum hujusmodi defectus a divinitate procul sint: Atqui tamen Christus his obnoxius fuit defectibus, juxta illud Matth. 26. 38. *Cæpit contristari, & mæstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem*: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Christus ut homo hujusmodi passus est defectus, concedo: ut Deus, nego. S. Cyrillus Alexandrinus hanc præoccupat objectionem, & sic respondet Lib. 10. Thesau. cap. 3. " Quasi ab homine uno, has voces " dictas credunt Hæretici, quia mortem " timuit, & tristis factus est, ceteraque " hujusmodi perpessus ut homo verus. " Deus enim verus, sicuti Christus est, " quomodo ut Deus mortem timuisset? " Quia id: Ego sum vita, qui alios ex " morte revocavit, qui discipulos hortabatur, dicens: Nolite timere eos qui " occidunt corpus, animam autem non " possunt occidere. Ut Verbum autem " Dei quomodo timere potuit, qui Abrahæ dixit: Noli timere quoniam ego tecum sum; qui Moysen adversus Ægypti " Regem suscitavit, qui ad Josue dicebat, Confortare ut vir. Quomodo etiam alios ipse timuisset, ad quem Sancti clamant: Dominus mihi adjutor, & " non timebo quid faciat mihi homo? " Quomodo autem si venit ad interimendam mortem, mortem timebat quam " interemit? Sed infernum timuit, inquiunt, mirum est quod hæc audeant " dicere. Janitores enim inferorum, cum " primum eum vidissent, spiritus inclusos " exire præ timore dimiserunt..... Ideo " ne quis dubitare posset ut homo clamabat: Deus meus, Deus meus, cur me " dereliquisti? Et rursus transeat a me " calix iste. His igitur atque similibus totum ad se hominem vere assumptum esse ostendebat. Tenebris vero & terræ " motu, ceterisque hujusmodi Deum se " quoque demonstrabat. Unde nonnulli " qui eum antea deridebant commoti clamarunt: Vere Filius Dei erat iste. "

Persistunt: Christus vel ante mundum conditum habebat solum gloriam finitam: Igitur etiam ut Verbum non est Deus, quandoquidem gloria quæ Deo competit, est attributum infinitum. Probatur antecedens: non aliam habet gloriam ut Verbum, quam eam quæ illi ut homini competit: Ergo &c. Probatur antecedens: Ipse Christus Joann. 17. 5. sic loquitur: *Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius quam mundus esset apud te.* Sed eo loci petit gloriam pro humanitate finitam, & tamen eamdem expostulat quam habebat apud Deum antequam mundus fieret: Igitur & finitam ut Verbum habebat ante mundum conditum.

Respondeo negando antecedens primi & secundi argumenti. Ad ulteriorem probationem distinguo: Christus petit claritatem quam habebat ante mundi constitutionem apud Deum ratione prædestinationis, concedo: ratione sui ut Verbum est apud Deum, nego. Eo loci loquitur ut homo, & petit; Deus autem qui est omnia & independens nihil expostulare potest, quia vero ab æterno decreverat glorificare Filium ut incarnatum, Christus hanc glo-

gloriam ante sæcula prædefinitam petit. S. Thomas Comm. in capit. 17. Joann. sic solvit argumentum: " Cum ergo videret " illius prædestinatæ suæ glorificationis " venisse jam tempus: ut & nunc fieret " in redditione, quod fuerat in prædesti- " natione jam factum, oravit dicens: Et " nunc clarifica me, etc. "

Probationum fidei de Christi divinitate synopsis juxta sanctum Gregorium Nazianz. qui & ad omnes difficultates respondet.

S. GREGORIUS Naz. Orat. 3. de Theologia, demonstrat nihil absurdi sequi, et a divinitate alienum ex unione Verbi cum humanitate; et sic loquitur de Christo pagin. 575. " Natus quidem est, sed " etiam genitus erat: ex muliere qui- " dem, ceterum Virgine. Illud huma- " num, hoc divinum: Patris expers hic, " Matris expers illic. Utrumque horum " divinitatis est. Materno quidem utero " gestatus est: verum a Propheta cogni- " tus est, et quidem in utero adhuc exi- " stente, atque coram Verbo, cujus cau- " sa procreatus fuerat saltante fasciis qui- " dem involutus est: At sepulturæ fascias " rediviyus excussit. In præsepio quidem " reclinatus est: ceterum ab Angelis ce- " lebratus est, et a stella indicatus, et " a Magis adoratus. Cur tu ad id quod " oculis cernitur offendis, dum non id " spectas quod anima et intelligentia per- " cipitur? In Ægyptum quidem pulsus " est, Ægyptiorum errores in fugam " vertit, juxta aliam versionem: *Verum " impura idolorum sacra depulit atque profli- " gavit*. Non erat illi species neque de- " cor apud Judæos: sed apud Davidem " speciosus erat forma præ filiis homi- " num, atque etiam in monte fulgoris " in modum lucet, sole clarior efficitur, " futurum videlicet splendorem adum- " brans. Baptizatus quidem est ut homo, " sed peccata sustulit ut Deus: Non quod " lustrationis indigeret, sed ut aquis ipsis " sanctitatem afferret. Tentatus est ut homo, " at victoriam adeptus est ut Deus, at " confidere nos jubet, ut qui mundum vi- " cerit. Fame affectus est: sed multa ho- " minum millia aluit, ipseque panis est " vivificus ac cælestis: siti laboravit, sed " clamavit: Si quis sitit, veniat ad me & " bibat: atque etiam facturum se pollici- " tus est, ut qui fide prædit̃i sunt, fon- " tis instar scaturiant. Fatigatus est, sed " eorum qui fatigantur, atque onerati " sunt, est requies. Somno depressus est: " sed in mari levis incedit, ac ventos in- " crepat. Petrumque pessum euntem sub- " levat. Vectigal pendit, sed ex pisce, " sed exigentium Rex est. Samaritanus, " & dæmoniacus; at ei qui a Jerosoly- " mitana urbe descendens, in latrones in- " ciderat, salutem affert; atque a dæ- " monibus agnoscitur, & dæmones fu- " gat, & spirituum legiones in profun- " dum præcipites agit, ducemque dæmo- " num quasi fulgur cadentem videt: " lapidibus petitur, sed non arripitur. " Orat, sed alios orantes exaudit. Col- " lacrymat, sed lacrymas sedat. Quærit " ubi positus sit Lazarus, homo enim " erat, sed Lazarum a morte ad vitam " excitat: Deus enim erat. Venditur, " & quidem vili pretio, nempe triginta " argenteis; sed interim mundum pretio " magno, hoc est, cruore suo redemit. " Ut ovis ad occisionem ducitur: verum " Israel pascit, nunc autem universum " terrarum orbem. Ut agnus mutus est: " sed idem verbum est, illius in deser- " to clamantis voce annuntiatum. Lan- " guore affectus ac vulneratus est; verum " morbum omnem & languorem pellit. " In lignum tollitur, illicque affigitur; " sed nos vitæ ligno restituit, sed latro- " nem etiam simul pendentem salute af- " ficit, sed id omne quod cernitur obte- " nebrat. Acceto potatur, ac felle pa- " scitur: sed quis? Is nempe qui aquam " in vinum commutavit, atque amarulen- " tum illum gustum sustulit, inquam, ip- " samet dulcedo, totusque desiderium. " Animam tradit; sed ejus rursus acci- " piendæ potestatem habet; sed velum " rumpitur, supera enim patefiunt; ac " petræ scinduntur; sed mortui prius ad " vitam revocantur. Moritur; sed vitam " impertit, ac morte sua mortem extin- " guit. Sepultura afficitur; sed resurgit. " In infernum descendit; sed animas rur- " sus ducit, atque in cœlos ascendit, " venturusque est ad judicandum vivos & " mortuos. " Et sic Gregorius omnia spe- cie contradictoria ipso Scripturarum con- textu dilucide concordat.

A R.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum unio Verbi divini cum humanitate sancta sit substantialis & hypostatica?

SENSUS quæstionis est, utrum Verbum immediate sit unitum humanitati, ita ut vices gesserit subsistentiæ creatæ, & homo in Christo subsistat subsistentia divina. Negavit Nestorius, qui in hoc habuit magistrum Theodorum Mopsuestenum; Patronum vero Joannem Antiochenum: Fautores, Theodoretum & Ibam: Judicem Cyrillum Alexand. cujus quidem declinare sententiam tentavit variis, sed fucatis explicationibus & dolis, maxime sanctum Præsulem accusando de Apollinaris hæresi. Unde hic sex momenta pertractanda incumbunt. I. De historia Nestorianismi, qui multum exagitavit Ecclesiam, quique ad nostra usque tempora grassatur in variis Orientis regionibus. II. An Nestorius impegerit in errores qui illi imputantur? III. De fide B. Cyrilli Alex. IV. De puritate doctrinæ Joannis Antiocheni. V. De tribus Capitulis. VI. De Felice & Elipando Nestorianis. VII. Denique de ipso dogmate circa unionem Verbi cum humanitate. Unde sit

SECTIO PRIMA.

Historia Critica Nestorianismi.

ORTUS.

NESTORIANISMUS ortum duxit a Paulo Samosateno, & Faustino, qui unicam cum Sabellio in SS. Trinitate personam esse effutiebant, & Christum purum hominem dicebant: Nestorius ab illis discedebat in primo, sed in secundo conveniebat puncto, cum hac tamen clausula, quod duas in Christo admitteret personas, unam scilicet divinam, humanam vero alteram. Istum errorem ex professo docuerunt primi Diodorus Tarsensis, ut colligitur ex epistola S. Cyrilli ad Succensum Episcopum, & Theodorus Mopsuestenus, qui ab omnibus Historicis Magister Nestorii creditur.

Nestorius ex Germanitia Syriæ oppidulo oriundus, primo Monasticam vitam coluit in Monasterio S. Eupræpii prope Antiochiam, ubi humanioribus litteris fuit eruditus. E Monasterio autem in Clerum Antiochenum coaptatus atque Presbyter factus, eloquens, inquit Socrates Lib. 7. cap. 29. & quamdam sanctitatis speciem simulans per jejunia &c. docendi populum munus obtinuit; quo in officio ita se gessit, ut ob eloquentiæ & sanctimoniæ famam ad Sedem Constantinopolitanam ann. 421. evectus sit, Cœlestino I. tunc summo Pontifice, & Theodosio I. imperante, qui deceptus, sibi videbatur alium in Nestorio recuperasse Chrysostomum.

Nestorius initio sui Episcopatus Maximum pro fide Catholica zelum simulavit, quippe qui Arianos, Macedonianos, & Quatuordecimanos exagitaret, sed intrinsecus lupus rapax, Pelagianus & Christi ejusque Matris hostis infensissimus.

Prima ejus hæresis eruptio, fuit dignitatem Matris Dei B. Virgini abjudicare, ut refert Socrates Lib. 4. quod patet in epistola, quam scripsit ad Anastasium Presbyterum, cui præcipiebat hunc spargere errorem coram populo, donec opportuniori tempore, ipse illum juris publici faceret. Anastasius igitur inter sacra solemnia sermonem ad populum habens coram Nestorio impudenter dixit, Mariam non esse appellandam Dei Matrem: quod quidem factum non solum, non repressit Nestorius, sed laudavit; idem postea dixit Dorotheus quidam Episcopus, ut colligitur ex Epist. 6. S. Cyrilli.

Populus cum aliis omni exceptione majoribus ægre tulit blasphemiam Anastasii, qui a quodam Monacho, propter hoc ab Ecclesia ejectus, & semper ejici voluit, ut patet ex supplicatione Monachorum urbis CP. relata 1. parte Concilii Ephesini, cap. 30. qui & pari zelo restiterunt Dorotheo: Sed Nestorius vi & minis atrocibus suos defendit, Monachum flagris publice cæsum in exilium mitti curavit: postea errorem confirmare studens, ipse de hac controversia in Ecclesia disseruit, Quæstiones ea de re proponens, & vocem Deiparæ semper rejiciens. Illi restiterunt publice Eusebius disputatione in ipsum proposita, quæ legitur 1. parte, Concil. Ephes. cap. 13.

item

item & multi Presbyteri, sed auctoritate Nestorii oppressi silere coacti sunt, inde Hæresis crevit in malam arborem.

Progressus.

INTER hæc sensim obrepebat error, & plurimorum animos exagitabat, nondum tamen Constantinopoli grassabatur, sed quo proficisci non poterat, Nestorius dicta sua scripto mittebat, tum & quasdam Homilias, quibus hæresim suam traderet, misit in Ægyptum, ubi Patronos invenit: quibus auditis S. Cyrillus Alex. fortiter se opposuit errori, & hac de causa scripsit ad Monachos, ne aut simplicitate, aut præoccupatione a fide deviarent. Nestorium quoque monuit, ut se in fide contineret. Sed contra, his exacerbatus, omnium commovit animos in Cyrillum, ipsum accusans, quod Egenos opprimeret, quod & seditiones in Ecclesia excitaret, quinimmo scripsit ad Cœlestinum I. contra S. Præsulem, quem & in errorem Apollinaris impegisse asserebat.

De his admonitus Cyrillus Possidonium Diaconum Romam misit cum litteris, quibus certum faciebat SS. Pontificem de hæresi, & de pravitate Nestorii, quibus lectis, ipsi & non Nestorio, qui prior scripserat, fidem adhibuit, tum citra moram coegit Romæ Concilium, ubi damnatis Nestorio & ejus erroribus, ad Cyrillum scripsit, ut sententiam significaret, nisi intra decem ab admonitione dies ad meliorem rediret frugem. Scripsit etiam ad Juvenalem Antiochiæ Episcopum, tum ad majorum Sedium Orientis Præsules, & ad Clerum CP. ut una fide, & uno ore Nestorium infectarentur.

Cyrillus Apostolicæ Sedis præsidio munitus, & Vicaria fretus auctoritate, ut Papæ mandata exequeretur, convocatis Alexandriæ ex omni Ægypto Episcopis, eorum consilio, ad Nestorium dedit epistolam, cui adjecit duodecim Anathematismos fidem Dominicæ Incarnationis & continentes & explicantes, denuncians ei quod, si decem diebus ad resipiscendum datis non pareret, lata in eum a Cœlestino sententia suum obtineret effectum.

Nestorius non solum cuncta contempsit, sed in furorem actus, adjuvantibus Theodoreto, & Joanne Antiocheno suis amicis, alios duodecim anathematismos Cyrilli capitulis opposuit: Tum ad declinandam sententiam, prædictis & aliis Syriæ Præsulibus suasit capitula Cyrilli, Apollinaris erroribus esse referta: vel ipsum Imperatorem contra Cyrillum tamquam contra Hæreticum commovit.

Interitus.

FIDEI cultores & defensores gravissimis imperante Nestorio affecti suppliciis, & totus Clerus commotus Concilium generale efflagitabant, ut tempestas tanta ejus sedaretur definitionibus, qua de causa Cyrillus Juvenalem Constantinopolim misit, ut si fieri posset, ad meliora Nestorium revocaret. Sed nihil proficiens, Imperator cedens precibus Cleri, indixit Ephesi Concilium mense Junii anni proximi 431. celebrandum. Augustinus invitatus fuerat, sed morte præventus, nondum accepta Imperatoris epistola, venire non potuit.

Ad Synodum profecti sunt tres Legati Cœlestini, scilicet Arcadius, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter Ecclesiæ Romanæ. Ibi convenere 265. Episcopi. Joannes Antiochenus Nestorii Patronus, cum aliquibus Episcopis hæresim Pelagii redolentibus de industria moras nectens abfuit, sicut & Theodoretus, qui partes Nestorii adjuvabat. Interea Joannes ad Cyrillum scripsit, ut illum propter moram excusatum haberet, Patres Synodicos adhortans, ut se se ad celebrandum Concilium accingerent, nec ipsum amplius expectarent.

Die igitur 22. Junii incepit Concilium: pridie autem missi fuerant Episcopi ad Nestorium, qui eum ad comparendum citarent, ut de sua fide redderet rationem, quibus respondit, se matura deliberatione prævia quid agendum foret, brevi deliberaturum. Interim errores suos sic pertinaciter & sine pudore edocuit, ut palam affirmare ausus sit bimestrem & trimestrem Deum se appellare non posse; sic enim appellabat Christum Dominum. Die sequenti cum ter citatus sese sisteret in Concilio noluisset, lata sententia proscriptus, Sacerdotii gradu, ac fidelium communione privatus est. Quod quidem probavere Legati, qui paulo post ad Concilium venerunt,

Post

Post hæc, elapsis quinque diebus, Ephesum venit Joannes Antiochenus, quadraginta circiter Episcopis stipatus, qui intellecta Nestorii damnatione excandescens, coegit statim in eadem urbe conciliabulum, in quo quidem Synodum Oecumenicam rescidit, & pro Nestorio ipsum Cyrillum et Memnonem urbis Ephesinæ Episcopum deposuit, consentiente Candidiano Comite, Nestorii fautore, qui ab Imperatore missus fuerat ad impediendum tumultum. Joannes objiciebat Cyrillum Apollinaris errores propugnare in suis anathematismis.

Cyrillus Joannem citavit, ut rationem redderet, & de facto audaci, & de sua fide, qui cum obedire renuisset, tamquam Hæretici fautor Episcopali dignitate exutus est. Tum uterque ad Imperatorem scripsit, qui primo recipiens Joannis Epistolam, credidit Cyrillum hæreticum esse, ejusque exauctorationi suum addidit calculum; immo & in carcerem conjici voluit, sed acceptis postea B. Cyrilli litteris, se retractavit, depositionem Nestorii confirmavit, qui statim in monasterium suum detrusus, tum ab eodem expulsus eo quod alios suis corrumperet erroribus, in exilium apud Oasim missus est, deinde vagabundus per Thebaidem, lingua vermibus corrosa, miserande obiit.

Facto Imperatoris perterritus Joannes, cum Cyrillo reconciliatus apparebat, sed nondum vere & ex corde, de quo certior factus Imperator Aristolaum Tribunum cum Notario misit, qui Joannem vere reconciliaret cum Cyrillo & Concilio; hinc Joannes ad se reversus Alexandrinam misit Paulum Emissenum, qui discussa adamussim Nestorii controversia in Concilio definita nomine Joannis, & totius Ecclesiæ Antiochenæ, Nestorii damnationem, & in ipsius loco Maximiani electionem probavit atque confirmavit. Cujus rescriptum ad Sixtum III. tunc loco Cœlestini defuncti SS. Pontificem missum est. Ista omnia sic actitata referuntur in Concilio Ephesino.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Nestorius vindicari possit ab hæresi circa Dominicam Incarnationem?

MIRUM est Nestorium tot Conciliorum anathematibus percussum, & a celebritate Concilii Ephesini tamquam hæreticum, & impiissimum semper habitum, nihilominus anno 1645. ab hæreseos labe purgari, opera cujusdam Anonymi, qui tamen, ut plures autumant, est Albertinus minister Calvinista: quo pietatis animo, judicate; nam ut salvet Nestorium, sanctum Cyrillum Alexandrinum ceterosque Concilii Ephesini Patres, Manichæis, Valentinianis, & Apollinaristis favisse non sine ausu temerario scripsit: Sed quod stupendum magis est, non desunt inter Novatores qui eumdem hæreticum excusatum habeant, & ab Albertino tantum discrepent, quod salvo fidei dogmate circa unionem, erroris dumtaxat eum insimulent circa Mariam, quam *Theotocon* esse negavit. Contra omnes tria momenta controversia præsens complectitur: unum de opinione Nestorii, alterum circa Verbi unionem, tertium circa matris Dei pro BB. Virgine dignitatem; unde sit

§. I.

Num Nestorius duas esse in Christo personas propugnaverit?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatio ex ipsis Nestorii Scriptis.

ILLE Christum non habuit ut Deum, qui duas in eo & prædicavit, & docuit personas: Atqui res sic se habet: Et probatur. Qui dicit Deum solum inhabitare in Christo, ut in templo, & ipsum non esse Deum nisi honore & participatione; qui negat communicationem Idiomatum, qui impugnat fidem Dominicæ Incarnationis in anathematismis B. Cyrilli expressam, dubio procul duas esse in Christo personas expresse docet. Nec aliam tametsi præcellentem divinitatis cum humanitate assumpta unionem præter moralem agnoscit: Atqui ex scriptis Nestorii hoc ipsum patet: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes ex Concil. Ephes. edit. Coloniæ Agrippinæ anno 1506.

Primo: Sic loquitur Nestorius in prima sua ad S. Cyril. Epist. Tom. I. cap. 13. Concilii; " Quasi vero quæ in Dei Verbum naturaliter conveniunt ea templi, " hoc est corporis conjunctione penitus " abolita sint .... rectum proinde Evangelicæque traditioni consentaneum est, " ut Christi corpus divinitatis templum " esse confiteamur, illudque nexu usque " adeo sublimi divinoque & admirabili " ipsi conjunctum esse statuamus, uti divina natura ea sibi vindicet, quæ corporis alioqui sunt propria. " Audis Nestorii ex ore divinitatem esse in Christo solum ut in templo?

Secundo: Ibidem negat communicationem Idiomatum & sic pergit: " Verum " propter eam, sive communicationis, sive appropriationis notionem, nativitatem, passionem, mortem, ceterasque " carnis proprietates divino Verbo ascribere, id demum, mi frater, mentis est " Paganorum more vere errantis, aut certe insani Apollinarii & Arii & aliorum " quæ hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis. "

Tertio: In libro quem ad suæ doctrinæ explicationem ad Concilium Ephesinum misit, docet Christum non alio modo esse Deum, quam improprie, & non per se, immo non magis quam Moysen, & mera appellatione propter gratiæ plenitudinem. Sic enim legitur Tomo 2. cap. 8. Concilii, ubi Nestorius quaternione 16. sic loquitur de Christo: " Non per se, " & secundum se Deus est, quod Spiritus sancti opera effectum est ..... At vero quia Deus in homine assumpto existit, assumptus assumenti conjunctus, " propter assumentem Deus appellatur. " Rursus quaternione 17. " Verum, *inquit*, " ut rerum omnium opificem Deum appellamus, & Moysen rursum Deum; " ait enim: Constitui te Deum Pharaonis .... ita quoque Dominum nostrum, " & Deum & Christum, & sanctum appellamus. Verumtamen licet nominum " communicatio similis sit; dignitas tamen dissimilis existit. " Videas velim Nestorium nominis tantum, nusquam vero entitatis communicationem inter Deum & Christum admittere.

Quarto: Per omnia impugnat Nestorius divi Cyrilli anathematismos, ubi fides Dominicæ Incarnationis explicatur. Revera quidem B. Cyrillus in primo statuit Christum esse verum Deum, & Mariam *Deiparam*: in secundo naturas esse hypostatice unitas, & Christum esse unum, eumdemque Deum & hominem: in tertio naturas non esse conjunctas sola unione morali, sed & naturali: in quarto ea, quæ dicuntur de Christo, per communicationem Idiomatum dici quoque de Deo & homine: in quinto, Christum esse verum Deum, & non purum hominem seu Deiferum: in sexto Verbum non esse Christi Deum aut Dominum, sed unum Deum simul & hominem: in septimo, Christum non esse hominem Verbo divino unitum velut ejus organum & instrumentum: in octavo, una eademque adoratione *Emmanuelem* adorandum esse, quatenus Verbum factum est caro: in nono, Christum non accepisse patrandi miracula virtutem a Spiritu sancto quasi ab ipso alienum, sed illa potius una & eadem virtute sibi propria fecisse: in decimo, Pontificem nostrum esse Dei Verbum quod pro nobis obtulit sacrificium: in undecimo, carnem Domini esse vivificam non virtute emendicata a Verbo secundum dignitatem tantum, sed hypostatice sibi conjuncto: in duodecimo, Verbum vere passum esse in sua carne, & sua propria virtute resurrexisse a mortuis.

Nestorius e contra totidem anathematismos aliis opponit. In primo quidem affirmat Christum non esse *Emmanuelem* seu Deum, & Mariam *Deiparam*: in secundo Christum esse unum cum Deo conjunctione, nusquam vero natura & hypostasi. In tertio, utramque naturam non conjungi in una Filii persona: in quarto, passiones & tolerantias non esse Verbo tribuendas: in quinto, negat clare unionem hypostathicam, his verbis: *Si quis unum esse post assumptionem naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit*. In sexto, dicit Christum propria virtute non surrexisse a mortuis: in septimo, Christum non esse unigenitum Dei Filium nisi appellatione & appropriatione propter ejus unionem cum eo, qui est naturalis Dei Filius: in octavo, Verbum non assumpsisse formam servi, nisi appellatione propter affinitatem cum Filio Mariæ: in nono, Christum virtute propria non

non patrasse miracula : in decimo, Verbum non esse nostrum Pontificem : in undecimo, carnem Christi esse vivificatricem emendicata tantum a Deo virtute : demum in duodecimo iterum prohibet passiones & dolores tribui Verbo.

Secundo, ex Libello accusationis, & sententiis Conciliorum.

QUI adhibita omni juris solemnitate de aliqua convincitur hæresi, & ut pertinax damnatur, citra dubium hujusce hæreseos reus est : Atqui Nestorius in Concilio generali Ephesino ita proscriptus legitur : Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo quidem Nestorius Tomo 1. cap. 11. a Clero Constant. sic accusatur : " Quicumque Schedam hanc accepturi sunt, eos per Sacro-sanctam Trinitatem adjuro.... ostendant, ejusdemque, si fieri potest, exemplum ad evidentem hæretici Nestorii reprehensionem iisdem impertiantur : ut qui eadem prorsus, quæ Paulus Samosatenus ante 160. annos a Catholicis Episcopis anathemate condemnatus, docere ac sapere aperte convincatur : quæ autem ab utroque dicta doctaque comperiuntur, ea ad hunc modum se habent. Paulus Samosatenus ait : Maria Verbum non peperit. Nestorius ab hujus sensu non recedens : Heus tu, inquit, bone vir, Maria divinitatem non edidit.....qui ex Virgine natus est, tantum homo est &c. " Ibidem accusatur dixisse divinitatem esse in Christo solum ut in templo, nec alio modo Christum esse Deum quam Moysen.

Secundo ibidem cap. 17. refertur epistola Cœlestini Papæ ad Nestorium, qua paterne eum adhortatur ut ad meliorem redeat frugem, sin minus sciat se esse exauctoratum.

Sententia adversus Nestorium lata a Cœlestino I.

QUAMOBREM *hoc tibi persuasum habeas velim, nisi de Christo Deo nostro ea teneris & docueris, quæ, & Romana, & Alexandrina, & universa Ecclesia Catholica tenet, & docet, sanctaque magna Constantinopolis Ecclesia, usque ad tuum Episcopatum tenuit & docuit ; & perfidam illam novitatem, quæ ea divellere nititur, quæ sacra Scriptura conjungit, intra decem dies, post hanc admonitionem ad te perlatam enumerandos, aperta, scriptaque confessione detestatus fueris ac repudiaveris, ab universa Ecclesiæ Catholicæ communione quam primum te expulsum proscriptumque iri ; & hoc nos plane facere, in animum induxisse.*

Sententia Concilii adversus Nestorium.

CONCILIUM Tomo 2. cap. 10. primum ait Nestorium contumacem citationi parare noluisse, deinde vero compertum se habere, tum ex ejus scriptis, tum ex testibus fide dignis multa impie docuisse, deinde sic pronuntiat : *Igitur Dominus noster Jesus Christus quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sacram hanc Synodum eumdem Nestorium, omni prorsus Episcopali dignitate privatum, & ab universo nihilominus Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse decernit.*

Tertio, ex Historiographis, & Patribus.

ILLUM ut hæreticum circa Dominicam Incarnationem habere debemus, quem talem fuisse scribunt Historici omni exceptione majores : Atqui isti sic referunt, in primis Magnus S. Leo, qui Epist. 134. edit. novæ anathemate percellit Nestorium propter errores recensitos. Theodoretus Libr. 4. hæreticarum Fab. Evagrius Hist. Ecclesiast. Libr. 1. Sap. 2. Facundus Hermianensis Lib. 1. pag. 135. idem scribunt; Tum & Vincentius Lyrinensis in commonitorio cap. 17. ubi sic habet : " Nestorius contrario Apollinari morbo, dum se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse vult filios Dei, duos Christos : unum Deum, alterum hominem. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES : Ille non docuit duas esse in Christo personas, qui Christum non esse purum hominem adversus negantes propugnavit : Atqui Nestorius Christum non

 esse

esse purum hominem jugiter defendit: Et probatur. Serm. 12. sic perstringit Paulum Samosatenum eo quod Christum haberet ut purum hominem: " In stupore den„ tium, *inquit*, remaneat Paulus Samosa„ tenus, qui nobis Dominicam humanita„ tem nudam a Deitate delirat, qui so„ lam præter divinitatem fabulatur hanc, „ quæ semper conjuncta est, atque con„ nexa, quæ eadem ac pariter potest quæ „ Deus. „

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Nestorius negat Christum esse purum hominem in sensu Pauli hæretici, concedo: in sensu Catholico, nego. Paulus volebat Christum esse hominem non alio modo quam ceteros homines, immo & sanctam humanitatem absque Verbo quandoque extitisse; Nestorius quidem in eo cum Paulo conveniebat, quod utique inter Verbum & humanitatem non aliam esse nisi unionem moralem diceret, sed a sententia prioris deflectebat, eam & perpetuam & indissolubilem propugnando. Solutio patet ex dictis de Libello accusationis, ubi hæc habentur: " Paulus ait: Maria edidit hominem no„ bis similem, Nestorius dicit, qui ex „ Virgine natus est, homo est. „ Nestorius est sui ipsius interpres; sic enim lo„ quitur Sermon. 1. " Non per se ipsum „ Deus est, quod in utero figuratum „ est. „

Instabis: Atqui Nestorius admisit unionem in Incarnatione plusquam moralem: Ergo &c. Probatur subsumptum. Primo quidem, loco mox laudato ex conjunctione Verbi cum humanitate concludit humanitatem eadem posse ac ipsum Deum. Secundo, majorem admittit in Christo unionem quam ipse Paulus Samosatenus, ut liquido patet ex verbis Sermonis 12. Tertio, in sua ad Cœlestinum epistol. omnia fidem Catholicam spirant: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Ex conjunctione divinitatis cum humanitate Nestorius inferebat hominem in Christo cuncta posse ministerialiter, & ut divinitatis instrumentum, concedo: ut causam principalem, nego. Quandoquidem in nono suo anathematismo propugnat Christum emendicata tantum a Spiritu sancto virtute patrasse miracula.

Ad alteram probationem similiter distinguo: Nestorius majorem moraliter admisit inter divinitatem & humanitatem unionem ea, quam admittebat Paulus Samos. concedo: majorem physice, nego. Triplex erat inter opinionem Pauli & Nestorii disparitas: prima quidem, Nestorius divinitatem esse in Christo, ut in templo per nexum admirabilem & perpetuum dicebat; e contra vero Paulus, Verbum non semper fuisse cum Christo: altera, Nestorius Christum ut justum in gratia & dignitate ceteros superantem habebat, at non sic Paulus: Demum Nestorius Christum appellatione Deum propter eminentes ejus prærogativas prædicabat, Paulus non sic, sed nomine & re meram creaturam esse effutiebat.

Ad id vero quod dictum est, epistolam Nestorii ad Cœlestinum esse Catholicam, distinguo: erat quoad aliquos terminos, transeat: quoad substantiam, nego. Nusquam enim admisit unionem substantialem & hypostaticam: hinc ipse Cœlestinus in sua ad ipsum Nestorium epistola eum reprehendit quod subdole inanibus vocibus multos decepisset: " Quid, *inquit*, ita iis „ de rebus quæstiones inceptare volui„ sti, quos vel cogitare blasphemia est? „ &c. „

Urgebis: Nestorius etiam unionem hypostaticam admisit: Ergo &c. Probatur Antecedens. Ille admisit unionem hypostaticam qui Christum non divisit: Atqui res ita se habet; & probatur: Ille Christum non divisit, qui nec duos dixit filios, nec duas in Christo personas: Atqui non duos dixit filios, non duas personas: Et probatur: Sermon. 2. sic loquitur: " Christus secundum quod est Christus in„ divisus est, & filius secundum quod est „ filius indivisus est: non enim habemus „ duos Christos, aut duos filios: neque „ est apud nos primus Christus & secun„ dus, neque alter & alter, neque ite„ rum alter filius, & iterum alter filius, „ sed idem ipse est duplex, non dignita„ te, sed natura. „ Audis Nestorium non personam, sed naturas tantum dividere.

Respondeo negando subsumptum, sicut & minorem primæ & secundæ probationis. Ad ulteriorem distinguo: Unum dixit Christum unitate morali, unitate honoris, dignitatis, immo & adorationis, concedo:

uni-

unitate substantiali, nego. Nestorius propter intimam moralem Verbi cum humanitate conjunctionem statuebat unum dici filium & Dominum, unum unitate juris & conjunctionis, qualis agnoscitur inter conjuges; quia vero propter conjunctionem nuptiarum prærogativæ sunt conjugibus communes, pari & consimili ratione volebat Christum appellatione esse Deum, & propter hanc dignitatem utique adorari: Sed eum prorsus abnegasse unitatem substantialem ex probationibus patet, maxime vero ex anathematismo quinto, ubi suam prodit mentem his verbis: " Si quis unum esse post assumptio„ nem hominis naturaliter Dei filium au„ det dicere, cum sit *Emmanuel*, anathe„ ma sit. „ Ecce Nestorius Christum agnoscens quidem *Emmanuel*, scilicet nobiscum Deum, sed non Deum secundum se. Ne mireris, pro more hæreticorum verbis subobscuris & apparenter Catholicis suos ut fucum faciat, legentibus obtegit errores.

Insistes: Agnoscit Nestorius unigenitum Dei Filium etiam in singularitate personæ, immo & in sensu B. Cyrilli. Igitur & prorsus catholice. Probatur subsumptum: in sua secunda ad S. Cyrillum epistola ita scribit: " Credimus in Dominum „ nostrum Jesum Christum Filium ejus „ unigenitum .... neque ea, quæ filia„ tionis & proprietatis sunt scindantur; „ neque ea rursum, quæ naturarum sunt, „ propter filiationis singularitatem in con„ fusionis periculum adducantur. „

Rursus, ibidem tribuit Christo sicut Catholici divina & humana, & utramque naturam, alteram patibilem, alteram vero impatibilem in una persona proclamat, deinde subjungit: " In eo autem non in„ juriate laudo, quod distinctionem natu„ rarum secundum divinitatis & huma„ nitatis rationem, harumque in una „ dumtaxat persona conjunctionem præ„ dicas. „ Eo loci loquitur de sancto Cyrillo: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Nestorius voce tenus unigenitum Dei Filium agnoscit in Christo, concedo: vere & Catholice sicut Cyrillus, nego. Verba ejus immediate subsequentia, quænam fuerit ejus mens subdola, aperiunt; sic enim eumdem alloquitur Præsulem: " At vero utrum re„ liqua occultam aliquam & incomprehen„ sibilem sapientiam legentium auribus „ inserant, id tuæ solertiæ fuerit dijudi„ care: mihi sane cum antecedentibus adeo „ non cohærere videntur .... quasi vero „ quæ in Dei Verbum naturaliter conve„ niunt, ea templi, hoc est, corporis „ conjunctione penitus abolita sint. „ Quibus verbis clare solvit unionem hypostaticam: cuncta sunt distinguenda.

Persona potest considerari dupliciter: Primo quidem in concreto, & sic importat totum individuum seu compositum, in quo sensu homo dicitur persona, & homo assumptus unus Christus ex natura divina et humana ac persona Verbi coalescens; tum in abstracto et secundum se, abstrahendo a natura, in qua subsistit, sub quo respectu secunda SS. Trinitatis persona dicitur Verbum: Nestorius propugnabat unam esse in concreto personam pro Dominica Incarnatione, sed substantialiter humanam ut in ceteris hominibus, divinam vero appellatione propter conjunctionem Dei cum homine; hinc aliud esse Christum, & aliud Verbum: de Christo explicat cuncta Scripturæ loca, tum de nativitate temporali, tum de passionibus, ratus se explicare fidem incarnationis, si unionem tantum moralem admittendo, appellatione divinam nuncuparet.

Isto prorsus sensu suam prodit mentem Epist. laudata ad Cyrillum his verbis: " „ Observa hic quomodo Dominum no„ strum, Jesum Christum unigenitum, „ nomina utique, quæ humanæ divinæ„ que naturæ ex æquo conveniunt .... ne„ que ea, quæ filiationis & proprietatis „ sunt scindantur, rectum proinde Evan„ gelicæque Traditioni consentaneum est, „ ut Christi corpus divinitatis templum „ esse confiteamur; illudque nexu usque „ adeo sublimi, divinoque & admirabili „ ipsi conjunctum esse statuamus, ut diva „ natura ea sibi vindicet, quæ corporis „ alioqui sunt propria. „ Igitur dicebat unum Christum & unum Verbum utrumque separando. Istam mentem iterum atque iterum prodit Serm. 1. " Incarnatus „ est quidem Deus, *ait*, sed non est „ mortuus. „ Rursus Serm. 4. " Ego „ natum & mortuum Deum, & sepul„ tum adorare non queo. „ Nestoriani veniunt in testimonium; sic enim in suo lo-

quuntur symbolo: " Neque duos filios aut „ duos Dominos dicimus, quandoquidem „ unus est tantum per essentiam filius, „ nempe Deus Verbum, cui conjunctus „ hic est homo Dei comparticeps; con„ sors enim est appellationis & honoris „ filii, ac essentialiter quidem Dominus „ est Deus Verbum: cui hic copulatus „ particeps est honoris: ideo nec duos fi„ lios, nec duos Dominos dicimus.„ Audis eos Christum unum cum Verbo non nisi appellatione & honore credere?

Replicabis: Atqui Nestorius unam in Christo personam unitate etiam substantiali agnovit: Ergo &c. Probatur subsumptum. Qui admisit communicationem idiomatum, vel ipsam hypostaticam unitatem tenuit: Atqui Nestorius istam idiomatum communicationem in eadem ad sanctum Cyrillum epistola propugnat, his verbis: " Quia enim mortis facturus erat „ Sanctus Paulus mentionem, ne quis „ hinc Deum Verbum patibile esse colli„ geret, & subjungit nomen hoc Chri„ stus, quod utramque naturam, patibi„ lem, inquam, & impatibilem in unica „ persona denotat .... uti divina natu„ ra ea sibi vindicet quæ corporis alioqui „ sunt propria. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem distinguo minorem: Nestorius, admisit communicationem idiomatum nomine & honore, concedo: fundatam in unione hypostatica, nego; hæc enim immediate subdit: " Verum propter eam, „ sive communicationis, sive appropia„ tionis notionem, nativitatem, passio„ nem, mortem ceterasque carnis pro„ prietates divino Verbo ascribere id de„ mum, mi frater, mentis est Pagano„ rum vere errantis, aut certe insani A„ pollinarii & Arii.„

Persistes: Quotiescumque Nestorius negat Filium Dei esse patibilem, & in tempore innascibilem, loquitur de Verbo in abstracto & secundum se: Sed hoc est Catholicum: Ergo &c. Probatur major. Epist. iterum atque iterum laudata ad S. Cyrillum, ubi Nestorius suam explanat doctrinam, *ait*: " Idem nimirum Christus „ patibilis simul & impatibilis citra fidei „ discrimen concipi queat; illud quidem „ secundum humanam naturam, hoc vero „ secundum divinam. „ Rursus ibidem: " Ubicumque igitur divinæ Scripturæ „ Dominicæ dispensationis mentionem fa„ ciunt, cum Incarnationem, tum ipsam „ quoque mortem & passionem non divi„ næ, sed humanæ Christi naturæ semper „ tribuunt. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Nestorius loquitur de Verbo secundum se, ut excludat ipsius cum humana natura unionem substantialem, concedo: servando fidei Dogma, nego. Quid enim ex hoc concludat, intelligite, scilicet Christum ex Maria natum esse purum hominem, nec aliter Deum quam Moysen. Ipse est sui ipsius interpres in locis supra laudatis, ac demum in ultimo, ubi post priora dicta sic pergit: " Quapropter si rem dili„ gentius consideremus, sacratissima Vir„ go non Deipara, sed Christipara appel„ landa erit . „ & sic patet solutio ad probationes.

Reponens: In formula sententiarum adversus Nestorium non legitur eum admisisse duas in Christo personas: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens: Hoc non habetur explicite, transeat: implicite, nego. Dico transeat, cum Patres Synodici in sententia adversus Nestorium lata declarent se illum exauctorare propter ejus in Christum blasphemias: Sed & hoc implicite saltem legitur, cum ille heterodoxus propter suas in Christum peregrinas doctrinas damnetur. Ceterum in discussione litis maturo eoque prævio examine Nestorii textus a judicio comparativo clare, ut erronei, Scripturæ sacræ, Symbolis, & Traditioni adversantes proscripti sunt; quæ quidem judicii formula ad hæc usque tempora servatur; sacra quippe congregatio, ut plurimum supponit hereticorum scripta explicite in processu litis discussa; hinc sententia qua quis damnatur, implicite singulos complectitur errores; eo quod sit & consequentia factorum proscribendorum, veluti totius controversiæ appendix & conclusio: Quod autem hoc fuerit in more positum, etiam ex sententia adversus Eutychetem a Concilio Chalcedonensi pronuntiata, liquet; heterodoxi quippe errores non nisi in genere recensentur, nec ibi fit mentio explicita & penes terminos de naturarum commixtione, quæ tamen palmaris erat Eutychetis error.

Persistes: Debemus judicare de mente & sen-

sensu Nestorii per auctores coævos: Atqui non ignoti nominis historiographi coævi contendunt Nestorium Dominicam non evacuasse Incarnationem. Ergo &c. Probatur minor, multis momentis. Primo quidem, Joannes Antiochenus suscepit Nestorii partes defendendas, & eo scopo durante ipso Concilio Ephesino, aliud in eadem urbe adunavit, in quo cum viginti duobus Episcopis, & juxta multos cum 40. rescidit Acta œcumenicæ Synodi contra Nestorium: immo in sua ad eam epistola, quæ extat 1. parte Concilii Ephes. capit. 25. edit. Regiæ, testatur Nestorium solas voces orthodoxas respuere, sed eamdem tenere cum Catholicis sententiam. Secundo, Theodoretus epist. ad Alexandrum CP. Nestorium veluti sanctum & in fide sanum celebrat. Tertio, Socrates Lib. 7. Hist. Eccles. capit. 32. fatetur quidem Nestorium fuisse hominem imperitum, sed BB. Virginem esse puri hominis matrem propugnasse negat. Quarto, Diodorus Tharsensis, & Theodorus Mopsuestenus Nestorii præceptores catholice de Christo crediderunt, quippe qui eum esse Deum faterentur: immo Diodorus 4. sæculo ob assertam Verbo divinitatem adversus Arianos, omnium Catholicorum, maxime sanctorum Athanasii, Basilii, & Epiphanii animos in se ita convertit, ut laudibus tum amicitia apud eos commendatus sit: Ergo &c.

Respondeo I. nihil roboris detrahi in conclusione ex prædictorum auctoritate: Et vero magis credendum est Concilio Ephesino, S. Leoni, & aliis supra laudatis, quibus consentiunt Cassianus Lib. 5. de Incarnatione adversus Nestorium cap. 1. Facundus Hermianensis Libr. 1. ubi de Nestorianis, sic loquitur: " Duos nobis filios licet non verbis, rebus tamen volunt inducere. "

Respondeo II. fidem non esse adhibendam Joanni Antiocheno, qui errore facti deceptus, non sine magno scandalo insurrexit adversus Synodum Ephesinam, postea vero certior de re factus, resipuit: Non Theodoreto, qui hæresis Nestorianæ insimulatus, in Chalcedonensi non sessit in eo tamquam Eutychetis Judex, donec prius & facta, & dogmata Nestorii damnaret, cujus etiam capitulum in quinta Synodo proscriptum est: Non Socrati, qui momentum, non ut Theologus, discutiens verbis fidei speciem habentibus, illusus conscripsit: non demum Diodoro & Theodoro, qui ut hæretici in quinta Synodo generali dejecti sunt: Neque vero auget difficultatem quod Diodorus a quibusdam Patribus celebretur, solemne quippe est apud hæreticos infectari aliquos errores ut proprios astruant. Esto laudatus sit pro iis quæ egit contra Arianos & Apollinaristas, sed non pro erroribus circa Incarnationem, quos tunc obtegebat.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Nestorius negavit unionem Hypostaticam.

PRIMO: Hoc claret ex ejus ad B. Cyrillum epistola, in qua Christum non Deum, sed solum divinitatis templum appellat: hoc, ex libello accusationis: hoc, ex anathematismis quos opposuit B. Cyrilli capitulis, quæ fidem Dominicæ Incarnationis explanabant.

Secundo: Hoc utique annuntiat Cœlestini I. SS. Pontificis adversus eum lata sententia, nec non & altera Concilii Ephesini adversus eumdem pronunciata.

Tertio: Idem testatur S. Leo Epist. 134. nov. edit. sic Theodoretus Libr. 4. Hær. fab. sic Evagrius Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 1. & alii.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Nestorius admisit quidem inter Verbum & humanitatem majorem unionem quam Paulus Samosatenus, sed majorem solum moraliter, quatenus illam volebat indivisam; e contra vero Paulus mutabilem, quippe qui Verbum reliquisse quondam humanitatem asserere non dubitaret.

Secundo: Nestorius utique unum in Christo Filium & Deum dicebat, sed unum unitate morali & juris, nusquam vero unitate substantiali.

Tertio: Frustra illum excusavit Joannes Antiochenus, & quidam alii, aut errore detenti, aut hæresis fuligine non nihil

Bb 4 con-

conspersi, ut Theodorus Mopsuestenus, Ibas, et Theodoretus.

§. II.

Utrum Nestorius negaverit BB. Virginem esse Deiparam?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

PROBATUR isto & irrefragabili argumento. Ille negavit BB. Virginem esse *Deiparam*, qui dixit esse matrem puri hominis, matrem Dei solum honore, & tolerantia; qui accusatus de hoc crimine, non resipuit, qui utique propter hanc hæresim damnatus est; quem demum sic perversè sensisse scribunt Historiographi fide dignissimi: Atqui res ita se habet: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo: Nestorius propugnavit BB. Virginem non nisi hominem genuisse: sic loquitur Epist. 2. Tom. 1. Conc. Eph. cap. 13. ad B. Cyrillum: " Penitus, si ita videtur, illorum dicta introspice, & plano mox sensu comperies divinum illum patrum Chorum nusquam docuisse, *Homousiam* divinitatem patibilem esse; aut, quæ patri coæva est, recens natam... quapropter si rem diligentius consideremus, sacra Virgo non *Deipara*, sed Christipara appellanda erit. " Tum & Jesum a verbo personaliter distinguit, & cuncta Scripturæ loca de generatione Christi & incarnatione explicat de humanitate per exclusionem a Verbo: Pergit: " Audi quomodo Evangelia istud proclament: Liber, inquiunt, generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham: Atqui perspicuum est, Deum Verbum non extitisse Davidis Filium etc. " Rursus Epist. 1. ad Cœlestinum: " Si quis autem hoc nomen *Teotochon* propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parientem proponat, dicimus quidem hoc vocabulum in eam, quæ peperit, non esse conveniens: oportet enim veram matrem de eadem esse essentia, qua ex se natum, ferri tamen posse propter ipsam considerationem, quod solum nominetur de Virgine hoc Verbum propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa sit Mater Dei. "

Secundo: Aperte damnatur in Concilio Ephesino propter talem errorem, immo causa damnationis incepit ex eo, quod primum BB. Virginem matrem hominis puri prædicari passus sit; ipse vero idem postea propugnaverit & verbis & factis.

Tertio: S. Leo Magnus Epist. capit. 134. novæ editionis, sic loquitur: " Anathematizetur ergo Nestorius, qui beatam Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, nec unum Christum in Verbo Dei, & carne sentiret, sed separatim atque sejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicaret. "

Diluuntur objecta.

OBJICIUNT I. Nestorii defensores: Ille non negavit BB. Virginem esse *Deiparam*, qui contrarium asseruit: Atqui Nestorius de facto confessus est esse *Deiparam*: sic enim loquitur Sermon. 6. " Si quis inter vos simpliciter, sive inter quoscumque alios voce hac *Teotochos* utitur, apud me nulla est de voce invidia; tantum ne Virginem faciat Deam. " Rursus Sermon. 12. " Damna, *inquit*, eos qui dicunt secundum Apollinaris & Arii sensum Dei genitricem, & ego una tecum clamo *Teotochos*. " Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Nestorius vocat BB. Virginem *Deiparam* tantum in sensu opposito Apollinarii & Arii, concedo: in sensu Catholico, nego. Apollinaris, propugnabat Verbum non fuisse semper humanitati sanctæ unitum; Arius vero Verbum esse meram creaturam; utrumque rejiciebat Nestorius, sed non eo venit ut unionem hypostaticam admitteret: hinc sicut Christum honoris causa Deum, sic & Mariam vocabat *Deiparam*. Ipse hunc prodit sensum Sermon. 12. subdit enim: " Filius Dei natus est, Deus Verbum & homo, ergo quæ peperit propter dignitatem dicatur Dei genitrix, id est *Teotochos*. "

Instant: In eo solum sensu Nestorius negat BB. Virginem *Deiparam* ut non sit Dea: Sed hoc est Catholicum: Ergo &c.

Respon-

Respondeo distinguendo: Ut non sit Dea, hoc est genitrix Dei tam in abstracto, quam in concreto spectati, concedo: Dei solum, seu Verbi secundum se considerati, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Catholici ultro concedunt Verbum secundum se, & reduplicative ut subsistens in natura divina nasci solum ab æterno in sinu Patris, sed ut incarnatum nasci quoque in tempore: quia vero concursus BB. Virginis pro sanctæ humanitatis generatione eatenus terminatus sit per Verbum, quatenus hypostatice unitum est homini, jure merito fuit & recte dicitur genitrix Dei. Si enim mater Jacobi, v. g. ejus dicatur mater, tametsi non produxerit animam, eo quod concursus matris terminetur per ipsam animam, cur BB. Virgo non esset *Deipara*?

Contra: Atqui Nestorius catholice locutus est: Ergo &c. Probatur subsumptum. BB. Virgo non est genitrix Dei secundum se: Igitur nec Dei ut Incarnati. Probatur consequentia: Filius totus nascitur ex muliere, & ab ipsa individuam habet naturam, adeoque & subsistentiam: Sed persona Verbi non potest dici catholice nasci ex creatura: Ergo &c.

Respondeo I. retorquendo argumentum: Jacobus totus ex matre natus est, & tamen nec animam & consequenter personam generavit mater. Igitur & absque Dei dispendio persona Verbi sanctæ unita humanitati nasci in tempore catholice pronuntiatur, hinc & totus Christus natus est ex muliere.

Respondeo II. negando subsumptum. Ad probationem nego consequentiam propter rationem mox allatam. Ad ulteriorem probationem, distinguo minorem: Persona Verbi secundum se, & in abstracto non potest dici nasci ex creatura, concedo: ut communicata, nego. Sicut enim ut totus homo dicatur genitus, sufficit quod anima communicetur & uniatur corpori, pari & consimili modo ut Verbum dicatur in tempore genitum, satis est, ut communicetur & uniatur substantialiter humanitati.

Insistunt: Implicat eumdem jam genitum iterum generari: Sed in hypothesi Verbum generaretur in æternitate simul & in tempore: Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Implicat eumdem esse genitum in æternitate & tempore sub eodem respectu, concedo: sub diverso, nego. Et sic distincta minore nego consequentiam. Verbum secundum se nascitur quidem in æternitate, ut incarnatum vero in tempore. Priori modo appellatur Verbum simpliciter; posteriori Christus, qui ab Apostolo dicitur factus ex semine David; non quod persona sit creata, sed ex eo quod compositum esse in tempore cœpit. Sic solummodo Salvator in tempore genitus est.

Urgent: Atqui Verbum non potest nasci in tempore: Ergo &c. Probatur subsumptum. Primo quidem, qui nascitur, accipit esse: Secundo, producitur etiam secundum personam, ut patet in humanis. Sed utrumque Verbo tribui non patitur fides. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad primam probationem distinguo: Qui nascitur in creatis accipit esse, & producitur etiam secundum personam, concedo: in divinis, nego. Ratio discriminis est, quod in humanis v. g. anima producitur a Deo, corpus vero & persona a Deo simul cum parentibus: at vero Verbum utpote æternum non est factum, & cum sit persona a se, non alio modo nascitur in tempore quam suam communicando humanitati subsistentiam: & hoc omni sæclufa dependentia, cum unio fiat per simplicem extensionem suæ actionis ad naturam humanam.

Ad alteram probationem, nego paritatem; persona enim humana ex unione animæ cum corpore coalescit, nec prior est composito, quocirca producitur saltem a Deo cum anima; si enim in abstracto sumatur, est solum quid incompletum, & modus entis, ex quo liquet produci simul cum toto: non sic sane Verbum, cum enim sit Deus, non alio modo dicitur in tempore nasci, ut dictum est, quam se communicando: hinc licet mulier non dicatur animæ genitrix, sed tantum hominis et totius compositi, immo et personæ, beatissima tamen Virgo dicitur *Deipara*, non quod produxerit personam, sed quia concursus ejus terminatus est a persona divina incarnata.

Dices: Si BB. Virgo diceretur simpliciter *Deipara*, hoc dubio-procul ad fidem astruendam adversus Nestorianos obstre-pen-

pentes fuisset Symbolo additum: Atqui tamen hoc non factum est: Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Hoc non factum est explicite, concedo: implicite, nego. Patres Ephesini animadvertentes Nicænos apposuisse in Symbolo Christum esse Filium Dei unigenitum Patri consubstantialem ex Maria natum, intellexerunt fidem sufficienter explanari in Symbolo; eo enim ipso quo Christus ibi declaratur Deus, consequenter & mater ejus *Deipara* annuntiatur; quamobrem in judicio comparativo dixere doctrinam Nestorii Symbolo Nicæno adversari. Ceterum in definitione fidei dixerunt BB. Virginem Teotochon, hoc est, *Deiparam*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Nestorius negavit BB. Virginem esse Deiparam.

PRIMO: Quia epist. 2. ad B. Cyrillum sic loquitur: " Si rem diligentius consideremus, sacra Virgo, non *Deipara*, sed *Christipara* appellanda erit. "

Secundo: Epist. 1. ad eumdem Præsulem concedit quidem, quandoque BB. Virginem posse vocari *Deiparam*, sed solum honoris specie & nomine, at numquam re, & veritate.

Tertio: Proscriptus est propter hunc errorem, & ortum habuit Nestorianismus ex eo quod Nestorius primum dixerit Mariam non esse *Deiparam*.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Nestorius nedum negavit BB. Virginem esse Dei Genitricem in abstracto, hoc est, Verbi in se spectati, sed & in concreto, hoc est negavit BB. Mariam esse matrem Verbi incarnati, scilicet Christi.

Secundo: Ultro fatemur filium Dei nasci in æternitate & in tempore; sed sub diverso respectu. Nascitur ut Verbum secundum se spectatum in æternitate, ut incarnatum vero in tempore generatum est.

Tertio: Tametsi Verbum nascatur in tempore, non inde sequitur dependere a creatura, & aliquid ab ea recipere, quia Incarnatio facta est solum terminando humanitatem, illam ad suam trahendo subsistentiam.

SECTIO TERTIA.

Utrum doctrina S. Cyrilli in suis epistolis & anathematismis sit ab omni labe pura?

NESTORIUS & sui, tum ejus patroni, ut anathemata Ecclesiæ declinarent, adversus S. Cyrillum insurrexere, præcipue vero contra sancti Doctoris anathematismos, in quibus Nestorianam profligat hæresim; ne autem fides aliqua eis adhiberetur, eos & Apollinaris, & Arii spirare errores mordicus propugnabant. Contra quos sit

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

PROBATUR isto ratiocinio. Illa doctrina ab omni labe pura est, quæ a tota Ecclesia magnis celebrata est Encomiis, quæque ut fidei adversus Nestorianam pravitatem columen & propugnaculum habita est: Atqui res ita se habet: Igitur doctrina in epistolis & anathematismis B. Cyrilli contenta, est ab omni errore immunis. Et probatur multis momentis.

Primo: Ex Cœlestino Papa, qui in sua ad S. Cyrillum epistola quæ extat 1. parte Concilii Ephesini cap. 15. edit. Regiæ, sanctum Doctorem, sic alloquitur: " Quin & nos quoque, dilecte frater, " nonnulla audituri eramus, nisi eadem " omnia quæ nos sentimus ac tenemus, " te itidem sentire, ac tenere perspice- " remus. Nam quæcumque sanctitas tua " de hoc negotio præscripsit, ea omnia " Possidonius Diaconus ordine nobis expo- " suit. Omnes illius sermonum technas " retexisti, fidemque ad eum modum cor- " roborasti, ut corda in Deum nostrum, " credentia in alteram partem abduci non " facile queant. Magnus sane hic fidei no- " stræ triumphus est, quod nimirum & " nostra tam valide probaveris, & his " opposita, per divinarum Scripturarum " testimonia, tam forter expugnaveris. " Eodem prorsus stylo in gratiam B. Cyrilli Epist. ad Nestorium cap. 13. & Epist. ad

ad Joannem Antiochenum cap. 20. ejuſdem Concilii 1. part. ſcribit.

Secundo : Ex Concilio Epheſ. edit. Reg. in omni articulo actione 1. cum Berrillus poſtulaſſet, num S. Cyrillus in ſua ad Neſtorium epiſt. fidem Nicænam optime attigiſſet, citra moram reſponderunt unanimiter Patres affirmative. Idem ſcripſerunt in ſua ad Cœleſtinum epiſtola, & in altera ad Imperatorem directa. Quid plura? Ab eodem Concilio illius adverſus Neſtorium anathematiſmi approbati ſunt: quinimmo eis uſi ſunt Patres ad perſtringendum Neſtorium: quia vero teſtimonium illud omni exceptione majus eſt, paulo fuſius illud explanare juvat.

Ergo in prima Parte lecti ſunt anathematiſmi B. Cyrilli Dominicæ Incarnationis fidem complectentes. P. ſecunda lectum eſt Symbolum Nicænum, quo quidem recitato, Petrus Presbyter Alexandriæ, & Notariorum Primicerius, dixit ſe habere epiſtolam Cyrilli doctrina exhortatoria refertam ad Neſtorium, quæ juſſu Patrum cito-citius lecta eſt: tum Cyrillus eoſdem ſic eſt allocutus: " Quare Sanctitatem veſtram rogatam cupio, ut coram exponat recte-ne & inculpate, ſanctoque illi Concilio convenienter exſcripſerim, an ſecus. " Tunc trecenti decem & octo Patres exultanti animo doctrinæ B. Cyrilli magnis non ſine laudibus ſuum dedere calculum. Unius aut alterius teſtimonium in medium proferre non erit injucundum.

" *Juvenalis* Ieroſolymorum Epiſcopus dixit: Sacro fidei Nicææ quondam edicto jam recitato, & ſanctiſſimi Archiepiſcopi Cyrilli epiſtola, per omnia ſibi utraque conſentanea, ac inter ſe conſentientia comperio. "

" *Valerianus* Iconii Epiſcopus dixit..... cum itaque ſanctiſſimi piiſſimique Patris noſtri Cyrilli epiſtolam iis, quæ orthodoxe abſoluteque a ſacra Synodo Nicæna dicta, editaque ſunt, conſonam conſentientemque perſpiciamus, huic nos quoque ſubſcribimus, & aſſentimur. "

" *Callicrates* Naupacti Epiſcopus dixit: cum epiſtola a Cyrillo ſanctiſſimo Patre noſtro & Archiepiſcopo edita, a ſanctorum beatorumque Patrum, qui in ſancta Synodo Nicæna quondam convenerunt, decretis & expoſitionibus non diſſentiat, illi aſſentior.

Tertio : Non abſimile teſtimonium de epiſtolis & anathematiſmis B. Cyrilli reddunt Synodus Alexandrina epiſtola Synodica ad Neſtorium, & Conſtantinopolitana ſub Flaviano contra Eutychetem adunata, act. 2. Chalcedonenſis actione 1. quæ de ſancto Cyrillo ſic loquitur: *Cyrillo æterna memoria. Si quis retractat, anathema ſit.* Deinde vero lecta ejuſdem Sancti Epiſtol. conclamaverunt Patres: *Credimus ſicut & Cyrillus.* Demum actione 2. lectæ ſunt aliæ duæ ejuſdem ſancti Doctoris epiſtolæ una ad Neſtorium, altera ad Joannem Antiochenum directa; tum nulla mora interpoſita, reſponderunt Epiſcopi: *Lætentur cœli, omnes ſic credimus.*

Quarto : Inſigne eſt quinti Concilii generalis pro eodem negotio teſtimonium, quippe quod ea ratione damnet ſcripta Theodoreti, quia in iis impugnabat divi Cyrilli anatemathiſmos. Can. 13. ſic habetur: *Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam ſanctam Synodum, & ſanctum Cyrillum, & duodecim ejus capitula expoſuit..... & non anathematizat ea, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt, inſuper autem & omnes qui ſcripſerunt contra rectam fidem, & ſanctum Cyrillum, & duodecim ejus capitula, & uſque ad mortem in tali impietate permanſerunt, talis anathema ſit.*

Rurſus can. 14. eadem ducti ratione defenſorem epiſtolæ Ibæ anathemate percellunt, his verbis, quod: *Sanctum Cyrillum, qui rectam fidem Chriſtianorum prædicavit, tamquam hæreticum, & ſimiliter Apollinario impio ſcripſiſſe criminetur, & inculpet primam Epheſinam ſanctam Synodum, tamquam ſine examinatione & quæſtione Neſtorium condemnantem, & duodecim capitula ſancti Cyrilli impia, & contraria recta fidei vocet.*

Quid plura adjiciam? Vigilius Papa in decreto quo Ruſticum & Sebaſtianum Romanæ Eccleſiæ Diaconos exauctoravit, aſſerit Cyrilli Epiſtolam ad Neſtorium ejuſque anathematiſmos a Concilio Epheſino, tum a Chalcedonenſi fuiſſe approbata. Idem teſtatur Gregorius II. SS. Pontifex in profeſſione fidei ad ſanctum Germanum CP. Patriarcham miſſa: Liberatus in Breviario, & alii: Ergo &c.

Sol-

Solvuntur objectiones generales.

OBJICIUNT Nestorii defensores cum Albertino Calvinista : Ille fidem ab omni labe puram non servavit, cujus anathematismi a Doctoribus non ignoti nominis impugnati sunt : Atqui B. Cyrilli capitula sic impugnata sunt, videlicet a Theodoreto, ab Iba, a Joanne Antiocheno, & multis ejus Dioeceseos Episcopis: Ergo &c.

Respondeo negando minorem propter auctoritates in probationibus laudatas. Ad probationem distinguo : Et Episcopi in objectione nominati nullius sunt pro hoc momento ponderis, concedo : in immensum quippe præponderat auctoritas Concilii, tum Ephesini, tum Chalcedonensis, tum etiam Vigilii & Gregorii II. & auctoribus laudatis fides est attribuenda, nego. Et vero capitula Theodoreti & Ibæ adversus S. Cyrillum proscripta sunt in quinta Synodo generali, in Ephesino vero decreta Joannis Antiocheni ejusque Pseudo-Synodi adversus B. Cyrilli anathematismos. Quinimmo, fides S. Cyrilli per omnia & ubique triumphavit, quandoquidem Theodoretus in Concilio Chalcedonensi Nestorio anathema dixit, & S. Cyrilli suscepit capitula; immo in sua 83. epistola ad Dioscorum laudat Cyrillum, ut Doctorem eximium ab Apollinaris erroribus prorsus alienum. Tum ejus utitur scriptis ad perstringendos Eutychianos. Denique in suis Dialogis contra Apollinarem & Eutychetem numerat Cyrillum inter Patres, quos orbis lumina & fidei magistros vocat.

Jam si de Joanne Antiocheno cuncta scrutemur, certum est semper communicasse litteris amicitiæ cum B. Cyrillo; hinc certior factus de Nestorii hæresi, subscripsit Concilio Ephesino, & consequenter anathematismis B. Cyrilli : Sed et ipse Ibas in Concilio Chalcedonensi : Namque Act. 10. accusatus quod Cyrillum et ipsius anathematismos contumeliis affecisset, respondit de hoc non recordari, velle credere, quod suus Primas credebat, unde anathematismos approbavit in eo prorsus sensu, quo illos Cyrillus et consideraverat et explicaverat : tum communicavit cum sancto Doctore, ut legitur in actibus Concilii Chalcedonensis a Facundo Hermianensi relatis Lib. 5. pag. 186. his verbis : " Ego, *inquit Ibas*, postquam sua capitula interpretatus est, „ tantum abstineo ab anathemate viri, „ quia et litteras ab eo suscepi, et litteras ei direxi, et communicavit mihi, „ et communicavi ei.

Instant : Atqui nedum Episcopi laudati, sed et alii qui in suspicionem fidei non veniunt, B. Cyrilli anathematismos abjecere : Ergo etc. Probatur subsumptum, Gennadius CP. Patriarcha, qui Anatholio successit, vir alias maxime Catholicus, Anathematismos illos tamquam erroribus refertos execratur, ipsumque Cyrillum blasphemum & parietem dealbatum appellat. Ita refert Facundus Hermianensis Lib. 2. cap. 4. ex quibusdam Gennadii fragmentis. Huic accedit Isidorus Pellusiota, qui Lib. 1. epist. 310. dicit Cyrillum parum hortodoxe ea quæ Dominicam spectant Incarnationem tractasse, & privatæ injuriæ ultioni solum consuluisse : Subdit eumdem suis dissidiis Ecclesiam exagitasse. Demum Epist. 370. illum sic alloquitur : " Simultates ac dissidia comprime, ne privatæ ac domesticæ contumeliæ ultionem, qua tamquam ære „ alieno a mortalibus obstrictus es, in viventem Ecclesiam deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie „ atque obtentu compara. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo : Gennadius & alii similes errore facti detenti, damnabant Cyrillum, & ejus anathematismos in pravum detorquebant sensum, concedo : secus, nego. Fama de Nestorii supposita sanctitate percrebuerat in Oriente, quocirca viri graves sicut ipse Gennadius anathematismorum Cyrilli non attingebant sensum, de quo S. Doctor in sua ad Acacium Melytinensem Episcopum conqueritur, ita ut vel ab ipso exigerent retractationem, quod quidem facere abnuit, de quo a Concilio & Chalcedonensi, & quinto Generali laudatus est : Quod autem Gennadius non attigerit mentem S. Præsulis, asserit Facundus Lib. 6. " Talia, „ *inquit*, Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minus „ intellexisset. „ Ceterum fragmenta Gennadii ut supposititia habentur.

Insi-

Insistunt: Vel ipse S. Cyrillus suos saltem implicite retractavit anathematismos: Igitur jure merito a viris cordatis abjecti sunt. Probatur Antecedens: Pace Ecclesiæ composita cum Joanne Antiocheno & ceteris Orientalibus, non expostulavit, ut canonice purgaretur a contumeliis, quibus & a Joanne, & a Theodoreto, & ab Iba fuerat impetitus, & lacessitus maxime propter sua Capitula: Sed si ea ab omni labe pura esse existimasset, dubio procul hoc debuisset exigere: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem distinguo minorem: Et purgationem canonicam œconomiæ causa, & non sine magno erga Ecclesiam amore, non petiit, concedo: Eo quod in scriptis aliquis scateret error, nego. Videbat post multos exantlatos labores Ecclesiam tandem de inimicis victricem, Joannem Antiochenum obstrepentem jam fidei Ephesinæ obedire, hinc ne iterum pax turbaretur, proprio & personali cessit juri, maxime cum Joannes & sui adhærendo Concilio legitimo, utique & suis adhærebant anathematismis. Ita refert Facundus Hermianensis Lib. 6. pag. 249.

Reponunt: Atqui nedum œconomiæ, sed & necessitatis causa non petiit S. Cyrillus purgationem canonicam: Ergo &c. Probatur subsumptum. Ipsa Synodus Chalcedonensis non exegit a Theodoreto ut retractaret ea quæ adversus anathematismos S. Cyrilli scripserat, quod argumentum est Concilium non putasse Capitula beati Cyrilli esse ab omni labe pura. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo majorem: Ex indulgentia Synodus Chalcedonensis, ut parceret famæ Theodoreti, ab ipso non expostulavit ut palinodiam decantaret, sed satis Patribus fuit ut subscriberet damnationi Nestorii ejusque scriptis, & susciperet Synodum Ephesinam, concedo: sic enim Theodoretus Episcopus doctrinam anathematismorum beati Cyrilli dubio-procul propugnabat, maxime cum a Concilio & Ephesino, & Chalcedonensi reciperentur: & sic egit Synodus Chalcedonensis, ut B. Cyrilli capitula abjiceret, nego. Quandoquidem Actione 1. non sine magnis encomiis illa suscepit: unde nego consequentiam. Quid plura pro eodem adjiciam momento? Norunt omnes ea tantum de causa capitulum Theodoreti in quinta Synodo generali proscriptum fuisse, quod anathematismis B. Cyrilli adversaretur.

Urgent: S. Cyrillus in suis scriptis dicit, Unam esse Naturam Verbi incarnati: Sed hæc doctrina hæreseos Apollinaris virus spirat. Igitur revera scripta sancti Doctoris non sunt ab errore immunia.

Respondeo distinguendo majorem: Et nomine naturæ S. Cyrillus intelligit personam, concedo: Ipsam naturam divinam, ita ut cum humana commixta fuerit, quod erat Appollinaris commentum, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. S. Doctor est suis ipsius interpres anathematismo 2. ubi sic loquitur: *Si quis Dei Patris Verbum carni, secundum hypostasin unitum: aut unum rursum una cum sua carne Christum esse, eumdem nimirum Deum simul & hominem, inficiatus fuerit, anathema sit*. Solemne fuit apud Patres Græcos nomine naturę quandoque intelligere personam: sic Eulogius Patriarcha Alexandrinus illud usurpavit vocabulum, ut refert Photius in sua Bibliotheca codice 230. sic Euphenius Patriarcha Antiochenus in Lib. quem scripsit de ista Cyrilli sententia, cujus meminit Photius ibidem codice 229. eo loci scribit *Pysin* a sancto Cyrillo pro hypostasi sumi. In eodem prorsus sensu eamdem usurpat sanctus Maximus in Tractatu de quarumdam vocum expositione, eodem & Justinianus Imperator in professione fidei contra tria capitula.

Insistes: Atqui in sensu Apollinaris Cyrillus scripsit unam in Christo naturam: Ergo &c. Probatur subsumptum: Qui propugnat naturas in Christo non nisi mente & cogitatione distingui, unam in sensu Apollinaris dicit in Christo naturam, videlicet unam commixtione duarum: Sed sanctus Cyrillus sic docuit Epist. 2. ad Succensum; ibi enim redarguit hæreticos, qui duas in Christo naturas subsistentes prædicabant, aitque: " Illos „ ignorare quæcumque, non sola considerationis dividi amant. „ Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo minorem: Cyrillus vult naturas in Christo eatenus sola mente distingui, quatenus non possunt ab invi-

invicem separari, sicut duæ naturæ, quarum quælibet suam habet propriam subsistentiam, concedo: in sensu Apollinaris, nego. Eo loci S. Doctor perstringit Nestorianos, qui duas in Christo personas admittebant, sicque una natura absque negotio erat ab altera separabilis: contendit autem naturas in Christo distingui quidem distinctione identica, sed non distinctione suppositi & separationis: quia vero naturæ in una subsistunt persona, ideo vult distinctionem magis mente quam alio modo apprehendi, licet enim in abstracto & secundum se realiter distinguantur, quia tamen in concreto unicum constituunt Christum, ideo ne admittantur duæ hypostases, ait in Christo naturas distingui mente & cogitatione, ita tamen quod non amoveatur distinctio realis, quæ de facto etiam in Christo inter utramque naturam intercedit. Hunc prodit sensum S. Cyrillus; hæc enim immediate subjungit in verbis pro objectione allatis: " Ea „ prorsus in diversitatem, qua seorsim om„ nino & privatim constituuntur, a se „ mutuo discedere.

Fit satis objectionibus quæ specialiter militant contra anathematismos B. Cyrilli.

OPPONUNT: B. Cyrillus in I. anathematismo ait BB. Virginem genuisse Verbum secundum carnem: in secundo unitionem esse penes hypostasim: in tertio unionem esse naturalem: Sed hæc tria inconvenientia sunt; & probatur: Primo quidem Verbum non habet carnem: Igitur non genitum est secundum carnem. Secundo vox *hypostasis* inaudita est in Scripturis, quod si sumatur pro natura, jam commixtionem naturarum vox illa importabit. Tertio, unio quæcumque sit, est gratia. Igitur nusquam naturalis.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem distinguo: Verbum secundum se non habet carnem, concedo: reduplicative ut incarnatum, nego. Unum tantummodo eo loci intendit S. Doctor adversus Nestorianos, videlicet Verbum carnem vere assumpsisse, & eatenus dici ex Maria natum, quatenus caro a sua virginea excerpta hypostatice unita est illi. S. Cyrillus tomo 5. Concilii Eph. suum anathematismum sic explicat loquendo de Verbo incarnato: " Natum est enim, „ *inquit*, secundum carnem ex Sanctissi„ ma Virgine Maria; citraque ullam di„ vinitatis suæ jacturam æque, ac nos in „ humanis apparuit.... Neque ullam quo„ que essentiæ illius cum carne commix„ tionem, aut confusionem, aut concre„ tionem factam esse statuimus. „

Ad alteram secundi momenti probationem, similiter distinguo: Vox *hypostasis* non est in Scriptura explicite, concedo: implicite, nego. Idem S. Cyrillus secundi anathematismi hunc prodit sensum, his verbis: " Divinus Paulus, sacer ille „ divinorum Ministeriorum interpres, „ alicubi ita scribit: manifeste magnum „ est pietatis Sacramentum, quod ma„ nifestatum est in carne.... Quid, quæ„ so, aliud est, quod dicit: Apparuit in „ carne? Quam Dei Patris Verbum caro „ factum est. „ Porro Verbum græce vocatur hypostasis: hinc dicendo unam hypostasim, naturarum excludit commixtionem.

Ad probationem tertii momenti, non absimili modo distinguimus: Cyrillus appellat unionem Verbi cum humanitate naturalem in sensu opposito Nestorii, hoc est substantialem, & non mere accidentalem, concedo: excludendo gratiam, nego. Ibidem est sui ipsius Interpres: " In„ carnationis unigeniti, *inquit*, mysterium „ accurate inquirentes, Dei Patris Ver„ bum admirabili inexplicabilique modo „ sancto corpori animam rationis compo„ tem habenti adjunctum dicimus; eum„ que in modum unum esse filium intel„ ligimus.... Ea vero, qui ita non cre„ dunt, sed subsistentias post unionem, ut „ modo ajebam, dividunt..... Propositus „ hic anathematismus ab iis alienos esse „ judicat. „

Reponunt: Idem Cyrillus in quarto anathematismo voces divinas & humanas eidem tribuit personæ. In quinto negat Christum esse Deiferum: in texto Verbum esse Deum, & Dominum Christi, sed hæc Scripturæ opponuntur: Ergo &c.

Respondeo: Ad primum distinguendo: voces divinas & humanas Christo tribuit secundum diversum respectum, concedo: secundum eumdem, nego. Divinas quidem ut subsistit in natura divina,

na, humanas vero, ut in humana tribuit; & hoc absque suppositi separatione; sic ibidem suum interpretatur anathematismum.

Ad secundum similiter distinguo: Cyrillus negat Christum esse Deiferum per separationem suppositi, ut in reliquis hominibus, concedo: in sensu identico personæ, nego. " Non ita ergo, *inquit*, " *in solutione ad quintum*, Deus in Christo habitat sicut in nobis, erat enim " unus solusque filius suapte natura " Deus. "

Ad tertium utique ut supra distinguimus: Verbum non est Christi Dominus, secundum personam, ut propugnabat Nestorius, concedo: secundum naturam humanam, nego. Solutio est B. Cyrilli ibidem se se sic explicantis: " Dominus " noster Jesus Christus unus & solus, & " secundum veritatem Dei Patris filius " est. Verbum enim caro factum est, " unaque cum genitore suo omnium Do- " minus est .... at vero sui ipsius nec " Deus, nec Dominus est. "

Contra opponunt: S. Cyrillus anathematismo 7. damnat eos, qui dicunt hominem in Christo virtutem patrandi miracula a Spiritu sancto accipere, & tamen ipse Dominus testatur se in digito Dei ejicere dæmonia. In octavo iterum contradictoria loqui videtur: Et vero, primum ait Christum sedere ad dexteram Patris, & sic adorari, & tamen postea anathematizat dicentes hominem assumptum coadorari. Item in nono scribit Christum in virtute Dei patrare miracula, deinde vero perstringit illos qui propugnant Christum auxilio Dei adjutum signa fecisse: Ergo &c.

Respondeo ad primum distinguendo: Ex Cyrillo homo in Christo non habet virtutem patrandi miracula ut a Verbo separato, & in sensu Nestorii, concedo: Verbo ut hypostatice unito, nego. Ibidem sic se explicat: " Quia vero Dei " Verbum incarnatum, & homo factum " unus est solum filius & Dominus; " consequens fit, ut unam quoque solam " personam comprehendat: cui quidem " humana vere tribuimus propter illius " cum carne dispensationem; divina pro- " pter inexplicabilem ejusdem ex Patre " generationem, unde qui illum in ho- " minem separatim, tamquam qui alius " a Dei Verbo sit filius, dividunt; & " in Deum rursum seorsum, tamquam " qui alius ab hominis filio sit filius, hi " omnes jure meritoque, tamquam qui " duos filios constituant, proposito hic " anathematismo plectuntur. " Ista solutione gladio velut ancipiti ceteræ dirimuntur objectiones. Ibidem tamen ad septimum, sic loquitur: " Ipsum itaque " unigenitum Dei Verbum incarnatum " Christus appellatum est, propriamque " potentiam Deo dignam fortitum, mi- " racula operatum est. Qui ergo Christi " potentiæ unigeniti gloriam accessisse " dicunt, quasi unigenitus Dei Filius alter sit a Christo, & per consequens " duos filios esse sentiunt; alterum qui- " dem operantem & impellentem; alte- " rum vero alterius ope & vi tamquam " hominem nobis similem, impulsum, " in hujus anathematismi pœnam inci- " dunt. "

Ad secundum distinguo: S. Cyrillus proscribit eos solum qui existimant hominem completum propria subsistentia cum Deo coadorari, concedo: incompletum, & divina subsistentem hypostasi, nego. Ibidem sic capitulum suum interpretatur: " Si quis ergo, *ai*, illum adorari " dicit tamquam alterum per se a Dei " Patris Verbo, & non una adoratio- " ne honorat, tamquam unum Chri- " stum, & Filium, & Dominum pro- " pter veram illam naturalemque cum " Verbo unionem, juste anathematismo " huic subjicitur. "

Ad tertium eadem est responsio; sic enim se se explicat ibidem his verbis: " Quare etiam postea quam homo fa- " ctum est Verbum, Deus manebat; & " per consequens proprii Spiritus virtu- " te miracula patrabat: qui vero dicunt " illum tamquam unum ex reliquis san- " ctis nobis similibus Spiritus sancti vir- " tute glorificatum, eaque, non ut di- " vina & propria, sed tamquam aliena " usum ..... illi merito anathematismi " huic jaculo feriuntur. "

Replicant: B. Cyrillus anathematismo decimo affirmat Verbum Dei esse Pontificem & Apostolum nostrum: In undecimo perstringit propugnantes carnem esse Verbo propriam: In duodecimo vero negantes

gantes Deum passum fuisse : Sed Deus nec est Apostolus noster, nec carnem habere, nec pati potuit : Ergo &c.

Respondeo ad Primum distinguendo : Ex S. Cyrillo Verbum secundum se non est Pontifex noster, concedo : ut incarnatum, nego.

Ad secundum, utique distinguo : Caro non est propria Verbo secundum se, & in abstracto considerato, concedo : ut incarnato, nego.

Ad tertium similiter distinguo : Anathematizat, qui negant Verbum incarnatum passum fuisse, in sensu Nestorii, concedo : secus, nego. Ita ibidem Cyrillus.

Has omnes in Concilio S. Cyrillus suorum anathematismorum dedit explicationes, non quod in erroris suspicionem veniret, sed potius ut doctrina in eis contenta, non obstantibus Nestorianorum cavillis, ad gloriam & Filii Dei, & Deiparæ inconcussa maneret.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Anathematismi B. Cyrilli sunt ab omni errore immunes.

PRIMO : Quia suscepta sunt a Concilio Ephesino : a Chalcedonensi prælaudata, a quinta Synodo generali specialiter celebrata.

Secundo : Sic annuntiant SS. Pontifex, in primis Gregorius II. in professione fidei ad sanctum Germanum Episcopum CP. missa, ubi de nono anathematismo ceterisque hæc habet ; " Hunc S. Cyrilli anathematismum cum reliquis omnibus anathematismis recepit tertia sancta ac Œcumenica Synodus, quo sensu sanctus ediderat. Manifestum enim est sanctos Patres in dicta sancta Synodo congregatos totam tertiam Epistolam, adversus impium Nestorium CP. scriptam absque ulla retractationis suæ citatione suscepisse. Scimus autem extremam dictæ Epistolæ partem, dictos duodecim anathematismos continere. "

Tertio : Liberatus in Breviario similia loquitur, his verbis : " Joannes Antiochenus cognoscens quæ gesta fuerant Ephesi in damnatione Nestorii, & illa duodecim capitula Cyrilli in ipso Concilio suscepta & confirmata, indignabatur valde contra Synodum. "

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Non diffitemur Patronos Nestorii, & nonnullos etiam alios errore detentos abnuisse capitula B. Cyrilli, sed non Concilia Oecumenica laudata.

Secundo : Quum in eis S. Præsul dicit unam in Christo naturam, nomine naturæ intelligit personam : sic & quandoque unionem Verbi cum humanitate nonnumquam naturalem appellat ; non excludendo gratiam & unionis supernaturalem, sed ut intelligant Fideles esse substantialem seu personalem, et non mere accidentalem, ut in ceteris justis.

Tertio : Ait quidem BB. Virginem genuisse Verbum, non quidem secundum se, sed ut incarnatum, hoc est Christum, ne Christus purus homo haberetur, ut propugnabant Nestoriani : eadem ductus ratione dicebat Christum non accepisse a Spiritu sancto virtutem patrandi miracula, sed de illo loquitur, ut Deus est ; ubique enim Christi celebrat divinitatem, ne dicantur duo Filii, unus naturalis, alter vero adoptivus, ut prædicabant hæretici.

SECTIO QUARTA.

Utrum Joannes Antiochenus erroribus Nestorii adhæserit ?

Conclusio negativa.

PROBATUR isto Syllogismo. Ille non adhæsit Nestorii erroribus, qui eum compulit nedum exhortatione, sed et magnis precibus ut suam deponeret hæresim, qui fidem Dominicæ Incarnationis semper, tum ante, tum post Synodum Ephesinam firmiter tenuit, qui viros omni exceptione majores pro sua fide testes et præcones habuit, immo vel ipsum Cyrillum : Atqui res sic se habet. Ergo etc. Probatur minor, quoad singulas partes.

Primo quidem Paulus Emissenus Episcopus, ab ipso Joanne Alexandriam missus, tu

ut suam cum B. Cyrillo pacem componeret, in concione quam habuit die natali Christi præsente Cyrillo, ait : " Parit Dei genitrix Maria Emmanuelem.... Duarum naturarum perfectus concursus, humanæ scilicet ac divinæ, unum nobis constituit Filium, unum Christum, unum Dominum : qui vero dicunt duos esse filios eos anathematizamus. "

Rursus Joannes in sua ad Theodosium Imperatorem epistola, idem repetit ; in alia vero ad Nestorium quæ extat 1. part. Concilii Ephesini edit. Reg. cap. 25. nu. 1. eum adhortatur ut audiat & credat ea omnia, quæ illi de fide Incarnationis scribit. Num. 2. testatur multa se audivisse a Clericis Alexandrinis, & aliis de ejus perversa circa Dominicam Incarnationem sententia. Num. 3. subjicit illum posse absque dedecoris labe suam aperire cum sanctis Patribus mentem : tum num. 4. amice illum, sic alloquitur : " Multi, ut intelligo, non infrequenter ex te audierunt, quod ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem averseris : si qui vero celebrioris famæ Ecclesiastici auctores ibi fuerint, ut ipso quoque nomine admisso, sacram Virginem Mariam Deiparam appelles, te istud neutiquam recusaturum esse. Hanc ob rem te moneo hortorque, ut libera id voce depromas, quod citra errorem sapere certo dignosceris .... Etenim nomen hoc, *Theotocos* nullus umquam Ecclesiasticorum Doctorum repudiavit ... Etenim si id quod nominis significatione offertur, non recipimus, restat ut in gravissimum errorem prolabatur; immo vero, ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei œconomiam periculosissime versemur : quandoquidem, nomine hoc sublato, vel potius hujus nominis notione repudiata, sequitur mox, illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causa suscepit; tum Dei Verbum, neque se exinanivisse. "

Pergit, ibidem : " Quocirca pietatem tuam rogo, ut ea quæ ob Ecclesiæ tranquillitatem, cum Dei timore veraque erga te charitate exposui, placide omnino suscipias. Nam non solus, hæc dictavi, sed ut modo ajebam, præsentibus multis Episcopis, videlicet Domino meo Archelao, Episcopo piissimo Apprelingio, Theodoreto... Qui omnes & in fidei doctrina instructissimi, & tui studiosissimi una mecum, Domine mi, rogant, ut animo facili litterarum illarum turbinis instar ruentium impetum sistas ... Obsecro, ut cum visum fuerit, immo vero non quod visum fuerit, sed quod utile sit rescribas. " Ergo &c.

Rursus, ibidem iterum sic alloquitur Nestorium : " Enim vero licet Dominus meus Cœlestinus Deo dilectissimus Episcopus, decem tantum dierum intervallum, terminum usque responsioni præfinitum valde angustum, litteris suis expresserit; tamen res ea ejusmodi est, ut non dico decem diebus, sed uno, immo vero paucis horis tota confici posse videatur, &c. " Audis Joannem eamdem profiteri fidem cum Cœlestino, quam in tota epistola probat esse omnium Patrum Religionem.

Demum, in sua ad Theodosium Imperatorem epistola anathemate percellit Nestorium, & illi adhærentes, his verbis : " Et depositum, *inquit*, sive damnatum habemus Nestorium, qui olim fuit apud Magni nominis Constantinopolim Episcopus, anathematismo subjicientes quæcumque ab eo aliene, ac peregrine dicta sunt contra Apostolicam doctrinam. "

Secundo : Sixtus III. Papa Joannem Antiochenum, ut in fide purum habet in sua ad S. Cyrillum epistola, ubi sic loquitur : " Ad nos, reversi sunt fratres; ad nos, inquam, qui morbum communi studio persecuti, animarum curavimus sanitatem. Non se exuli vestro, *Nestorio*, sanctus Frater noster Joannes addiderat; non ejus est blasphema prædicatione deceptus : nam quantum rerum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negavit... Numquam se a nostro numero separasset, in quem potuit & reverti. "

Tertio : Vel ipse sanctus Cyrillus suum addit fidei Joannis calculum in sua ad Valerianum Iconii Episc. epist. in qua sic habet : " Religiosissimi totius Orientis Episcopi, una cum Domino meo Joanne religiosissimo Ecclesiæ An-

„ tiochenæ Episcopo, scripta dilucidaque Confessione palam fecerunt, se „ profanas Nestorianarum vocum novitates æque ac nos condemnasse, & anathematizasse, seque nullo umquam loco „ eas habuisse. Verum Evangelica & Apostolica dogmata sectatos esse, Sanctorumque Patrum Confessioni nullatenus adversari. Professi adhuc sunt perinde ac nos sanctissimam Virginem „ MARIAM DEI GENITRICEM esse, nec „ adjecerunt quod CHRISTI genitrix sit, „ aut hominis genitrix, quemadmodum „ dicunt qui infelices execrandasque Nestorii opiniones tuentur. „ Ergo &c.

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Ille adhæsit Nestorii erroribus, qui uti talis in Concilio Oecumenico Ephesino accusatur: Atqui Joannes accusatur ut talis cum suis in Ephesino; sic enim habetur in relatione ad Imperatores de subscriptione: " Nestorium „ vindicant, eo quod ejusdem cum illo „ sententiæ existant, cum Nestorio sentiant. „ Rursus in epistola Sinodica ad Clerum CP. " Cum Nestorio sentire „ nequaquam cessant. „ Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Joannes in Concilio habetur præsumptive, ut ejusdem cum Nestorio criminis conscius, concedo: absolute, nego minorem & consequentiam. Non levior erat de hæresi Nestoriana erga Joannem suspicio; & hoc propter multa. Primo quidem, eo quod adversus Patres insurgeret in alio pseudo-Concilio ut Nestorio faveret. Secundo, ex quadraginta circiter Episcopis, ut & fortassis multo pluribus, qui Joannis Concilium componebant, nonnulli erant Pellagiani, nonnulli etiam Nestoriani, videlicet Helladius, Himerius, Eutherius & Dorotheus, quos tamen omnes errore facti deceptus Joannes in sua ad Nestorium epistola sub finem ut Catholicos laudat. Sed ex iteratis probationibus liquet Joannem fuisse in fide Dominicæ Incarnationis purum. Omnes igitur in contrarium auctoritates unum tantummodo probant, videlicet Joannem in suspicionem hæreseos venisse.

Instabis: Ille mere & simpliciter uti Nestorianus habendus est, qui eadem cum Nestorio condemnatione, et ut ejus fautor abjectus est: Atqui Joannes in Concilio Ephesino anathemate cum Nestorio percussus est, eo quod illi adhæreret. Ergo &c. Probatur minor: Concilium Ephesinum in relatione ad Cœlestinum de Nestorii depositione, quæ extat post actionem primam, de Joanne sic loquuntur Patres: " Compertus est adversarius „ infensissimus, tum sanctæ Synodi, tum „ rectæ Ecclesiarum fidei. „ Audis Concilium damnasse Joannem, eo quod Nestorianismi fuligine cum suis aspersum probaverat. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Damnatus est Joannes ut hæreseos fautor, nego. Ut hæretici Patronus, a quo anathema Ecclesiæ avertere satagebat, subdistinguo: errore facti per nimiam amicitiæ erga Nestorium indulgentiam, concedo: non deceptus, nego minorem, & consequentiam. Pro more positum est, ut non solum hæretici proscriberentur, sed & eorum fautores, qui in hæreseos suspicionem veniunt. Nec mirum: Forum contentiosum triplici via insectatur reos, videlicet via accusationis, via denuntiationis, via indiciorum: neminem autem latet non leviora fuisse argumenta Joannem adhæsisse erroribus Nestorii, maxime cum Concilium adversus Ephesinam Synodum pro defensione amici congregaverit: quod autem amicitiæ tantum, & non erroris motivo fic egerit, constat, ex ejus ad Nestorium epistola, ubi sub „ finem sic loquitur: Hoc nostrum quæso, consilium admitte, hæc per nos „ rogatus exequere, nullum dissidiis locum, nullum gliscenti novitati somentum suppedites. Cogita, si prinsquam „ ullæ omnino litteræ missæ forent, multi contra nos extitere infrenes, penèque intolerabiles, quales nunc futuri „ sint, tanta ex allatis litteris subministrata fiducia; qualique in posterum adversus nos audacia sint usuri? Hæc ego „ complures religiosissimos tuæque pietatis studiosissimos Episcopos apud me habens, quos etiam tunc præsto esse contigit, cum infaustæ illæ litteræ adferrentur, scribere volui; ratus, ingenui „ amici officium, illudque a promissione „ mea non alienum me præstiturum, „ si fraterno quondam Concilio existima-

„ mationem tuam graviter hoc tempore „ laborantem, nonnihil sublevarem. „

Atque ibidem immediate, ante verba laudata, Dominicam Incarnationem probat in utero B. Virginis adimpletam: " Huc namque divinus tendit Apostolus, „ dum ita ait: Misit filium suum factum „ ex muliere. Clare hic ostendit, non „ alium, sed ipsummet Dei unigenitum „ admirabili ortu ex Virgine in lucem „ prodisse. Quod si Virgo a sanctis Pa-„ tribus, propter hanc generationem *Dei-„ para* nominatur, ut vere hoc nomine „ ab illis nominatur, nescio, quorsum „ attinuerit, ut quæstionem hanc nequa-„ quam necessariam bona venia tua di-„ ctum sit, & contra illos ipsos, & „ contra Ecclesiasticam pacem quoque, „ ut vides agitandam fuisse susceperi-„ mus. „

Urgebis: Atqui Joannes ex certa scientia Nestorio, & ejus hæresi patrocinatus est. Ergo &c. Probatur subsumptum. Ille ex certa scientia sic gessit, qui sciens Nestorium citatum in Concilio non comparuisse, ipsumque ut contumacem propter errores probatos damnatum, attamen in sua pseudo-Synodo rescidit acta legitimi Concilii: Atqui Joannem ita fecisse legitur in actitatis sui proprii Concilii, immo ante adunationem Concilii legitimi referunt Historiographi voluisse & illudere, dum in via a multis Episcopis rogatus, ut citocitius accederet, procrastinavit tamen, promittendo non sine mente versipelli se se actibus Concilii subscripturum: quo Scopo? Nisi ut in gratiam Nestorii propter suam & suorum absentiam declararet Synodum non esse legitimam.

Respondeo negando subsumptum: Ad probationem, distinguo: Rescidit Joannes acta circa fidem Concilii legitimi, nego. Adversus Nestorium, subdistinguo: quia non credebat Concilium legitimum, eo quod ipse cum aliis Episcopis ibi non erat, tum etiam quod putaret Patres non attigisse mentem Nestorii, quem propugnabat errare solum abstinendo a nomine *Deiparæ*, nusquam vero in rei substantia, concedo: eo quod crederet Nestorium deficere in fide, nego. Quod autem hæc fuerit sententia Joannis patet ex ejus ab Nestorium epistola, ubi sic " loquitur: Quis, quæso reprehendat, „ si ea quæ sentis libere exponas? Im-„ mo vero quis laudibus non efferat, si „ nomen citius sensum pietas tua, ut „ cognovimus, possidet, propter publi-„ cam communemque orbis pacem ali-„ quando amplecti animum inducas .... „ Equidem non ad probrosam aliquam „ orationis correctionem, neque ad pue-„ rilem palinodiam, ut sic loquar, pieta-„ tem tuam invito: sed quia multi, ut „ intelligo, non infrequenter ex te audi-„ verunt, quod ipsam solam vocem, non „ piam quoque ipsius vocis notionem aver-„ seris. „ Nec mirum, tot & tantis involucris Nestorius suos occultabat errores, ut incautis videretur catholicus.

Contra: Ille odio fidei rescidit acta Concilii Ephesini, qui B. Cyrilli anathematismos, vel in ipso celebratos Concilio & fidem explanantes pro virili impugnavit: Atqui Joannes, ut ex ejus constat Concilio, nihil non movit ut Cyrilli capitula evacuaret. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Impugnavit, retenta fide catholica, & in adulterinum sensum sumens capitula, concedo: abjecta Dominicæ Incarnationis fide, nego minorem et consequentiam: propter veterem erga Nestorium amicitiam impugnavit Cyrilli Capitula, quæ non sine passione afflante, Apollinaris hæresim spirare existimabat, ratus a Nestorio Ecclesiæ anathema avertere, si semel Capitula exsufflare posset.

Hæc solutio ex dictis patet, sed auctoritate Facundi Herm. illustrare juvat Lib. 6. de Synodo Chalcedonensi, hoc momentum sic solvit: " Unde nec aliud cre-„ didit *Joannes*, nec credere debuit, nisi „ quia Patres Orientales, inter quos fuit „ etiam ipse Ibas, aliarumque Provin-„ ciarum Episcopi, intentionem capitu-„ lorum beati Cyrilli minus animadver-„ terant, ut ea etiam a Concilio Ephe-„ sino suscepta culparent. Sicut aliquan-„ do in divina Trinitate catholici quidam „ tres hypostases accipere noluerunt; „ quamvis tres personas acceperint; nec „ ideo sunt a viris sapientibus hæretici „ judicati, quoniam comperti sunt, non „ in re quæ illo nomine significabatur, „ sed potius in ipso nomine quo significa-„ batur, offendi. „ Pergit excusare Joannem pag. 263. et 246. Rursus Lib. 7. pag. 300.

300. Concinit Leontius Lib. de Sectis actione 4. his verbis: De Joanne Antiochen. " S. Cyrillum quidem oppugnabat, " invicemque anathemati se subjiciebant, " non tamen Nestorium admittebat. "

Replicabis: Audiendus est de hoc momento B. Cyrillus, quippe qui in congressu quem habuit adversus Joannem, & ejus pseudo-Synodum, ut ad metam Nestorianismi controversiam perduceret, noverat optime Joannis sensum, quinimmo acta pseudo-Synodi ad condemnationem usque insectatus est: Atqui S. Cyrillus non in uno loco asserit, & Joannem, & ejus Episcopos dogmata Nestorii propugnasse; sic enim loquitur epistola ad Theopemptum, Potamonem, & Danielem Constantinopoli agentes: " Dignoscuntur enim Nestorii dogmata loqui, sentire, confiteri. " Rursus Epist. ad Clerum CP. de Orientalibus, ita scribit: " Sed illud quoque sciatis, nempe cum fidei expositionem componerent, inter se contendisse, & in ea altercatione etiam nunc versari. Nam alii ex illis sanctissimæ Virgini Mariæ *Deiparæ* appellationem concedunt: ita tamen ut simul quoque genitrix hominis dicatur: alii vero prorsus negant, adduntque paratiores se esse, ut manus suas amputandas præbeant, quam ut hujusmodi voci subscribant. Ubique autem turpitudine notantur, jam hæretici declarati. " Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et loquitur S. Cyrillus suspicative, propter rationes supra laudatas, concedo: assertive, subdistinguo: de aliquibus tantum, concedo: de Joanne, nego. S. Doctor hæreseos notam non inurit Joanni, sed aliquibus dumtaxat ex ejus Episcopis Nestorianismi fuligine nonnihil conspersis; inter quos inquit P. Alexander dissert. 9. sæculi quinti annumerantur Helladius, Himerius, Eutherius, & Dorotheus, subditque: " Vel si omnibus notam hæreseos inussit, priorem de illis emendavit sententiam, discussis contentionum nebulis: & merito quidem illos Nestoriani erroris fuisse suspectos, at nequaquam cum Nestorio sensisse professus est; ut constat ex ejus testimoniis inter probationes laudatis. "

Ad complementum controversiæ de Joannis Antiocheni fide non abs re erit quædam hic observare. Primo quidem, in pseudo-Synodo Joannis quæ habetur Tom. 3. Concilii Ephes. cap. 2. edit. Colon 1606. pag. 775. legitur decretum, quo Orientales decernunt S. Cyrillo & Memnoni exauctorationem; ceteris vero Patribus Ephesinis excommunicationem, prioribus ut strepitus contra Nestorium Tragœdiæ Magistris, posterioribus ut consentientibus, donec sententiam propriam immutando resipiscant: similiter cuncta B. Cyrilli capitula explodunt, cui decreto, ne uno quidem excepto, numero quadraginta subscripserunt, ut ibidem habetur.

Secundo, ibidem pag. 926. aliud a Joanne adunatum Antiochiæ Concilium refertur. In isto e contra Joannes & Nestorium, & ejus errores perstringit, pacem schismate turbatam cum summo Pontifice, & cum tota Ecclesia iniit. epistolam Synodicam ab omnibus suis subsignatam ad Sixtum III. Papam mittit, alteram ad sanctum Cyrillum, qua pacem cum eo componit, ea tamen conditione, ut ante epistolarum exhibitionem suæ fidei professionem ederet, & suos proprios anathematismos damnaret, ne aliquis remaneret de ejus doctrina scrupulus: Sed hoc facere renuit, contendens, nihil aliud docuisse, nisi quod antecessor suus Athanasius tenuerat; subjungit vero suas epistolas facta collatione cum originalibus hæreticorum vafritie defloratas fuisse; quibus absolutis, intellexit Joannes absque fundamento S. Cyrillum hæreseos insimulasse, & Nestorii partes per fas & nefas egisse; quocirca ad meliorem reversus frugem, ipse & ejus Collegæ Concilii Ephes. definitionibus fidem, tum Nestorii damnationem spectantibus subscripserunt, electionem Maximiani, qui loco Nestorii in sedem CP. suffectus fuerat, suo calculo muniverunt. ac tandem communionem expostulatam obtinuerunt.

Tertio, ibidem pagina sequenti legitur Orientalium erudita & catholica admodum fidei confessio; simul & epistola Synodica Joannis, & suorum, ad sanctum Cyrillum directa.

SY-

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Joannes Antiochenus, non adhæsit Nestorii erroribus.

PRIMO : Joannes in sua ad Theodosium Imperatorem epistola, quæ extat 1. p. Conc. Ephesini clare fidem Dominicæ Incarnationis explicat.

Secundo : Eamdem profitetur in sua ad Nestorium epistola, in qua eum hortatur, ut, depositis erroribus, Ecclesiæ reconcilietur.

Tertio : Sixtus III. SS. Pontifex in suis litteris ad B. Cyrillum, Joannem ut Orthodoxum habet; similiter & ipse Cyrillus scribens ad Valerianum Iconii Episcopum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO : Verum quidem est Joannem in sua Pseudo-Synodo, acta Concilii Ephesini rescidisse, & non de his quæ fidem spectabant, sed solum Nestorium, quem errore detentum innocentem putabat, hinc & anathema ab eo divertere volebat.

Secundo : A multis, esto, habitus est ut hæreticus, sed suspicative, quippe qui in Ecclesia ad defendendum amicum magnas non sine scandalo movisset Tragœdias.

Tertio : Eodem detentus errore in gratiam Nestorii anathematismos B. Cyrilli impugnavit : sed dubio-procul S. Præsulis non attingebat sensum & mentem.

SECTIO QUINTA.

Num tria Capitula rite fuerint a quinta Synodo generali proscripta?

Conclusio affirmativa.

PROBATUR hoc ratiocinio : Illa Capitula rite proscripta sunt, quæ a Conciliis Oecumenicis, a summis Pontificibus, universali judicante & acceptante Ecclesia, damnata sunt : Atqui res sic se habet pro tribus Capitulis. Ergo &c. Probatur minor. Nomine trium Capitulorum intelliguntur quædam Theodori Mopsuesteni, Theodoreti scripta, & Ibæ epistola ad Marium Persam, Nestorii doctrinam redolentia : Atqui tria ista Capitula proscripta & damnata sunt, tum a Conciliis Oecumenicis, tum a summis Pontificibus, tum ab ipsa universali Ecclesia : & hanc damnationem justam esse non una probat ratio : immo vel ipsi textus in sensu obvio hæresim sapiunt, & consequenter exigunt proscriptionem. Ergo &c. Probatur minor multipliciter.

Primo, ex Conciliis Oecumenicis.

QUINTA Synodus generalis, primas in hoc tenet sedes, quippe quæ 14. Canonibus hoc totum concludat negotium ; ibi enim et Dominicam explicat Incarnationem, et tria proscribit Capitula. Anathematismo primo damnat eos qui negant unum esse Dominum Jesum Christum : in secundo negantes duas esse Verbi nativitates, alteram scilicet æternam in sinu Patris, alteram vero temporalem ex BB. Virgine : in tertio multiplicantes in Christo personas, ita ut una sit divina, altera vero incarnata.

Pergit : In quarto damnat et ipsam Theodori personam, eo quod ante mortem suos non ejurasset errores, et ejusdem scripta in quibus non sine blasphemia Verbum et Christum asserit esse duas personas, istumque nonnisi honore et dignitate dici Deum. Item eumdem in quinto proscribit, eo quod cum Nestorio duas in Christo prædicet subsistentias, et unicam, juxta Concilii Chalcedonensis definitionem abnuat : In sexto, eumdem iterum damnat, et omnes propugnantes Virginem non esse *Deiparam*, se purum hominem genuisse.

Prosequitur : In septimo, eodem stilo censorio insectatur confundentes in Christo naturas, ceteros vero utique, qui, multiplicata subsistentia, eas dividunt et separant : in octavo, propugnantes unam coaluisse in Christo Deitatis substantiam: in nono, multiplicantes in Christo adorationes unam separatam pro divinitate: alteram vero pro humanitate : in decimo affirmantes Dominum Jesum Christum, qui crucifixus est in carne non esse Deum, et unam de sanctissima Trinitate personam,

Canone undecimo, proscribit Nestorium, Arium, Origenem, & alios hæreticos, in quatuor primis Conciliis Oecumenicis, jam jam damnatos. Can. 12. anathematizat eos qui & Theodorum, & ejus scripta defendunt; ea scilicet in quibus docet Verbum, non aliter sanctæ uniri humanitati quam ut templo, nec alio prorsus modo naturæ humanæ dici conjunctum, quam ut vir & femina Matrimonii nexu & jure confederati appellantur.

Canone 13. explodit scripta Theodoreti, salva tamen ejus persona, & sic loquitur: *Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem & primam Ephesinam Synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim ejus capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis, talis anathema sit.*

Demum Canone 14. perstringit Ibam, his verbis: *Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam, & defensores ejus, & eos, qui dicunt eam rectam esse, vel partem ejus, & eos, qui scripserunt, vel scribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur.... Et in his usque ad mortem permanent; talis anathema sit.*

Suffragatur sexta Synodus generalis, quæ in definitione fidei act. 18. quintæ Synodi definitioni se adhærere profitetur. Eamdem definitionem complectuntur cetera Oecumenica Concilia post quintam Synodum habita, quæ vel expresso, vel tacito saltem consensu subscribunt, his quæ pro fide in prioribus Conciliis generalibus agitata, nec non & determinata fuerant.

Concinunt, eodem prorsus modo Ecclesiæ, tum Orientis, tum Occidentis particulares, in primis Ecclesia Gallicana, quæ Formularium pro quintæ Synodi circa tria Capitula definitione suscipienda recepit, eique & subscribere consensit: ita agitatum ab Illustrissimo Episcopo Parisiensi DD. de Marca legitur.

Secundo, ex summis Pontificibus.

PRIMO: Ex Vigilio, qui primum suum in gratiam trium Capitulorum rescidit rescriptum: ex Cathedra enim in altero per modum constitutionis dato, & pro fide Dominicæ Incarnationis roboranda pronuntiato, sic loquitur: *His omnibus & hujusmodi blasphemiis, ita a nobis abdicatis atque damnatis: ac præsentis constitutionis dispositione, quam maxime providemus, ne sicut supra diximus, personis quæ in pace & communione universalis Ecclesiæ quieverunt, sub hac damnati a nobis perversi dogmatis occasione aliquid derogetur.* Deinde vero ab eadem excipit damnatione personam Ibæ, sed non ejus epistolam, his verbis: *Electa enim ejus epistola, agnovimus eum Orthodoxum.*

Secundo: Accedit Pelagius II. qui Synodum quintam, post Vigilium suo calculo munivit, ut constat ex ejus epistola ad Eliam Aquilejensem Episcopum, & ad Istriæ Episcopos ab Ecclesia Romana, propter tria capitula damnata, quæ defendebant, Schismate divulsos.

Tertio: Insigne est S. Gregorii Magni pro eodem momento testimonium. Et vero Lib. 1. cap. 24. dicit se venerari quatuor prima Concilia generalia, & pari honore habere quintum; sic enim loquitur Epist. ad Joannem Episcopum CP. quæ est 24. ejusdem libri: *Quintum quoque Concilium veneror.* Rursus in Epist. ad Episcopos Hyberniæ Lib. 7. epist. 36. probat æquissimum esse judicium quinti Concilii adversus tria Capitula. Idem dicit epist. ad Secundinum Monachum, quæ est 57. lib. 7.

Quarto: S. Martinus I. ejusdem est labii, namque in Concilio Lateranensi adversus Monothelitas Secretario 4. legi jussit quintæ Synodi definitionem, cum hac inscriptione: *Definitio sanctæ quintæ Synodi.* Cui cum toto Concilio suo adhæsit, & post ipsum Patres Concilii VI. eidem fidei definitioni subscripserunt Act. 18. Ergo &c.

Tertio, ex ipsis trium Capitulorum erroneis textibus.

QUÆ spirant hæresim, immo & illam vel in principiis continent, juxta de causa anathemati subjiciuntur: Atqui talia sunt tria Capitula, igitur jure merito anathemate in quinta generali Synodo percelluntur. Probatur minor, ab enumeratione partium.

Theodorus in suo Symbolo a Mario mercatore

catore linguæ latinæ reddito, sic impie loquitur: " Neque duos dicimus filios, " nec duos Dominos, quoniam unus " filius secundum essentiam Verbum " Deus, unigenitus Filius Patris, cui " iste conjunctus, particeps Deitatis, " communem habet filii nuncupationem " & honorem. " Quibus verbis contendit Christum, nonnisi appellatione & honore esse Filium Dei. Rursus in quinta Synodo Act. 4. lectum est fragmentum ex Lib. 3. ejusdem Theodori contra Apollinarem, in quo quidem, sic loquitur: " Non existimandum nobis est Deum de Virgine " natum esse: nisi forte idem existimandum nobis est, & quod natum est, & " quod est in nato templo, & qui in templo est Deus Verbum. " Quæ vox in nato templo, nullum circa mentem perversam Theodori relinquit ambigendi locum; siquidem Verbum non alio modo esse in Christo, quam ut in templo censet, eo prope modo quo in ceteris justis per gratiam & charitatem Deus inhabitat.

Theodoretus quoque non in uno, sed multiplici loco favet Nestorianismo. Primo quidem, in duodecim anathematismis contra B. Cyrilli Capitula, quorum auctor esse communiter creditur; maxime vero fidem Incarnationis debellat in epistola ad Andream Samosatenum Episcopum, in qua Patres Ephesinos, his perstringit verbis: " Quales mimiridiculorum " in tempore impietatis; sic pietatem in " Comœdia deluserunt. " Rursus Epist. ad Domnum Patriarcham Antiochenum, sic male loquitur de anathematismis B. Cyrilli: " Infelix anima mea suspirat, " lugetque nihil expectans boni. Neque " enim insitum in duodecim capitibus " venenum norunt. " Demum Epist. ad Nestorium post pacem initam inter Orientales, & S. Cyrillum, quæ refertur in quinta Synodo collat. sexta sic alloquitur amicum: " Nullus tuæ persuadeat sanctitati, quod ego Præsul esse desiderans, clausis oculis, velut recta dogmata Ægyptia scripta susceperim .... His " autem quæ contra tuam venerationem " injuste, atque inique patrata sunt, " nec si mihi quis utramque manum " absciderct, potero præbere consensum. "

Ex his tria ibi observanda veniunt. Primo quidem, Theodoretum perstringere Patres Ephesinos, eo quod & Nestorium, & ejus doctrinam proscripsissent. Secundo, veneni labem anathematismis beati Cyrilli fidem Catholicam explicantibus, inurere. Tertio, eumdem doctrinæ Nestorii quamvis proscriptæ, usque ad manuum abscissionem, si necesse foret, inhærere.

Ibas suum quoque calculum addit doctrinæ Nestorii in Epist. ad Marium Persam, his verbis: De Episcopatu Nesto- " rium dejecerunt, judicio & quæstione " non facta. " In eadem Theodorum habet tamquam sanctum, & exprobrando Concilio Ephesino, propter ejus damnationem, sic scribit: " Illum ausus est qui " omnia audet, in Ecclesia manifeste ana- " thematizare, qui propter zelum Dei, " non solum suam civitatem ab errore " ad veritatem convertit, sed etiam longe ægrotantes Ecclesias, erudivit sua " doctrina. " Postea apertum profitetur Nestorianismum, & sic loquitur: " Quomodo possibile est accipi Verbum, quod " ab initio est, pro templo quod ex Maria natum sit? " Ergo &c.

Quarto, ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic exponitur: Illa Capitula jure merito proscripta sunt, quæ explosa fuere ab universali Ecclesia in Concilio Oecumenico congregata: Atqui ita proscripta sunt tria Capitula. Ergo &c.

Altera: Datur forum etiam externum in Ecclesia pro discussione non solum dogmatum, sed & textus & personarum: sed eo prorsus scopo Deo sic ordinante institutum est, ut cuncta fidei adversantia propellantur. Ergo &c. Minor patet: probatur major ex Traditione: Apostoli in Concilio Jerosolymitano quæstionem de legalibus definiere. Secundo sæculo Asiatici, sub Victore I. repulsi sunt, & cum eis .... Omnia scripta & textus Concilii eorum Acephali. Simili modo tertio sæculo Stephanus I. textus trium Conciliorum Carthagine, duorum Iconii & Synnadæ pro abjiciendo Baptismate hæreticorum, tametsi juxta formam ab Ecclesia præscriptam collato, adunatorum, evacuavit: Eleutherius Tertulliani scripta adversus

pœnitentiam profligavit: Anastasius vero multos Origenis libros, in quibus scatebat error: insuper & in hæresi pertinaces abjecti sunt: demum pro foro externo tot habemus in confirmationem argumenta, quot adunata sunt Concilia pro dogmate definiendo, in quibus & personæ, & textus proscripti sunt.

Tertia hæc est: Quod vel ipsi hæretici non semel admisere non ad nutum phantasticum illud rejici debet: Sed sicut Ecclesia Catholica, sic & hæreticorum Synagoga sæpius judicavit textus: Igitur jure potiori Concilium quintum generale lata sententia potuit tria explodere Capitula. Probatur minor: Donatistarum Episcopi in Concilio Bajacensi proscripserunt & male Catholicorum textus pro abnuendo Heterodoxorum Baptismate: Ariani hoc ipsum iterum, atque iterum fecere ad evacuandam Filii Dei, cum Patre consubstantialitatem: Iconoclastæ in Pseudo-Concilio generali sexto non absimili modo textus Catholicorum pro cultu sanctarum imaginum abjecerunt, & sic de ceteris. Ergo &c.

Fit satis objectionibus generalibus.

Objicies: Illa Capitula ullo absque jure proscripta sunt, quæ Concilium Ephesinum, dum ex professo expunxit Nestorianismum, intacta reliquit: Atqui, ut norunt omnes, & ut legentibus acta Concilii patebit, res sic se habet: Igitur tria Capitula non juste, immo injuste a Concilio quinto generali damnata sunt.

Respondeo distinguendo: Intacta reliquit tria Capitula Concilium Ephesinum œconomiæ causa, concedo: illa approbando, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Non semel Ecclesia ante quintam Synodum generalem œconomia usa est in proscribendis tum hæreticis, tum factis erroneis dogmaticis. Sic Stephanus sententiam Cypriani & Firmiliani de rebaptizandis illis qui ab hæreticis etiam Evangelicis verbis abluti fuerant, repulit. Nec tamen ab eis abstinere voluit. Sic & sanctus Basilius & Concilium Antiochenum, Verbum consubstantialitatis pro Spiritu sancto tacuerunt, eo quod Sabelliani inde unicam in Deo personam esse effutirent. Ne miremini igitur, si, explosio Nestorianismo, Patres Ephesini nullam de tribus Capitulis moverint controversiam, charitatis nimirum motivo, videlicet ut parcerent famæ, & Theodori & Theodoreti atque Ibæ, qui quidem alias fuerant bene meriti de Ecclesia; Theodorus quidem qui præclare se gesserat in debellandis Apollinaristis, qua de causa a Chrysostomo & Gregorio Naz. magnis effertur laudibus: Theodoretus vero, qui in multis consuluit gloriæ Ecclesiæ, cum & Anomæos in cunctanter perstrinxerit, Ibas quoque zelatus est pro Ecclesia sancta Dei.

Instabis: Concilium Chalcedonense, quod adamussim quæstionem Nestorianismi eliquavit, intacta quoque reliquit tria Capitula, & hoc ex professo. Hujus rei celebre est illud argumentum, quod expostulata, tum a Theodoreto, tum ab Iba Nestorii damnatione, ea data ut catholici habiti sunt: immo & tamquam Patres qui in Concilio judicarent, recepti sunt: Porro apud Concilium, altissimum fuit de tribus Capitulis silentium: Igitur tria capitula non rite proscripta sunt a Concilio quinto generali.

Confirmatur: Quum aliquid controversiæ caput in aliquo Concilio definitum est, vel etiam purgatum, altera Synodus aliquam de eodem movere Tragœdiam non debet; neque enim id ei competit: Atqui Nestorianismus quoad dogma, in Concilio Ephesino, quoad factum vero presonale in Chalcedonensi, jam jam & ab uno sæculo eliquatus, fuerat proscriptus, nulla facta mentione de tribus Capitulis: Igitur eumdem refricare non spectabat ad Concilium quintum generale.

Respondeo distinguendo: Et Concilium Chalcedonense, sicut Ephesinum a damnatione trium Capitulorum œconomiæ causa, & propter easdem rationes abstinuerunt, concedo: Illa approbando, nego. Nestorius ejusque dogmata in Concilio Ephesino fuerant ex professo damnata, quocirca Chalcedonense pro fidei conservatione satis habere putabat, si Theodoretus & Ibas tum Nestorii, tum ejus doctrinæ subscriberent damnationi; quo quidem facto, sufficienter, quidquid in gratiam Nestorianæ hæreseos protulerant, retra-

retractasse censebantur. Attamen S. Leo, ut per omnia fidei consuleret, sex tantum actiones primas Synodi Chalcedonensis adversus Eutychianam pravitatem, suo munivit calculo; permisit vero in ceteris actionibus ad elucidationem quæstionum, de multis aliis momentis disputare, ne tria Capitula approbare videretur.

Ad confirmationem etiam distinguo: Quod semel definitum est explicite in aliquo Concilio Oecumenico, ab altero in judicium non vocatur, concedo: sin minus, nego. Verum quidem est Concilium Chalcedonense, nullam fecisse de tribus capitulis mentionem, saltem in sex prioribus actionibus: Igitur ea potuit proscribere quinta Synodus generalis, maxime vero cum in periculum fidei ratione illorum veniebat Religio Catholica, quatenus propter intacta ab aliis Conciliis prioribus tria Capitula, non pauci ex integro exsuscitabant Nestorianismum. Quid plura? Mos apud Ecclesiam inoleverat, ut hæreses damnatæ ab aliquo Concilio, iterato fulmine a subsequentibus percuterentur: sic Synodus Ephesina et Chalcedonensis veteres proscripsere hæreses, jam in Concilio Antiocheno, in Nicæno et CP. damnatas, quidni et quinta Synodus tria proscripsisset Capitula? Ergo etc.

Urgebis: Summus Pontifex ad quem pertinet proponere credenda et Concilia confirmare, non solum Ephesinum et Chalcedonense probavit, verum etiam et tria Capitula defendit; namque Vigilius in rescripto, ante celebrationem quintæ Synodi, dato, varias ob causas atque rationes tria absolvit capitula, quinimmo prohibet aliquid ultra circa ea movere: quænam fuerint motiva hujusce determinationis in ipso patet scripto, videlicet, eo quod Chalcedonense Concilium nullam de eis moverat controversiam, eaque intacta reliquerat: quoniam vero Theodorus in pace Ecclesiæ e vita migraverat, nihil quicquam ab ejus memoria detrahere judicat. Ergo &c.

Respondeo distinguendo istam argumenti partem: Vigilius tria defendit Capitula in primo rescripto quoad personas, concedo: quoad textus & dogmata in eis contenta, nego. Parcit quidem personis, eo quod Theodorus de Ecclesia debellando Apollinaristas bene fuisset meritus; Theodoretus vero & Ibas specialiter, & adhuc viventes absoluti fuerant prævia Nestorianismi damnatione, a Patribus Chalcedonensibus: sed nusquam in laudato rescripto doctrinam trium capitulorum approbat; ne tamen aliquid roboris a definitionibus Concilii Chalcedonensis detraheretur, de tribus illis capitulis silere consentaneum duxit.

Respondeo II. Eamdem interum, sed alio modo distinguendo partem: Et Vigilius in posteriori rescripto per modum constitutionis dato, & loquens ex Cathedra damnavit Capitula, concedo: & non proscripsit, nego. Vigilius tantummodo ut persona particularis & œconomiæ causa in priori rescripto locutus fuerat: sed fidei periculum imminere ex trium capitulorum doctrina animadvertens, sub cujus velo multi Nestorianismum renovabant, dedit constitutionem, qua quidem decreta quintæ Synodi probavit, & tria capitula, tum quoad dogmata in his contenta, tum quoad factum personale Theodori, qui absque hæreseos absolutione defunctus fuerat, proscribit, cujus quidem definitionis luculentissimas affert rationes, & sic loquitur: *Ideo si in omni negotio sapientia ratio postulat, ut id de quo quæritur, tractatur, neque puderi esse debet, cum ea quæ ab initio omissa, studio deinde veritatis inveniantur, in publicum edantur, quantum magis Ecclesiasticis disceptationibus convenit, eamdem rationem ex illis quoque observari, præcipue cum manifestum sit Patres nostros, præsertim B. Augustinum, qui in divinis Scripturis claruit Romana Magistrum eloquentia propria scripta retractasse... Nos quoque illis exemplis incitati, in controversia trium capitulorum supra memoratorum, numquam destitimus quin investigaremus, quod de prædictis capitulis in Patrum nostrorum litteris melius inveniri posset, unde potuit &c.*

Insistes: Vigilius rogatus a sexdecim Metropolitanis, ut quintæ dignaretur præsidere Synodo, renuit in ea apparere; quinimmo nonnisi invitus & propter Justiniani Imperatoris auctoritatem, ejusdem Synodi consensit definitioni; nec unus historiographus asserit misisse epistolam, dum Constantinopoli demoraretur, qua Patribus Synodicis imperabat,

rabat, ne quicquam adversus tria Capitula definirent, quam quidem epistolam Imperator retinuit, nec in lucem prodire voluit, ne effectus circa trium capitulorum damnationem, impediretur: sed hæc omnia satis indicant Vigilium, ex animo tria non proscripsisse capitula; nec quintam approbasse Synodum: Igitur pro nihilo habenda est hujusce Concilii approbatio; adeoque absque jure tria explosa sunt Capitula.

Respondeo distinguendo majorem: Quoad istam partem, renuit Vigilius quintæ præsidere & assistere Synodo œconomiæ causa, concedo: ut averteret a tribus Capitulis anathema, & doctrinam in his contentam probaret, nego. Baronius & alii gravissimi auctores ea ratione ductum fuisse Vigilium, ut quintæ non præsideret Synodo asserunt, ne Orientales Imperatoris auctoritate freti aliquid adversus summi Pontificis auctoritatem molirentur, vel ne etiam Patriarcha Constantinopolitanus, ipso præsente, primam in Concilio habere sedem auderet, quandoquidem nonnumquam illius urbis Præsul œcumenici nomen sibi arrogare non dubitavit.

Ad alias probationis partes unum solummodo subindigitant, nempe Vigilium ægre tulisse quintæ Synodi adversus tria Capitula definitionem, timens in hoc pro Concilii Chalcedonensis auctoritate; verum omnibus æqua lance ponderatis, in gratiam fidei, & ad ejus incrementum acta quintæ Synodi lubenti animo approbavit. Evagrius Lib. 4. capit. 37. meminit epistolæ Vigilii, quæ quintam confirmat Synodum, & sic scribit: " Vigilius per „ litteras consensit Concilio, non tamen „ interesse voluit. „ Eumdem consensum laudat sexta Synodus actione 18. & Photius in epistola eumdem indicat. Unde patet quantum quidam allucinentur propugnando Binium & Baronium, non vidisse litteras Vigilii quintæ Synodi confirmativas.

Diluuntur objecta specialia Capitulorum Theodori & Theodoreti.

OPPONES I. In Theodori Mopsuesteni defensionem: Ille non debuit personaliter, & in sua doctrina proscribi, qui non semel de Ecclesia bene meritus est, qui laudatur a sanctis Patribus ut sanctus, quique uti talis ex multorum testimonio, in pace Ecclesiæ defunctus est: Atqui Theodorus a SS. Gregorio Nazianzeno & Chrysostomo laudatur, immo & a beato Cyrillo Alexandrino, ut refert Facundus Hermianensis Lib. 7. cap. 6. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Si Theodorus laudetur in omnibus, concedo: si tantummodo pro aliquibus, videlicet, eo quod & Eunomium, & Apollinarem debellasset, nego. Bonum autem ex integra causa, malum vero ex minimo defectu: unde qui laudatur in uno, dubio-procul in altero potest reprobari; sic sanctus Basilius epistol. 82. ad Patrophylum laudat Apollinarem pro aliquibus capitibus, sed numquam pro ejus hæresi. Eumdem laudat & Athanasius epistol. ad ipsum tamquam ad hominem de fide bene sentientem, sed detectis postea ejus erroribus, illum anathematizavit, & variis in libris ipsum insectatus est.

Instabis: Nulli mortalium licitum est mortuos insectari, & hoc propter duo; Primo quidem ex eo quod ad Christi judicium transacti sint: *Judicia Dei* vero *abyssus multa*, inquit Propheta; *&* *quis*, ait Apostolus, *novit sensum Domini, aut consiliarius ejus fuit?* Deinde vero mortuorum status definitione & judicio Christi immutabilis manet: Igitur ulla absque ratione Theodorus personaliter, & in ejus scriptis in quinta Synodo proscriptus est. Hoc ipsum innuunt Proclus Epist. ad Joannem Antiochenum, & S. Cyrillus Epistol. ad ipsum Proclum directa; uterque enim Theodorum mortuum non esse anathematizandum contendunt: " Quoniam vero „ ad Deum abiit, *inquit Cyrillus*, sufficit, „ ut ego puto, & quæ absurde scripta „ sunt ab ipso rejici ab iis qui recte sen„ tiunt. „ Quocirca idem Epist. ad Antiochenum improperari Theodoro vetat, ea ductus ratione, quod sancta Ephesina Synodus eum nominatim & in particulari non proscripsisset.

Respondeo distinguendo: Nemini licet judicare mortuos directe, concedo: indirecte, nego. Aliquem damnare directe est illum subjicere pœnis auctoritate juridica, illumque exauctorare & de gradu ejice-

ejicere; indirecte vero est tantum quibusdam bonis illum privare, & declarare talem ante mortem ex sanctorum Canonum jure ipso facto ob hæreseos scelera, pœnas incurrisse. Primo modo Ecclesia non perstringit mortuos, bene vero altero modo, quod posse fieri asserit sanctus Augustinus Epist. ad Bonifacium & Lib. 3. adversus Cresconium cap. 39. Hoc ipsum quoque quotidiana comprobat experientia, namque sancta Dei Ecclesia eos qui in perduelli congressu moriuntur, excommunicat, eosque & suffragiis Fidelium & sepultura Ecclesiastica privat. Igitur censura aliqua potuit Theodorum absque prævia erroris ejuratione defunctum, Ecclesia proscribere, ut ceteri Fideles ab hæresi defendenda vel amplectenda deterrerentur, maxime vero cum ex tribus Capitulis fides in periculum veniret.

Neque vero quemquam movere debet, si œconomiæ causa & per indulgentiam, quando non periclitatur fides, mortuos, ut ita dicam, perturbare non sinant sancti Patres; sed ubi scandalum adest & hæresis velut cancer serpit et crescit in pejus, omnibus certe modis error propulsandus est. Ne mireris igitur, benevole Lector, si Theodorus etiam defunctus personaliter proscriptus sit a quinta Synodo; nam ante mortem suos non ejuraverat errores. Secundo, ab ipsa Synodo Ephesina tacito quidem nomine, sed revera damnatus est, quatenus Patres Synodici ejus execrando Symbolum, hæreseos & damnationis notam ei inusserunt: ita asserit Pelagius II. Epist. ad Episcopos Istriæ his verbis: " Theodorum mortuum sancta „ Synodus prima Ephesina damnavit. „ Quinimmo Theodori nomen immediate post ejus mortem ex Ecclesiæ Mopsuestenæ diptychis expunctum est, & Rabulas Episcopus Edessenus eum circa illa tempora nominatim & personaliter proscripsit.

Urgebis: Dionysius Alexandrinus tametsi libros Nepotis Episcopi Ægyptii damnaverit, eo quod Millenariorum fabulas complecterentur, contra tamen ejus personam quicquam molliri æquum non duxit, eo quod ad judicium Christi Nepos fuerat transmissus; ita Eusebius Lib. 7. Hist. Ecclesiast. Huic accedit S. Leo Epist. ad Theodorum Forojuliensem, ubi dicit non esse necesse actus mortuorum discutere, eo quod sint in judicio Dei: Idem docet Gelasius Epist. ad Episcopos Dardaniæ de causa Acacii. Quid plura? Flavianus & S. Chrysostomus tametsi a Sede deturbati sint, quia tamen Ecclesia eorum post mortem venerata est memoriam, nullus eos proscribere veluti Hæreticos ausus est: Igitur a pari idem dicendum de Theodoro.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam & paritates. Ad primum quidem exemplum non est similis pro Nepote ratio, sicut pro Theodoro; quandoquidem ille Millenariorum errores nondum ab Ecclesia proscriptos in suis libris propugnaverat; unde Dionysius Nepoti indulgere potuit, immo & charitati Ecclesiæ sanctæ Matris consentaneum erat: tum quia nondum apparebat imminere fidei periculum propter Millenariorum errores, quos non unus aut alter primorum sæculorum Pater tametsi incautus fovebat; at vero Theodori errores jamjam proscripti ante ipsum manebant ex damnatione Ebionitarum, qui Christum ut purum hominem habebant: Igitur rite proscriptus est Theodorus.

Ad secundum dico, SS. Gelasii & Leonis auctoritates unum tantummodo probare, videlicet mortuos directe ad forum Ecclesiæ militantis contentiosum non pertinere, immo ne quidem indirecte proscribendos esse, nisi urgentes pro tanto momento affulgeant rationes, quæ dubio procul in causa Theodori non defuerunt.

Ad tertium, magna est inter Chrysostomum, Flavianum, & Theodorum discrepantia. Revera quidem prior in exilio ærumnis confectus, sed propter detentionem legum Ecclesiasticarum obiit; similiter & alter, flagellis, jubente impio Dioscoro cæsus, propugnando fidem exalavit animam, quocirca uterque in albo Sanctorum repositus est. Non sic sane Theodorus, quandoquidem in errore pertinax ultimum clausit diem.

Persistes: Ille non debuit personaliter proscribi, qui & a Concilio Chalcedonensi purgatus est, & ut Doctor egregius obiit: Atqui res ita se habet pro Theodoro: Et probatur ex sancto Isidoro Hispalensi, qui in Catalogo Virorum Illustrium, de Theodoro sic loquitur: " Hunc, Acephalorum

„ rum Episcopi in priori judicio Chalce-
„ donensis Concilii, Justiniano Principe
„ compellente, damnare post mortem
„ cum Iba & Theodoreto Episcopi cen-
„ suerunt, dum constet eum laudabilium
„ virorum testimoniis, clarissimum Ec-
„ clesiæ Doctorem fuisse. „ Idem Isidorus Facundi Hermianensis libros pro defensione trium Capitulorum commendat. Ergo &c.

Respondeo negando minorem quoad primam partem, videlicet Theodorum fuisse in Concilio Chalcedonensi absolutum: hoc enim tantummodo de Theodoreto & Iba legitur, altum vero est silentium in omnibus actibus de Theodoro. Unde ad Isidorum & alios tria defendentes Capitula, dico errore circa factum detentos fuisse, & hoc circa duo potissimum momenta: Primo quidem existimaverunt Theodorum fuisse in Concilio purgatum: Secundo, Concilium Chalcedonense iterato judicio Nestorianismum damnasse. Denique quintam Synodum quæstionem Nestorianismi circa fidei dogmata eliquasse: cum hoc negotium ad finem usque perductum solummodo fuerit in Concilio Chalcedonensi, quando Theodoretus & Ibas absoluti sunt; hinc eo detenti errore non pauci in alterum impingebant, arbitrando scilicet quintam Synodum damnando factum personale Theodori, & factum dogmaticum trium Capitulorum, etiam Concilium Chalcedonense proscribere, ejusque circa Nestorianismum acta rescindere, quod a veritate prorsus alienum est: Igitur quinta Synodus solummodo, iterata definitione, confirmavit seu recepit Concilium Ephesinum & Chalcedonense fidei dogmata spectantia, maxime vero utriusque circa proscriptionem Nestorianismi definitiones; unde nihil novi circa fidem movit Synodus quinta generalis, ut observat Pelagius Papa epist. ad Episcopos Istriæ. Ceterum, tria Capitula prævio maturo examine perstrinxit.

Objicies II. Theodoretus benigne receptus est a Concilio Chalcedonensi, ejusque fides unanimi consensu fuit collaudata. Igitur secundum Capitulum non debuit a quinta Synodo damnari, namque alias in hujusmodi damnatione concluderetur Synodus Chalcedonensis, quod absit dicere: Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Theodoretus benigne receptus est a Concilio Chalcedonensi prævia damnatione & Nestorianismi & Nestorii facta, concedo: immo cum hoc primum facere renueret, erumpente una omnium Patrum voce, anathema Theodoreto pronuntiabatur; secus, nego. Igitur non Capitulum, sed Theodoreti personam ex prævia fidei confessione absolverunt Patres: quia vero istud Capitulum favebat errori, uno circiter elapso sæculo, recte a quinta Synodo generali proscriptum est. Fidem Theodoreti non fuisse ab omni labe puram, liquet ex ejus ad Nestorium etiam cum jam Ecclesiæ foret reconciliatus, conscripta epistola, ubi testatur ejus indivulse partes velle suscipere.

Solvitur momentosa difficultas de Capitulo Ibæ.

OPPONES: Istud Capitulum a quinto Concilio generali non potuit rite damnari, quod a Chalcedonensi ab omni erroris nævo immune judicatum est: Atqui res ita se habet pro Capitulo Ibæ: Et probatur ex actione decima, in qua duo potissimum pro negotio Ibæ actitata sunt; alterum circa factum personale, num scilicet Ibas de Incarnatione Dominica bene aut male sentiret? Alterum vero circa textum, & utrum aliquis circa istud momentum scateret error in ejus ad Marium epistola. De primo capite, auditis Presbyteris civitatis Edessenorum multa crimina objicientibus Ibæ, de quibus se purgavit, ab illis sciscitati sunt Patres, num aliquid contra Ibæ fidem haberent dicendum; sic enim habetur Act. 10. Edit. Reg. pag. 41. *Deo amantissimi Episcopi dixerunt*, videlicet Maræ accusatori, *quid habes de fide movere? Maras dixit: alloquens dixit: Non invideo Christo facto Deo: in quantum enim ipse factus est & ego factus sum*. Cui accusationi sic respondet Ibas: *Anathema ei qui dixit, & ei qui calumniatur, ego enim non dixi: absit. Samuel dixit, testes nobis existunt hujus rei. Ibas dixit: decies millies ego secari patior, quam dicere hoc verbum. Absit a me hoc vel cogitare.*

Deinde Patres pro facto dogmatico discutiendo jubent proferri & legi epistolam Ibæ

ad

ad Marium, ut appareat num B. Cyrilli doctrinam Ibas proscripserit? Respondet negative ibidem Act. 10. pag. 50. his verbis: *Ego anathematis non feci mentionem, ego secutus sum Orientale Concilium*. Tum pagin. 51. profertur epistola ad Marium; facta vero ejus lectione, omnes Patres declarant Ibam Orthodoxum, & in propriam sedem restituendum esse definiunt. Non abs re erit singulorum placita hic texere.

Sic loquuntur Præsules Synodici ibidem pag. 64. *Pascasinus & Lucentius Reverendissimi Episcopi, & Bonifacius Presbyter, tenentes locum Sedis Apostolicæ per Pascasinum dixerunt: relectis Chartis agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum, Ibam Reverendissimum innoxium approbari; relecta enim ejus epistola, agnovimus eum esse Orthodoxum..... Anatolius R. Episc. Const. nova Roma, dixit omnem in præsenti de eo suspicionem abjicio, quoniam consentit & subscribit ei quæ nunc de fide sententiæ data est a sancto Concilio...... Maximus R. Episc. Ant. dixit ex iis quæ modo relecta sunt, manifestum est, quia ab omnibus ei illatis Reverendissimus Ibas innocens est repertus, & ex relecto quoque rescripto epistolæ, quæ prolata est ab eo qui adversarius ejus existit, orthodoxa ejus declarata est dictatio*.

Pergunt Judices: *Juvenalis R. Episc. Jerosol..... dixit, pervideo Reverendissimum Ibam impetrare clementiam, quia & senex est, ut habeat Episcopatus gradum, Orthodoxus existens.... Thalesius Rev. Episc. Cæsareæ Cappadociæ, dixit cum Reverendissimi Episcopi Photius & Eustathius causam Ibæ inquisierint, & eum non condemnaverint, horum sententiæ inhærens, volo permanere eum in Sacerdotio*.

Idem dixerunt Eusebius Episcopus Ancyræ, Stephanus Episcop. Ephesi, Diogenes Episcopus Cysici, Constantinus Episcopus Bostrorum, Theodorus Episcopus Damasci, Meletius Episcopus Larissæ, Romanus Episcopus Myrorum, Liciæ, & alii. Postea hæc leguntur: *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt, omnes eadem dicimus: Nestorium modo anathematizet, Eutychetem, & ejus dogmata anathematizet... Ibas dixit anathema & ipsi Nestorio, & Eutych. & unam dicenti naturam, & omnem qui non sapit, sicut hæc sancta Synodus, anathematizo*.

Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt: Quæ judicata sunt a sancto Concilio de Iba Reverendissimo Episcopo propriam vim retinuerunt: Igitur his omnibus claret Capitulum Ibæ per omnia absolutum fuisse in Concilio Chalcedonensi, nec absque fundamento Ibam in hoc erroris insimulare fas est.

Respondeo negando primam propositionem. Ad probationem distinguo: Concilium judicavit Capitulum attendendo ad ipsius Ibæ credentis explicationem, concedo: illud discutiendo in particulari, & ad apices juris, nego. Patres volebant ex innata Ecclesiæ charitate erga Heterodoxos redeuntes indulgere; unde ut tanti Episcopi alias de Ecclesia bene meriti honori & famæ parcerent, benigne ejus epistolæ interpretationem ab ipso datam accipere dignati sunt, & cum beatum Cyrillum tamquam Orthodoxum habere non renueret, ipsum utique Orthodoxum declaraverunt; sed Capitulum absque relatione ad personam Ibæ ejusque sensum, nec judicasse, nec Catholicum declarasse constat.

Tribus igitur solutio innititur rationibus. Patres Synodici primo Ibæ indulgere & parcere voluerunt. II. Ad sensum catholicum, quem ipse Ibas dabat, & non præcise ad ejus epistolam in se spectatam attendebant: III. Capitulum seu ad Marium epistolam neque approbavere Præsules Synodici, neque approbare juxta juris apices potuerunt. Patres voluisse indulgere & parcere, patet ex eo quod Juvenalis Jerosolymæ Episcopus ibidem pagin. 66. dicat: *Qui convertuntur, hos Scriptura divina suscipi jubet, quapropter & eos qui ab Hæreticis revertuntur, suscipimus. Unde pervideo Reverendissimum Ibam impetrare clementiam, quia & senex est, ut habeat Episcopatus gradum, Orthodoxus existens*.

Neque vero quemquam legentem acta Concilii latebit ad sensum & interpretationes ab Iba pro sua & a criminibus & ab hæreseos nævis purgatione prolatas, attendisse Patres; nam & benigne susceperunt instructionem & deprecationem in gratiam Ibæ ab omni Clero Edessenæ civitatis factam. Ibidem pagin. 56. ibi enim cum postulasset Ibas ut litteræ in gratiam ipsius scriptæ a Clericis Ecclesiæ Edessenæ

senæ exhiberentur, benigne annuerunt Præsules.

Denique Concilium neque probavit, neque absolvit in particulari epistolam Ibæ, alias & doctrinam Nestorii ibi inclusam adoptasset, & S. Cyrillo Alex. hæreseos labem inussisset, cum Ibas expresse dicat S. Cyrillum in congressu cum Nestorio in errorem oppositum impegisse, quod certe alienum prorsus est a mente Synodi, quæ Ephesinum Concilium et S. Cyrillum per omnia laudat, approbat et confirmat. Nævos præfatos scatere in epistola Ibæ, luce clarius apparet ex contextibus. Sic loquitur de Incarnatione, sic de B. Cyrilli sententia pagin. 51. " Cyrillus autem „ libros Nestorii volens destruere lapsus „ est, et inventus est in Apollinaris dog„ ma incidens; conscripsit enim et ipse „ illi similiter, quia ipse Deus Verbum „ homo factus est, ut non esset differen„ tia inter Templum et inhabitantem in „ eo. „

Instabis: Illa epistola nominatim et in particulari approbata fuit, quæ eo prorsus scopo lecta est in sacra Synodo, jubentibus Patribus, ut de ejus catholicitate fieret judicium, et ex ejus Orthodoxia Ibas ab omni erroris nævo absolveretur: Atqui eo prorsus scopo, præcipiente Concilio, lecta est: sic enim habetur ibidem pag. 64. " Relecta enim ejus epistola, *in„ quiunt Paschasinus & Lucentius*, agnovi„ mus eum esse Orthodoxum. „ Eadem declarata est non ab uno, sed ab omnibus catholica: *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt, omnes eadem dicimus*. Ibas et propter fidei confessionem, et propter famam in suo ad Marium rescripto Orthodoxus proclamatur, et in suam restituitur sedem: Igitur Ibæ epistola secundum juris apices nominatim, et in speciali declarata est orthodoxa.

Respondeo distinguendo majorem: Si lecta est epistola præcise ut factum illud definiretur, et judicaretur, concedo: si tantummodo ut Ibæ persona salvaretur et absolveretur, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Sane non ea intentione lecta est epistola ut factum illud dogmaticum judicaretur; neque enim judicio comparativo usi sunt Patres, comparando scilicet epistolæ textum cum textibus tum Scripturæ sacræ, tum Symbolorum, tum utriusque Ecclesiæ Patrum, ut Præsules Synodici perpenderent, num epistola Ibæ non adversaretur iis textibus, et declararetur in fide pura vel non. Sic enim Patres Ephesini judicaverunt de textibus Nestorii: sic Patres VI. Synodi de textibus Monothelitarum.

Quinam igitur erat scopus Concilii Chalcedonensis? non alius certe quam gratiam Ibæ concedere, prævia fidei confessione, quam præviis sanisque epistolæ interpretationibus et sensibus ab eo ipso datis, ab omni etiam hæreseos crimine absolvere, quod liquido patet ex eo maxime quod ejus excusationes in omnibus punctis ab æmulis illi objectis Patres benigne susceperint: quod hæresis circa Dominicam Incarnationem insimulatus, sese purgando fidem adhibuerint. Textus supra memoravimus, præcipiente enim Concilio ut Ibas anathema et Nestorio et Eutycheti diceret, extemplo respondit: *Omnem eum qui non sapit sicut hæc sancta Synodus anathematizo*. Tum Patres responderunt: *Quæ judicata sunt a sancto Concilio de Iba Reverendissimo Episcopo proprium vim retinebunt*. Ceterum nullus inter Patres præter unum aut alterum, mentionem facit de epistola Ibæ; unde tametsi unus aut alter dixerit in fide puram, non tamen omnes; nullus vero per modum definitionis.

Quis jam dubitabit Patres Synodicos voluisse parcere Ibæ, et ex ejus potissimum ore, nusquam vero ex epistolæ Capitulo Orthodoxum declarare? namque si factum istud ad juris apices definire et judicare fuisset eis animus, dum absolvissent reum, damnassent B. Cyrillum innoxium, cum Ibas in suo rescripto hæresis Apollinaris sanctum insimulet Doctorem. Denique eam fuisse Patrum intentionem, Ibam ejus prævia fidei confessione absolvere, constat; cujus rei argumentum irrefragabile est, quod ab eo expostulaverint ut Nestorio nominatim anathema diceret, ne aliquis circa ejus doctrinam et fidem remaneret scrupulus; sic enim habetur in Actibus Concilii pag. 69. act. 10. Dixerunt Patres Ibæ: *Nestorium modo anathematizet, Eutychem & ejus dogmata*. Sic respondet Ibas pag. 70. *Etiam in scripto anathematizavi Nestorium, ejusque dogmata, & nunc anathematizo eum decies millies*.

Urge-

Urgebis: Illud Ibæ Capitulum per omnia fuit in Concilio Chalcedonensi absolutum, quod lectum & discussum est ea intentione coram Patribus, ut ipsi perspicerent, num in eo aliquis scateret circa unionem hypostaticam error? Quod prævio maturoque examine a plurimis Episcopis declaratum est catholicum, quod ceteris silentibus & non reclamantibus tacito approbatum est consensu: Atqui ex textibus Concilii supra relatis res ita se habet: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et illud Capitulum œconomiæ & indulgentiæ causa non fuit proscriptum, concedo: & fuit approbatum, nego. Nullum quippe judicium de hoc momento latum legitur, sed quidam putarunt illud benigne interpretandum esse: multo plures tacuerunt, quod sane silentium non approbationis, sed tantummodo indulgentiæ argumentum est: quæ quidem indulgentia locum ex charitate Patrum habuit propter multa: Primo quidem Ibas doctrinæ sanæ dedit argumenta tum a damnatione B. Cyrilli propter capitula recedendo, tum Dominicę Incarnationis fidem profitendo. Secundo, anathema & Nestorianismo pronuntiavit, quo facto nævos in proprio capitulo contentos censebatur retractare. Tertio, se quoque a variis criminibus sibi falso impositis purgavit, quocirca Patres sanas ejus doctrinæ explicationes ab eo allatas benigne suscipientes, hoc unum præ oculis habuerunt, videlicet parcere Ibæ; & hoc tantum probat instantia laudata, nusquam vero capitulum absolutum, cum de hoc momento nullum fuerit ab ipsis factum judicium comparativum, nullumque extiterit absolutionis definitivum.

Repones: Patres Synodici ex lectione epistolæ Ibæ concludunt eum esse Catholicum: Igitur factum discussum simul & absolutum est.

Respondeo distinguendo: Ex lectione Capituli Ibæ, & ejus fidei professione ac doctrinæ explicatione Patres eum dixere Catholicum, concedo: ex epistola præcise, nego. Ibas anathema & Nestorio, & eius doctrinæ pronuntiaverat, S. Cyrilli Anathematismos receperat; quinimmo eos prius non abjecerat, ea potissimum ratione quod fidem Dominicæ Incarnationis illos complecti arbitraretur; unum solum in eis arguebat, quod hæresim Apollinaris non nihil spirare autumaret.

Persistes: Atqui Capitulum Ibæ de facto absolutum est a Concilio Chalcedonensi: Ergo &c. Probatur subsumptum: ita testatur Facundus Hermianensis Lib. 5. cap. 1. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et Facundus Hermianensis errore facti detentus erat, concedo: secus, nego. Hoc ipsum patet ex supra dictis.

Respondeo II. opponendo Facundo Patres secundi Concilii Nicæni generalis, qui e contra juxta codices quos præ oculis habebant, asserunt Capitulum Ibæ in Concilio Chalcedonensi fuisse proscriptum, ejus vero personam absolutam, cui non audent epistolam tribuere: nec levior est de hoc suspicio, cum vel ipse Ibas actione 10. non semel asserat se nihil adversus S. Cyrillum dixisse. Nunc ad Patres Nicænos veniamus: actione 6. pag. 530. edit. Regiæ sic loquuntur: *Commentarium enim illud rejicimus, beatum autem Patrem Catholicæ Ecclesiæ Doctorem agnoscimus; nam divini Patres qui in quarta universali Synodo fuerunt congregati, epistolam, quæ nomine Ibæ Episcopi Edessæ ad Marium Persam circumferebatur anathemate damnarunt, quasi Nestorio consentientem: eodem modo qui in quinta sacra Synodo convenerant, ipsum autem Ibam nequaquam. Non enim demonstrari poterat quod esset Ibæ, Quamobrem in Anathematismis non ipsum Ibam devoverunt, sed Ibæ epistolam: dicebatur enim Ibæ, cum tamen illius haudquaquam esset. Sic igitur ipsa falsa scripta contra venerandas imagines dicuntur quidem a quibusdam Epiphanii, non tamen sunt.*

Respondeo III. dato & non concesso Capitulum Ibæ in Synodo Chalcedonensi fuisse absolutum, nihil inde roboris detrahitur a definitione quintæ Synodi, quandoquidem quod de hoc capite spectat, actitatum est in Concilio Chalcedonensi, in quo Act. 10. factum legitur. Porro nemo non novit sanctum Leonem approbasse Concilium Chalcedonense solum quoad sex priores actiones quæ fidem spectant, ut liquet ex sua 61. epistola, reliqua vero disputationi tradidisse: potuit

igitur

igitur quinta Synodus discutere & proscribere tria Capitula, nam in reliquis sessionibus Synodi Chalc. actitatum erat dumtaxat de disciplina.

Solvuntur aliæ objectiones quibus nonnulli probare contendunt quintam Synodum non esse acceptandam.

REPONUNT: Nullus tenetur quintæ Synodi circa tria Capitula definitionem acceptare: Igitur perinde est ac si de facto tria Capitula non fuissent reprobata. Probatur Antecedens: Ecclesia non est infallibilis circa facta, ut ex textu Concilii Nicæni secundi mox laudato liquet; eo enim loci Patres factum tum Ibæ, tum Epiphanii, ideo in speciali non proscripserunt, quia Ecclesia etiam in Spiritu sancto congregata, hujusmodi nec discutit, nec judicat facta. Confirmatur: Ecclesia non judicat de internis, ut tritum fert axioma; sed si judicaret facta, etiam judicaret de internis, puta de intentione auctorum: Igitur concludendum est quintam Synodum non debuisse, immo nec potuisse tria Capitula proscribere, maxime vero factum personale Theodori ab uno jam sæculo e vivis erepti.

Respondeo I. dato & non concesso, Ecclesiam non esse infallibilem in definiendis quibuscumque factis, inesse tamen ei potestas adhibitis juris solemnitatibus ea definire, vel ea approbando, vel etiam si necesse sit, reprobando, & cuncti Fideles debent Ecclesiæ obedire, sub pœna peccati & divini judicii interminatione, quandoquidem, *Non est potestas*, Rom. 13. 1. *nisi a Deo*; cui ea qua par est reverentia subjici propter Deum oportet: quocirca docent Theologi communiter leges non solum Ecclesiasticas, sed etiam sæculares, & a Principibus ad bonum publicum conditas, in conscientia obligare.

Respondeo II. Ecclesiam non esse quidem infallibilem in factis personalibus definiendis, ut probat textus Synodi Nicænæ secundæ, quæ quidem ut legentibus patebit, de hujusmodi factis tantummodo tractat: hoc ipsum & probat tantum confirmatio objectionis; attamen si per testes omni exceptione majores probetur aliquem vel scripsisse, vel docuisse hæreses, eum profecto, nisi resipiscat, damnare potest Ecclesia, immo & debet, ut perpetua probat possessio, traditio, & ipse usus. Porro cum Theodorus ante mortem suos non ejurasset errores, nec damnasset Nestorianismum, sicut Theodoretus & Ibas damnaverant, non sine causa quoad suum Capitulum, & quoad propriam suam personam a quinta Synodo proscriptus est.

Respondeo III. in forma: Ecclesia non est infallibilis in factis personalibus, concedo: in factis dogmaticis, nego. Factum duplex distinguitur; personale unum, dogmaticum alterum: primum respicit personam, secundum vero dogma, & illud complectitur. Jam vero quod Ecclesia in isto judicando sit infallibilis, probat istud Evangelii oraculum in gratiam Ecclesiæ prolatum, Matt. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Profecto prævalerent si Ecclesia in discutiendis & definiendis quæstionibus circa fidem in textibus contentis, erraret. Et vero si infallibilis est circa dogma definiendum, utique est & in judicando de textibus, ad quod duo tantummodo requiruntur: videlicet linguam textus callere, ut quinam sit sensus obvius ipsa cognoscat: deinde ut judicet dogma, quod textus in sensu obvio præ se fert: Igitur eo ipso quo Ecclesia est infallibilis circa dogma, censeri quoque debet & circa textus, quatenus dogma non est quid imaginarium, sed in textibus expressum & contentum, ex quo sequitur infallibilitatem Ecclesiæ circa dogma, inferre infallibilitatem circa textus.

Hanc judicandi de textibus dogmaticis potestatem Ecclesia sibi ab omni tribuit ævo, innixa promissione Christi, quocirca dixerunt Apostoli in Concilio Jerosolymitano: *Visum est enim Spiritui sancto, & nobis*. Symmachus Papa respondit Acacio hæretico, ut refert D. de Fleury, a nemine posse a vinculo excommunicationis solvi, eo quod ab ipso Christo per suum Vicarium maneret ligatus. Et. Patres Nicæni 2. adversus Iconomachorum textus pronuntiantes sententiam, asserunt, afflante Spiritu sancto, hoc fecisse.

Quid plura commemorem? Idem ex perpetua traditione comprobatur. Sic Patres Nicæni primi proscripserunt & Arium, & textus ejus, scilicet ejus Tha-

Thaliam, tum Episcopos aliquos huic damnationi subscribere renuentes perstrinxerunt, eisque excommunicationem & exauctorationem, nisi obedirent, interminati sunt. Sic Ephesini judicarunt de textibus Nestorii: Sic Chalcedonenses de scriptis Eutychianorum; Sic Concilium V. generale de tribus Capitulis: Sic VI. de Monothelitarum textibus: Sic Nicænum II. de Iconomachorum scriptis: Sic Constantiense, de Vviclefi; Sic Trident. de Lutheri & Calvini textibus judicarunt: Hinc qui negant infallibilitatem Ecclesię in judicandis textibus, omnes non sine ausu temerario exsufflant Conciliorum œcumenicorum definitiones. Igitur quinta Synodus generalis fuit in judicandis tribus Capitulis infallibilis, quocirca a Gregorio Magno eodem donatur honore, quo quatuor prima Concilia generalia celebrantur: Ceterum quia Theodorus ante mortem suos non ejuraverat errores, indirecte saltem potuit subjici Ecclesiæ judicio quantum ad aliquid.

Instabis: Atqui V. Concili generalis circa textus definitio non debet recipi: Ergo &c. Probatur subsumptum: Episcopi Istriæ absque unitatis dispendio illam recipere noluerunt: Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et illi Episcopi errore facti erant detenti, concedo: & non erant, nego. Existimabant V. Synodum aliquid in fide innovasse, & non nihil roboris a Synodo Chalcedonensi detraxisse, quippe qui crederent istam Synodum metam, tum quæstionibus fidei, tum factis dogmaticis & personalibus, imposuisse; quocirca ad eos rescripsit Pelagius II. ut eos faceret certos sanctum Leonem sex solummodo primas actiones Concilii Chalcedonensis approbasse, eumque permisisse in subsequentibus de reliquis, ut de factis dogmaticis & personalibus trium Capitulorum agere, adeoque V. Synodum nihil immutasse in priorum Conciliorum definitionibus adversus Nestorianismum, quocirca illis invictissime probat V. Synodum justa de causa trium Capitulorum controversiam & adamussim examinare potuisse, & tandem ad fidei incrementum definivisse.

Gregorius Magnus Lib. 2. Epist. 36. ad eosdem Istriæ Episcopos rescripsit, eosque ad unitatem eorum rebellione non nihil labefactatam invitat.

Dices: S. Gregorius asserit nihil actitatum esse de fide in V. Synodo, sed tantum de personis: Igitur tria Capitula non fuerunt ab illa Synodo proscripta.

Respondeo distinguendo: Nihil actitatum est in V. Synodo de fide Dominicæ Incarnationis, secundum se & absolute spectata, concedo: relative ad personas & ad textus, nego. Certum est non eo animo congregatum fuisse V. Concilium generale, ut aliquid circa Dominicam Incarnationem definiret, nisi ad summum secundario, & ut eam calculo iterato roboraret atque confirmaret, sed principaliter ad tria Capitula tum eliquanda, tum etiam finienda, & hoc relative ad personas, cujus rei argumentum est istud, quod non pauci propter intactas personas in Chalcedonensi, doctrinam trium Capitulorum tamquam genuinam Ecclesiæ fidem propugnabant, & sic Nestorianismum ex integro renovabant; quocirca opus fuit tum ad fidei conservationem, tum ad ejusdem fidei incrementum examinare tria Capitula, & uti Concilio Ephesino adversa profligare, quod & peregit quinta Synodus: Hinc nulla remanebat spes ut Nestorii exsuscitarentur errores.

Urgebis: Quod fuit ab universali Ecclesia rejectum, non debet in conscientia & sub pœna peccati approbari: Atqui res ita se habet pro quinta Synodo generali: Et probatur, ab universali pene Occidente non recepta est, quod non uno ostenditur momento.

Primo: Sanctus Gregorius Magnus in Epist. ad Constantium Episcopum Mediolanensem pag. 90. approbat eum eo quod non dedisset Reginæ Longobardorum epistolam suam, in qua quidem de quinto Concilio loquebatur, & aliam misit in qua de solis quatuor primis Conciliis mentionem faciebat. II. Cardinalis Aguirus Tom. 2. Conciliorum Hispaniæ, ait quasdam Hispaniarum Synodos V. Concilium inter Concilia œcumenica non statim recepisse; namque Reccaredus Hispaniæ Rex in fidei professione quam obtulit tertio Concilio Toletano, illam omittit Synodum, sicut & Rex Sisibutus, similiter & octava atque 14. Synodus Tole-

tana, quia, *inquit*, de nullo agebatur dogmate, sed de facto non revelato quod Ecclesia judicio ultimo non definit: Idem videtur sentire Cardinalis de Lauræa: Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem distinguo: Et S. Gregorius œconomia uti æquum duxit, eo quod multi, ut Isidorus, Rex Hispaniarum, & Regina Longobardorum ægre illud ferebant, concedo: & siluit reprobando, nego. Dictum est enim SS. illum Pontificem habuisse pari honore illud Concilium cum prioribus œcumenicis: nec mirum, paucis admodum exceptis Schismaticis tum in Oriente, tum in Occidente, etiam ab Hispanis & Longobardis, elucidata quæstione factorum, ea qua par est reverentia erga Ecclesiam, suscepta fuit Synodus.

Ad secundum similiter distinguo: Et laudati in instantia V. Synodum tacito primum consensu, deinde vero, elucidata quæstione, expresso receperunt, concedo: & non receperunt, nego. Nec unum est de hoc momento exemplum. Joannes Antiochenus cum suis prima fronte Concilium Ephesinum debellavit in gratiam Nestorii; sed re maturius discussa, ejus definitiones adversus vel ipsum Nestorium amplexus est. Sic Concilium Francofurtense aliquibus annis suum non habuit robur, sed ut primum summi Pontificis calculo munitum est, ejus Canones pro filiatione naturali Christi ab universali Ecclesia ad hæc usque tempora recepti sunt.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Tria Capitula rite fuerunt a quinta Synodo generali damnata.

PRIMO QUIDEM hoc constat ex quinto Concilio generali ad hoc momentum discutiendum & definiendum specialiter adunatum, quod 14. canonibus feliciter complevit. Can. 1. damnat negantes unum esse in Christo Dominum; in 4. anathemate ferit Theodorum Mopsuestenum ejusque scripta, can. 13. Capitulum Theodoreti. Can. 14. Epistolam Ibæ.

Secundo: Concinunt SS. Pontifices, in primis Vigilius, qui in suo secundo rescripto fuso calamo tria proscribit Capitula, Pelagius II. qui in sua ad Episcopos Istriæ epistola, propugnat Concilii definitiones, & ad eas recipiendas illos adhortatur. His accedit Gregorius Epist. 36. tum Martinus I. in Concilio Lateranensi Secret. 4.

Tertio: Id ipsum innuunt ipsi Capitulorum textus, qui errores Nestorii undequaque spirant, namque Theodorus in suo Symbolo solum deitatis honores Christo tribuit. Theodoretus in suo Anathematismo 12. irridet Patres Ephesinos, eo quod Nestorium proscripsissent. Demum Ibas in suis ad Marium Persam litteris, B. Cyrillum insulsis lacessit dicteriis, quia Nestorium damnaverat.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Concilium Chalcedonense siluerit Theodorum, quia in pace Ecclesiæ obierat: Theodoretum & Ibam, auditis eorum fidei confessionibus, excusatos habuerit, nusquam tamen tria probavit Capitula. Idem dicendum de Vigilio Papa in suo primo rescripto: Igitur potuerunt a quinta Synodo generali damnari.

Secundo: Neque vero Capitulum Ibæ fuit a Concilio Chalcedonensi approbatum, tametsi lectum; Patres enim attendentes solum ad explicationem Ibæ, & ejus fidei professionem, ex indulgentia abstinuerunt a proscriptione & capituli, & personæ.

Tertio: Non desunt qui affirment Vigilium cum suis, jubente Justiniano, in carcerem detrusum & detentum, donec suo muniret calculo Concilium; sed hoc dato & non concesso, omnibus æqua lance discussis, sic probavit Synodum Vigilius, ut singulis Capitulis erroris notam inusserit, & fuso calamo demonstraverit errores, ac uti tales proscripserit. Quod dubio-procul non fecisset, si ea velut catholica habuisset: procrastinavit quidem approbationem Concilii, sed quo scopo, intellige, ut cunctis ad juris apices discussis & factis, Concilium Chalcedonense, quod omiserat Capitulorum damnationem, intactum permaneret.

S. Z.

SECTIO SEXTA.

Utrum Felix & Elipandus adhæserint Nestorio?

Conclusio affirmativa.

PROBATUR hoc ratiocinio. Illi adhæserint Nestorio, qui Christum in sensu Nestoriano dixerunt Filium Dei adoptivum, qui propter hoc a Paulino Aquilejensi Episcopo, & ab Alcuino primum debellati, deinde ab Adriano I. & Concilio Francofurtensi proscripti sunt: Atqui res sic se habet: Et probatur.

Primo, ex Paulino qui Felicem præsentem, & mentem suam explicantem audivit cum Alcuino in Concilio Aquisgranensi, contra quem disputavit: nam de Felice & Elipando in libro Sacrosyllabo ita scribit: " Dei ergo Filius qua ratione " credi potest adoptivus, qui inseparabiliter a sancto homine in una persona " coeunte utraque natura, non duo Filii, alius Deus, alius hominis, ut sicut " illi errando existimant, adoptivus sit " Filius hominis, & sine adoptione Dei " Filius? "

Secundo: Alcuinus Lib. 1. contra Felicem, illum sic redarguit: " Igitur sicut " Nestoriana impietas in duas Christum " dividit personas, propter duas naturas... ita & vestra indocta temeritas in " duos eum dividit filios. "

Tertio: Adrianus I. eidem patrocinatur veritati: sic enim loquitur Epistol. ad Episcopos Hispaniæ, scilicet Felicem & Elipandum, aitque: *Adoptivum eum Filium quasi purum hominem calamitati humanæ subjectum non pertimescitis venenosa fauce susurrare.*

Quarto: His accedit definitio Concilii Francofurtensis, quod Felicem et Elipandum veluti Nestorianismi furfure conspersos damnat in sua ad Episcopos Hispaniæ epistola: Patres sic alloquuntur illos Episcopos: " Nonne olim eadem hæresis ve- " stra in Nestorio ab universali sancta Ec- " clesia refutata est et damnata? "

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Illi non propugnavere adoptionem pro Christo in sensu Nestorii, qui a Carolo Magno petierunt congregationem Concilii Francofurtensis. Atqui hoc petierunt Felix et Elipandus: Ergo etc. Confirmatur: Patres Francofurtenses sæpius dicunt prædictos Episcopos admisisse filiationem adoptivam ratione carnis et gratiæ: sed hoc non est hæreticum: Ergo etc.

Respondeo I. Adrianum loco citato eos veluti Nestorianos habere his verbis: *Adoptivum eum Filium quasi purum hominem non pertimescitis venenosa fauce susurrare.*

Respondeo II. distinguendo minorem: Petierunt Concilium fraudulenter, concedo: secus, nego. Petierunt quidem, sed ut fucum facerent, expostulando damnationem hæreseos Etherii et Beati, ne ipsi in suspicionem fidei venirent. Solutio est Concilii Francofurtensis, qui in epistola ad Episcopos Hispaniæ, eos sic alloquitur: " Nonne olim eadem hæresis ve- " stra in Nestorio ab universali sancta Ec- " clesia refutata est et damnata? Quapro- " pter forte illum anathematizare noluistis, dum alios Bonosum, scilicet, A- " rium, et Sabellium Manichæumque qui " prava de Dei Filio senserunt, in epi- " stola vestra anathematizatis. " Observes Felicem et Elipandum vocasse hæresim Etherii et Beati Bonatianam.

Ad confirmationem distinguo: Patres dicunt illos admisisse filiationem adoptivam in Christo ratione carnis, sed propria terminatæ subsistentia, concedo: subsistentia Verbi, nego.

Instabis: Iidem Patres Synodici Felicis et Elipandi errorem vocant novam hæresim: Igitur non erat Nestoriana, ista enim erat antiqua.

Respondeo distinguendo: Vocant novam quantum ad modum, concedo: quoad se nego. Non secus ac Nestoriani duas in Christo admittebant personas, non quidem Nestorii terminis utendo, sed propugnando Christum esse Filium Dei adoptivum: Porro adoptio est assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem, nec alio modo, ut liquet, ex probationibus intellexerunt.

Insistes: Elipandus in sua confessione fidei unicam profitetur in Christo personam: Ergo etc.

Respondeo distinguendo: Et loquitur ex-

tholice quoad terminos ut fucum faciat, concedo: quoad rem, nego. Non enim admisit unam in Christo personam nisi unitate dignitatis. Hinc Adrianus Felicem & Elipandum sic perstringit sub finem suæ epistolæ: *Quod si exigentibus indignis meritis, tam insolubili eos malignus spiritus perfidiæ laqueo justo Dei judicio transgulavit, ut resolvi nequeant ex auctoritate prorsus Sedis Apostolicæ.....perpetuo eos anathematis vinculo religatos ultrici cum sequacibus suis judicamus vindicta plectendos, ac per hoc & a gremio Ecclesiæ & a nostro consortio definito alienos.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Felix & Elipandus adhæserunt Nestorio.

PRIMO: Id affirmat Paulinus, qui Elipandum in Concilio Aquisgranensi insectatus est: hoc utique constat ex libro Sacrosyllabo, & ex Alcuino Libr. 1. contra Felicem.

Secundo: Hoc ipsum affirmat Adrianus I. in sua ad Episcopos Hispaniæ epistola, in qua utrumque Heterodoxum sic alloquitur: " Adoptivum eum Filium quasi „ calamitati humanæ subjectum non per- „ timescitis venenosa fauce susurrare. „

Tertio: His accedit definitio fidei Concilii Francofurtensis, quod & Felicem & Elipandum proscribit, eo quod Christum Filium Dei adoptivum in sensu Nestoriano dicerent.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Esto quod vel ipsi Episcopi laudati Concilium Francofurtense adunari expostulaverint, sed ea fecere astutia, ut simulato fidei zelo Ecclesiæ anathemata declinarent, & ea in Bonosum, Arium & alios diverterent.

Secundo: Tametsi Patres appellent Felicis & Elipandi hæresim novam, non inde concludendum eam non habuisse ut veterem Nestorianam, sed novam quoad modum, & media illam disseminandi dixerunt.

Tertio: Ultro concedimus illos Episcopos in sua fidei professione unicam confiteri in Christo personam, sed verbo-tenus ut fucum facerent: Sic Pelagius illusit Patribus Diospolitanis, sic Cœlestius Zosimo, sic Berengarius pluribus summis Pontificibus.

SECTIO SEPTIMA.

Utrum Unio facti sit in Persona?

QUATUOR sunt circa istud momentum sententiæ: una Nestorii propugnantis unionem Verbi cum humanitate fuisse mere affectivam, videlicet per gratiam & charitatem, qualis fit cum omnibus justis. Altera est Brintii & Smydelini, qui volunt Verbum uniri sanctæ humanitati nihil aliud esse, quam attributa & proprietates Dei Christo tribui, non quipem per se, sed per accidens, hoc est, per dona gratiæ accidentalia. Sic refert Bellarminus Lib. 3. de Incarnat. capit. 8. Tertia est quorumdam qui contendunt humanitatem propriam retinuisse subsistentiam, cui, sicut toti naturæ humanæ unita est hypostatice persona divina, et ex ista cum proposito humano unam coaluisse personam; hinc in concreto duas non dicunt hypostases, tametsi in abstracto illas realiter distinguere non dubitent. Quarta, eaque sola catholica unam omnimode admittit hypostasim in Christo, ita ut impedita propria humanitatis subsistentia, Verbum substantialiter unitum sit homini. Unde sit

CONCLUSIO.

Verbum unitum est hypostatice sanctæ humanitati.

ISTA propositio est de fide definita in Concilio Ephesino; probatur tamen unico, sed irrefragabili argumento.

Illa unio est hypostatica, cujus virtute compositum est Deus: Atqui compositum coalescens ex unione naturæ divinæ cum humana est Deus qui dicitur Christus: Ergo etc. Probatur minor multipliciter.

Primo, ex Scriptura sacra: Sic enim habetur Joann. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum..... Et Verbum caro factum est.* S. Joannes idem Verbum Deus dicit caro factum;

factum: Ergo &c. Item Philipp. 2. 6. de Filio Dei incarnato ait Apostolus sese humiliasse, & tamen Deum remansisse: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Porro actiones, & passiones sunt suppositorum: Ergo &c.

Secundo, ex Symbolis: Nicaenum dicit Filium Dei ex Maria natum: *Et incarnatus est*, inquit, *de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Athanasius vero in suo sic pronuntiat de Christo, *perfectus Deus, perfectus homo.* Ita de fide definitum est in Concilio Ephesino contra Nestorium, ut jam dictum est. Rursus in Concilio Chalcedonensi, & Quinto generali.

Tertio, ex Traditione Patrum. Eam propugnant fidem S. Ignatius Epist. ad Eph. his verbis: " Singuli viri commu-„ niter omnes in gratiam ex nomine con-„ venite in una fide, & in uno Jesu Chri-„ sto, secundum carnem ex genere Da-„ vid, filio hominis & filio Dei. „ Julius I. Epist. ad Decentium, S. Hilarius toto secundo libro de sanctissima Trinitate, & alii supra laudati, ubi de Christi divinitate egimus.

Quarto, ratione Theologica. Homo qui est intrinsece Deus, est talis per unionem hypostaticam cum Verbo: Atqui Christus nedum homo, sed & Deus, ut probatum est supra, & ut iterum colligitur ex illo S. Joannis effato, qui Epist. 1. cap. 2. de Christo sic loquitur: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ad Deum autem solum spectat gratiam conferre: Ergo &c.

Juvat istam probationem claudere iisdem verbis, quibus B. Cyrillus Alex. primam suam orationem ad Reginas terminat his verbis: *Aequalem ergo fidem deposcit, illam ipsam nimirum, quam divini Praecones, qui & Ministri, & spectatores extiterunt, orbi annuntiaverunt.* Joannes igitur ait: *Et Verbum caro factum est. Factum est sane caro, sed hoc ita, ut Deus tamen esse non desiterit, istiusmodi itaque est fides, quam ille suo tempore a nobis requiret.* Porro si Verbum non nisi moraliter humanitati sanctae uniretur, Christus non esset Deus; cum justi, cui affective per gratiam & charitatem unitur, non sint dii, nisi secundum quid, & per participationem.

Convellitur systema Nestorii duas admittentis personas, gratia & moraliter tantum in se unitas.

PRIMO, omnibus argumentis, quibus supra probatum est Christo convenire naturam, proprietates & operationes divinas: Quamvis enim creatura virtute gratiae possit dici Deus secundum quid, & per participationem, non tamen aeterna, domina mundi, creatrix, & gloriae magistra. Scriptum est enim Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Si autem Verbum non est hypostatice unitum humanitati, Christus non posset dici Deus, neque Creator, neque gloriae Dominus: Sola enim Dei habitatio in anima per gratiam ad hoc non sufficit, cum similiter habitet in ceteris justis, quibus tamen non competit Creatoris gloria & nomen. Istae rationes sunt D. Thomae, qui Lib. 4. contra Gentes, cap. 34. num. 11. sic loquitur: " Dicet aliquis homo „ participatione divini dominii, Domi-„ nus dici possit; nullus homo tamen, „ neque creatura aliqua potest dici Do-„ minus gloriae, quia gloriam futurae „ beatitudinis solus Deus ex natura pos-„ sidet: alii vero per donum gratiae. Unde „ & Psal. 32. dicitur, Dominus virtutum „ ipse est Rex gloriae. Sed Apostolus di-„ cit, Dominum gloriae esse crucifixum. „ 1. Cor. 2. Si enim cognovissent, num-„ quam Dominum gloriae crucifixissent, „ vere igitur dici potest, quod Deus sit „ crucifixus.

Idem ibidem num. 21. sic habet: " Manifestum est Verbum Dei in sanctis „ Angelis habitare, qui participatione „ Verbi intelligentia replentur. Dicit „ enim Apostolus Hebr. 2. Nusquam „ Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit. Manifestum est igitur „ quod assumptionem humanae naturae a „ Verbo non est secundum solam habita-„ tionem accipienda. „

Secundo, confutatur sententia Nestorii illo ratiocinio. Illa opinio est haeretica & impia, quae destruit veritatem locutionis Scripturae: veritatem Incarnationis:

nis: veritatem passionis, mortis & satisfactionis Christi: Atqui Nestorii opinio hæc omnia destruit: Igitur est impia & hæretica. Major patet, nam est de fide definitum in Concilio Ephesino Verbum esse hypostatice unitum sanctæ humanitati, Filium Dei esuriisse, & passum fuisse pro nobis. Probatur igitur minor quoad singulas partes.

Positio Nestorii omnes locutiones Scripturæ de Christo reddit falsas: Scriptura dicit, *Verbum caro factum est*: secundum autem Nestorii opinionem, istud non est verum. Ita D. Thomas ibidem numero 2. his verbis: " Ex ipso modo loquendi " Scripturarum falsitas prædictæ propositionis, nempe Nestorii, apparet. Inhabitationem enim Verbi Dei in sanctis hominibus consuevit sacra Scriptura his modis significare, locutus est Dominus ad Moysen, vel dicit Dominus ad Moysen, factum est Verbum Domini ad Jeremiam; numquam autem legitur, quod Verbum Domini factum sit vel Moyses, vel Jeremias, vel aliquis aliorum. Hoc autem modo singulariter unionem Verbi Dei ad carnem designat Evangelista, dicens: Verbum caro factum est. " Et num. 3. prosequitur, dicens: " Omne quod factum est, est illud quod factum est, sicut quod factum est homo, est homo... Si igitur Verbum caro factum est, id est, homo, ut Evangelista testatur, impossibile est quod Verbi Dei & illius hominis sint duæ personæ, vel duæ hypostases, vel duo supposita. " Denique n. 4. ait: " Pronomina demonstrativa ad personam referuntur vel hypostasin, vel suppositum. Nemo enim diceret: ego curro alio currente ... sed ille homo qui dictus est Jesus, dicit de se Joan. 10. Ego & Pater unum sumus .... Ergo manifestum est quod persona illius hominis loquentis & hypostasis est & persona Filii Dei. " Igitur Filius Dei est hypostatice unitus humanitati.

Positio Nestorii destruit veritatem Incarnationis. Sequitur enim Verbum factum esse carnem solum figurative & moraliter: Et probatur: Verbum est in ceteris justis ut in Templo, juxta illud 2. Cor. 6. *Vos estis Templum Dei vivi*. Et tamen nullus usque nunc dixit, Verbum incarnari in justis. Nec sufficit replicare, Verbum uniri modo speciali Christo per majorem gratiarum copiam; esset enim unio semper solum moralis, plus autem & minus non diversificant speciem. Istæ rationes sunt D. Thomæ ibidem: Sic enim loquitur num. 1. " Prædicta positio, scilicet Nestorii, veritatem Incarnationis excludit. Non enim secundum prædicta Verbum Dei fuit homini illi unitum nisi secundum inhabitationem per gratiam, ex qua consequitur unio voluntatum: inhabitatio autem Verbi Dei in homine non est Verbum Dei incarnatum ... nec etiam ad Incarnationis rationem sufficit, si Verbum Dei, aut Deus pleniori gratia habitavit in illo homine, quia majus & minus speciem non diversificant unionis. "

Positio Nestorii tollit veritatem passionis & mortis Christi, & ejus pro nobis satisfactionis. Hoc enim posito falsum est Filium Dei formam servi accepisse: frustra dixit de eo Apostolus Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*: quia in hypothesi Nestorii humanitatem ipsam non suscepit Verbum, sed homo solus in Christo humiliatus & passus est. Unde sequitur inutilitas istius locutionis: *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*, licet seipsum exinaniverit: quia in positione Nestorii non Filius Dei, sed solum humanitas exinanita est. Istud ratiocinium est D. Thomæ ibidem numero 19. his verbis: " Apostolus dicit Philip. 2. de Christo: Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus: ubi manifestum est, si, secundum Nestorium, Christum dividamus in duos, scilicet in hominem illum qui est Filius Dei adoptivus, & in Filium Dei naturalem, qui est Verbum Dei, quod non potest intelligi de homine illo: ille enim homo, si purus homo sit, non prius fuit in forma Dei, ut postmodum in similitudinem hominum fieret, sed magis e converso homo existens divinitatis particeps factus est, in quo non fuit exinanitus, sed exaltatus. " Ergo &c.

Tertio: Spiritus sanctus habitavit in Christo, nec tamen dicitur incarnatus: Ergo si Verbum solummodo habitavit in Chri-

Christo ut in Templo, sicut posuit Nestorius, non est incarnatum. Ita propugnat D. Thomas ibid. num. 22. " Manifestum est quod Spiritus sanctus in homine Christo habitavit. Dicitur enim Luc. 4. quod Jesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane. Si igitur Incarnatio Verbi secundum hoc solum intelligenda est, quod Verbum Dei in homine illo plenissime habitavit: necesse erit dicere quod etiam Spiritus sanctus erit incarnatus: quod est omnino alienum a doctrina fidei: Ergo &c.

Confutatur Brintius & Smydelinus, qui dicunt unionem hypostaticam consistere solum in communicatione attributorum Dei.

PRIMO: Hæc opinio non concordat cum definitionibus Conciliorum: & hac posita, omnes Personæ SS. Trinitatis incarnatæ sunt, quia attributa æqualiter conveniunt tribus personis, quæ utique habitant in justo, juxta illud ipsius Christi Joan. cap. 14. vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Sed est contra fidem asserere tres parsonas esse incarnatas: Ergo &c.

Secundo: Quædam proprietates homini assumpto nequeunt convenire. Ita Bellarminus Lib. 3. de Incarnat. cap. 8. puta infinitas, & omnipotentia: bene vero subsistentia, quia convenit cuilibet naturæ subsistere: Igitur unio hypostatica non potest consistere in communicatione proprietatum Dei.

Tertio: Incarnatio non est solum communicatio Dei & attributorum accidentalis & per gratiarum dona; hæc enim communicatio omnibus justis communis est: Sed ex Brintio & Smydelino, communicatio proprietatum Dei in Christo, est solum accidentalis & per dona gratiæ: Igitur hoc systema destruit Incarnationem.

Refellitur sententia eorum qui tenent propriam hypostasim remansisse in sancta humanitate.

PRIMO: Quia ista opinio incidit in opinionem Nestorii, & hanc debellat D. Thomas ex professo, 4. contra Gentes, capit. 38. num. 5. his verbis: " Damascenus in 3. libro dicit ex duabus naturis perfectis dicimus esse factam unionem: non secundum *prosopon*, id est, personam, ut Dei inimicus dicit Nestorius; sed secundum hypostasin. Unde patet expresse quod hæc fuit opinio Nestorii, confiteri unam personam, & duas hypostases. " Igitur ex Div. Thoma illa opinio incidit in opinionem Nestorii.

Secundo: Hypostasis propria eaque humana remanens, vel foret persona, vel non: Si primum, jam est opinio Nestorii: Si secundum, nihil est: nam si quid esset, terminaret naturam humanam, & sic constitueret personam. Unde redit in hoc opinio Nestorii.

Tertio: Hypostasis reddit naturam incommunicabilem alteri ut supposito; quia natura semel subsistens & existens nihil amplius exigit: Igitur si natura humana propriam habet subsistentiam in Christo, non terminatur hypostatice per Verbum. Ita divus Thomas ibidem, numer. 9. his verbis: " Præterea, si homo ille suppositio est aliud a Dei Verbo, non potest ad personam Verbi pertinere nisi per assumptionem, qua assumptus est a Verbo, sed hoc est alienum a recto sensu fidei; dicitur enim in Ephesina Synodo ex verbis Felicis Papæ & Martyris: Credimus in Deum nostrum Jesum de Virgine Maria natum; quia ipse est Dei sempiternus Filius & Verbum, et non homo a Deo assumptus, ut alter sit præter illum. Neque enim hominem assumpsit Dei Filius, ut sit alter præter seipsum: Sed Deus existens perfectus, factus simul et homo perfectus, incarnatus est de Virgine. "

Solvuntur objectiones.

OBJICIUNT Nestoriani: Coloss. 2. 9. legitur de Christo: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: Igitur Verbum est in Christo solum moraliter ut in ceteris justis. Confirmatur: Matth. 17. dicitur Filius hominis: Sed filiatio appellat supra suppositum: Igitur sunt duæ in Christo personæ, alia scilicet divina, et alia humana. Rursus a SS. Patribus passim Christus vocatur Deifer: Igitur non Deus.

Respondeo distinguendo: Inhabitat plenitudo divinitatis in Christo hypostatice, concedo: accidentaliter tantum & per unionem moralem, nego. In isto posteriori sensu Christus dicebatur pati in Martyribus, id est, moraliter & figurative: Nestorius sic intellexit inhabitationem Verbi in Christo: At vero fides docet plenitudinem divinitatis in eo esse, etiam substantialiter seu hypostatice.

Ad secundum similiter distinguo: Christus dicitur Filius hominis secundum humanam naturam, concedo: secundum divinam & hypostasin, subdistinguo: secundum personam Verbi, ut subsistentem in natura humana, concedo: ut subsistentem in natura divina, nego. Quia igitur Verbum supplet vices subsistentiæ creatæ, manet etiam ex hac parte Christum esse Filium hominis simul & Filium Dei: filium quidem hominis, ut terminat humanitatem, Filium vero Dei, ut terminat naturam divinam.

Instant: Damascenus Libr. 3. de fide orthodoxa, cap. 6. de Verbo sic loquitur: *Totus totum assumpsit*: Hanc phrasim etiam sequuntur Patres Latini, ut Ambrosius Libr. 5. de fide, capit. 5. quum dicit Verbum assumpsisse hominem, & alii; sed si Verbum assumpsit totum hominem, assumpsit cum supposito proprio: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Assumpsit totum hominem totalitate specifica, id est, anima & corpore constantem, concedo: totalitate integrali, nego. Non enim assumpsit suppositum humanum, quod est complementum integrale naturæ. Unde Damascenus tria distinguit ibidem in homine, I. naturam: II. accidentia singularia & individuo propria: III. quod per se subsistit, id est suppositum: primum & secundum assumptum dicit, & hoc contra Apollinaristas, qui negabant mentem humanam fuisse a Verbo assumptam, sed non loquitur de tertio; nec sequitur Deum non sanasse totum hominem, licet non assumpserit suppositum; plus enim fecit, quia supplevit.

Ceterum Patres primorum sæculorum tam Græci quam Latini, quandoque dicunt Verbum assumpsisse hominem, sumendo concretum pro abstracto, & intelligendo solum naturam humanam; orta vero hæresi Nestoriana, dicere cœperunt Verbum assumpsisse carnem, ne viderentur favere Nestorianis, si dicerent assumpsisse hominem, cum ly *homo* ordinarie sumatur pro natura completa; unde B. Cyrillus Anathematismo 8. & Epistol. 1. ad Successum omittit antiquam suam locutionem in libro Thesaurorum, ubi dicit Verbum assumpsisse hominem; vult enim dici solum Verbum assumpsisse carnem; unde in Synodo Chalcedonensi actione 1. cum relegerentur acta Synodi sub Flaviano, in quibus scriptum erat: Filius Dei assumpsit perfectum hominem, obstitit Eustachius, Berythi Episcopus, dicendo: hominem non assumpsit, carnem autem assumpsit: sed postea cum Eutychiani eadem S. Cyrilli formula abuterentur, negando Verbum assumpsisse hominem, ne naturarum discrimen in Christo agnoscerent, mallentque dicere Verbum factum carnem, id est, conversum in carnem, Patres iterum antiqua usi sunt loquendi formula, dicendo Verbum assumpsisse hominem. Unde secundum diversitatem temporum, fuit diversus loquendi modus.

Insistunt: Si Verbum est hypostatice unitum humanitati, sequitur etiam ipsum secundum se passum fuisse: falsum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela. Ista propositio erit vera: *Deus passus est*: Ergo &c.

Respondeo distinguendo sequelam: Sequitur Verbum passum esse, ut subsistens in natura humana: & quia humanam sustentabat naturam quæ patiebatur; alias enim non potuisset pati nisi fuisset sustentata, concedo: passum fuisse secundum se & in abstracto, nego. Vulnerato & læso corpore, patitur utique anima, licet in se invulnerabilis, sed ad hoc sufficit ut sustentet corpus: Sic ut Verbum dicatur vere passum, sufficit ut humanitatem sustentaret. Solutio est Apost. Rom. 8. ubi dicit de Deo Patre: *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Est etiam divi Thomæ 4. contra Gent. capit. 34. numer. 9. his verbis: "Passio „ conveniens corpori alicujus potest attri„ bui ei, cujus est corpus. Si enim cor„ pus Petri vulneretur, flagelletur, aut „ moriatur, potest dici Petrum vulnerari, „ flagellari, aut mori: Sed corpus illius „ homi-

„ hominis fuit corpus Verbi Dei, ut ostensum est. Ergo omnis passio, quæ in „ corpore illius hominis facta fuit, potest „ Verbo Dei attribui Recte igitur potest dici quod Verbum Dei, & Deus „ est passus, crucifixus, mortuus, & „ & sepultus. „

Instant: Eodem modo ista propositio: Deus patitur, est vera, sicut ista, Homo patitur; nam est communicatio idiomatum, quæ in eo maxime posita est, ut quæ dicuntur de homine, dicantur de Deo. Ergo sequitur Verbum secundum se passum fuisse.

Respondeo distinguendo: Est eodem modo vera secundum rationem subsistentiæ, concedo: secundum rationem naturæ, nego. Igitur duo patiuntur in Petro, v. g. quando patitur, nempe natura, & ista patitur subjective, recipiendo ictus, deinde persona patitur; sed patitur solum ut terminat, & ut est naturæ complementum, seu in concreto, & ut dicit naturam: Igitur in Christo Verbum quidem patitur, sed solum ut vices gerit subsistentiæ creatæ, adeoque ut terminus, unde non patitur nec dicitur mori subjective, nisi in concreto, & ut dicit naturam humanam, quam terminat.

Reponunt: Si Verbum patitur solum ut vices gerit subsistentiæ creatæ, jam non patitur formaliter ut Deus, adeoque actiones Christi non erunt meriti infiniti: sed hoc est contra fidem: Ergo etc.

Respondeo distinguendo: Non patitur ut Deus passive, concedo: active, nego. Deus est, qui portat naturam humanam patientem, et solus Deus est qui potest sic terminare et sustentare naturam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Unio Verbi cum sancta humanitate est substantialis.

PRIMO: Quia Christus est verus Deus, ut omni argumentorum genere ostensum est supra.

Secundo: Quia positio Nestorii omnes locutiones Scripturæ de Christo reddit falsas; si enim Verbum solummodo unitur affective, et per gratiam sanctæ humanitati, non est verum dicere, Christus est Deus, est Creator, et æternus: Verbum caro factum est, etc.

Tertio: Neque vero dici potest Verbum eatenus dici incarnatum, quatenus proprietatibus & attributis divinis donatus est Christus, quandoquidem hæc supponunt unionem hypostaticam, et a Deo promanant: si vero sint istæ qualitates mere accidentales, opinio Protestantium a Nestoriana non recedit, sicut nec sententia illorum qui duas in Christo admittunt et patiuntur hypostases.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Christus dicitur quidem aliquando Templum & Deifer, sed ut homo, nusquam vero secundum personam.

Secundo: Quando Patres docent Verbum assumpsisse totum hominem, distinguendum est, totum totalitate essentiæ, quæ corpus & animam complectitur, non totalitate integritatis, quæ importat personam.

Tertio: Non sequitur ex unione hypostatica, Verbum in se passum, sed solum hominem; quia tamen homo subsistebat subsistentia divina, quę terminabat concursum passivum humanitatis, recte dicitur, Filius Dei pro nobis mortuus est: sicut mulier dicitur vere mater filii, quamvis non producat animam; ad hoc enim sufficit ut concursus passivus mulieris terminatus sit per animam.

ARTICULUS TERIUS.

Utrum Christus sit Filius Dei naturalis?

FELIX, & Elipandus Episcopi Hispaniarum posuerunt Christum esse Filium mere adoptivum; ne miremini, adhærebant Nestorio. Durandus & Scotus existimabant Christum posse vocari Filium adoptivum ratione naturæ humanæ & gratiæ sanctificantis. Porro excusantur ab hæresi, eo quod ignoraverint definitionem Concilii Francofurtensis, quod astutia Hæreticorum pluribus sæculis latuit, & non nisi circa annum 1567. diligentia Surii repertum est, et ex antiquissimo exem-

exemplari transumptum catalogo aliorum Conciliorum fuit insertum. Unde fit

CONCLUSIO PRIMA.

Christus est Filius Dei naturalis, necullo modo adoptivus dici potest.

Probatio, ex Scriptura sacra.

ROM. 8. habetur: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Matth. 3. 17. Deus alloquens Christum, quem Judæi putabant merum hominem, ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Ibidem cap. 26. 64. Christus adjuratus a Caipha ut diceret, num esset verus Filius Dei, respondit: *Tu dixisti*. Tum Joan. 10. 33. Judæi voluerunt lapidare Christum eo quod se diceret Deum. *Dixerunt enim illi: de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: Et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum*. Unde sic argumentor: Primo, Christus passus est ut homo, & traditus pro nobis: Atqui tamen ubique & semper proprius Filius Dei ab Apostolo dicitur: Igitur nusquam adoptivus. Secundo, Christus est Filius Dei dilectus; nam, ut ait Hilarius Lib. 6. de Trinitate, ly *hic est*, denotat ex Matth. *præsentem ad quem fit sermo*: Sed ille qui est Filius dilectus, est Christus præsens, homo, & visibilis: Ergo &c. Tertio, Caiphas scidit vestimenta sua quando Christus dixit se esse Filium Dei, asserens eum blasphemasse: Item Judæi volebant illum lapidare propter hoc: Igitur Christus dicendus est Filius Dei naturalis, & non adoptivus.

Probatio, ex summis Pontificibus.

PRIMUS occurrit Julius Epist. ad Docimum, quæ citatur in Synodo Ephesina, & refertur a Facundo Hermianensi, Lib. 2. pag. 40. apud quem sic loquitur de Christo: *Unus quidem proprius Filius assumens hominem, alter vero mortalis susceptus a Deo; sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus Dei in terra*. Igitur non duo Filii, alter scilicet naturalis, & alter adoptivus, sed unus.

Damasus sequitur Julium in professione tantæ fidei: nam Epist. ad Paulinum Antiochenum Episcopum apud Theodoretum Lib. 5. cap. 10. sic habet; *Anathematizamus etiam eos, qui duos filios esse profitentur, unum ante secula, & alium post carnis assumptionem*.

Leo Magnus epistola ad Flavianum, cap. 5. ait Dominum ideo dixisse: *Videte manus meas & pedes, quia ego sum .... Ut agnosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere; & ita sciremus, Verbum hoc non esse, quod carnem: & ut unum Dei Filium & Verbum confiteremur & carnem*. Ibidem cap. 4. sic loquitur: *Unus enim idemque est, quodsæpe dicendum est, vere Dei Filius, & vere hominis Filius*.

Gelasius in Lib. de duabus naturis eidem veritati subscribit his verbis de Christo: *Idem verus homo Deus, & Deus homo verus existit, idem semper homo Deus verus*. Ergo si Deus verus, etiam ut incarnatus: Igitur non adoptivus.

Pelagius I. Epist. 16. ad Hildebertum Francorum Regem, eamdem profitetur atque defendit veritatem; nam ait de Christo: " Est ergo unus atque idem „ Christus verus filius Dei, & idem ipse „ verus Filius hominis .... ac propterea „ sicut sæpe diximus, unum eumdem „ Christum esse verum Filium Dei, & „ eumdem ipsum verum Filium hominis „ confitemur.

Gregorius Magnus Lib. 18. Moral. cap. 27. excludit explicite adoptionem a Christo. Et in primo libro ejusdem operis, cap. 6. sic habet de Christo: *Omnes qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non ut ceteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat, qui & si humanitate ceteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis*.

Adrianus I. in sua Epist. omnia de hocmomento absolvit his verbis de Christo: *Ipse utique unicus, proprius & dilectus, & non servus & adoptivus*. His accedit libellus sacro-syllabus, in quo confutantur Felicis & Elipandi de filiatione Christi errores; tum & in epistola Caroli Magni ad Elipandum & Episcopos Hispaniæ directa, quæ legitur inter acta Concilii Francofurtensis. Sic enim alloquitur Felicem & Elipandum: " Expoliastis „ veterum hominem, quomodo iterum, „ frau-

„ fraude decepti maligna, induamini il-„ lo? Adoptionis filii Deo Patri facti e-„ stis per eum, qui non est adoptivus, „ sed proprius. „ Ergo &c.

Probatio, ex traditione Patrum.

Ex primo Sæculo Ignatius, qui passim in suis epistolis, dicit unicum esse Christum Deum: Igitur ex ipso non duo filii in Christo: alter adoptivus, & alter proprius.

Ex secundo Sæculo Irenæus, qui Lib. 3. capit. 20. contra hæreticos dicit: unum esse Christum, & hunc solum, qui & passus est & sepultus est. Postea citat confessionem Petri, Christum Dei Filium agnoscentis, ut probet non esse adoptivum, sed filium Dei proprium: " Ipse qui agni-„ tus est a Petro Christus, qui cum bea-„ tum dixit, quoniam Pater ei revelavit „ Filium Dei vivi. „ Infra: " Qua enim „ ratione filiorum adoptionis ejus partici-„ pes esse possemus, nisi per Filium eam „ quæ est ad ipsum, recepissemus ab eo „ communionem. „ Quibus verbis ostendit ille Pater Christum esse Filium Dei naturalem, nos vero per adoptionem participare de ejus filiatione naturali.

Ex tertio Sæculo occurrit Dionysius Alex. qui in epistola Synodica ad Paulum Samosatenum, dicit esse unicum Christum. Idem profitetur Athanasius Lib. de Incarnatione contra Apollinarem, Tomo 1. pag. 486. ubi de Christo, sic loquitur: *Filius unus est, ideo falluntur, qui dicunt, alium esse Filium qui passus est, & alium qui non est passus. Non enim alter est, quam Filius Dei, qui mortem & passionem suscepit.*

Ex quarto Sæculo Hilarius celebris est pro hoc momento, qui Lib. 3. de Trinit. pag. 13. explicans ista Christi verba, *Pater clarifica Filium tuum*, ait: " Non solum, „ *inquit*, nomine contestatus est esse se „ Filium, sed & proprietate, qua dicitur „ tuum. Multi enim nos Filii Dei, sed „ non talis hic Filius est. Hic enim & „ verus, & proprius est Filius, origine, „ non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione. „ Idem docent Epiphanius, Hæref. 77. Gregorius Nazianzenus Epistol. 1. ad Cledonium, Gregorius Nyss. in libello contra Apollinarem, ad Theophilum directo. Cyrillus Alex. in homilia Paschali 8. & il libro undecimo in Joannem.

Ex quinto Sæculo Ambrosius eamdem veritatem multis in locis edocet, nempe Lib. 5. de fide, cap. 3. tum & Lib. de obitu fratris sui Satyri, his verbis de Christo: " Factus ex Matre, natus ex „ Patre: idem tamen & natus & da-„ tus: non diversum, sed unum putes. „ Rursus Lib. 5. de fide cap. 3. " Eccle-„ siastica fide, *ait*, & Dei Patris, & „ David idem atque unus est Filius. „

Hieronymus in caput ult. Matth. de Christo, ait: *Dominus noster unus atque idem Filius Dei, & Filius hominis, juxta utramque naturam divinitatis, & carnis, nunc magnitudinis sua, nunc humilitatis signa demonstrat.* Similia profert Comm. in cap. 4. Epist. ad Eph. ubi explicans illa Verba, *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos*, ait hunc locum perstringere eos: " Qui duos filios insano errore „ confingunt, filium videlicet Dei, & „ filium hominis. „

S. Augustinus Tractatu 7. in Joannem, sic habet: " Oportebat, *inquit*, ut ille „ baptizaret, qui est Filius Dei unicus, „ non adoptatus. Adoptati filii, ministri „ sunt unici. Unicus habet potestatem, „ adoptati ministerium.

Ex sexto Sæculo, Gaudentius Brixianus tractatu 13. de Nativ. Domini, sic habet: " Ex quo enim carnem nostræ „ fragilitatis assumpsit, idem filius est „ hominis, qui & Dei; quia non alius „ ex Maria natus est, quam qui per „ maternas illapsus aures, uterum Virginis opplevit. „

S. Fulgentius idem dicit Lib. 3. ad Trasimundum cap. 6. cap. 11. & cap. 12. sic loquitur concludendo doctrinam suam: " Unus est igitur Christus Dei Filius in „ natura divinitatis et carnis. „

Alcimus Avitus, pag. 170. eidem veritati suffragatur, his verbis: " Dicit Jo-„ annes Evangelista, quod dedit pote-„ statem filios Dei fieri his qui credunt „ in nomine ejus, ut aut permaneat fi-„ lius bene vivendo, aut certe per car-„ nalem conversationem rejiciat paterni-„ tatem. Christus autem, quem Dei Pa-„ tris filium non fecit gratia, sed natu-„ ra, nullo modo potest non hoc esse, quod

„ quod genitus est : adeo ut substantiæ „ illi, quæ ex Deo procedit, nec ipsa, „ quæ ex homine nata est, præjudica- „ ret. „ Ergo si non gratia, sed natura filius, minime adoptivus dicendus est Christus.

Ex septimo Sæculo V. Beda Lib. 1. Allegor. in Job. de humana Christi natura loquens, ait : " Ita sibi eam indisso- „ ciabili conjunctione conjunxisse Dei Fi- „ lium, ut ipse homo jam assumptus in „ gloriam, per unitatem personæ in u- „ nitate, unus sit Filius Dei. „ Eamdem veritatem sequentium sæculorum Patres docent, ac communiter Theologi cum D. Thoma : Ergo etc.

Probatio, ex Conciliis.

Nicænum primum de Filio Dei, ait : *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.* Ephesinum, definivit unicam esse in Christo personam divinam; filiatio autem appellat supra personam. Idem definivit Chalcedonense, et V. Generale : Ergo etc.

Francofurtense in Epist. Synodica ad Episcopos Galliæ et Germaniæ contra Felicem et Elipandum, sic loquitur : *Videtis quomodo cæca mens contra suam ponit testimonia sententiam. Quis est qui audeat dicere, Christum non esse vere Filium Dei, Joanne Baptista attestante, dum vidit Spiritum Dei descendentem & manentem super eum, & ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. De quo & Apostolus testatur; quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Et si verus Deus, etiam & verus Filius : & si verus filius, nequaquam adoptivus.* Idem Can. 1. damnat Felicem & Elipandum propter errorem prædictum : Ergo &c.

Probatio, ex rationibus Theologicis.

PRIMA : Ille est Filius Dei naturalis & nusquam adoptivus, qui nomen Dei ubique sibi vindicat, & nullibi in Scripturis vocatur adoptivus : Atqui res ita se habet respectu Christi : Igitur non potest dici Filius Dei adoptivus. Ista ratio est Adriani I. in sua epistola, his verbis de Chisto. *Ipse enim de se innotuit cujus Filius esset, cum Patris nomen se asserat hominibus annunciasse. Ait enim : Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Nomen paternum tunc manifestavit hominibus, cum se Patris Filium verum & non putativum, proprium innotuit, & non adoptivum.*

Secunda : Ille non est Filius Dei adoptivus, sed naturalis tantum, qui est Filius nobilior modo quam nos homines : Atqui sic est Christus : Ergo etc. Ita Adrianus ibidem : *Hinc alias*, ait Christus, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Distincte enim dixit : meum, & vestrum; Ejus videlicet, non per gratiam, sed per naturam : noster vero per gratiam adoptionis.*

Tertia sic procedit : Ille est solum Filius Dei naturalis, quem talem dicit Petrus, rejectis sententiis, quæ illum dicebant adoptivum : Atqui Petrus, abjectis sententiis eorum qui putabant Christum Filium Dei adoptivum, nempe Prophetam, sic confessus est : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Ergo &c. Ita Adrianus ibidem, his verbis : *Hujus nimirum fundamenti immobilis soliditatem B. Petrus, non carne & sanguine, sed Patre revelante de cœlo, confitendum declaravit : cum refutatis quorumdam opinionibus, quid in discipulorum animis fides operaretur, cunctorum cognitor exploraret, solus pro se, & pro omnibus, & pro unitate unus testimonium fidei perhibuit, dicens :* TU ES CHRISTUS, FILIUS DEI VIVI.

Quarta : Si Christus esset Filius Dei adoptivus, non nos faceret filio Dei adoptivos, cum ipse indiguisset gratia : Sed absurdum consequens : Ergo & Antecedens : ita idem Adrianus ibidem : *Nam sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati, necessarium egurit, ut gratiam adoptionis acciperet.*

Quinta denique, eaque demonstrativa: Filiatio appellat supra personam, & quidem extraneam, nam definitur a Summistis : *assumptio personæ extraneæ ad hereditatem.* Atqui est contra fidem, personam Christi esse a Deo extraneam : Igitur Christus non potest dici Filius Dei adoptivus. Hæc ratio est D. Th. hic

3. P.

3. p. q. 23. art. 4. in quo ex professo docet Christum in nullo sensu posse dici Filium Dei adoptivum, his verbis: *Filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur aliquid dici participative, quod per se dicitur .... Et ideo Christus, qui est Filius Dei naturalis, nullo modo potest dici filius adoptivus.*

CONCLUSIO SECUNDA.

Christus etiam ratione naturæ humanæ & gratiæ sanctificantis, non potest dici Filius adoptivus.

Probatur I. ex his omnibus quæ modo pro prima conclusione diximus. II. Ex Adriano, & Patribus Concilii Francofurtensis, qui in sua respective epistola exprobrant Felici & Elipando, quod per tergiversationem adoptionem vellent tribuere Christo, & ratione naturæ humanæ, & ratione gratiæ sanctificantis: *Quia*, inquiunt, *ubi hæc audistis & didicistis, cum numquam Ecclesia & Patres similia docuerint?* Et certe omnes Theologi, paucis exceptis, similia numquam finxere. III. Quia filiato appellat supra personam, ut dictum est; sicut enim sola paternitas in divinis terminat generationem activam, ita & filiatio passivam; neque enim natura generat aut generatur, inquit Concilium Lateranense cap. *Firmiter*, sed persona in concreto: Igitur cum sit unica in Christo persona, adoptio nequit ipsi convenire.

Petavius Lib. 7. Theol. dogm. tomo 4. opinionem contrariam, ut temerariam & erroneam habet.

CONCLUSIO TERTIA.

Christus non potest dici Filius Spiritus sancti.

PROBATUR isto ratiocinio. Ille non est Filius Spiritus sancti, qui non procedit in similitudinem Spiritus sancti, qui ab ipso non naturam, non personam recipit. Atqui res sic se habet pro Christo: Et probatur. Primo quidem, Filius Dei non procedit in similitudinem Spiritus sancti, ut Deus, aut ut homo; non quidem ut Deus, sic enim procedit solum in similitudinem Patris, scilicet primæ personæ: neque ut homo, quia naturam seu corpus non a Spiritu sancto, sed a BB. Virgine accepit, mediante quidem operatione Spiritus sancti, qui ex sanguine Virgineo formavit corpus sanctæ humanitatis, sed non ut a causa formali; Spiritus enim sanctus non est homo, unde Christus dicitur Filius Dei & Filius hominis: Filius quidem Dei ratione naturæ divinæ, quam recipit a Patre in generatione æterna; Filius vero hominis ratione naturæ humanæ, quam accepit a beatissima Virgine in tempore. Rursus non solus Spiritus sanctus, sed tres personæ sanctissimæ Trinitatis per modum causæ efficientis formavere sanctam humanitatem: opera enim ad extra sunt communia toti Trinitati; solum vero Verbum unitum est hypostatice naturæ humanæ, unde sola secunda persona incarnata dicitur.

S. Augustinus Enchir. cap. 38. sic respondet ad quæstionem istam, utrum Spiritus sanctus sit Pater Christi, ex eo quod BB. Virgo conceperit operatione Spiritus sancti Christum; ait enim: " Cum hoc " ipsum jam ita sit absurdum, ut nullæ " fideles aures, id valeant sustinere. Proinde, sicut confitemur, *inquit*, Dominus noster Jesus Christus, qui de Deo " Deus, homo autem natus est de Spiritu " sancto, & Maria Virgine, utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, " de quo procedit Spiritus sanctus. " Tum cap. 39. " Non igitur, *ait*, concedendum est, quidquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei Filium nuncupandum .... certe qui nascuntur ex " aqua & Spiritu sancto, non aquæ filios " eos rite dixerit quispiam: sed plane dicuntur Filii Dei Patris, & Matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto natus " est Filius Dei Patris, non Spiritus sancti. "

Item S. Doctor, Serm. 6. de tempore explicat quomodo Christus sit a Spiritu sancto, & tamen non sit ejus Filius: quia conceptus, non natus de Spiritu sancto dicitur. Et addo, quia non procedit in similitudinem Spiritus sancti. Ecce verba Augustini: " Conceptus de Spiritu " sancto, id est, Christus, natus ex Maria " Vir-

„ Virgine . Christus enim non de substantia Spiritus sancti, sed de potentia: „ nec generatione, sed jussione, & benedictione conceptus est. „ Ita Conc. Tolet. XI. in Conf. fidei.

Solvuntur objectiones contra primam conclusionem.

OBJICIES I Deus in Scripturis dicitur caput Christi; caput autem mysticum adoptione jungitur membris. II. Ibidem Christus dicitur, servus Dei, item & prædestinatus ut Filius Dei, sed prædestinatio est ad adoptionem, & gloriam indebitam: Igitur Christus est Filius Dei adoptivus, & sic vocatur in orationibus quæ sunt in Missali Toletanæ Ecclesiæ.

Respondeo I. generaliter ad prædicta & similia, quæ eruuntur ex Patribus: Christus est Filius Dei adoptivus causaliter, in quantum promeruit nobis adoptionem filiorum Dei, concedo: formaliter, ita ut forma adoptionis sit in ipso, scilicet extraneitas personæ, nego.

Respondeo 2. aliter distinguendo: Christus est Filius adoptivus efficienter & assumptive, quatenus assumpsit naturam humanam hypostatice, & prout *ly adoptare* idem est ac assumere, concedo; & sic loquuntur omnes ferme Patres; formaliter, nego.

Ad orationes Missalis Toletani respondet Alcuinus Lib. 2. contra Elipandum, Missale fuisse defloratum, & pro *ly assumpti hominis*, positum fuisse *adoptivi hominis*.

Repones: Christus dicitur filius David & hominis. Igitur ut ista propositio sit vera, dicendus est & adoptivus: eadem enim persona non habet duos Patres.

Respondeo distinguendo: Christus dicitur Filius hominis ratione naturæ humanæ assumptæ, concedo: ratione duarum personam, nego. Ut autem eadem persona dicatur filius hominis Dei, sufficit ut terminet naturam humanam, sub alio vero respectu divinam. Non ergo habet plures Patres Christus, sed unicum. Ita Alcuinus Lib. 3. contra Felicem, columna 823. his verbis: *Ergo ille unus Filius non potest dividi, ut sit unus Patris, & naturalis & adoptivus, vel quadam pars Filii sit adoptiva, & altera naturalis in filii dignitate: velut si una manus sit adoptiva, & altera propria; vel anima si adoptiva, & caro in proprietate Filii*: Quamvis enim, *anima non sit ex Patris semine sicut est caro; tamen unus est Filius Patris, anima & carne totus, vel adoptivus, vel proprius, prout conditio nominis, vel natura sibi attulerit.*

Contra 3. Irenæus Lib. 3. adversus hæreses, cap. 21. pag. 287. sic ait de Christo: " Commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei. „ Hilarius Lib. 2. de Trinitate, sic etiam loquitur: " Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur. „ Cyrillus Alex. Dial. 3. contra Arianos de Christo ait: " Adoptatus nobiscum „ .... ut nos propter ipsum filii simus. „ Hieronymus tractatu de similitudine carnis peccati contra Manichæos, de Christo dicit: " Natura cum adoptione conjungitur. " Denique Augustinus, Lib. de prædestinatione Sanct. cap. 15. dicit, Christum esse gratia Filium Dei, his verbis: " Ea gratia fit ab initio fidei suæ Homo „ quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. „ Sed purus homo fit gratia adoptivus: Igitur ex Patribus & Christus. Unde Facundus Hermianensis, Lib. 9. dicit Christum adoptionem suscepisse in Baptismo.

Respondet D. Thomas hic. 3. p. q. 23. art. 4. ad 1. Hilarium & alios loqui in sensu causali.

Ad Irenæum, distinguo: Et adoptio terminatur ad homines, concedo: ad Christum, nego. Sic enim habetur in textu Græco apud Theodoretum Dial. 1. locum Irenæi sic reddentem, " Verbum „ hominem induit & Filius Dei, Filius „ hominis factus est, ut homo Verbi capax effectus; atque adoptionem consecutus Filius Dei efficiatur. „

Ad Hilarium Alcuinus dicit legendum esse: *adoratur*, & *ly adoptatur* intrusum fuisse a Felice; Carnis: " Equidem, *ait*, „ a Magis humilitas, adorata est, & mysticis munerum speciebus honorata, non „ adoptata. „

Ad S. Cyrillum distinguo: Et vult solum humanitatem fuisse assumptam a Verbo, concedo: nullam enim in illa præcessere merita ad unionem hypostaticam; & vult Christum esse Filium Dei adoptivum,

vum, nego. Idem respondendum ad Augustinum, et Facundum. Unde quando legitur Christum per adoptionem factum esse filium, id intelligas velim per assumptionem, et per gratiam. Sic respondet D. Thomas hic q.423. art.4. ad Augustinum. Ubi probat Christum ne quidem ut homo esse, vel posse dici Filium adoptivum: "Ad secundum, *inquit*, dicendum, quod „ similitudo illa August. est intelligenda, „ quantum ad principium: quia scilicet „ sicut sine meritis quilibet homo habet „ ut sit Christianus; ita iste homo sine „ meritis habuit, ut esset Christus. Est „ tamen differentia, quantum ad terminum: quia licet Christus per gratiam „ unionis est Filius naturalis, alius autem per gratiam habitualem est Filius „ adoptivus; gratia autem habitualis in „ Christo non facit de non filio filium adoptivum, sed est quidem effectus filiationis in anima Christi, secundum illud „ Joann. 1. Vidimus gloriam ejus quasi „ unigeniti a Patre, plenum gratiæ et „ veritatis. „

Ad Hieronymum, distinguo: Natura cum adoptione conjungitur, id est assumitur, concedo: id est adoptatur, nego. Sic se explicat tractatu de similitudine carnis peccati contra Manichæos; cum enim dixisset adoptionem a natura non sejungi in Christo, addit: *Quoniam cum Verbum caro factum, non per assumptam decrevit decrescere assumptor, sed in assumente decrevit assumptio.*

Repones: Si Christus non esset Filius Dei adoptivus, non foret perfectus homo; falsum consequens: Ergo & Antecedens. Probatur sequela: adoptio est perfectio pro hominibus: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam majoris. Ad probationem, distinguo: Adoptio est perfectio hominis, quando non adest filiatio naturalis Dei, concedo: secus, nego. Cum enim appellet supra personam, idem non potest dici Filius Dei adoptivus & naturalis; hinc si foret adoptivus, jam a filiatione naturali excideret, quod magnum induceret in Christum detrimentum.

Fit satis objectionibus contra secundam conclusionem.

OPPONES: Natura humana non est genita a Deo, adeoque est extranea: Igitur Christus saltem ratione humanæ naturæ potest dici Filius adoptivus. Confirmatur: Christus habet gratiam sanctificantem: Sed effectus gratiæ sanctificantis est adoptio: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Natura humana in abstracto non est genita a Deo, concedo: in concreto, & ut dicit personam Verbi, nego. Generatio autem appellat supra personam, & cum natura humana in concreto dicat Verbum in Christo, sub ista reduplicatione, dicitur genita a Deo; Id est persona, qua subsistit natura humana, est genita a Deo Patre.

Ad confirmationem distinguo minorem: Adoptio est effectus gratiæ sanctificantis, secundarius, concedo: primarius, nego. Nam primarius effectus est sanctificare animam: Secundus vero producere filiationem adoptivam, & dare jus ad gloriam: qui quidem effectus impeditur, quando adest filiatio naturalis, quæ jus connaturale habet ad hæreditatem: cum autem ista sit in Christo, inutilis est, immo & incompossibilis altera.

Instabis: Filius Dei ut subsistens in natura humana non est idem ut subsistens in natura divina: Igitur Christus potest esse Filius adoptivus, ut subsistens in natura humana. Confirmatur ratione diversæ naturæ: Christus dicitur servus, licet Dominus: Igitur a pari potest dici adoptivus filius & naturalis ratione diversæ naturæ.

Respondeo negando Antecedens: manens enim idem potest se extendere ad humanitatem, & ejus propriæ subsistentiæ vices supplere; sic Deus manens Deus creaturas in tempore absque sui mutatione producit; quia vero Verbum assumendo carnem manet quod erat, non potest etiam ratione naturæ humanæ assumptæ fieri filius adoptivus.

Ad confirmationem, nego paritatem; servitus enim respicit naturam, unde servitus officiosa, quæ dicit obedientiam & subjectionem superiori, inest Christo ratione naturæ humanæ: Quando igitur Adria-nus

nus in sua epistola, & Concilium Francofurtense objurgant Felici & Elipando, quod admittant in Christo servitutem, loquuntur de servitute legali, quæ est a peccato, a venditione, & subjugatione: lex enim vult, ut qui vincitur, sit servus Victoris, juxta illud 2. Petri cap. 2. 19. *A quo enim quis superatus est, illius & servus est*. Hæc solutio est D. Thomæ, qui hic q. 23. art. 4. ad 3. sic respondet ad difficultatem: Illud est discrimen inter servitutem & adoptionem, quod servitus respiciat personam, sicut & naturam. Adoptio vero dumtaxat personam: " Dicendum, *inquit*, quod esse creaturam, & etiam servitus, vel subjectio ad Deum, non solum respicit personam, sed etiam naturam: quod non potest dici de filiatione. Et ideo non est similis ratio. "

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus est Filius Dei naturalis, nec potest dici adoptivus etiam ratione naturæ humanæ.

PRIMO: Matth. 3. 17. Pater æternus Christum alloquens, ait: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Igitur Christus est Filius Dei per omnia naturalis; sin minus, non unus, sed duo essent Christi. Sic explicant Scripturam Julius I. Epist. ad Docimum: sic Leo Magnus Epist. ad Flavianum: sic Pelagius I. Epist. 16. ad Childebertum Francorum regem.

Secundo: Hoc idem propugnant Irænæus Lib. 3. cap. 20. Hilarius Lib. 3. de Trin. & alii Patres: sic definiere Concilia. Nicænum I. in Symbolo, ubi Filius Dei naturalis, & non adoptivus dicitur Incarnatus: Ephesinum, quod sanxit contra Nestorium Christum esse proprium Dei Filium, Patri consubstantialem: in primis Francofurtense, quod filiationem adoptivam a Christo prorsus eliminavit contra Felicem & Elipandum.

Tertio: Adoptio appellat supra suppositum; definitur enim a Summistis, assumptio personæ extraneæ ad hereditatem: Sed esset contra fidem dicere Christum Filium extraneum: Igitur non potest dici Filius adoptivus etiam ratione naturæ humanæ.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Quandoque Patres adoptionem tribuunt Christo, sed causaliter, quatenus promeruit nobis filiationem adoptivam, juxta illud Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*.

Secundo: Quandoque etiam SS. Doctores scribunt Christum nostram adoptasse naturam, sed luce clarius apparet per vocem *adoptasse*, illos intelligere, *assumpsisse*.

Tertio: Christus vocatur quidem in Scripturis servus, sed nusquam filius adoptivus; servitus enim convenit ratione naturæ humanæ, quæ Deo subjecta est; filiatio vero ratione suppositi, quod est semper vel ipsas inter humiliationes hominis divinum, juxta illud Philpp. 2. de Christo: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Solutio est D. Thomæ hic q. 23. art. 4.

ARTICULUS QUARTUS.

De Dotibus sanctissimæ Virginis.

DUPLEX prærogativarum genus BB. Virgini a SS. Patribus attribuitur: quædam illi conveniunt relative ad partum ineffabilem Christi: quædam vero ut dispositiones ad Incarnationem illi concessæ sunt. Nestorius, qui negavit, Christum Deum, negavit quoque BB. Virginem esse Deiparam: quia vero maternitas divina fuit in BB. Virgine omnium gratiarum fons & origo, de illa ante omnia contra impium agendum est.

SECTIO PRIMA.

Num beatissima Virgo sit Deipara?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatio, ex Scriptura sacra.

Luc. 1. habetur : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, inquit Angelus ad Mariam. Et ibidem Elisabeth ad eam : *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Rom. 1. Apostolus sic loquitur de Filio Dei : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Et ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum*, græce *genitum*, *ex muliere*. Unde sic argumentor : Quæ est Mater Sancti Sanctorum, Filii Dei & Domini nostri, est vere Mater Dei : Atqui ex Scriptura BB. Virgo est Mater Christi, qui est Filius Dei & Dominus noster : Igitur est vere Mater Dei : nam generatio appellat supra personam in concreto, & non præcise supra naturam; quandoquidem persona gignitur, natura vero est genita ut quo, nempe mediante persona, unde dicitur in divinis naturam neque gignere neque gigni : porro persona Christi est divina : Igitur B. Virgo est vere Mater Dei.

Probatio ex Symbolis & Conciliis.

I. SYMBOLUM APOSTOLORUM, Nicænum, & S. Athanasii, Filium Dei incarnatum ex B. Virgine exhibent : Ergo &c.

II. In Concilio Ephesino BB. Virgo Deipara seu *Theotocos* conclamatur, & error contrarius publice damnatur. Idem definitur in Chalcedonensi, ubi Theodoretus & Ibas compelluntur damnare errorem contrarium.

III. *Idem* definit Quintum generale; nam anathemate percussit dicentes BB. V. non esse Deiparam, & Concilium Chalcedonense hanc non agnovisse veritatem; sic enim loquitur Can. 6. *Si quis abusive & non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam; vel secundum relationem quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato & nato ex ipsa.... & calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tamquam secundum istum impium intellectum, quem Theodoretus execrandus adinvenit, Dei Genitricem Virginem dicentem : vel qui hominis Genitricem vocat, anathema sit* : Ergo &c.

Probatio, ex traditione Patrum.

Ex I. Sæculo Ignatius Epist. ad Trallianos, sic loquitur : " Vere Maria genuit „ corpus, quod habitantem in se Deum „ habet : hac vere genitum est Verbum „ de Virgine, indutum corpore, iisdem „ nobiscum affectionibus obnoxio. „ Rursus Epist. ad Ephesios: " Deus noster Jesus Christus a Maria in utero gestatus „ est.....Deus in immortali veraque vita, & ex Maria & ex Deo. „

Ex II. Sæculo Irenæus Libr. 2. cap. 32. sic loquitur: " Errant igitur, qui dicunt „ eum nihil ex Virgine accepisse, *scilicet Christum*. Ceterum supervacua est in „ Mariam descensio ejus. Quid enim in „ eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? „ Rursus ibidem cap. 31. " Verbum existens ex Maria, quæ adhuc „ erat Virgo, recte accipiebat generatio„nem Adæ recapitulationis. „

Concinit Justinus Dial. cum Triph. ubi ait : " Deum, qui genitus est homo per „ Virginem. „

Ex III. Sæculo Tertullianus, Libr. de carne Christi, cap. 19. eidem veritati astipulatur, cap. 20. his verbis: " In ea enim „ erat, quod ex ea erat..... Quod idem „ dixit Matthæus, originem Domini decurrens ad Abraham usque ad Mariam. „ Jacob, *inquit*, generavit Joseph, virum „ Mariæ, ex qua nascitur Christus. Sed „ & Paulus Grammaticis istis silentium „ imponit : Misit, inquit, Deus filium „ suum, factum ex muliere. „ Quibus verbis revincit eos qui negabant Filium Dei non esse ex Maria natum. Athanasius Lib. 5. contra Arianos eamdem confirmat veritatem pagin. 322. " In utero „ Verbum sibi ipsi domum conformavit ; „ sicut initio Adamum de terra; vel potius diviniore modo. „ Rursus Orat. 4. contra Arianos.

Ex IV. Sæculo Basilius Homil. 25. de humana Christi generatione vocat BB. Virginem, *Theotocon*. Tum Gregorius Nazianz. Orat. 35. pagin. 564. sic habet:

Ac ne illud quidem perspicere potes cujus diversa sit carnalis (eccubi enim alias apud homines Deiparam Virginem nosti ?) hujus diversam quoque, atque ab aliis discrepantem esse spiritualem generationem. Rursus Epist. 1. ad Cledonium : " Etiam , *inquit* , ab „ divinitate separat eos , qui Dei Geni„ tricem Mariam esse non existimant. „ Eodem sæculo S. Ephræm apud Photium, codice 228. pag. 407. Chrysostomus Homil. 11. in Joan. idem docent.

Ex V. Sæculo Augustinus in cap. Joan. 3. vocat Mariam Matrem Christi : " Nul„ lus , *inquit* , vobis corrumpat hanc fi„ dem, *loquitur contra Hæreticos* .... Si e„ nim falsa mater, falsa caro, falsa mors, „ falsa vulnera passionis. „

Cyrillus Alex. anathematismo primo definit , his verbis : *Si quis non confitetur Emmanuelem verum Deum esse , & ob id sanctam Virginem Deiparam : genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundum carnem ; anathema sit*.

Ex VI. Sæculo Facundus Hermianensis, Lib. 1. cap. 4. pag. 26. hanc mirabilem explicat veritatem, his verbis : " Si „ blasphemum & absurdum est , quod „ beata Maria vere & proprie dicitur „ Mater Dei, sine ulla disceptatione bla„ sphemum & absurdum est, quod Deus „ Verbum vere & proprie dicitur Filius ho„ minis. „ Faustus Regiensis to. 3. Biblioth. Patrum in epist. ad Gregorium idem docet.

Ex VII. Sæculo Joannes Damascenus Lib. 3. cap. 12. pag. 211. totum claudit, his verbis : *Si Dei genitrix ista ea , quæ genuit , prorsus Deus , quem illa genuit : Sed idem homo etiam est omnino . Qui enim ex muliere generetur Deus, qui ante sæcula extitit, nisi homo fiat* ? Unde S. Ephræm doctrina insigni , apud Photium , codice 228. pag. 408. ait : ad certam catholicæ pietatis suæ faciendam omnino fidem sufficere, Dei Genitricem sentire esse prositerique santissimam Virginem.

Probatio, ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic procedit : Ex Ignatio Verbum vere genitum est de Virgine , & sic carne indutum : ex Irenæo Verbum assumpsit carnem : ex Tertulliano Verbum erat in Maria, quia assumpsit quod ex ea erat : ex Athanasio Verbum sibi formavit domum in beatissima Virgine : ex aliis Patribus unus est Filius Dei & Filius Mariæ : Igitur concludendum cum Cyrillo , BB. Virginem esse Deiparam : cum Augustino hanc fidem non esse corrumpendam : cum Damasceno esse Dei Genitricem , quia quem genuit , Deus est : unde Facundus Hermianensis , Lib. 1. cap. 4. pag. 33. sic loquitur : " Si Deus „ vere est homo , nec aliunde vere ho„ mo, nisi nascendo de Virgine, cur non „ dicatur Deus, vere natus ex Virgine. „ Adde, si natus ex Virgine : Ergo Virgo est Deipara.

Secunda sic se habet : Illa est Deipara, quæ Deum verum & proprie dictum genuit; quæ dedit corpus Filio Dei, quod quidem corpus proprium sibi fecit Verbum : Atqui ex Conciliis & sanctis Patribus, ipsa concinente Scriptura, res sic se habet respectu Mariæ : Igitur est vere Deipara.

Tertia sic explanatur : BB. Virgo est vere Mater Christi : Sed Christus est Deus : Ergo &c.

Quarta sic proponitur : BB. Virgo est Mater Christi, sicut aliæ matres sunt suorum filiorum matres , immo plus , quia totam dedit sacratissimam materiam pro formatione sanctæ humanitatis : Sed aliæ matres sunt vere matres filiorum suorum : Igitur a fortiori BB. Virgo est Mater Christi.

Quinta sic se habet : ut mulier aliqua sit vere Mater , non requiritur ut producat animam : Et vero mulier non producit animam rationalem; nec consequenter subsistentiam & existentiam , quæ fluunt ab ipsa anima, sed sufficit ut concursus ipsius passivus , & materia quam exhibet , terminetur per subsistentiam animæ rationalis : Atqui concursus passivus B. Virginis, & sacra materia ab ipsa exhibita ad formationem humanitatis Christi, terminata sunt per subsistentiam et existentiam Verbi divini : nam est de fide Verbum assumpsisse corpus et animam cum facultatibus, id est, terminasse totam naturam humanam ex anima rationali et corpore constantem : Igitur est de fide utique, BB. Virginem esse Matrem Dei, et hoc credere est vita æterna : quia, ut inquit Concilium Ephesinum , est credere Christum Deum : unde qui negat beatissimam

mam Mariam Deiparam esse, negat consequenter Christum esse Deum.

Ista ratio est D. Cyrilli, qui in epistola ad Monachos, quæ legitur in Concil. Ephes. sic loquitur: " Et si mulieres istæ " non nisi terrenorum sint corporum ma- " tres; nihilominus cum totum animal " pepererint, ex anima & corpore com- " positum, non solam ejus partem pepe- " risse dicuntur. Nec aliquis dixerit, exem- " pli causa, Elisabetham matrem Joannis, " carnis esse genitricem, non autem ani- " mæ. Peperit enim animatum Bapti- " stam; ac sic tamquam unum aliquid ex " duobus, hominem, anima videlicet ac " corpore. Hujusmodi quippiam actum es- " se fatebimur & in Emmanuelis gene- " ratione. Quippe natum est, ut dixi, " ex Dei Patris substantia unigenitum i- " psius Verbum. Cum autem carnem sus- " cepit, eamque propriam sibi fecit, ut " filius hominis esset, ac similis nostri fie- " ret; tunc minime est absurdum dictu, " immo necessario profitendum, illum ex " muliere secundum carnem esse geni- " tum; quemadmodum & hominis ani- " ma una cum proprio corpore gignitur, " & unum cum eo reputatur, tametsi " natura intelligatur, & sit ab eo diver- " sa secundum propriam rationem. "

Sexta: Partus sequitur nativitatem secundum Summistas, & ab eo specificatur: Sed Christus verus Deus, & verus homo natus est ex B. V. Igitur est Deipara.

Solvuntur objectiones Nestorianorum.

Objiciunt: BB. Virgo nullibi in Scriptura sacra vocatur Mater Dei. Confirmatur: S. Joseph dicitur Pater Christi in Scriptura, & tamen non est vere Pater: Igitur a pari BB. V. non debet dici Mater Dei.

Respondeo distinguendo: BB. Virgo in Scripturis sacris Mater Dei non dicitur formaliter, transeat: æquivalenter, nego. Eo enim ipso quo Christus ipsius filius dicitur explicite Filius Dei, debet & ipsa, utpote ipsius Mater, dici Mater Dei.

Ad confirmationem, nego paritatem: nam beatus Joseph, Luc. 3. dicitur solum Pater Christi secundum existimationem hominum, his verbis de Christo: *Putabatur filius Joseph*, immo negat expresse Scriptura B. Joseph fuisse Christi Patrem, juxta illud Matth. 1. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*; e contra vero BB. Virgo dicitur Mater Christi, ipsumque peperisse; sic enim ibidem scriptum est: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Instant: Hebr. 7. Melchisedech assimilatur Filio Dei, in eo quod sit sine Patre & Matre & genealogia: Sed assimilatio non erit, si Christus habet matrem: Ergo &c.

Respondeo I. distinguendo: Melchisedech est sine patre & matre historice, & quia non refertur ipsius genealogia, concedo: vere, nego.

Respondeo II. iterum distinguendo: Melchisedech assimilatur Christo secundum Sacerdotium quod erat figurative æternum, & ideo non refertur ipsius genealogia, ut veluti sine initio & fine appareat, concedo: Secundum nativitatem, nego. Solutio est S. Pauli, qui postquam dixit Melchisedech esse sine patre & matre, addit v. 3. *Assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.*

Urgent: Quæ divinitatem non genuit, non est Mater Dei: atqui BB. Virgo divinitatem non genuit: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Quæ divinitatem non genuit neque secundum se, neque ut incarnatam, concedo: si genuerit reduplicative ut incarnatam, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. BB. Virgo genuit Verbum reduplicative, ut incarnatum, nec tamen inde sequitur ipsam esse Deam: quia non genuit Verbum secundum se. Solutio est S. Cyrilli Epistol. ad Monachos, & Theodoti Ancyrani, Homil. de nativ. Domini, quæ lecta est in Concilio Ephesino: " Nasci- " tur ergo, *inquit*, unigenitus Dei Filius, " qui & *logos*, sermo vel ratio dicitur. " Non quod Verbum initium existendi ex " partu ceperit; sed quod ejus, quod " homo, initium ex illo eodem habue- " rit partu. " Ferrandus vero Tomo 111. Biblioth. PP. pag. 332. sic revincit Nestorium, dicentem sequi BB. Virginem fore Deam: " Frustra expavescit quisquis æ- " stimat consubstantialem divinitati Ma- " trem futuram, si veraciter, & proprie " Maria mater fuerit Dei. Profecto " enim, quia veraciter & proprie gene-

„ ranti semper est consubstantialis ille qui „ nascitur, accepit ab ea Deus, unde „ ei fieret consubstantialis, & sic ex ea „ nasci dignatus est .... Sine carne enim „ divinitatem sempiternam generare non „ posset homo mortalis. „ Sic ille auctor cuncta distinguit, ut fidem Incarnationis inoffenso calamo describat.

Reponunt: BB. Virgo genuit Verbum solummodo ut vices supplet subsistentiæ humanæ: Sed ut sic non dicitur Deus, sed homo: Igitur Beatissima Virgo debet dici mater hominis & non Dei, quia sensus formalis propositionis appellat supra formalitatem unionis & Verbi ut vices gerit subsistentiæ humanæ.

Respondeo distinguendo majorem: Verbum supplet subsistentiæ humanæ vices ratione unionis, quæ est formaliter divina, concedo: secus, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Tria maxime in præsenti notanda sunt. I. Unio Verbi cum humanitate. II. Entitas ipsius Verbi vices gerentis subsistentiæ humanæ. III. Virtus sustentativa humanitatis. Primum est formaliter divinum; verum est enim Filium Dei incarnatum fuisse, unde Christus formaliter dicitur Deus: Secundum, nempe entitas Verbi, supplentis vices subsistentiæ humanæ re, & a parte rei est divina; denique virtus portans humanitatem, est etiam formaliter divina; ad subsistentiam enim solum infinitam spectat, terminare plures naturas, quandoquidem creata terminatur ad unam: Licet igitur BB. Virgo sit Mater Verbi incarnati solum ut terminat humanitatem, nihilominus propter tria allata dici debet, & est vere Mater Dei.

Maxentius Tomo 4. Bib. PP. col. 470. his verbis sic revincit Nestorianos: " Hæc „ erroris vestri & non alia causa est. „ Nam dum non valetis discernere quid „ inter personam sit & naturam, idipsum intelligentes naturam esse, quod „ & personam, immo nullatenus credentes naturam esse posse sine persona, vocabula personæ naturarumque confundi„ tis, & duas omnino personas sicut „ duas naturas unius Filii Dei, sine du„ bio prædicatis. „ Et vero hac de causa Nestoriani accusabant de hæresi Apollinaris catholicos, qui dicunt unicam esse in Christo personam.: non intelligentes personam esse a natura separabilem & posse suppleri.

Persistunt: Ex una substantia non possunt generari duæ substantiæ diversæ: Atqui Deus & homo sunt duæ substantiæ diversæ, & Christus est utrumque: Igitur homo & Deus etiam ut incarnatus non potest esse a BB. Virgine.

Respondeo distinguendo: Duæ substantiæ diversæ non possunt esse ab eodem vel ab eadem, si separatim generentur, concedo: eadem enim mulier, non potest esse Mater hominis & Angeli, si simul generantur, subdistinguo: si utraque natura generetur simpliciter, concedo: si una ingenita manens in se solum generetur ratione alterius cui unitur, nego. Natura divina est ingenita, hinc Deus in tempore nascitur, & generatur solum ratione naturæ humanæ assumptæ; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ita respondet Ferrandus Diaconus, Epist. ad Anatolium, Tom. 111. Bib. PP. pag. 332. his verbis: " Proprie est nata de Patre divinitas pu„ ra, proprie est nata de matre eadem „ incarnata divinitas. Et hoc distat inter „ unius Filii Dei duas generationes, quod „ in divina generatione nulla fuit huma„ nitas, in humana generatione adunata „ fuit humanitati proprie nascenti divi„ nitas. Si enim dixero, vel dicere vo„ luero, Maria semper Virgo proprie ge„ nuit divinitatem, videbitur sub aliquo „ modo hominem purum genuisse, quem „ nullo modo ita genuit, quia Verbum „ caro factum proprie genuit. „

Contra: Ex hoc sequitur BB. Virginem esse Deo consubstantialem: falsum consequens: ergo & Antecedens. Probatur sequela: Mater est Filio consubstantialis, sed Maria Virgo genuit Filium Dei: Igitur ipsa est Deo consubstantialis.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem distinguo: Mater est filio consubstantialis eodem modo quo generat, concedo: diverso, nego. BB. Virgo non genuit Filium Dei in æternitate, nec ipsi tribuit naturam divinam, sed solus Pater æternus: genuit vero illum in tempore, dando corpus quod unitum fuit divinitati Verbi; unde dicitur Deipara, non quidem Filii Dei ut sic, sed Filii Dei ut incarnati: ut autem sit consubstantialis Filio, nempe Christo, sufficit ut concursus ejus passivus terminatus fuerit per hypostasim Verbi divini. Unde BB. Virgo non dici-

dicitur consubstantialis Verbo secundum se sumpto: Sed consubstantialis Christo, qui componitur ex anima & corpore unitis cum divinitate. Solutio est Maxentii ibidem, pag. 465. ubi respondet ad argumentum, dicendo: Consubstantialem Virgini Deum Verbum non secundum divinitatem, quæ illi una eademque cum Patre est, sed secundum carnem, qui non credit, alienus a fide: sane quia non hominem quemlibet, sed Deum Verbum incarnatum genuit, hac de causa vere proprie esse creditur *Theotocos*.

Instant: Generatio specificatur a termino; hinc quia terminus Patris æterni est filius subsistens in natura divina, ipse est Deus: Sed terminus generationis BB. Virginis nedum est Filius ut terminans naturam humanam, sed & ut terminans divinam, quandoquidem unio facta est in persona: Igitur erit Dea.

Respondeo distinguendo: Generatio specificatur a termino totali & adæquato, concedo: a termino inadæquato, nego. Christus neque est Deus solum, neque homo tantum, sed utrumque; idcirco BB. Virgo dicitur Deipara quia genuit Christum, sed non Deum, ut sic quippe quæ non genuerit Verbum secundum se sumptum, nam istud privilegium convenit soli Patri æterno, qui habet pro termino adæquato suæ intellectionis Filium in se spectatum, quem ab æterno generat: hinc ipse dicitur Deus, sicut & Verbum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

BB. Virgo est Deipara.

PRIMO: Hoc innuit Scriptura, juxta illud Angeli ad Mariam Luc. 1. 35. *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Secundo: Sic definiere Concilia, in primis Ephesinum, & Quintum generale contra Nestorianos. Suffragantur Patres, nempe Ignatius Epist. ad Ephesios, Justinus Dial. cum Triph. Irenæus Lib. 3. cap. 31. &c.

Tertio: Idem ratione probatur. Mater a filio denominatur; Sed Christus est filius BB. Virginis, ipse vero est simul Deus & homo: Igitur BB. Virgo est Dei genitrix. Concinit Ecclesia, quæ in suis orationibus illam isto nomine celebrat, maxime in Litaniis.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur BB. Virginem non esse Deam, quippe quæ divinitatem secundum se sumptam non genuerit; sed contendimus esse Deiparam, namque Verbum ut incarnatum, scilicet Christum Deum simul & hominem genuit.

Secundo: Neque vero inde sequitur BB. Virginem esse Deo consubstantialem; ad hoc enim requireretur, quod Verbum secundum se, & ut in natura divina subsistens genuisset, quod soli Patri divino competit: Solus enim in splendore Sanctorum Filium in æternitate generat.

Tertio: Tametsi BB. Virgo explicite non dicatur in Scripturis Mater Dei, bene tamen implicite & quid ultra, cum ibi dicatur clare & verbis expressis Mater Christi, qui est verus Deus. Sic enim habetur Matth. 1. 16. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

SECTIO SECUNDA.

Utrum BB. Virgo omnibus gratiis donata fit, ut digna Mater Dei existeret?

MERITO S. Laurentius Justinianus, Lib. de castitate, cap. 9. dixit: Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid & gloriæ, totum fuisse in Maria.

Concepta in oppido Nazareth, nata est in Jerusalem, ortum ducens ex Regibus & Sacerdotibus. Eam Joachim & Anna sexagenarii magis gratia quam natura, inquit Damascenus, pepererunt. Anno 13. nata voto castitatis se Deo consecravit in Templo, ubi permansit undecim annos. Circa decimum quartum annum desponsata fuit cum S. Joseph, & circa decimum quintum Christum concepit, & peperit operatione Spiritus sancti. Filium dilectum secuta est in prædicatione & usque ad crucem, ubi interius commortua est cum illo: Tum 72. annum attingens, amore magis quam dolore animam beatam exha-

exhalavit: Sed post triduum rexurrexit, & assumpta est in cœlum. Vitam pauperem agebat; quam quidem arte lanaria secundum Anselmum, & etiam linariæ Serica & Byssina secundum Hieronymum sustentabat. Pulchra minis Virgo fuit, ita ut gratia diffusa esset in labiis & in facie; cui etiam Deus specialem addebat splendorem, ut esset proportio inter Matrem & Filium, qui fuit speciosus forma præ filiis hominum; unde dicitur pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. His prælibatis, sit

CONCLUSIO.

Beatissima Virgo fuit gratia plena.

Probatur multis momentis.

PRIMO, ex Scripura, Luc. 1. habetur de ea: *Ave gratia plena*; quod exponens Hieronymus in Sermone de Assumptione, dicit: *Bene gratia plena: quia ceteris per partes præstatur, Maria vero se tota simul infudit gratia plenitudo*. Ergo &c.

Secundo, ex Patribus supra citatis, & infra citandis pro prærogativis: in primis ex D. Thoma, qui hic q. 27. art. 5. sic loquitur; " Dicendum, quod quanto magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii: unde Dionysius dicit cap. 4. cœlestis Hierarchiæ, Angelos, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est principium gratiæ secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. Unde & Joan. dicitur: Gratia & veritas per Jesum Christum facta est. BB. autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideo præ ceteris majorem debuit a Christo gratiæ plenitudinem obtinere. " Ibidem ad 1. sic prosequitur " Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiæ, ita quod eum qui est plenus omnino gratia in se reciperet, & eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivat. "

Tertio ratione: Illa fuit plena gratia, quæ habuit omnes perfectiones, tum formæ dispositivæ, tum ipsius formæ tum etiam finis: Atqui BB. Virgo habuit & perfectionem, qua disponeretur ut pareret Christum; & eam, qua digna Mater Dei existeret; & eam etiam, qua homines, filios suos adoptivos per Christum perduceret ad vitam æternam; ipsa vero intraret in gloriam filii sui benedicti. Igitur fuit gratia plena. Probatur ex D. Thoma, qui ibidem ad 2. sic loquitur: " Dicendum, quod in rebus naturalibus primo quidem est perfectio dispositionis, puta cum materia perfecte est ad formam disposita: secundo autem est perfectio formæ, quæ est perfectior. Nam & ipse calor qui provenit ex forma ignis est perfectior, quam ille qui ad formam ignis disponebat. Tertio autem est perfectio finis: sicut ignis perfectissime proprias habet qualitates, cum ad locum suum pervenerit. Et similiter in BB. Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima quidem ut dispositiva per quam reddebatur idonea ad hoc ut esset Mater Dei: & hæc fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiæ fuit in BB. Virgine ex præsentia Fili Dei, in ejus utero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quam habet in gloria. "

Quarto, ex prærogativis, quibus supra modum cumulta est, ut discurrendo breviter per singula constabit.

Prima est: In primo conceptionis momento habuit omnes, tum gratias gratis datas, tum gratum facientes. Ita D. Thomas ibidem art. 5. ad 3. " Non oportebat autem, *inquit*, quod omnium haberet usum, v. g. patrando miracula, quia Christus ipse multa & sufficientia patravit, sicut & Apostoli, quibus ex officio incumbebat Verbum Dei disseminandi, & fidem miraculis confirmandi; habuit tamen Prophetiæ usum, ut patet in Cantico suo, MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM. " Fundamenta enim Mariæ in montibus sanctis fuerunt, & ingressus ejus in vitam, unde speciosa super omnia tabernacula Jacob; id est, super omnes sanctos; quia erat præparatus mons domus Domini in vertice montium super quem Dominus appa-

apparuit; quia vellus Gedeonis totum gratiarum imbibens rorem, dum terra sicca permanet, hoc est, natura humana per peccatum originale, unde & Immaculata in Conceptione, ut dictum est supra.

Secunda: Habuit omnium virtutum apparatum, tum quia virtutes sequuntur ad gratiam sanctificantem ut proprietates ad essentiam: tum quia debebat gignere Dominum virtutum; unde per omnes debebat disponi, ut digna Christi Mater existeret.

Tertia: Gratia Mariæ triplicem habuit extensionem, scilicet in animam, ad vitandum omne peccatum, & faciendum omne bonum: in corpus, ut ex carne sua posset generare Dominum: in homines, ut posset habere illos pro filiis: unde D. Bernardus asserit esse plenam pro se, & superplenam pro nobis.

Quarta: Gratia Mariæ ab ortu semper crevit, quia semper ad Deum mirabilis Virgo attendebat in omnibus, juxta illud Ambrosii L. 2. de Virginibus: loquens enim de Maria, ait: " Illic nulla intermissa tempora... dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus. "

Quinta: Gratiæ incrementum triplicem habuisse plenitudinem dici potest. Prima est plenitudo sufficientiæ, quam habuit meritum nascens. Secunda, plenitudo abundantiæ, quam habuit meritum crescens. Tertia, plenitudo singularis excellentiæ, quam habuit meritum in fine vitæ desinens. Unde S. Bonaventura in speculo beatæ Virginis cap. 13. ait: "Tanta gratiarum copia abundavit in Maria, ut etiam ipsa gratiosa Virgo, gratia quodammodo dici possit." Hinc & S. Ephræm oratione de laudibus S. Virginis, ait: "Cœlestibus exercitibus supereminet, præstantissimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona ob fulgorem inaccessa." Gratiæ accedebat fides admirabilis, unde Luc. 1. habetur: *Beata quæ credidisti*. Et humilitas profunda, juxta illud: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ*. Hanc dotem mirum in modum explicat S. Joannes Damascenus orat. 1. de Nativit. Mariæ; eam enim vocat librum novum, cujus auctor sit Deus Pater, cujus doctrina sit Verbum & sapientia Dei, cujus thalamus Spiritus sanctus.

Sexta: Ad Mariæ gratiam consecuta est rectitudo voluntatis, ita ut nullum, ne quidem veniale peccatum commiserit, ut de fide definivit Tridentinum: illa, hoc ineffabile habuit privilegium, tum per Dei specialem protectionem, tum per continuam gratiarum effusionem, tum etiam per continuum erga Deum amorem, quem flumina dolorum Christi patientis obruere re quidem potuerunt; stabat enim intrepida, Mater quidem dolorosa, juxta crucem lacrymosa, ut etiam pro nobis interius saltem pateretur. Hinc merito Augustinus, tractatu de Assumptione, Tom. 9. dicit corpus Mariæ non vidisse corruptionem; unde idem Sermone de Assumpt. asserit BB. Virginem magna gloria fuisse donatam, & super ipsos Angelos elevatam, his verbis: " Angelicam transiens dignitatem, usque ad summi Regis thronum est sublimata. "

Septima: Est admirabilis dignitas Matris Dei; quæ ita est ineffabilis, ut nullus præter Deum, eam comprehendat, & quidem propter multa. Primo, quia hæc dignitas habet quamdam infinitatem ex bono infinito, quod est Deus, ut dicit D. Thomas 1. p. qu. 25. art. 6. Secundo, quia per eam quamdam affinitatem habuit cum ipso Deo, quia caro Mariæ est caro Christi &c. Tertio, quia ratione illius Maternitatis BB. Virgo pertinet ad ordinem hypostaticum. Quarto, quia illa Maternitas est perfectissimum omnium Dei perfectionum speculum, juxta illud D. Bernardi: *In te manet, & tu in eo: & vestis eum, & vestiris ab eo*.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

BB. Virgo fuit gratia plena.

PRIMO: Sic habetur Luc. 1. sic & propugnant SS. Patres, in primis S. Bonaventura in Speculo BB. Virg. cap. 13. ante ipsum S. Ephræm Orat. de laudibus BB. Virg. &c.

Secundo: S. Thomas hic quest. 27. art. 5. hoc probat, ex eo quod BB. Virgo, Deo omnis gratiæ & sanctitatis principio præ ceteris creaturis conjuncta fuerit & propinqua.

Tertio: Quia hoc ipsum exigebat Maternitatis divinæ dignitas, quæ vel ipsorum Angelorum dotes in immensum excedit.

DISSERTATIO QUARTA,
DE MODO
QUO VERBUM
NATURAM HUMANAM
ASSUMPSIT.



ULTI erravere circa modum unionis Verbi cum humanitate. Quidam enim ut Manes, & Marcion crediderunt Verbum assumpsisse tantum carnem phantasticam: alii ut Euthyches & sui, posuerunt unionem factam fuisse per utriusque naturæ commixtionem: alii vero ut Monotholitæ per confusionem & voluntatum & operationum. Sed contra quod dicit de Christo Athanasius in Symbolo: *Perfectus Deus, perfectus homo.*

Hoc dogma fidei probatur quatuor potissimum argumentis.

Primo: Quia Verbum assumpsit veram carnem.
Secundo: Quia assumpsit sine confusione & permixtione naturarum.
Tertio: Quia sine confusione voluntatum & operationum.
Quarto: Quia Verbum assumpsit totum hominem, nempe animam, mentem & corpus; unde sit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Filius Dei assumpserit veram carnem?

DUo impræsentiarum tractanda habemus, nempe unum de veritate carnis Christi: alterum de S. Hilarii Pictaviensis sententia, quæ quibusdam imperitis videtur dogmati contraria. Unde sit

SECTIO PRIMA.

De veritate carnis Christi.

CONCLUSIO PRIMA.

Filius Dei assumpsit veram carnem.

Probatio, ex Scriptura sacra.

I. ILLE veram carnem assumpsit, qui vere caro factus est, & habitavit in nobis: Atqui Filius Dei vere caro factus est, & habitavit in nobis, juxta illud Joan. 1. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Habitatio autem nobiscum, dicit Christum vere esse hominem. Ergo &c.

II. *Ille* veram assumpsit carnem, qui factus est ex muliere, sicut alii filii, qui accipiunt a Matre naturam: Atqui Filius Dei factus est ex muliere, juxta illud Rom. 1. 3. *Qui factus est ei, ex semine David secundum carnem*. Et ad Gal. 4. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Ergo &c.

III. *Ille* vere fuit homo, qui vere exinanivit semetipsum, & formam servi accepit: Atqui Filius Dei hæc omnia fecit, juxta illud Philipp. 2. *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Ergo &c.

VI. *Ille* habebat veram carnem, qui omnes corporis habebat affectiones: Atqui talis

talis fuit Filius Dei incarnatus: nam ex Scriptura manducabat, & bibebat sicut ceteri homines, ut legitur Luc. 24. 39. & teste Isaia 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit .... & portavit*. Ergo &c.

V. *Ille* carnem phantasticam non habebat, qui ipsum contrarium impugnavit errorem. Atqui Christus ipse impugnavit errorem eorum, qui ipsum credebant phantasma, & probavit veritatem suæ carnis, manducando cum discipulis; sic enim legitur Luc. 24. 39. *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et infra: Adhuc non credentibus Apostolis, manducavit partem piscis & favum mellis, ut certos illos faceret de veritate suæ carnis. Ergo &c.

VI. *Filius* Dei vere caro factus est, si illi qui hanc credunt veritatem, sunt a Deo, secus vero hi qui illam negant: Atqui res sic se habet; nam 1. Joann. 4. vers. 2. sic legitur: *In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est*. In Græco, sic habetur: *Et omnis spiritus, qui non confitetur J. C. in carne venisse, non est ex Deo*.

Probatio, ex Symbolis & Conciliis.

Concilium Nicænum in Symbolo, sic loquitur de Filio Dei: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est*. Idem ante dixerat Symbolum Apostolorum, cui concinit illud Symboli Athanasii: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens*.

Concilium Ephes. totum est in defendenda & explicanda hac veritate, asserendo contra Nestorium Verbum vere carnem factum fuisse. Unde in anathematismo 2. B. Cyrill. ab eodem Concilio approbato, habetur: *Si quis Dei Patris Verbum carni, & secundum hypostasin unitum: Aut unum rursum una cum sua carne Christum esse, eumdem nimirum Deum, simul & hominem, inficiatus fuerit: anathema sit*.

Romanum, sub Damaso apud Theodoretum, Hist. Eccl. pagin. 10. anathema pronuntiat ei, qui dixerit: *In crucis passione dolorem substituisse Dei Filium divinitate ipsa, & non carne, animaque rationali quam assumpsit in forma servi*. Quibus verbis omnia definit, nempe Christum habuisse veram carnem, cujus rationem reddit, quia in cruce dolores nostros ipse tulit.

Chalcedonense Act. 5. definit Christum esse perfectum Deum, & perfectum hominem, ex anima rationali & corpore constantem. Quinta Synodus generalis duas naturas perfectas, alteram scilicet divinam, & alteram humanam profitetur in Christo, sicut et animam atque intelligentiam rationalem, quem Canonem Lateranense sub Martino I. in Secretario 4. recepit. Eamdem fidem sexta Synodus, Act. 18. proclamavit.

Probatio, ex Traditione Patrum.

Ex I. Sæculo, tam Apostoli quam eorum discipuli agnoverunt Filium Dei verum Deum et hominem; in primis S. Petrus et Andreas, qui ad exemplum Magistri crucem amplexi sunt amicam: Ignatius in suis epistolis, ubique prædicat Christum crucifixum, et suum voluit pro illo fundere sanguinem.

Ex II. Sæculo, Irenæus Lib. 3. capit. 32. p. 299. sic loquitur: " Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque Filius hominis: et si hoc non factus est quod nos eramus, non magnum faciebat quod passus est et sustinuit... Apostolus autem... ad Gal. manifeste, ait: *Misit Deus Filium suum, factum de muliere*. " Alias affert rationes in probationem; quia si non fuisset verus homo, nec vere esuriisset, nec dolorem addidissent vulneribus Tortores, sicut prædixerat David: nec lacrymatus esset super Lazarum, nec insudasset ad sanguinis usque effusionem.

Ex III. Sæculo occurrit Athanasius, qui Orat. 4. asserit Deum proprium quoddam assumpsisse corpus, et in Epist. ad Antiochenses, quam ex Alexandrina Synodo scripsit pag. 750. sic loquitur: " Cum revera Dei esset Filius, factus est etiam Filius hominis, et cum unigenitus esset Dei Filius, idem et primogenitus factus est in multis fratribus. "

Tertullianus celeberrimus est pro hoc momento. Nam quinque scripsit libros adversus Marcionem ad defendendam illam

illam veritatem. Præcipue vero Libr. de carne Chr. c. 15. p. 370. sic habet" Licuit „ & Valentino ex privilegio hæretico, „ carnem Christi spiritualem comminisci. „ Quidvis eam fingere potuit, quisquis „ humanam credere noluit. Quando..... „ si humana non fuit, nec ex homine, „ non video ex qua substantia ipse se Christus hominem, & Filium hominis pronunciaverit. „ Tum Matthæus exorsus „ est suum Evangelium, Liber generationis J. C. filii David. Ergo &c.

Ex IV. Sæculo, Basilius contra Eunomium apud Theodoretum, Dial. 2. pagin. 97. explicans ista verba Apostoli: *Qui cum in forma Dei esset*; ait: " Ego enim „ hoc quod scriptum est, in forma esse „ Dei, idem valere arbitror atque in substantia esse Dei. Ut enim formam assumpsisse servi, illud significat, Deum „ in substantia fuisse humanitatis nostræ. „

Ex V. Sæculo, Ambrosius eumdem loquitur sermonem; explicans enim locum Apostoli Epistola 8. " Ergo, *inquit*, cum „ esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ, & perfectionem humanæ, sicut „ Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. „ Eamdem doctrinam Augustinus docet, Epist. 2. ad Volusianum, his verbis: " Inter Deum & homines „ Mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & „ solita sublimaret insolitis, & insolita „ solitis temperaret. „ Ergo &c.

Ex VI. Sæculo, B. Leo, sic loquitur Epistol. 10. capit. 4. " Qui enim verus est „ Deus, idem verus est homo. „ Fulgentius Lib. 1. ad Trasimundum cap. 15. eamdem confirmat veritatem, his verbis: " Non incassum hominem Jesum Christum „ Mediatorem Dei & hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se „ naturam suscepisset hominis: & idem „ homo totam in se haberet substantiam „ Deitatis. „ Ergo &c.

Ex VII. Sæculo, S. Joannes Damascenus, qui Lib. 3. cap. 20. sic habet: " Quocirca naturales nostræ passiones, & secundum naturam & supra naturam in „ Christo fuerunt. Secundum naturam „ enim in ipso commovebantur, quando „ carni permittebat, utque sunt ejus propria pateretur. Supra naturam vero, „ quoniam non antecedebant in Domino, „ quæ naturalia erant illius veritatem. „ Nam nihil coactum in eo considerantur: „ Sed voluntaria omnia, itaque volens „ esuriit, volens sitivit, volens timuit, „ volens est mortuus. „ Ergo &c. Mitto alios Patres, qui eodem modo loquuntur de divina Incarnatione, asserentes Christum assumpsisse veram carnem, & naturam humanam essentialiter perfectam.

Probatio, ex ratione multiplici.

PRIMA sic exponitur: Christus vere mortuus est & resurrexit, & est de fide: Igitur assumpsit veram carnem, alias non diceretur vere mortuus, neque vere resurrexisse: & sic falsitas induceretur in Scripturis, quæ dicunt Christum & mortuum fuisse, & resurrexisse: falsitas autem non est via ad veritatem. Hæc ratio est D. Thomæ, 4. contra Gentes, cap. 29. ubi sic ait: " Si Christus verum corpus non „ habuit, non vere mortuus est. Ergo „ nec vere resurrexit. Sunt igitur Apostoli falsi testes Christi, prædicantes „ mundo ipsum resurrexisse ... Falsitas „ non est idonea via ad veritatem .... „ fuisset autem, si ea quæ dicuntur de „ ipso, in apparentia tantum fuissent. „

Secunda: Ille veram assumpsit carnem, qui vere sanguinem suum fudit pro redemptione nostra: Atqui Christus fudit sanguinem suum pretiosum pro redemptione nostra, juxta illud Rom. 3. *Justificati sumus in sanguine Christi*. Et, Apocal. 5. *Redemisti nos Domine in sanguine tuo*. Igitur assumpsit veram carnem; ita D. Thomas ibidem, num. 9. his verbis: " Si igitur „ Christus non habuit verum sanguinem, „ neque vere pro nobis ipsum fudit, neque igitur vere justificati, neque vere „ redempti sumus. „ Ergo &c.

Tertia: Christus per veritatem terminavit figuras veteris Testamenti, quæ illum repræsentabant in natura humana: Igitur veritatem naturæ humanæ assumpsit: alias nihil novi fecisset in novo Testamento. Hæc ratio est D. Thomæ, ibidem num. 10. his verbis: " Si non nisi phantasia intelligendus est adventus Christi in

„ in mundum, nihil novum in Christi „ adventu accidit: nam & in veteri Te„ stamento Deus apparuit Moysi & „ Prophetis secundum multiplices figu„ ras, „ ut etiam Scriptura novi Testa„ menti testatur: hoc autem totam do„ ctrinam novi Testamenti evacuat. Non „ igitur corpus phantasticum, sed verum „ Filius Dei assumpsit. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Corpus Christi ante Resurrectionem infirmitatibus & doloribus vere subjectum fuit.

Probatur multis momentis.

PRIMO ex Scriptura: Isa. 53. 4. Propheta de Christo sic prædicit: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Tum vers. 5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*. Item Matth. 4. legitur: *Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit*. Joan. 46. habetur: *Jesus fatigatus ex itinere sedebat supra fontem*. Et vers. 8. *Dixit mulieri Samaritanæ*: *Da mihi bibere*. Item Matth. 8. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat*. Et Hebr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato*. Unde sic argumentor: Qui habuit affectiones passibiles corporis sicut nos, quales sunt sitis, lassitudo, dormitio, vulneratio & languores, habuit corpus infirmitatibus humanis subjectum: Atqui ita Christus habuit. Ergo &c.

Secundo ex SS. Patribus: Basilius Homil. de gratiarum actione, Athanasius Lib. de Incarnatione, Fulgentius Epistola ad Reginas, & præcipue Tertullianus Lib. 2. contra Marcionem cap. 27. Tum & Conc. Ephesin. anathematismo 12. fuse probant veritatem allatam, explicando loca Scripturæ allata in sensu a nobis dato, id est, de vera fame, & de veris doloribus: non omittenda Tertulliani verba Lib. 3. contra Marcion. cap. 8. de Christo: " Nihil enim, *ait*, passus est, „ qui non vere est passus. „

Tertio rationibus D. Thomæ, qui 3. part. q. 14. art. 1. variis rationibus probat conclusionem, quarum primam petit ex fine Incarnationis, qui est per dolores & mortem satisfacere Deo Patri pro nobis: secundam, ex fide hujus mysterii; fides enim elucet in eo quod Deum agnoscamus in carne passibili: tertiam, ex patientiæ exemplo, quod Christus eas omnes infirmitates perferendo nobis exhibuit. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

OBJICIES I. contra primam conclusionem: Filius Dei in veteri Testamento, dicitur apparuisse Patriarchis in carne: Sed ista caro erat phantastica: Igitur non habuit veram carnem.

Respondeo distinguendo consequens: Non habuit veram carnem in apparitionibus veteris Testamenti, concedo: omnia enim, inquit Paulus, in figuris tunc contingebant illis. In novo Testamento, nego. Nam veritas carnis debuit dissipare umbras. Et vero se præbuit ubique sensibilem, nedum manducando & bibendo, verum etiam instituendo Sacramenta: quandoquidem instituit Baptismum, loquens humano modo: Confirmationem, imponendo manus: Pœnitentiam, insufflando & dando Spiritum Sanctum, Eucharistiam porrigendo carnem suam in cibum: Ordinem ut primus & summus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Instabis: Idem est qui ascendit in cœlum, & qui descendit de cœlo, juxta illud Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*. Et cap. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Sed qui descendit de cœlo non habebat corpus: Igitur neque qui hominibus apparuit.

Respondeo distinguendo minorem: Idem est personaliter, concedo: idem est adæquate spectatus, nego. Filius Dei qui erat in cœlo non habebat tunc corpus, sed postquam descendit, assumpsit. Ita Athanasius Lib. 10. de Trinit. pag. 70. ubi sic explicat primum locum: " Quod de„ scendit de cœlo, conceptæ de Spiritu „ carnis causa est .... Quod autem in „ cœlis est, naturæ semper manentis pote„ stas est .... Per hoc ergo, & de cœlo de„ scen-

„ scendit, & Filius hominis est, & in cœ-
„ lis est: quia Verbum caro factum non
„ amiserat manere quod Verbum est.

Ad secundam sic respondet Hilarius: "
„ Ipse autem Dominus, hujus nativitatis
„ suæ mysterium pandens, sic locutus est:
„ Ego sum panis vivus qui de cœlo de-
„ scendi. Si quis manducaverit de meo
„ pane, vivet in æternum; se panem di-
„ cens. Ipse enim sui corporis origo est.
„ Et ne Verbi virtus atque natura defe-
„ cisse a se existimaretur in carne, suum
„ rursum panem esse dixit: ut per hoc
„ quod descendens de cœlis panis est,
„ non ex humana conceptione origo esse
„ corporis existimaretur, dum cœleste es-
„ se corpus ostenditur. At vero cum suus
„ panis, assumpti per Verbum corporis est
„ professio; subjecit enim: Nisi mandu-
„ caveritis carnem filii hominis, & san-
„ guinem ejus biberitis, non habebitis
„ vitam in vobis. Et quia id quod Fi-
„ lius hominis est, & panis de cœlis ipse
„ descendit, per panem suum de cœlo
„ descendentem, & per carnem ac san-
„ guinem Filii hominis, & conceptæ ex
„ Spiritu sancto & natæ ex Virgine car-
„ nis intelligatur assumptio. „

Urgebis, 1. Cor. 15. habetur: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Igitur Christus habuit carnem mere cœlestem, vel phantasticam. Confirmatur: Idem Apost. 1. Cor. 15. 50. damnat carnem, dicendo: *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Ergo &c.

Respondeo distinguendo consequens: Habuit carnem cœlestem originative, in quantum descendit de cœlo, concedo: entitative & formaliter, nego. Ita Hilarius ibidem, his verbis: " Absolute au-
„ tem B. Apostolus etiam hujus enarran-
„ dæ corporeæ nativitatis Sacramentum
„ locutus est, dicens: Primus homo de
„ terræ limo: Secundus homo de cœlo;
„ hominem enim dicens, nativitatem ex
„ Virgine docuit: quæ officio usa mater-
„ no, sexus sui naturam in conceptu &
„ partu hominis executa est. Et cum ait,
„ secundum hominem de cœlo, originem
„ ejus ex supervenientis in Virginem san-
„ cti Spiritus aditu testatus est. Atque
„ ita cum & homo est, & de cœlis est,
„ hominis hujus & partus a Virgine est,
„ & conceptus ex Spiritu est. „

Replicabis: Philipp. 2. Christus dicitur in similitudinem hominum factus: Igitur fuit homo solum similitudinarie, & non realiter.

Respondeo distinguendo antecedens: Filius Dei dicitur in similitudinem hominum plenam factus, concedo: vacuam & inanem, nego. Filius dicitur similis Patri & Matri, quia eorum habet naturam: Igitur similitudo dicit naturæ realitatem. Solutio est D. Thomæ 4. contra Gentes cap. 29. his verbis: " Fictionis in-
„ tellectus excluditur ab hoc quod dicit
„ in similitudinem hominum factus, per
„ quod dicitur, formam servi accipiens.
„ Manifestum est autem formam pro na-
„ tura poni, & non pro similitudine, ex
„ hoc quod dixerat, qui cum in forma
„ Dei esset: ubi pro natura ponitur
„ forma. Non enim ponitur, quod Chri-
„ stus fuerit similitudinarie Deus .....
„ Excluditur etiam fictionis intellectus
„ per hoc quod subdit: factus obediens
„ usque ad mortem. Non igitur similitu-
„ do accipitur pro similitudine apparen-
„ tiæ: sed pro vera similitudine speciei,
„ sicut omnes homines similes specie di-
„ cuntur. „

Insistens: Si Christus quoad corpus nobis fuit consubstantialis, habuit carnem peccatricem: Sed hoc dici non potest; unde Valentiniani, teste Tertulliano, Lib. de carne Christi cap. 19. ne facerent carnem Christi vitiosam, dixerunt esse cœlestem, & a solo Deo emanatam. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Si habet carnem ex voluntate viri, concedo: si ex operatione Spiritus sancti, nego. Fuit igitur caro Christi similis nostræ quantum ad naturam, non quantum ad culpam, juxta illud Apostoli Hebr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

Oppones II. Contra secundam conclusionem: Psal. 3. habetur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; quod omnes interpretantur de Christo. Igitur Christus non habuit corpus passibile sicut nos.

Respondeo distinguendo Antecedens: Non dabit videre corruptionem putredinis, concedo: corruptionem mortis, quæ con-

sistit

sistit in sola separatione animæ a corpore, nego. Et similiter consequens distinguendum est.

Instabis: Christus habuit corpus, simile corpori Adami in statu innocentiæ: Sed tunc corpus Adæ erat incorruptibile: Igitur & corpus Christus dum erat in via.

Respondeo I. Christum habuisse corpus simile corpori Adami, exceptis passionibus & peccato. Ita Leontius Byzantinus, antiquus Theologus, qui tres libros adversus Eutychianos & Nestorianos edidit, quique referuntur Tomo 4. Bibliothecæ Patrum.

Respondeo II. distinguendo minorem: Corpus Adami erat incorruptibile in statu innocentiæ, extrinsece solum & per privilegium, inquit divus Thomas, in quantum uti poterat fructu vitæ, reparante vires, concedo: ratione sui, nego. Cum enim quatuor elementis constaret, erat dissolubile & corruptibile. Sed & illam habuisset corpus Christi dotem, si Filius Dei voluisset effundere continuo divinitatis influxum super carnem, immo & mansisset corpus ita ab infirmitatibus immune, ut neque esuriisset, neque dolores passus fuisset Christus, ut observat Damascenus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Filius Dei veram assumpsit carnem.

PRIMO: Hoc innuit passim Scriptura sacra, maxime quatuor Evangelistæ, qui fuso calamo Verbi incarnati passionem describunt: tum & Rom. 1. habetur de Filio Dei: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Et Gal. 4. 5. ex muliere factus dicitur.

Secundo: Hanc eamdem veritatem annuntiat Traditio Patrum. Hanc Irenæus Lib. 3. cap. 32. Athanasius Orat. 4. & alii. Hanc Concilium Nicænum in suo Symbolo, in quo Filius Dei ex Maria Virgine homo factus conclamatur.

Tertio: Si Christus non habuisset veram carnem, neque pro nobis passus fuisset, & sic tota nostra Religio funditus subverteretur.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Verbum idem est quidem in cœlo & in terra; sed antequam incarnaretur non habebat corpus, nunc vero habet, & habuit passibile dum erat viator.

Secundo: Apostolus non abjudicat Christo carnem, cum 1. Cor. 15. primum hominem fuisse terrenum, secundum vero cœlestem asserat; eo quippe loci hoc inter Christum & Adamum statuit discrimen, quod prior fuerit peccato terrenus, Christus vero sua sanctitate & impeccabilitate cœlestis.

Tertio: Filius Dei incarnatus, habuit quidem naturæ nostræ defectus, sed non vitiorum & peccati corruptionem.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Sanctus Hilarius abnuerit Christi passibilitatem?

Conclusio negativa.

PROBATUR hoc ratiocinio. Ille non abnegavit in Christo passibilitatem, qui diserte asserit Christum, ea omnia quæ hominis sunt ad exemplum habuisse. II. Non simulasse se esse hominem. III. Natum est Virgine Maria, & ab infantia usque dum ultimum suæ vitæ diem clauderet sitim & famem, sicut ceteros homines expertum fuisse. IV. Passum fuisse dolores, vulnera, & ipsam mortem: demum patiendo factum esse pro nobis peccatum, hoc est, nostrorum scelerum luisse pœnas: Atqui ea omnia propugnavit Hilarius; nusquam igitur Christi negavit passibilitatem. Probatur minor, quoad singulas partes.

De primo momento sic loquitur Comment. in Psalmos cap. 35. numer. 7. " Ut " absolutissimum nobis humanæ humilita- " tis Christus esset exemplum, omnia " quæ hominum sunt, & oravit, & pas- " sus est. "

De secundo, in Psalm. 141. num. 1. ait: " Ut ipse non simulatus homo, sed ve- " rus posset intelligi. "

De tertio, Lib. 3. de Trinitate num. 10. " Sed quomodo, *inquit*, clarificandus " erat

„ erat Filius? Namque natus ex Virgine „ a cunis & infantia, usque ad consummatum virum venerat: per somnum, „ famem, sitim, lassitudinem, lacrymas „ hominem egerat, etiam nunc conspuendus, flagellandus, crucifigendus. Quid „ ergo? nobis solum hominem in Christo „ hæc erant contestatura; sed non confundimur cruce, non flagellis prædamnamur, non sputis sordidamur, clarificat Pater Filium. „ Rursus Lib. 10. de Trinitate numer. 67. " Passus quidem est „ unigenitus Deus quæ homines pati possunt. „

De quarto, in Psalmum 68. numer. 2. & 3. & 4. de eodem Christo, sic habet: " Salvari se ergo orat qui & dixerit, „ Deus Deus meus quare me dereliquisti? Introeuntibus enim aquis usque ad „ animam, subjectus morti crucis fiebat, „ cum passionum universarum impetus usque ad mortem animæ perrumperet.... „ Verum ineuntium harum passionum, „ non aliunde quam ex assumptione carnis, & virtus est, & potestas. Non „ enim incidere in Deum hic infirmitatum nostrarum terror valebat, aut exercere se, nisi in carne corporis nostri, tamquam in subjacente materia, „ potuerant passiones; evacuans ergo se, „ quippe cui substantia non erat, non „ jam usque ad carnis, verum etiam usque ad mortis profunda descendit, & „ omnis in eum terror desævientis in nos „ tempestatis incubuit. „

De quinto ibidem sic prosequitur num. 9. " Non fuit ergo in unigenito Deo naturalis infirmitas, sed assumpta: quia „ propter Deum hæc improperia suscepit passionum.... Sustinuit ergo improperium propter Deum, dum alienum „ a natura sua corpus assumit, dum secundum Apostolum, peccati nescium „ Pater facit esse peccatum; dum fit obediens usque ad mortem crucis, dum „ ipsi exprobratur quod ceteros salvans, „ se ipse non salvet, dum contumelias „ sputorum alaparumque perpetitur. „

Confirmatur.

Qui suæ fidei habuit & Concilia & Patres & Historiographos præcones, ille de Incarnatione Dominica bene scripsit: Atqui S. Hilarius hujusmodi pro se annumerat præcones: Et probatur. Concilium Chalcedonense edit. Reg. p. 310. Act. 1. & 2. pagin. 357. explicat in suis decretis Hilarii auctoritate quidquid de Incarnatione sentiendum sit. Hieronymus Epist. ad Lætam, ait: *Hilarii libros inoffenso decurrat pede*. S. Augustinus Lib. contra Julianum cap. 3. & Theodoretus dialogo 2. magnis efferunt laudibus sanctum Hilarium, ejusque doctrinam alacri suscipiunt animo. Quid plura? Teste Hieronymo jam jam laudato, Galliarum Ecclesiæ Hilarium ab exilio redeuntem velut eximium fidei defensorem non sine magno animi jubilo susceperunt: Ergo &c.

Proponuntur simul & solvuntur objectiones.

Objicies: Videtur Hilarius non agnovisse veram in Christo carnem. Igitur nec passibilitatem. Probatur Antecedens. Lib. 10. de Trinitate numer. 35. sic loquitur: " Genuit etenim ex se corpus, sed quod „ conceptum esset ex spiritu, habens quidem in se sui corporis veritatem, sed „ non habens naturæ infirmitatem. „ Ergo &c.

Respondeo I. Solutionem patere ex ipsis Hilarii verbis, dum dicit, *Habens quidem in se sui corporis veritatem*.

Respondeo II. negando Antecedens. Ad probationem distinguo: Corpus Christi dicitur conceptum ex spiritu, id est, operatione Spiritus sancti, concedo: sine carne & corpore, nego. Istud intercedit inter nos & Christum discrimen, quod habeamus & Patrem & Matrem homines, Christus vero dumtaxat matrem, & quidem Virginem immaculatam; hinc non solum est homo, sed & Deus, juxta illud Angeli Lucæ 1. 35. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*.

Ad id vero quod S. Doctor dicit, Corpus Christi non fuisse infirmum, distinguo: infirmitate culpæ & concupiscentiæ, concedo: infirmitate passibilitatis, nego. Censet enim Hilarius Christum, tum dolore passionis, tum mortis humiliatione nostram operatum fuisse salutem. Eodem prorsus sensu intelligendus venit, cum Lib. 3. de Trinitate num. 19. asserit BB. Virginem Mariam Christo dedisse

disse carnem, quæ non erat ex elementis nostris compaginata, intelligas velim, corruptibilibus; ibidem enim sic loquitur: " Certe non suscepit, *Maria*, quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit. " Eodem prorsus modo loquitur sanctus Leo Serm. 5. de Nativitate Domini cap. 4.

Instabis Ibid. Lib. 10. de Trin. num. 16. " Non enim ex se corpori Maria originem dedit. " Igitur Christus juxta sententiam Hilarii non habuit corpus passibile ex Maria. Confirmatur: passim dicit conceptionem Christi spiritualem. Ergo &c.

Respondeo I. illa verba, *ex se*, non reperiri in antiquis Codicibus, sed ab Erasmo fuisse addita, ut subnotant eo loci PP. Benedictini.

Respondeo II. distinguendo: Corpus Christi non fuit a BB. Virgine productum ut a prima causa, sed a Spiritu sancto, concedo: ut a causa secunda, nego. Sic enim habetur ibidem num. 35. " Ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit: quod licet sexus sui officio genuerit, tamen non terrenæ Conceptionis suscepit elementis. Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex spiritu; habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem. "

Ad confirmationem distinguo: Caro Christi est spiritualis causaliter, quia est miraculosa & ab unione Verbi, quod a sancto Justino Apolog. 2. vocatur spiritus, concedo: per exclusionem veræ carnis, nego. Hilarius in 12. libris de Trinitate totus incumbit, ut Verbi adversus Arianos probet divinitatem, quocirca accurate distinguit in Christo id quod Dei, & hominis est.

Contra: Lib. 10. de Trinitate num. 35. sic effatur: " Licet, *Maria*, sexus sui officio genuerit, tamen non terrenæ conceptionis suscepit Elementis. " Sed conceptio quæ non est terrena, nullo modo est corporea: Ergo &c.

Respondeo solutionem patere ex dictis, & Hilarium solummodo loqui de elementis vitiatis; hæc enim immediate ante, ait: " Quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore. "

Solvuntur alia argumenta, eaque specialia.

OPPONES: Qui omnem omnino dolorem a Christi corpore eliminavit, omnem prorsus a Christo exclusit passibilitatem: Atqui ita scripsit Hilarius Lib. 10. de Trinitate num. 23. his verbis: " Homo itaque Jesus Christus unigenitus Deus per carnem & Verbum ut hominis filius, ita & Dei Filius hominem verum secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo, sumpsit; in quem quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, nec tamen dolorem passionis inferrent. " Ergo &c.

Respondeo I. nonnullos existimare S. Hilarium eo loci Christi abnuisse passibilitatem, sed postea sese retractasse. Sic propugnat S. Bonaventura Lib. III. Sententiarum distinct. 16. q. 1. art. 1. asseritque se hoc audivisse a Guillelmo Parisiensi, iste vero testatur legisse librum retractationis. Quinimmo Petavius Lib. 10. de Incarnatione cap. 5. existimat & scribit hunc librum esse Hilarii commentarium in Psalmos, quem absolutis libris de Trinitate, sanctus Doctor conscripsit. Sed contrarium ex probationibus affulget. Unde

Respondeo II. negando minorem. Ad probationem distinguo: Christus dolorem non sensit in divinitate, concedo: in humanitate, nego. In libris de Trinitate debellat, ut jam dictum est, Arianos, qui vel ipsum Verbum & mœstum fuisse, & trepidasse tempore passionis autumabant: Sic enim de his loquitur cap. 31. in Matth. tum Lib. 10. de Trinitate. In priori loco: " Ea opinio est, *inquit*, quod cadere propter se mœstitudo in Deum potuerit, eumque futuræ passionis metu fregerit, quia dixerit, Tristis est anima mea usque ad mortem, & qui volunt ex infirmitate corporis ærumnam spiritui adhærere. " Rursus de Trin. Lib. 10. num. 9. eos sibi debellando proponit, qui volebant Christum: " Non in natura eum impassibilis Dei fuisse; ut qui timuit & doluit, non fuerit vel in ea potestatis securitate quæ non timet,

„ met, vel in ea spiritus incorruptione „ quæ non dolet; sed inferioris a Deo Pa- „ tre naturæ, & humanæ passionis trepi- „ daverit metu, & ad corporalis pœnæ „ congemuerit atrocitatem. „

Instabis: Hac distinctione non usus est S. Hilarius Lib. 10. de Trinitate, & hac data petiisset principium, quandoquidem Ariani non dicebant Verbum Deum. Ergo &c.

Respondeo I. S. Hilarium debuisse sic loqui, quia varii generis erant Ariani: quidam enim dicebant Verbum creaturam, quidam Deum, sed humanitate permixtum: quidam etiam vices animæ, quidam vices intellectus gerere effutiebant: contendit autem Hilarius dolorem non cadere in divinitatem, sive distincta esset ab humanitate, sive carni commixta juxta alios; hinc argumentando ad hominem, omnium explodit commenta.

S. Doctor est sui ipsius interpres Lib. 9. de Trinitate, his verbis: " Salva Unige- „ niti in se veritate secundum carnis in- „ firmitatem, fletum, somnum, sitim, „ lassitudinem, metum passus est. „ Rursus Lib. 10. de Trinitate num. 47. 67. " Passus quidem est unigenitus Deus quæ „ homines pati possunt. „ Et num. 47. ait, Christum: " Secundum hominem pro no- „ bis infirma omnia pati, sed secundum „ Deum in his omnibus triumphare. „

Jam ad argumenti probationem distinguo: Hilarius petiisset principium, si omnes Ariani dixissent Verbum meram creaturam, concedo: si e contra, nego. Igitur ad eos debellandos debuit in eo potissimum principio semper insistere, quod Christus ut Deus nusquam passus sit.

Insistes: Atqui ex Hilario Christus Dominus nec sitim, nec famem, ceterosque passibilitatis effectus expertus est: Ergo &c. Probatur subsumptum. Comment. in Matth. cap. 3. num. 2. sic loquitur: " Igitur cum esuriit Dominus, non ine- „ diæ subrepsit operatio. „ Ergo &c.

Respondeo I. contrarium ex modo dictis patere Lib. 9. de Trinitate. Resp. 2. negando minorem. Ad probationem distinguo: Christus inediam radicalem non passus est, concedo: formalem & actualem, nego. Inedia & ceteræ ejusmodi passiones possunt considerari dupliciter; primo quidem radicaliter, quatenus a radice vitiata in pœnam peccati promanant, deinde vero formaliter & actualiter pro ut sunt quædam affectiones ad naturam corpoream animatam subsequentes. Priori modo fames & hujusmodi aliæ passiones non fuerunt in Christo, bene vero posteriori. Quod autem sanctus Doctor in primo tantum sensu loquatur, patet ex multis locis, maxime ex Libro 10. de Trinitate num. 25. ubi de Christo sic loquitur: "Habuit enim corpus, sed origi- „ nis suæ proprium, neque ex vitiis hu- „ manæ existens, sed in formam corporis „ nostri virtutis suæ potestate subsistens. „ Audis nomine virtutis, intelligere Verbum Deum?

Respondeo III. ut supra: Christus sitim, & similia ut Deus & ratione suæ virtutis seu personæ non expertus est, concedo: ratione humanitatis, nego. Nam immediate post verba in objectione laudata hæc subjungit: " Sed virtus illa quadragin- „ ta dierum non mota jejunio, naturæ sue „ hominem dereliquit. Non enim erat a „ Deo diabolus, sed a carne vincendus: „ quam utique tentare ausus non fuisset, „ nisi in ea per esuritionis infirmitatem, „ quæ sunt hominis recognovisset. „

Contra: Atqui juxta Hilarium nullo modo passus est Christus: Ergo &c. Probatur subsumptum: Qui ibidem Lib. 10. de Trinitate num. 45. asserit Christum non magis expertum fuisse doloris impressionem quam pueri in fornace Babylonica existentes, dubio-procul veras ab eo eliminat passibilitatis affectiones: Atqui sic scribit eo loci his verbis: " Quæro enim „ an pastas ad fomenta exæstuandi Baby- „ loniæ fornacis flammas Israelitæ pueri „ timuerint, & utrum in illud nostræ „ conceptionis corpus metus tanti ignis „ incesserit .... Certe hæc natura corpo- „ ris erat, ut & uri se timeret, & pos- „ set uri. Quod si per spiritum fidei ter- „ rena corpora, id est, secundum elemen- „ ta causarum communium initiata, ne- „ que uri potuerunt, nec timere: quæ „ ergo per fidem Dei in homine contra „ naturam sunt, ea in Deo secundum vir- „ tutem spiritus ad naturæ originem in- „ choata, non sunt naturaliter æstiman- „ da. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum, Ad probatio-

bationem distinguo: Et comparatio unum tantummodo probat, scilicet Christum non passum fuisse ut Deum, concedo: ut hominem, nego. Sicut enim ex Hilario pueri virtute divina in fornace immaculati permanserunt, sic & Christus in persona, hoc est, secundum virtutem, quod quidem est supra naturam. Sanctus Doctor est sui ipsius interpres, his verbis in objectione laudatis: " Quæ ergo per „ fidem Dei in homine contra naturam „ sunt, ea in Deo homine secundum virtutem „ spiritus ad naturæ originem inchoacta, non sunt naturaliter æstimanda. „

Lanfrancus epist. ad Romaldum Pictaviensem Abbatem relata a Baronio Tomo 11. Annalium ad annum 1088. sic explicat Hilarium: " Cum itaque sanctus Hilarius ait: quia homini assumpto a Filio „ Dei ictus & vulnera passionem afferrent, „ non tamen dolorem passionis inferrent, „ ut si telum aquam perforet &c. Idem „ est ac si diceret: homo assumptus impetum „ passionis, & vim doloris sensit, „ Deus assumens non sensit. „

Replicabis: Qui asserit Christum in passione non majorem doloris impressionem ex ictibus quibus corpus suum exagitatum est, sensisse quam aut aerem, aut aquam ex immissione sagittæ, certe omnem veram passibilitatem a Christo ut homine excludit: Atqui sic scribit S. Hilarius Lib. 10. de Trinitate num. 23. " Homo itaque „ Jesus Christus .... in quo quamvis aut „ ictus incideret, aut vulnus descenderet, „ aut nodi concurrerent, aut suspensio „ elevaret, afferrent quidem hæc impetum „ passionis, non tamen dolorem „ passionis inferrent: ut telum aliquod, „ aut aquam perforans, aut ignem compungens, „ aut Aera vulnerans, omnes „ quidem has passiones naturæ suæ infert, „ ut perforet, ut compungat, ut vulneret, „ sed naturam suam in hæc passio illata „ non retinet, dum in natura non „ est, vel aquam forari, vel pungi ignem, „ vel aerem vulnerari, quamvis naturæ „ teli sit vulnerare, & compungere & „ forare. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Et facta comparatione S. Hilarius excludit solum a Christo dolorem corruptorium, concedo: dolorem verum, nego. Duplex distinguendus est dolor, unus corruptorius, qui ex peccato originali & mentis perturbatione promanat: alter vero ex læsione seu partium corporis divisione, juxta illud tritum axioma: *Sensibile positum super sensum facit sensationem.* Priorem non expertus est Christus, ut non semel ostensum est, bene vero posteriorem. S. Hilarius suam prodit mentem ibidem, his verbis: " Passus quidem „ est Dominus Jesus Christus dum „ cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, „ dum moritur. „ Et iterum atque iterum ex professio in Psal. 53. num. 12. " Quamquam, *inquit*, passio illa non „ fuerit conditionis & generis, quia in„ demutabilem Dei naturam nulla vis injuriosæ „ perturbationis offenderet; tamen „ suscepta voluntarie est, officio quidem „ ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ „ sensu læsura patientem: non quod illa „ lædendi non haberit pro ipsa passionis „ qualitate naturam; sed quod dolorem „ divinitatis natura non sentit. Passus „ ergo est Deus, quia se subjecit voluntarius „ passioni: Sed suscipiens naturales „ ingruentium in se passionum, quibus „ dolorem patientibus necesse est inferri, „ virtutes, ipse tamen a naturæ suæ „ virtute non excidit, ut doleret. „ In nobis ictus ex dolore perturbationem animi causat: e contra vero in Christo non causavit, quia Deus. Et hoc argumento, ejus probat divinitatem contra Arianos S. Doct.

Persistes: Qui verbis expressis omnem a Christo eliminat passibilitatem, citra dubium non credidit Christum vere passibilem fuisse: Atqui S. Hilarius sic opinatus est: Lib. de Synodis num. 49. ubi de Christo, ait: " Pati potuit, & passibile esse „ non potuit. „

Confirmatur Lib. 10. de Trin. num. 23. ab eodem propellit metum qui est veræ passibilitatis effectus, his verbis: " At vero „ Dominici corporis sola ista natura „ sit, ut sua virtute, sua anima feratur „ in humidis, & insistat in liquidis, & „ extructa transcurrat: quid per naturam „ humani corporis conceptam ex spiritu „ carnem judicamus? Caro illa, id est, „ panis ille de cœlis est, & homo ille „ de Deo est. Habens ad patiendum quidem „ corpus, & passus est; sed naturam non „ habens ad dolendum, „ Multis momentis

eo loci S. Doctor probat Christum fuisse impassibilem: Primo quidem, ex eo quod contra naturam corporis passibilis non gravitaret in aquis. II. Quia ejus caro Spiritus sancti operatione fuerat concepta. III. Ex eo quod Christus non habuerit passiones corruptorias. IV. Ait in speciem fuisse visum Christum pati, ut suæ carnis demonstraret veritatem, tametsi non haberet naturam ad dolendum. V. Demum Lib. 10. de Trin. num. 27. de metu, sic loquitur: " Anne timuit qui " armatis ad corripiendum se obvius prodiit? Et in corpore ejus infirmitas fuit, " ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt, & majestatem ingerentis se ad vincula non ferentes supinatis corporibus reciderunt? " Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Christus passibilis esse non potuit passione corruptoria, quæ infert animi mutationem & dejectionem, concedo: vox quippe *passibilitas* subindigitat corruptam in persona radicem. Passibilitate vera, & ab omni peccati fæce immuni, nego. Solutio patet ex dictis, & ibidem S. Doctor est suæ mentis interpres, his verbis immediate subsequentibus: " Verbum autem quod caro factum " est, licet se passioni subdiderit, non tamen demutatum est passibilitate patiendi. Nam pati potuit, & passibile esse " non potuit, quia passibilitas natura infirmis significatio est; passio autem est " eorum quæ sint illata perpessio: quæ " quia indemutabilis Deus est, cum tamen Verbum caro factum sit, habuerunt in eo passionis materiam sine passibilitatis infirmitate. "

Ad confirmationem illa posteriora verba, *Naturam non habens ad dolendum*, distinguo: Ex necessitate, concedo: ex dispensatione, nego. Hæc est inter Christum & nos discrepantia, quod si voluisset, effusione in corpus virtutis divinæ & miraculosæ, ne minimum quidem expertus fuisset doloris gradum, sicut ejusdem virtutis energia non gravitando ambulabat super aquas; nos vero e contra: hinc ex dispensatione, ut nostram operaretur salutem, voluit pati & doloribus affici, quo quidem argumento S. Hilarius urget Arianos, & Verbi incarnati irrefragabiliter probat divinitatem. Solutio in ipsis ejus affulget verbis: *Habens ad patiendum quidem corpus, & passus est.* Est quoque divi Thomæ, qui Comment. in Joannem explicans ista verba: c. 4. 6. *Jesus ergo fatigatus ex itinere;* ait, fatigatus est quia voluit, sicut esuriit quando voluit, si vero noluisset, neque magis esuriisset quam pristinis quadraginta diebus; sed maxime 3. p. q. 15. art. 5. ubi proposito sibi argumento ex auctoritate S. Hilarii dicentis de Christo: *In quo quamvis, aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, &c.* ad primum sic respondet: " In omnibus " illis verbis & similibus Hilarius a carne " Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit .... ut ea " ratione dicatur caro Christi non subjacuisse necessitati horum defectuum, quia " non fuit in ea peccatum. Unde subdit, habuit enim scilicet *Christus*, corpus, sed originis suæ proprium, neque " ex vitiis humanæ conceptionis existens, " sed in forma corporis nostri virtutis " suæ potestate subsistens. Quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quæ est compositio contrariorum, caro Christi subjacuit necessitati " horum defectuum. "

Ad rationes ulteriores in contrarium, dico ad primam, nemini mirum videri debere, si S. Hilarius concludat ex eo quod corpus Christi in aquis non gravitaverit, naturam non habuerit ad dolendum, quippe qui solum intelligat non habuisse naturam ad dolendum ex necessitate. Altera ratio probat tantummodo corpus Christi non fuisse ex elementis corruptibilibus compaginatum. Ad tertium, patet solutio ex supra dictis. Ad quartum, distinguo: Habuit similitudinem carnis peccati, concedo: in hoc sensu Apostolus ait, Christum factum esse pro nobis peccatum, hoc est, loco nostro luisse pœnas criminis: similitudinem veræ carnis, subdistinguo: plenam, quæ carnis realitatem non excludit, concedo: in isto prorsus sensu Hebr. 1. Filius Dei paternæ substantiæ dicitur figura: vacuam, nego. Ad postremam & palmarem distinguo: Christus non timuit per dominationem passionis, sicut in nobis contingit; timor quippe animi dejectionem sæpius operatur, concedo: timore proprie dicto, qui est mali imminen-

minentis simplex apprehensio, nego. Solutio colligitur ex ipso Hilario, qui ibidem post illam vocem *reciderunt*, subjungit: *Quam igitur infirmitatem dominatam hujus corpori credis, cujus tantam habuit natura virtutem.*

Repones: Qui docet Christum non passum fuisse secundum corporis virtutem, ab eo abnegat veram passibilitatem: Atqui S. Hilarius sic prædicat, juxta illud Lib. 10. de Trinit. num. 23. de Christo: "Virtus corporis sine sensu pœnæ, vim „ pœnæ in se desævientis excepit. „ Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo: Et eo loci nomine virtutis intelligit hypostasim, seu personam divinam, quæ non nisi active, ut sæpius dictum est, passa est, concedo: ipsam corporis substantiam, nego. Audiendus est de hoc momento ipse sanctus Doctor; ibidem enim num. 47. de eodem Christo, sic loquitur. "Passus igitur u„ nigenitus Deus est, omnes incurrentes „ in se passionum nostrarum infirmitates; „ sed passus virtute naturæ suæ, ut & „ virtute suæ naturæ natus est. „ Rursus ibidem. "Secundum quod ita ex in„ firmitate corporis nostri, passus in cor„ pore est, ut passiones corporis sui vir„ tute susciperet. „ Audis S. Hilarium nomine virtutis in Christo, quandoque intelligere personam, ut in loco pro objectione adducto, quandoque etiam hominis naturam, quæ ex infirmitate passa est, ut in posterioribus auctoritatibus.

Persistes: Idem Lib. 9. de Trinit. num. 14. scribit, Christum ne minimum quidem passum fuisse. Ergo &c. Probatur antecedens. Ibi sic loquitur: "Evacua„ tio eo profuit, ut proficiat forma servi „ non ut Christus, qui in forma Dei „ erat, Christus esse non maneat, cum „ formam servi, non nisi Christus acce„ perit. „ Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, distinguo: Et nomine Christi intelligit Verbum, ut vel ex ipsis constat terminis: *Formam servi non nisi Christus acceperit*; concedo: concretum, seu compositum ex divinitate simul, & humanitate coalescens, nego. Verbum incarnatum ab antiquis Patribus nomine Christi, & nomine Jesu celebratur; priori nomine intelligunt Deum Verbum, posteriori vero Mediatorem, hoc est, Verbum reduplicative ut incarnatum. Sic Justinus Martyr Apologia 1. his verbis: "Filius Dei qui solus proprie dicitur „ Filius, Christus quidem in eo quod „ Deus per illum omnia conformavit, at„ que ornavit, appellatur.... Jesus vero „ & hominis & Salvatoris nomen & de„ signationem habet. „ Sic & Hilarius. Quod autem a Christo passibilitatem non excludat, ex eo liquet, quia ibidem dicit eumdem esse qui passus est, et se se exinanivit, ac eum qui formam servi accepit: "Non alius, *inquit*, atque diversus „ est, qui se exinanivit, et qui formam „ servi accepit. „ Et rursus ibidem: "Qui in forma Dei manebat, formam „ servi accepit, per quam obediens usque „ ad mortem fuit. „

Ceterum tantum abest, ut S. Hilarius in locis pro objectione laudatis et similibus aliquid a Christi passibilitate detrahat, quin potius irrefragabili probat argumento divinitatem Verbi adversus perfidiam Arianam, contendendo Christum quidem vere passum fuisse, sed non ex necessitate, aut naturæ defectibilitate, aut etiam ex doloris dominatione, ut in nobis accidit, et hoc propter personam. Igitur illa erat divina; non alia quippe ex hoc principio sequitur consequentia, cum Deus solus tot mira operari queat in humanitate.

SYNOPSIS PROBATIONUM

S. Hilarius agnovit Christi passibilitatem.

PRIMO: Comment. in Psal. cap. 57. num. 7. ait de Christo: "Omnia quæ ho„ minum sunt et oravit et passus est. „ Lib. 3. de Trinit. num. 10. dicit Christum fami, siti & ceteris humanæ naturæ defectibus fuisse subditum. Tum in Psal. 68. num. 2. 3. et 4. scribit eumdem Salvatorem ad mortem usque passum fuisse.

Secundo: Habet suæ fidei præcones Hieronymum Epist. ad Lætam, Theodoretum Dial. 2. Habet et Concilium Chalcedonense, quod utitur auctoritate S. Præsulis Act. 1. et 2. ad perstringendos Eutychianos.

Tertio: Fidem suam S. Hilarius exilio,

 quod

quod passus est, probavit; hanc & cœlum miraculo magno consignavit, videlicet mortui resurrectione, quem S. Hilarius ad vitam evocavit.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: S. Doctor quandoque scribit carnem Christi nostræ absimilem fuisse, sed loquitur de radice; nostra quippe vel ab ipsa conceptione vitiata est, secus vero caro Christi, quippe qui conceptus sit operante Spiritu sancto.

Secundo: Nec plus virium habet argumentum desumptum ex locis S. Præsulis, ubi utens comparatione sagittæ in aerem, vel in aquas immisæ absque utriusque elementi læsione, ait Christum etiam ex ictibus in ipsum vibratis non fuisse passum, quandoquidem his & similibus probare intendit contra Arianos, illum non ex necessitate, sicut nos, sed solum ex dispensatione dolores & languores nostros portasse.

Tertio: Dum ait S. Hilarius Christum expertum non fuisse vulnera in virtute quæ ipsi erat intrinseca, nomine virtutis intelligit Verbum, quod virtute sed potius subsistentia sua portat humanitatem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum unio hypostatica facta sit per commixtionem naturarum?

AD istam controversiam eliquandam tria sunt discutienda, unum de Eutychiana hæresi, alterum de ejus fautoribus, tertium de dogmate.

SECTIO PRIMA.

Historia critica hæresis Eutychianæ.

Ortus.

EUTYCHES anno Christi 448. Pontificatus vero S. Leonis IX. Imperii Theodosii Junioris in Oriente 41. & Valentiniani in Occidente 24. post Synodum Ephesinam 18. non parum doctrina excultus, ut colligitur ex epistola S. Leonis ad Pulcheriam Augustam, qui in Ephesino Concilio contra Nestorium optime decertaverat, cæco abreptus zelo in contrariam hæresim lapsus est; unicam enim sic prædicavit in Christo personam, ut etiam in ipso unicam voluerit naturam; clam quidem & in secreto primum hæc dicebat & docebat; sed postea publice profiteri non erubuit.

Progressus.

MONITUS Eutyches ab amicis de hac hæresi, precipue vero ab Eusebio Dorilæi in Phrygia Episcopo, noluit resipiscere; hinc Eusebius ad Flavianum Patriarcham CP. illum denuntiavit, ut hæreticum: factum est autem anno sequenti, (scilicet 449.) ut Synodus 40. Episcoporum Constantinopoli habita sit ad dirimendam controversiam quorumdam Episcoporum: tunc Eusebius obtulit libellum accusationis contra Eutychetem: iste iterum atque iterum citatus noluit comparere, citatus tertio inducias septem dierum obtinuit prætextu sanitatis recuperandæ; quibus elapsis, venit in Concilium ut ad bellum gerendum, turbulenta scilicet & Monachorum & Prætorianorum militum phalange, a Florentio Patricio missorum stipatus; cum quoque comitatus est Crysaphius Eunuchus, favore apud Imperatorem potens, Flaviani quidem hostis, sed Eutycheti, qui illum in Baptismo susceperat, addictissimus.

Interrogatus Eutyches a Patribus, & a Florentio Patritio, an duas in Christo agnosceret naturas, post multas tergiversationes impium dogma tandem & confessus est, & pertinaciter propugnavit, ita ut ad illud ejurandum adduci non potuerit; quare per sententiam latam functionibus Sacerdotii, superioritate & communione Ecclesiæ privatus est. Hujus Synodi acta referuntur actione, tum prima, tum septima Concilii Chalcedonensis. Interea Flavianus acta Concilii sui ad S. Leonem misit, qui illa & rata habuit, & fulgentissimam epistolam, quæ est inter suas decima, ad Flavianum rescripsit, ubi dogma fidei pro duobus in Chri-

Christo naturis mirum in modum explicat & probat.

Tum Eutyches ad S. Pontificem, ut judicium CP. declinaret, scripsit, sed incassum; unde auctoritate Crysaphii ab Imperatore obtinuit novum adunari in urbe CP. Concilium, ubi alternata vice proscriptus, eodem amico patrocinante, Ephesi sexto idus Augusti ann. 449. Generale congregatum est. Ad illud invitatus est sanctus Leo: Vocati sunt Orientis Patriarchæ & Metropolitani. Quia vero timebat, si Legati SS. Pontificis præsiderent, causa caderet, auctoritate regia Dioscorus Patriarcha Alexandrinus hæreseos fuligine conspersus præfuit: hinc & factum est, quod vix extincta hæresi Nestorii, Eutychiana altas jecerit radices: Barsumas Archimandrita, immanis siccarius huic adfuit conventui.

Convenere ad Synodum 360. Episcopi. Ab eo propulsus est Theodoretus, Imperatoris quidem nomine & auctoritate, sed revera malis artibus Eutychianorum, qui timebant & ipsius doctrinam, & pro fide zelum. Flavianus quidem ibi admissus est, sed ut reus: ceterum omnia per vim facta sunt & actitata, unde istud Concilium nominatum est Latrocinium Ephesinum.

Lectis Imperatoris litteris, SS. Pontificis Oratores petierunt, ut & epistola S. Leonis legeretur, sed impedivit Dioscorus Præses. Tum introductus est Eutyches, qui libellum fidei suæ dedit; Eusebius vero Dorylæus ejus accusator, rejectus est. Relecta quidem fuerunt Concilii CP. acta, quibus Eutyches damnabatur, sed rescissa sunt: Flavianus & Eusebius dignitate sua exuti fuere, eo quod, inquiebat Dioscorus, novam fidei regulam contra decretum Concilii Ephesini cudissent: Episcopi militum metu, quos Dioscorus paratos habebat, subscripserunt omnibus actibus, Flavianus vero, eo quod summum Pontificem appellasset, jussu Dioscori & Barzumæ, plagis crudeliter affectus, triduo post Martyr obdormivit in Domino. Eutyches in pristinum gradum restitutus est, Theodoretus vero & Ibas exauctorati sunt, eo quod Flaviano favissent: Sed e manibus Dioscori & aliorum ereptus Hilarius Diaconus Romanus venit, & S. Leonem certum fecit de actibus nefandi illius Concilii, ut ipse testatur in sua ad plebem & Clerum CP. epistola: ipse vero acta rescidit, & damnavit Dioscorum; sed iste par pari reddere volens, congregatis quibusdam Episcopis, sanctum Leonem perstringere ausus est.

Interitus seu proscriptio.

IMPERATOR se illusum comperiens, Crysaphium malorum architectum relegavit, ipsam suam uxorem, Eutychetis patronam post crebras objurgationes Jerosolymam adire coegit, Pulcheriam suam sororem, Crysaphii & uxoris molitione exulem revocavit, ut ipsa cum eo sicut antea regeret Imperium, quæ, mortuo fratre, Marciano Imperatori admodum Catholico nupsit.

Marcianus citra moram edictum contra Eutychetem dedit, Flaviani ossa Constantinopolim honorifice & adduci & inhumari curavit, Synodumque generalem primo Nicææ indicavit. Ibi sexcenti Patres cum Legatis S. Leonis adfuere, quia vero præsentiam Imperatoris exoptabant Præsules, ea de causa Chalcedonem Concilium transmissum est.

Anno igitur 451. Chalcedone adunata est Synodus generalis: in ea Dioscorus ut reus accusatus est: acta utriusque Synodi Constantinopolitanæ confirmata sunt; Ephesinæ latrocinium proscriptum. Eutyches anathemate percussus, Flavianus vero & Eusebius ab hæreseos labe purgati sunt. Dioscorus absens ter citatus, & propter errorem & propter injuriam contra sanctum Leonem aliaque crimina exauctoratus, & excommunicatus fuit: venia vero concessa fuit Episcopis, qui per vim subscripserant Concilio Dioscori, qui jussu Imperatoris Gangram exulavit, ubi ærumnis confectus obiit; Eutyches vero in exilium etiam actus, ibi ultimum clausit diem, sed quo mortis genere, non satis constat.

SECTIO SECUNDA.

An Eutyches propugnaverit hæresim, quæ illi attribuitur?

NEGAT Vasquez in 3. part. D. Thomæ disp. 14. contra quem sit

CONCLUSIO.

Eutyches tenuit, facta unione hypostatica, huminitatem fuisse conversam in divinitatem.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Ex professione fidei Eutychetis, data in Synodo Chalcedonensi, ut refertur pag. 333. Typographiæ Regiæ, his verbis. *Quoniam confiteor Deum meum, Dominum cœli & terræ, hactenus de ejus natura disputare non mihi persuadebam: consubstantialem autem numquam me dixisse confiteor*. Igitur putavit naturam humanam conversam in divinam. Confirmatur: Ibidem pag. 234. sic prosequitur: *Eutyches Presbyter dicit: nunc Domne ita me habeo. Usque ad hanc horam metuebam dicere .... Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero, unam naturam confiteor*.

Secundo: Eutyches parte 2. Concilii Chalcedonensis, act. 1. accusatur ab Eusebio Dorilæi Episcopo de hæresi præfata. Item & act. 6. & ea solum de causa adunatum est Concilium Chalcedonense, in quo quidem proscriptus est Eutyches propter hæresim præfatam, unde non apparet quo scopo excusetur Eutyches ab errore, quandoquidem dum excusatur, evacuatur & perstringitur Synodus Chalcedonensis. Enim vero Eutyches damnatus est postquam auditus fuit; in actione quidem tertia Concilii CP. sub Flaviano, cujus sententia lecta est in Chalcedonensi, actione 1. Joannes Presbyter a Synodo missus ad Eutychetem exposuit ipsius doctrinam: & act. 6. Theophilus & Mamas ad ipsum missi pro tertia vice ad illum citandum, respondit, ut retulerunt: *Absit a me dicere ex duabus naturis unum Filium*.

Tertio: Ex S. Leone, qui epistola ad Flavianum, parte prima Concilii Chalcedonensis, pag. 22. Typographiæ Regiæ, sic loquitur de Eutychete: "Verecundiam autem omnem ejus perfidia abjecit, & quam gerebat fidelitatis pellem, in nostra sancta Synodo asserebat instanter dicens: Dominum nostrum Jesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cum a nobis unius substantiæ & personæ cognoscatur; neque carnem Domini coessentialem nobis subsistere, tamquam ex nobis susceptam, & coadunatam Deo Verbo secundum subsistentiam: sed dicebat, Virginem quidem, quæ eum genuit secundum carnem, consubstantialem nobis esse, ipsum autem Dominum non suscepisse ex ea carnem consubstantialem nobis: & corpus Domini non esse quidem corpus hominis, humanum vero corpus esse quod ex Virgine; omnium Patrum expositionibus contraria sentiens."

Quarto: Rursus ex S. Leone, qui mandat in sua ad Flavianum epist. adunare Concilium generale, ut Eutychetis erroribus damnatis ipse proscribatur, nisi ad meliorem pœnitens redeat frugem: hac de causa mittit Legatos, qui suo nomine præsideant Synodo: sic enim scribit: "Ad omnem vero causam pie ac fideliter exequendam fratres nostros Julianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, & Filium meum Hilarium Diaconum vice nostra direximus. Quibus Dulcitium Notarium nostrum, cujus fides nobis est sæpe probata, sociavimus, confidentes affuturum divinitatis auxilium, ut is qui erraverit, damnata sensus sui pravitate, salvetur." Rursus Serm. 8. de Nativ. Dom. de eodem momento sic loquitur: "Hic Eutyches unionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa unione dixit effectum, ut ex duabus una emanaret." Igitur non est relictus ambigendi locus circa mentem Eutychetis. Idem repetit sanctus Leo Epist. 45. ad Pulcheriam Augustam. Gelasius de duabus in Christo naturis adversus Eutychetem. Theodoretus Lib. 4. fabularum, Baronius & alii.

Quinto: Ex ipsa Ecclesia, quæ contra hanc hæresim dicit in Antiphona Circumcisionis: (*Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ. Deus homo factus est, id quod non erat assumpsit, non commixtionem passus nec divisionem*. Per ly *commixtionem* confutat Eutychetem; per ly *divisionem* Nestorium perstringit: Ergo &c.

Dilunn-

Diluuntur objecta.

OBJICIES: Ille non potest accusari de hæresi prædicta, de quo nihil certi habetur: Atqui nihil certi habetur de errore Eutychetis: Igitur non potest accusari de errore prædicto. Probatur minor ex epistola S. Leonis ad Augustum, 1. p. Concilii Chalcedon. in qua sic loquitur: " Quid autem in Constantinopolitana Ecclesia perturbationis acciderit, quod ita fratrem & Coepiscopum nostrum Flavianum potuerit commovere, ut Eutychen Presbyterum communione privaret, nondum possumus evidenter cognoscere. " Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et B. Leo tunc certus non erat de errore Eutychetis, quia iste se simulaverat Catholicum in sua epistola ad seipsum directa, concedo: & certus postea non factus est, nego. Hoc ipsum patet ex probationibus; unde ibidem S. Leo sic habet: " Quamvis enim prædictus Presbyter ad Sedem Apostolicam per libellum doloris sui querimoniam miserit, breviter tamen aliqua prælibavit, asserens se Nicænæ Synodi constituta servantem, frustra in fidei diversitate culpatum. " Igitur se simulaverat Catholicum.

Instabis: Si quis cognovisset errorem Eutychetis, maxime Eusebius ejus accusator: Atqui neque ipse certum quid potuit dicere de Eutychete, quod saperet errorem prædictum: Ergo &c. Probatur minor: Sic habetur in eadem epistola B. Leonis: " Eusebii autem Episcopi accusatoris ejus libellus, cujus exemplaria ad nos prædictus Presbyter misit, de objectionis evidentia nihil habebat: & cum Presbytero hæreseos crimen intenderet, quem tamen in eo sensum arguerit, non evidenter expressit. " Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo: Et ille Presbyter, scilicet Eutyches, non misit ad S. Leonem libellum accusationis, qualem conscripserat Eusebius, sed detraxit quod contra ipsum erat, concedo: secus, nego. Enim vero actione 1. constanter accusatur ab Eusebio de errore prædicto, pag. 163. par. 1. Conc. Chalcedonensis, & in aliis actibus.

Urgebis: Ipse Flavianus, qui præ omnibus noverat sententiam Eutychetis, nihil certi de ipsius errore in Epist. sua ad S. Leonem, pagin. 16. prima parte ejusdem Concilii, scribit: sic enim loquitur de Eutychete: " Neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat. " Igitur non constat de errore attributo Eutycheti.

Respondeo distinguendo minorem: Non satis constabat initio de errore Eutychetis, quia secreto illum docebat, concedo: non constavit postea, nego. Nam Patres habuerunt confitentem reum, ut probavimus ex ipsius fidei professione. Præterea Flavianus ibidem sic loquitur: *Iste enim Eutyches absconditum in se languorem mala secta retinens, insiliens nostra mansuetudini, inverecunde & impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens: ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri J. C. duas naturas esse divinitatis & humanitatis, post unitatem vero, unam naturam factam.*

Insistes: Ille catholice censuit, qui accusatus, professus est se tenere fidem Nicænam, sicut & fidem Ephesinam, ac B. Cyrilli: Atqui Eutyches sic professus est: Ergo &c. Probatur minor: Primo, ex B. Leone, qui asserit Eutychetem fidem Nicænam profiteri: sic enim habet in epistola sua ad Theodosium Augustum de Eutychete: *Asserens se Nicæna Synodi constituta servantem*. Ipse vero Eutyches sic loquitur parte prima, pag. 142. in expositione fidei suæ: *Credo in unum Deum... & in unum Dominum Jesum Christum ... qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, & passus & resurrexit tertia die: .... ex non extantibus factus est, aut ex alia subsistentia, vel essentia dicentes esse, aut convertibilem aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. Sic ab initio a progenitoribus meis accipiens credidi & credo*. Nota, damnare dicentes essentiam divinam & naturam Filii Dei esse convertibilem & mutabilem: Igitur non credidit commixtionem naturarum; unde postquam dixit se recipere fidem Cyrilli & Concilii Ephesini, immo & eos damnare qui illam minuunt, addidit: *Subjiciens igitur meipsum sanctæ Synodo, & definitionem ejus semper custodivi*.

Respondeo distinguendo majorem: Si professus est sincere, & non subdole, concedo: secus, nego. Similiter distinguo minorem: Confessus est fidem Nicænam, & B. Cyrilli subdole, concedo: sincere, nego. Hoc quidem patet ex multis momentis. Primo quidem patet ex responsione sua, quæ jacet act. 7. ubi dixit usque nunc pertimuisse suam aperire sententiam: nunc confiteri post adunationem unam in Christo naturam. Secundo, non dixit Christum natum ex Maria Virgine operatione Spiritus sancti, quia laborabat hæresi Apollinaris & Marcionis, modo enim dicebat carnem Christi cælestem, modo etiam transiisse per uterum Virginis sicut per canalem. Ita refert Vigilius Tapsensis Lib. 3. in quo Eutychianos de hoc errore accusat. Tertio, ex dictis Eusebii Dorilæi Episcopi, qui sic respondet ad professionem Eutychetis, parte 2. Concilii Chalcedonensis his verbis: *Eusebius Reverendissimus Episcopus Dorylai, dixit: mentitus est: non est definitio talis, non est regula hoc præcipiens.* Postea vero alius Episcopus sic respondet: *Diogenes Reverendissimus Episcopus Cysici dixit: Dolose præposuit Synodum SS. Patrum, quæ in Nicæa facta est. Accepit namque additamenta a SS. Patribus, propter perversum intellectum Apollinaris & Valentini, & Macedonii, & qui eis similes sunt.* Et additum est in Symbolo SS. Patrum: *Qui descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Tum prosequitur accusationem Eutychetis.

Ad id vero quod dicitur, Eutychetem agnovisse inconvertibilitatem in Christo, damnans eos qui dicebant essentiam in Christo convertibilem, respondeo distinguendo: voce tenus damnavit, concedo: in sensu catholico, subdistinguo: damnavit qui dicebant essentiam divinam convertibilem, concedo: dicebat enim integram permansisse, sed naturam humanam ab ipsa fuisse absorptam, quamvis alii Eutychiani magis stupidi dixerint divinitatem in naturam humanam conversam, illo abutentes Joan. loco: *Verbum caro factum est.* Et voluit Eutyches naturas impermixtas permanere, nego. Hoc patet ex eo quod post adunationem unam diceret naturam: & certe in loco in objectione laudato loquitur solum de essentia divina; sic enim habetur: *Eos autem qui dicunt: erat quando non erat, & antequam nasceretur, non erat; & quia ex non extantibus factus est, aut ex alia subsistentia, vel essentia dicentes esse, aut convertibilem, aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.*

Repones: Eutyches interrogatus act. 7. de sua fide, admittit omnia, etiam nativitatem Christi ex BB. Virgine; sic enim habetur: *Eutyches Presbyter dixit..... Confiteor autem factam ejus in carne præsentiam ex carne sanctæ Virginis, & incorporatum eum perfecte propter nostram salutem*: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Et adhuc loquitur subdole; non enim explicite dicit unionem hypostaticam, sed tantum præsentiam Verbi in carne a Maria propagata, cui nolebat Christum esse consubstantialem, concedo: secus, nego. Nam ibidem compulsus agnoscere Christum consubstantialem Mariæ, renuit confiteri; sic enim habetur ibidem: *Nunc Christum confiteris ex duabus naturis.... Eutyches Presbyter dixit: usque ad hodiernum diem non dixi corpus Domini & Dei nostri consubstantialem, & quoniam ex ipsa incarnatus est Dominus noster.*

Persistes: Eutyches conqueritur, suæ fidei exponendo professionem, pagin. 149. quod damnatus fuisset in Concilio CP. a Flaviano contra formam juris, & sine probatione: Igitur Eutyches non propugnavit hæresim illi imputatam, maxime vero cum passim profiteatur sese subjicere fidei Patrum, & solum rejicere quæ non sunt in Scripturis. Sic enim legitur actione 7. *Eutyches Presbyter dixit: ego dico quidem ista, quoniam & vos nunc jussistis, non autem anathematizo.... duas naturas dicis & consubstantialem nobis esse? Dic, inquit Florentius Patritius Eutycheti, Eutyches Presbyter dixit: ego legi scripta B. Cyrilli & SS. Patrum, & S. Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem: post adunationem autem, non jam duas naturas sed unam naturam dixerunt.*

Respondeo I. negando Eutychetem damnatum fuisse a Flaviano sine causa; cum ex ore ipsius judicatus sit: & tenuerit fidem Patrum suo modo, & in proprium sensum detorquens eorum auctoritates. Unde ibidem Florentius Patritius instavit his verbis: *Confiteris duas naturas post adunatio-*

nationem? Dic. Si non dixeris, damnaberis. Renuit autem Eutyches confiteri. Sic enim ibidem habetur: *Synodus dixit* Florentio Patritio *non consentit. Quid illi persuades?* Deinde sequitur ejus sententia.

Sententia Eutychetis data Act. 7. his verbis: *Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Per omnia Eutyches quondam Presbyter & Archimandrita, & ex his quæ antea acta sunt, & nunc propriis ejus confessionibus, Valentini & Apollinaris perversitate repertus est ægrotare, & eorum blasphemias incommutabiliter sequi; qui nec nostram reverens persuasionem atque doctrinam, rectis voluit consentire dogmatibus. Unde lacrymantes & gementes perspectam ejus perditionem, decrevimus per Dominum nostrum Jesum Christum, ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio Sacerdotali, & a nostra communione & Primatu Monasterii; scientibus hoc omnibus qui postea colloquentur ei, & ad eum convenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœna excommunicationis, ut qui non declinaverint confabulationes ejus.*

Dices: Nulla fit mentio in illa sententia de commixtione naturarum; Igitur Eutyches non tenuit errorem qui illi propter hoc imputatur.

Respondeo I. in actibus processus sufficienter constare de errore prædicto; damnatur enim eo quod relectis noluerit consentire dogmatibus, quæ Patres tenere suadebant. Error satis exprimitur per vocabulum *perversæ doctrinæ*.

Replicabis: Eutychiani dicunt unam naturam divinitatis & humanitatis in Christo, sicut homo est unus ex corpore & anima. Ita Gelasius Lib. de duabus in Christo naturis, ubi referens hæresim Eutychianorum, dicit: *Sicut ex duabus rebus constat homo, id est, ex corpore & anima, sic potentiam in Christi mysterio, & unionem divinitatis atque humanitatis, unam dici vel posse naturam* (intellige asserunt.) Idem refert de his Facundus Hermianensis, Lib. 1. cap. ult. sed corpus & anima uniuntur sine confusione. Igitur ex Eutychianis divinitas & humanitas erant in Christo absque permixtione, nam de facto agnoscunt Verbum incarnatum fuisse, & unam dicunt in Christo carnem.

Respondeo distinguendo: Eutychiani dicunt Christum unum unitate mixti, concedo: unitate compositionis, subdistinguo: compositione confusionis, in qua una pars absorbetur ab alia, sicut gutta aquæ immixta vino generoso, absorbetur, concedo: compositione ex his, cujus partes sunt extra partes, ut corpus & anima in homine, nego. Usi sunt autem isto exemplo Eutychiani ut fucum facerent; admiserunt quidem unam carnem ante unitionem, secus vero post Incarnationem. Illam quidem prædicabant, sed facta Incarnatione & unione dixerunt naturam humanam in divinam conversam. Unde Gelasius ibidem subdit: *Aliud est quod usitato loquendi compendio sæpe de qualibet rei parte dicimus, & totum quod est sine dubio profitemur, aliud cum prorumpit humanæ temeritatis audacia, quæ sic aliquam partem nuncupare contendit, ut quod totum est, negare moliatur*. Quamobrem Facundus ibidem dicit, Eutychianos propugnasse unum tertium resultare ex unione naturæ divinæ cum humana, sicut mixtum resultat ex aqua & vino, quod quidem neque est aqua, neque vinum, sed unum tertium.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Eutyches propugnavit unionem naturæ divinæ cum humana factam esse per commixtionem.

Primo: Hoc constat ex ejus professione fidei, in qua dicit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem; post adunationem vero, unam naturam confiteor*. Sic refertur in Concilio Chalc. pag. 234. Edit. Reg.

Secundo: Sic habet libellus accusationis part. 2. act. 1. & 6. Sic apud S. Leonem Epist. ad Flavianum.

Tertio: Non aliam ob causam Eutyches proscriptus est per sententiam latam in illo Concilio, ut scribit Theodoretus Lib. 4. fab. hær.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

Primo: Nemini mirum videri debet si S. Leo videatur primum dubitare de erro-

erroribus Eutychetis, quippe qui involucris eos obtegeret: Sed, conscientia denudata, interrogationibus in Concilio ipsi factis, habuerunt Patres confitentem reum, de quo certior factus S. Leo, acta Synodi suo calculo munivit.

Secundo : Dolose quidem fidem Nicænam Eutyches prima fronte confessus est: Sed postea utramque naturam intactam post unionem remanere dicere renuit.

Tertio : Esto quod in sententia contra ipsum lata non fiat terminis expressis mentio de commixtione, fit tamen sufficienter eo ipso quo Patres in illa declarant Eutychetem laborare morbo Apolinaris, qui dicendo Christum carnem non nisi phantasticam habuisse, fuit primus hujus hæreseos architectus.

SECTIO TERTIA.

Utrum natura divina & natura humana, facta unione, integra remanserint?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatio ex Scriptura sacra.

I. Ille permansit perfectus Deus, & perfectus homo, qui uti talis natus est ex BB. Virgine: Atqui Christus sic natus est, juxta illud Isaiæ 7. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*. Tum cap. 9. 6. *Parvulus enim natus est nobis ... & vocabitur nomen ejus, magni consilii Angelus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis*. Et Luc. 35. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quæ quidem oracula explicans S. Leo Epist. Synod. ad Flavianum, quæ extat parte 2. Concil. Chalced. act. 2. subdit: *Nec frustratorie loquens, ita Verbum diceret carnem factum* (intellige Isaias & Matthæus,) *ut editus ex utero Virginis Christus haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem*.

Idem num. 3. ibidem sic prosequitur: " Salva igitur proprietate utriusque naturæ, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. "

II. *Ille* permansit perfectus Deus & perfectus homo post unionem, qui caro factus est & habitavit in nobis: Atqui Filius Dei caro factus habitavit in nobis, nam 1. Joan. 1. 1. manibus contrectabatur & oculis videbatur. Igitur erat verus homo. Unde ipse Apostolis post resurrectionem dicebat, Luc. 25. 39. *Videte manus meas & pedes meos quia ego ipse sum: palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Minor autem, in qua est difficultas, patet, juxta illud Joan. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Quæ verba explicans Augustinus Tract. 1. in epist. Joan. ait: " Quis est enim qui manibus tractet Verbum, nisi quia Verbum caro factum est & habitavit in nobis? " Quæ quidem ultima verba sic explicat B. Leo ibidem his verbis: " Nativitas carnis, manifestatio est humanæ naturæ: partus Virginis, divinæ est virtutis indicium ... Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, evidenter humanum est: Sed quinque panibus quinque millia hominum satiare & largiri Samaritanæ aquam vivam .... divinum est. " Et sic præclaris rationibus probat S. Leo Christum permansisse verum Deum & hominem post unionem factam.

III. *Ille* permansit verus homo, qui crucifixus est propter nostram salutem; passio enim convenit ratione humanitatis: Atqui Christus crucifixus est propter nostram salutem, juxta illud 1. Cor. 2. 8. *Si enim agnovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Hanc rationem & auctoritatem explanat S. Leo ibidem, num. " 5. his verbis: Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum hæc non in divinitate ipsa, qua unigenitus consempiternus, & consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. "

IV. *Ille* permansit verus Deus & homo, qui laudavit fidem in Petro: Atqui Christus laudavit Petrum, quia ipsum agnoverat hominem & Deum, juxta illud Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi .... Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis non revelavit tibi*. Quæ verba explicans ibidem S. Leo num. 5. sic loquitur: " Nec immerito Beatus est pronuntiatus a Domino ..... quia unum horum sine alio receptum non proderat ad

„ ad salutem : sed æqualis erat pericu-
„ li, Dominum Jesum Christum aut
„ Deum tantummodo sine homine, aut
„ sine Deo solum hominem credidisse. „
V. 1. *Joan.* 4. 2. habetur : *Omnis spiritus qui confitetur J. C. in carne venisse, ex Deo est : Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est & hic est Antichristus :* " Quid autem est, *inquit S. Leo ibidem*, „ solvere Jesum, nisi humanam ab eo „ separare naturam? „ Ergo etc.

Probatio ex Conciliis & Symbolis.

SYMBOLUM Apostolorum, et Nicænum dicunt Filium Dei incarnatum ex Maria Virgine : Athanasius in suo subdit Symbolo : *Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Ergo etc.

Concilium Nicænum I. hanc propugnat veritatem contra Arium. Ephesinum eamdem defendit fidem, maxime approbando epistolam B. Cyrilli ad Nestorium, pag. 164. edit. Reg. ubi hæc habentur : *Quia diversæ quidem ad unitatem veram concurrere naturæ : unus autem ex ambobus Christus Dei Filius : non tamquam naturarum differentia sit perempta propter unitatem, sed potius effecerit nobis unum Dominum J. C. divinitatis & humanitatis per ineffabilem & inintelligibilem ad unitatem concursionem.*

Chalcedonense contra hæresim Eutychetis illam veritatem ex professo defendit & explicat, I. approbando septem actiones Concili Constantinopolitani a Flaviano adunati contra Eutychetem : quæ quidem actiones lectæ sunt, & approbatæ parte 2. actione 2. & 3. II. Idem Concilium part. 2. act. 3. damnat Dioscorum qui, per sententiam latam ab omni gradu Ecclesiæ dejicitur, quia epistolam B. Leonis ad Flavianum legi prohibueret, quia Eutychetem ægrotantem impietate Apollinaris absolverat. Has rationes damnationis Dioscori reddunt Patres in epistola ad Valentinianum et Marcianum Imperatores.

Tandem Patres post damnationem Dioscori procedunt specialiter ad damnationem Eutychetis; sic enim habetur in alia epistola ad Imperatores, act. 4. pag. 537. edit. Reg. lecta enim, approbata, unanimiter laudata atque recepta epistola S. Leonis, sic procedunt : *Diogenes Reverendissimus Cysici Episcopus dixit : Synodus propter Eutychen facta est, non propter aliud aliquid. Romanus Episcopus propter ipsum scripsit : omnes consensimus epistolæ ... suggerimus anathematizare eum* (Eutychetem aperte) *qui dixit ante Incarnationem duas naturas Salvatoris nostri, & post Incarnationem unam ... Si quis præter ista, quæ a nobis in petitionibus porrecta sunt, sapit, & sive Eutyches, sive alter aliquis, anathema sit.*

Denique in definitione fidei, act. 5. sic loquuntur pag. 640. *His namque qui in duos filios dispensationis divinæ mysterium discerpere nituntur, repugnat, & illos qui passibilem deitatem Unigeniti ausi sunt dicere, a sacro cœtu expellit, & his qui in duabus Christi naturis temperamentum aut confusionem opinantur, resistit : & eos qui cœlestem, aut alterius alicujus esse substantiæ, quam ex nobis assumpsit servi formam, delirantes dicunt, abigit ; & qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt, condemnat.* Infra : *Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus ... in duabus naturis inconfuse, inseparabiliter agnoscendum : nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & unam personam atque subsistentiam concurrentem non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium & unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit :* Ergo &c.

Probatio dogmatis ex Traditione.

Ex primo Sæculo, sanctus Ignatius Epist. ad Ephesios duplicem in Christo naturam his verbis sic distinguit : " Unus
„ Medicus est, carnalis & spiritualis,
„ factus & non factus : in homine Deus;
„ in morte vita æterna; ex Maria & ex
„ Deo : primum passibilis, & tunc im-
„ passibilis Dominus noster Jesus Chri-
„ stus. „ Rursus Epist. ad Trallianos: " Ve-
„ re genitus est ex Deo & Virgine, non tamen

„ tamen eodem modo; nec enim idem „ sunt Deus & homo, vere corpus assumpsit, quippe Verbum caro factum „ est. „

Ex secundo Sæculo, Justinus Martyr Apologia 2. eamdem docet veritatem, dicendo: *Jesum Christum Verbum formatum & hominem factum*. Irenæus eamdem profitetur fidem Lib. 3. cap. 18. in isto pag. 286. sic habet contra eos qui dicebant Christum purum hominem, nam & eos refellit, dicens: " Fraudantes hominem „ ab ea ascensione quæ est ad Dominum, & ingrati existentes Verbo Dei, „ quod incarnatum est propter ipsos. „ Propter hoc enim Verbum Dei homo; „ & qui Filius Dei est, filius hominis „ factus est, commixtus Verbo Dei, „ ut adoptionem percipiens fiat Filius „ Dei. „ Et Lib. 5. cap. 14. pag. 155. " Si enim, *inquit*, non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro „ factum esset. „

Ex tertio Sæculo, Origenes Hom. 6. in diversa sic loquitur de Christo: " Ipse „ corpore dormiebat, deitate vero concitabat & conturbabat mare, & iterum complacabat. „ Homil. 1. in Ezechielem docet utique Christum perfectum Deum, & perfectum hominem esse, & permansisse.

Clemens Alex. in primo Pedag. cap. idem docet; & cap. 3. " Dicit cælestem illum „ Pedagogum, *Christum*, prodesse mortalibus tamquam hominem, & tamquam „ Deum: quippe peccata indulgentem, „ qua Deus est: ut autem est homo, „ Pedagogi more ad non peccandum instituentem. „

Ex quarto Sæculo, Hilarius Lib. 9. de fide, explicans illa Christi verba Matth. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, dicit: " Hæc, Verbum caro „ factum loquebatur, & homo Jesus „ Christus, Dominus Majestatis docebat; „ Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, & in ipso illo inter „ Deum & homines Mediatoris Sacramento utrumque unus existens, dum „ ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est, ita tamen „ ut neutro careret in utroque; ne forte Deus esse, homo nascendo, desineret; et homo rursus, Deus manendo, „ non esset. „ Idem docent Arnobius Lib. 1. et Lactantius Libro de duplici Christi generatione, cap. 4. Epiphanius, Hæresi 77. " Cum enim ita loquitur „ *Joannes*, Verbum caro factum est, non „ sic accipi debet tamquam Verbum in „ carnem conversum fuerit, et ipsum carо fuerit, vel in carnem mutata sit „ divinitas. Verum cum divinitate propriam sibi humanitatem assumpsit. „ Idem fuse explicat Basilius, Homil de humana Christi generatione, & tractatu de vera fide in Jesum Christum. Gregorius Naz. Epist. 1. ad Clidonium. Succinit Chrysostomus in Psal. 44. his verbis: " Neque enim, *ait*, carnem ab divinitate separat, neque divinitatem a carne, „ non quod substantias confundat (absit) „ sed ut unitionem ostendat. „

Ex quinto Sæculo, Ambrosius, Lib. 2. de fide ad Gratianum Imperatorem, cap. 4. confirmat eamdem doctrinam, his verbis: " Idem Deus, idem homo; per divinitatem Deus, per susceptionem carnis „ homo Jesus Christus; Dominus Majestatis dicitur crucifixus. „ Si crucifixus, igitur verus homo. Eamdem fidem docuit ante ipsum Tertul. Lib. adversus Praxeam, cap. 27. Cyprianus Lib. de idolorum vanitate.

Augustinus, Tractatu 78. pag. 180. col. 2. in Joan. sic defendit hanc fidem contra Hæreticos, his verbis: " Quid igitur „ Hæretice? Cum Christus Deus sit & „ homo, loquitur ut homo; & calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam. „ Huic accedit Hieronymus adversus Pelagianos, Paulinus, Epist. 4. & alii Patres tum Græci tum Latini, ut videre est apud Petavium, Lib. 3. de Incarnatione, cap. 7. Ergo &c.

Ex sexto Sæculo, Fulgentius Lib. de Incarnat. cap. 10. ait: " Verbum dignatum est caro fieri, ut caro posset Verbi, hoc est Dei nomine nuncupari. „ S. Joannes Damascenus qui septimo florebat sæculo eamdem amplectitur interpretationem lib. 3. cap. 11. & alii.

Probatio, ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic procedit: Ex Patribus facta

facta est unio Verbi cum humanitate, & Christus est verus Deus & verus homo: Atqui nec vera esset unio, nec verum foret dicere Christum esse Deum & hominem, si naturæ essent permixtæ: Ergo &c. Minor patet; quoad primum quidem, quia, ut dicit Cyrillus in commonitorio ad Eulogium, ubicumque nominatur unitio, non unius tantum rei conjunctio significatur, sed vel duarum, vel plurimum, & natura inter se differentium. Quoad secundum vero, nam Christus neque Deus, neque homo esset, sed resultaret unum tertium, sicut ex aqua & vino resultat mixtum.

Secunda: Multa contraria de Christo prædicantur, nempe quod sit æternus & in tempore: Filius Dei & Filius hominis: Sed hæc non possunt in uno eodemque adunari, nisi sint duæ naturæ, alia scilicet divina, & alia humana. Ergo &c.

Tertia: Ex duobus integris & completis, non potest fieri unum totum, quia naturæ sunt incommunicabiles ut naturæ: Igitur natura divina & humana non potuerunt commisceri in Christo, alias solveretur Christus. Ista ratio est divi Thomæ 4. contra Gentes cap. 35. his verbis, num. 4. " Cum igitur natura humana sit „ quædam natura completa, & similiter „ natura divina, impossibile est quod con„ currant in unam naturam, nisi utraque „ vel alia corrumpatur, quod esse non „ potest, cum ex supra dictis pateat „ unum Christum & verum Deum, & „ verum hominem esse. Impossibile est „ igitur in Christo, unam esse tantum „ naturam. „ Ibidem num. 7. dicit Christum non fore similem nobis, si caro conversa fuisset in divinitatem.

Quarta: Ex D. Thoma hic quæst. 4. art. 1. depromitur. Unum ex duobus potest solum fieri tripliciter. I. Ex naturis integris remanentibus per modum confusionis. II. Ex duobus transmutatis, ut mixtum ex elementis. III. Ex duobus imperfectis: Sed unio naturæ divinæ cum humana nequit fieri modis allatis: Igitur unio non est facta in natura per commixtionem, sed in persona, utraque natura permanente. Probatur minor, quoad singulas partes. Non potest fieri primo modo; quando enim multæ naturæ integræ uniuntur, tunc unio est solum accidentalis, ut in acervo lapidum: nam ex his non fit unum per se, sed per accidens; quandoquidem unionis principium est ordo vel figura: Christus autem est ens per se, & unitus substantialiter divinitati. Neque fieri potest secundo modo; alias natura humana, vel divina substantialiter corrumperetur, sicut in mixto, elementum prævalens aliud absordet. Et sic Christus esset vel homo solum, si divinitas converteretur in carnem: vel Deus solum, si humanitas converteretur in divinitatem. Neque tertio modo: divinitas enim non potest habere rationem partis, tum quia est immutabilis, tum quia est ens completum. Ergo &c.

Quinta: Essentiæ sunt immutabiles, ita ut Leo non possit fieri & evadere homo: Sed Christus essentialiter ex duobus constat naturis, altera scilicet divina, altera vero humana: Igitur naturæ in Christo commiscere non valent, alias jam non esset Christus, & tamen ex Scriptura Christus manet in æternum, & sedens in dextera Patris interpellat pro nobis.

Solvuntur Eutychianorum objectiones, ex Scriptura prodeuntes.

INTER Eutychianos, quidam volebant divinitatem esse conversam in carnem, quidam e contra humanitatem fuisse transmutatam in divinitatem, omnes post unitionem factam esse utriusque commixtionem.

Objiciunt priores: Quod sit aliud quod non erat, illud per conversionem unius in aliud fieri contingit, sicut in Cana Galilææ potentia Christi, aqua facta est vinum, ut legitur Joan. 2. 9. *Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factum*. Sed ibidem Joan. 1. 14. legitur: *Verbum caro factum est*. Igitur conversum est in carnem.

Respondeo distinguendo majorem: Quod fit aliud quod non erat, id fit aliquando per conversionem unius in aliud, concedo: sic aqua facta est vinum in Cana Galilææ. Sic & quotidie panis in Missa fit corpus Christi: fit aliud semper vi conversionis, nego. Unde concessa minore nego consequentiam, & utramque paritatem.

tatem. Ratio discriminis est, quod nec aqua remansit quod erat, in Cana, nec utique facta consecratione remanet panis, ut fides docet. At vero Verbum caro factum est manendo quod erat, non commixtionem, aut divisionem passum. Sic propugnat Ecclesia in Antiphona ad Benedict. Festi Circumcisionis Domini. *Mirabile Mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ, Deus homo factus est, id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem.*

Quid plura adjiciam? Ne homines putarent Verbum carnem factum fuisse per conversionem in ipsam carnem, addidit S. Joan. *Et habitavit in nobis*. Quæ quidem sententia distinctionem ponit inter Deum & hominem, inter spiritum & carnem; qui enim cum alio habitat, certe non est idem cum illo. Ita Athanasius Epist. ad Epictetum, & alii Patres in probationibus laudati. Præterea vox *factus* non sumitur in Scriptura sacra semper pro conversione unius in alterum, sed pro assumptione alicujus ad aliquem novum dignitatis gradum: sic Aaron dicitur factus Pontifex in Epist. ad Hebr. ex Pontificatus assumptione, & ad Gal. 3. 13. legitur: *Christus ... factus est pro nobis maledictum*. Quod dubio-procul non in eo sensu intelligitur, quod vel ipse foret maledictum, & peccator, sed in eo solum, quod fidejussor pro nobis factus, utique pro nobis divinæ fecerit satis justitiæ.

Instant: Atqui Verbum caro factum est per sui conversionem in humanitatem. Ergo &c. Probatur subsumptum. Conversio vera ea censetur, quæ fit per destructionem unius ut abeat in aliud; Sed Verbum ita caro factum est, juxta illud Philipp. 2. 7. *Exinanivit semetipsum*. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem nego minorem. Ad ulteriorem, distinguo: Filius Dei seipsum exinanivit, hoc est, se humiliavit, concedo: hoc est cessavit esse quod erat, nego. Solutio est ipsius Apostoli, qui ibidem hæc subdit: *Formam servi accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Porro qui formam servi & humanæ naturæ realitatem suscepit, non cessavit esse quod erat, alias neutrum habuisset & portasset.

Replicant: In iisdem Scripturis Verbum caro factum dicitur verus homo. Igitur cessavit esse quod erat.

Respondeo distinguendo antecedens: Dicitur verus homo assumptione humanitatis in Deum, inquit, Athanasius in suo Symbolo, concedo: conversione divinitatis in carnem, nego.

Diluuntur objecta, ex auctoritate Patrum excerpta.

OPPONUNT alii Eutychiani: Patres celebrant Incarnationem nomine permixtionis, ut Irenæus Lib. 2. cap. 21. Tertullianus Apolog. cap. 21. Augustinus Epist. ad Volusianum. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Patres naturarum in Christo unionem celebrant nomine permixtionis generaliter sumptæ, concedo: pro ut commixtio stricte sumitur, sicut cum unus liquor in alterum infunditur, nego. Commixtio igitur in duplici sumitur sensu: Primo quidem late, quatenus unionem non mere extrinsecam, sed intrinsecam importat: deinde vero proprie, cum unum ita alio conjungitur & commiscetur, ut ex unione duorum resultet tertium, quod quidem non est unum aut alterum conjunctorum, sed penitus diversum: sicut ex vino & aqua mixta exurgit unum tertium, quod sane neque est vinum, neque aqua, sed unum tertium, quod vocatur simpliciter mixtum. Patres in primo solum loquuntur sensu, unde Augustinus, ibidem subdit: " Sicut unitate personæ anima uni-„ tur corpori ut homo sit; ita in unita-„ te personæ Deus unitur homini ut „ Christus sit. „ Porro anima ex Augustino non confunditur corpori, a fortiori nec divinitas cum humanitate; quocirca Theodoretus Lib. 1. contra Eutychianos unionem naturæ Divinæ cum humana in Incarnatione nomine commixtionis celebrare abnegat.

Instant: Atqui ex Patribus unio naturarum facta est commixtione. Ergo &c. Probatur subsumptum. S. Gregorius Nyssen. Lib. 4. contra Eunomium, & Lib. 1. contra Apollinarem eam comparat guttæ aceti in mare projecti; Sed dubio-

pro-

procul unio aceti cum aquis marinis fit per commixtionem, & quidem tantam, ut nihil aceti superfit. Igitur & idem proportionaliter de unione naturarum in Christo dicendum est.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Gregorius comparat unionem hypostaticam cum aceto mari permixto quantum ad aliquid, videlicet quantum ad defectus peccati qui in homine assumpto non fuerunt, concedo: quantum ad omnia, & ipsam unionem, nego. Hoc unum intendit Gregorius, videlicet concupiscentiam, & similes naturæ lapsæ defectus aceto præfiguratos, fuisse a persona Divina absorptos, hoc est, a natura assumpta propulsos. Hunc prodit sensum SS. ille Pontifex Lib. 4. contra Eunomium pag. 106. vet. edit. ubi ait: " Verbum quod in carne apparuit, idem esse cum eo quod apud Deum est: carnem vero non eamdem esse cum ipso. " Ecce ex S. Doctore naturarum distinctio. Rursus pag. 162. Exinanitur, *inquit*, Divinitas, ut ab humana natura capi possit: renovatur quod humanum est. " Ecce humanitatis sanctificatio, qua homo est ab omni defectus labe purus.

Urgent: Ista propositio: *Unus de Trinitate passus & crucifixus est*; approbata fuit a Concilio Chalcedonensi, ut refert Facundus Hermian. Lib. 1. de duabus Christi naturis cap. 3. Sed hoc non potest esse nisi natura Divina conversa fuerit in humanam, vel e converso. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Approbata fuit in sensu opposito Nestorii, concedo: in sensu Eutychiano, nego. Propositio laudata, quandoque approbata, quandoque etiam juxta temporum diversitatem ab Ecclesia reprobata fuit: approbata quidem primum a Concilio Chalcedonensi, & postea a Joan. II. in sensu Catholico, quatenus per illam unica in Christo persona declaratur, quo sensu illam rejiciebant Nestoriani, maxime Acœmetæ Monachi Orientales; reprobata vero a Felice III. SS. Pontifice in sensu Eutychianorum, quo illam exponebat Petrus Fullo, qui ex Fullonis arte Monachus, tandem Patriarcha Antiochenus inauguratus est.

Replicant: Natura Divina & persona Verbi, una & eadem sunt entitas propter unionem. Igitur & Verbum cum humanitate vi unionis hypostaticæ; adeoque unio est per commixtionem unius naturæ cum altera.

Respondeo distinguendo antecedens: Natura & persona in divinis, sunt quid unum unitate identitatis, concedo: unitate tantum personæ, nego antecedens & paritatem. Ratio discriminis est, quod in Christo naturæ adunantur solum in persona, nusquam vero in substantia, seu natura, sicut contingit in Deo, in quo & natura, & personæ unicam constituunt rem, ut de fide definitum est in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*.

Proponuntur difficultates, ex auctoritate Beati Cyrilli prodeuntes, simul & solvuntur.

OPPONUNT rursus Eutychiani: S. Cyrillus Epist. ad Monach. Ægypti, unionem Verbi cum humanitate nomine commixtionis explicat. Ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: Unionem explicat nomine commixtionis in sensu opposito Nestorii, quatenus commixtio, unionem intimam, & non mere extrinsecam ac moralem subindigitat, concedo: ut naturarum importat confusionem, nego. S. Doctor est sui ipsius interpres Epist. I. ad Successum, ubi disertis verbis asserit nomine commixtionis se non intelligere naturarum in Christo confusionem, verum potius earum inter se unionem personalem & substantialem. Rursus Lib. I. adversus Nestorium cap. 3. mentem SS. Patrum, qui mixtionis vocabulo usi sunt ad explicandam unionem hypostaticam, his verbis sic interpretatur: " Mixtionis nomen posuerunt nonnulli etiam sancti Patres, sed quæ metuere te dicis, ne qua confusio contigisse existimetur, ad instar liquidorum, quæ inter se commiscentur; libero te hoc metu: non sic illi censuerunt, sed ea voce sunt abusi cum summam unionem rerum inter se convenientissimam ostendere studuerunt. "

Contra: Atqui Cyrillus intellexit unionem, per modum commixtionis. Ergo &c. Probatur subsumptum. Qui propugnat

gnat unionem naturalem & essentialem inter humanitatem & divinitatem, dubio-procul propugnavit unionem per modum commixtionis: Atqui S. Cyrillus anathematismo 3. asserit substantias in Christo connecti secundum unionem naturalem. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Et nomine unionis naturalis cogitat S. Cyrillus unionem personalem et substantialem, concedo: unionem naturarum per modum commixtionis, nego. Eo loci perstringit Nestorianos; hinc non loquitur, nisi de unione hypostatica, quam eatenus substantialem vocat, quatenus est substantialis personaliter, & non mere accidentalis, seu moralis. Sic explicat Cyrillum Theodorus Presbyter Lib. de Incarn. his verbis: " Cum dicit essentialiter unitas „ naturas, significat non esse intelligen- „ dam unionem duarum naturarum se- „ cundum benevolum affectum. „

Instant: S. Cyrillus in iisdem anathematismis asserit, ea quæ dicuntur de una natura, indiscriminatim dici de altera: Sed ista idiomatum communicatio, seclusa naturarum commixtione, intelligi non potest. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Si non fit eadem in duabus naturis persona, concedo: sin minus, nego. Cum igitur actiones sint suppositorum, & unica sit in Christo persona, quid mirum si divina tribuantur illi personæ ut subsistit in natura divina, vicissim vero humana ut subsistit in natura hominis? Ita D. Thomas hic quæst. 11. art. 2. S. Cyrillus Lib. de Incarnatione cap. 7. unionem hypostaticam, non absimili modo ac Athanasius in suo Symbolo explicat, videlicet per unionem corporis cum anima, quæ tametsi conjuncta in homine, distincta tamen remanent, & ex eis unum coalescit compositum. " Nam sicut, „ *inquit*, corpus alterius est naturæ præ- „ ter animam, unus tamen ex utroque „ homo efficitur & vocatur; ita etiam „ ex perfecta Dei Verbi subsistentia & „ humanitate perfecta, unus est Christus. „

Urgent: Qui profitetur mere & simpliciter unam in Christo naturam, citra dubium naturarum admittit commixtionem: Atqui S. Cyrillus sic habet: & probatur. Epistola prima ad Succesum sic loquitur: " Post unitionem non divi- „ dimus naturas a se mutuo, neque in „ duos secamus filios unum, qui unus „ est & individuus: Sed unum dicimus „ filium, et quemadmodum locuti sunt „ Patres, unam naturam Dei Verbi in- „ carnatam. Ergo etc.

Respondeo distinguendo minorem: Unam agnoscit naturam, hoc est personam, concedo: Unam naturam secundum se subdistinguo; unam in concreto, seu incarnatam, concedo: unam in abstracto; nego. Non semel sicut a Patribus, sic a Cyrillo nomine naturæ intelligitur persona: et dato quod eo loci sanctus Doctor intelligat naturam secundum se, dubio-procul nomine naturæ totum intelligit compositum ex unione naturæ divinæ mediante persona cum humanitate coalescens, quo sensu dicitur unus Christus, sicut Petrus v. g. ex unione animæ cum corpore et vocatur homo, et de facto est. Sic exponunt mentem S. Cyrilli Petrus Diaconus Lib. de Incarnat. cap. 2. Maximus Martyr in Opusculo. Quid plura? Ipse Cyrillus respondet ad objectionem E. pist. 2. ad Succesum, his verbis: " Si „ enim cum unam diximus naturam, non „ statim adjunxissemus incarnatam, forte „ probabilitate non careret eorum sermo; „ sed quoniam humanitatis perfectio et „ substantiæ nostræ manifestatio illata est, „ per id quod dictum est, incarnati, desinant „ confidere super baculum arundineum. „

Contra: S. Cyrillus Epist. ad Acacium Melitensem, expresse dicit unicam esse in Christo naturam: " Post unitionem ve- „ ro, *inquit*, tamquam sublata jam in „ duo partitione, unam esse credimus „ filii naturam, verum inhumanati, & „ incarnati. „ Sed non aliter locutus est Eutyches. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Unam dicit naturam in concreto, concedo: in abstracto, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Ibi loquitur contra Nestorianos, qui Christum dividebant non solum divisione distinctionis, sed & separationis, quatenus duo supposita, adeoque et tot composita in Christo admittebant: Cyrillus e contra duas quidem admittit naturas realiter inter se distinctas, sed in unico adunatas supposito, adeoque non separatas, juxta illud Patrum

Ada-

Adagium: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit.* Quod autem Sanctus Doctor solam excludat separationem, liquet ex verbis prioris epistolæ ad Successum: *Post unitionem, non dividimus naturas a se mutuo,* &c.

Replicant: Atqui Cyrillus etiam distinctionem realem inter naturas explodit ut Eutyches. Ergo &c. Probatur subsumptum: Nonnisi mente distinguit in Christo naturas; sic enim loquitur in eadem ad Acatium Epist. " Dum ea, ex quibus unus " est solus filius ac Dominus Jesus Christus cogitatione intelligentiaque concipimus, naturas duas unitas esse dicimus, post unitionem vero, &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Dicit naturas sola mente distinctas, ut separationem excludat, concedo: ut realem distinctionem evacuet, nego. Nec mirum: Cum duo inseparabiliter conjunguntur, nonnisi mente mutuam inter se distinctionem concipimus: sic ex eo quod anima cum corpore constituat unum hominem, veluti sola cogitatione, utrumque a se invicem distinguimus. Quod autem sensus Cyrilli a sensu Eutychetis omnino sit alienus, & commixtionem excludat, utitur laudato hominis exemplo, ut probet Nestorianis naturas in Christo non esse separatas, sicut sunt duo homines, sed solum a se invicem distinctas, unitas vero intrinsece in supposito; sic loquitur Epist. 2. ad Successum: " Sit rursus nobis in exemplum homo noster similis: duas namque in eo naturas intelligimus, unam animæ, alteram corporis. Sed cum sola discreverimus intelligentia, & differentiam subtili contemplatione seu mentis imaginatione conceperimus, non tamen seorsim ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem immittimus, sed unius hominis esse intelligimus; ita ut illæ duæ, jam non sunt duo; sed utraque natura unum vocatur, scilicet Christus.

SYNOPSIS PROBATIONUM

Unio utriusque naturæ non facta est per commixtionem.

PRIMO: Quia ubique Christus in sacris Scripturis Deus simul & homo declaratur, & ut ait Athanasius in suo Symbolo de Christo: *Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.*

Secundo: Sic declarant universim Patres: sic habetur in definitione fidei Conc. Chalcedon. pag. 640. edit. Reg. immo & sic decantat Ecclesia in Festo Circumcisionis Domini.

Tertio: Ratio suffragatur; disparata quippe de Christo prædicantur, videlicet quod sit passibilis & impassibilis, æternus & in tempore factus, quæ quidem & similia non nisi ratione duplicis naturæ, divinæ scilicet & humanæ dici non possunt: Igitur utraque natura incommixta permansit in illo.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Verbum quidem caro factum est, sed modo prorsus diverso ab aqua, quæ conversa est in vinum in Cana Galilææ, quia remansit quod erat, nec aliter caro factum est, quam humanitatem ad suam trahendo subsistentiam.

Secundo: Non negamus Patres quandoque nomine commixtionis unionem hypostaticam Verbi cum humanitate explicare; sed commixtionem in lato sensu, & pro ut dicit unitionem intrinsecam usurpant.

Tertio: Ultro etiam fatemur S. Cyrillum, nonnumquam dicere unicam esse in Christo naturam, sed nomine naturæ intelligere personam, constat ex scopo, & ex dictis, quippe qui ibi perstringat Nestorianos, qui duas in Christo hypostases admittebant.

ARTICULUS TERTIUS.

De Monothelismo.

MONOTHELISMUS error est hæreticorum unicam in Christo admittentium voluntatem; a duabus vocibus græcis dicitur, scilicet μόνος id est *solus*, & τέλημα, id est *voluntas* eo quod unicam fautores illius in Christo prædicarent

carent voluntatem, et idcirco Monothelitæ appellati sunt. Hæresis Eutychianismi residuum est. Qui enim unicam in Christo voluntatem dicit, unicam consequenter dicit naturam: Sed sæculo septimo fortuito in angulo Armeniæ succensus ignis, postea in apertum incendium erupit: ad quorum intelligentiam quatuor discutienda sunt. I. Historia referenda est. II. Referendi sunt errores. III. Etiam fautores. IV. Denique stabiliendum est dogma de duabus in Christo voluntatibus; unde sit

SECTIO PRIMA.

Historia critica Monothelismi.

Ortus.

MONOTHELISMUS ortum habuit ex duplici congressu, quem *Heraclius* Imperator subiit cum hæreticis; primo in Armenia ann. Christi 622. sui vero Imperii 13. cum *Paulo Severiano* erroribus Eutychetis obstetricato: altero cum *Athanasio* Jacobitarum Catholico ann. sui regni 20. Christi vero 629.

Inter disputandum Paulus se devictum esse simulans, consensit subscribere Concilio Chalcedonensi, et Eutychianorum, seu Monophysitarum damnationi, sed per modum scrupuli petiit, num dicendum foret unicam esse in Christo operationem & voluntatem? Imperator attonitus de quæstione proposita, Cyrum Phazidis Episcopum, & Ladicæ Provinciæ Asiæ Metropolitanum consuluit, ut quid respondendum esset, diceret; iste vero ad Sergium Patriarcham CP. de hoc momento scripsit, qui respondens asseruit unicam esse in Christo operationem, quod defloratis quibusdam Patrum testimoniis probabat. Cyrus legens epistolam bona fide potavit venenum, & sua vicissim responsione potandum præbuit Heraclio, propter quod multa mala in vindictam, & super Imperium, & super ipsum Imperatorem contigere. Hic autem statim epistolam per modum edicti ad Arcadium Cypri insulæ Archiepiscopum misit, qua præcipit, ut in posterum una dicatur in Christo operatio: anno sequenti mortuo Georgio Alexandriæ Patriarcha, Cyrus ipsi successit gratia Imperatoris, qui illum multi faciebat.

Iste Præsul sciens in Ægypto & Lybia multos esse Eutychianos, adjuvante Sophronio tunc Monacho, voluit zelo apparenter bono, illos ad gremium Ecclesiæ adducere, propter quod Concilium Alexandriæ anno 631. adunavit, in quo quidem novem constituit capitula, quæ referuntur Act. 13. sextæ Synodi generalis; sed in septimo velut in cauda latebat venenum; ibi enim statuit unicam in Christo operationem, his verbis: *Eumdem unum Christum & Filium operari dicimus Deo decibilia & humana, una Dei virili operatione secundum S. Dionysium*. Porro ille hæreticus defloraverat S. Dionysii textum, & pro nova *Dei operatione* substituit *unam*, quam fraudem secuti sunt alii Monothelitæ.

Sophronius pro septimo capitulo ingemiscens, rogavit Cyrum in particulari, ut illud rescinderet: sed noluit, qua de causa abiit prius *ille* Monachus Constantinopolim, ut Sergium, quem credebat Catholicum alloqueretur; omnia huic Patriarchæ retulit quæ fecerat Cyrus, tum variis Scripturæ & Patrum testimoniis probavit illi duplicem Christi operationem. Sergius simulans fidem suam, Sophronii eruditionem pertimescens, rescripsit Cyro, ut pacis causa nec una, nec duplex diceretur in Christo voluntas. Sophronius sopitam credens hæresim, cum e contra cancer serpere inciperet, ad propria rediit.

Progressus.

JEROSOLYMA viduata Pastore Sophronius electus est Patriarcha, qui statim pro more scripsit Synodicam epistolam ad Sergium Patriarcham CP. in qua post fidei suæ professionem, iteratis probat validissimis argumentis duas esse in Christo operationes, tum Jerosolymæ congregavit Synodum, in qua damnavit impiam Cyri definitionem, litterasque misit per Stephanum Dorensem Episcopum ad Honorium Papam, quibus certum illum faciebat de omnibus. Sergius etiam scripsit ad summum Pontificem, & epistola sua refert disputationem, quam cum Sophronio de Incarnatione Dominica habuerat:

buerat: additque fidem non offendi, sed litem esse de vocibus unius vel duplicis operationis, a quibus ad pacem componendam Honorius permisit, salvo dogmate, abstinere: Sed Sergius tunc triumphans suasit Heraclio, ut nomine suo publicaret Ecthesim, id est, expositionem fidei per modum edicti, in quo prohiberet ne quis in posterum unam aut duplicem in Christo profiteretur operationem: Extat Ecthesis Secretario tertio Concilii Lateranensis sub Martino I. & promulgata est anno circiter 639. Eodem tempore Sergius illam confirmavit in Synodo, quam convocavit Constantinopoli.

Sergio mortuo successit Pyrrhus, & Sedi & hæresi: defuncto etiam Honorio, Severinus SS. Pontifex creatus est, sed in brevi e vivis quoque erepto, successorem habuit Joannem IV. qui adunato statim Romæ Concilio, Ecthesim damnavit. Imperator de hoc monitus se excusatum habendum esse voluit, dicendo non a se, sed a Sergio fabricatam fuisse Ecthesim, sed paulo post veneno obiit anno 641. Pyrrhus, adversante fortuna, exulare cogitur, & venit in Africam, ubi magnum habuit cum sancto Maximo Abbate de Monothelismo congressum, in quo victus, confugit ad Sedem Apostolicam, cui obtulit libellum, in quo omnia prædecessorum facta contra fidem retractavit.

Constans successor Heraclii in locum Pyrrhi Paulum in Sede Patriarchali sedere fecit, ille vero omnibus audacior scripsit ad Theodorum Stephani successorem, ut confirmaret Ecthesim, sed a Sede Patriarchali in pœnam temeritatis lata sententia citra moram deturbatus est. Verum ut legitur in Concilio Lateranensi Secretario II. ex subreptione & importuna suasione factum est ut Imperator *Typum* promulgaverit anno 648. qui est etiam expositio fidei per modum edicti, in quo prohibet ne una aut duplex voluntas, seu operatio in Christo dicatur. Anno sequenti congregatum est Romæ Concilium Lateranense, ubi sermo habetur Secretario IV. de hoc Typo. Hujus rei gratia Theodorus Papa depositionis sententiam in Paulum pronuntiavit, & anathematizavit.

Post obitum istius Pauli, prospera flante fortuna, Pyrrhus Romam reversus sedem suam recuperavit, sed ingratus, suadentes Exarcho Ravennæ, hæresim iterum propugnavit. Theodorus de hoc certior factus, convocata Synodo ad sepulchrum Principis Apostolorum rursus illum anathematizavit, & calamo tincto in sanguine pretioso Christi, ejus subscripsit condemnationi, quem & Sede Patriarchali spoliavit. At Petrus quidam successit Sedi & hæresi Pyrrhi. Macarius vero Patriarcha Antiochenus sectæ caput factus est, usque ad sextam Synodum generalem, cujus gladio hæresis monstrum jugulatum legitur.

INTERITUS.

MARTINUS I. Theodoro successit anno 649. qui rogatus a Constante Imperatore, ut *Typum* suum approbaret, convocavit Concilium 105. Episcoporum Romæ in Basilica Lateranensi, in quo & *Typum*, & Ecthesim, & Monothelismi fautores, Cyrum scilicet, Theodorum Phalaritanum Episcopum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum damnavit. Heraclii tamen & Constantis Imperialibus personis pepercit. Constans nihilominus indigne ferens, quod *Typum* suum damnasset, mandavit suo Exarcho, ut caute S. Martinum apprehenderet, qui quidem captus & Constantinopolim perductus, ad Chersonesum postea relegatus fuit, ubi miseriis confectus, anno 655. Martyr occubuit.

Constans anno 668. etiam obiit, cui successit Constantinus Pogonatus, id est, Barbatus, ejus filius, qui pace Imperii firmata, eam quoque Ecclesiæ reddere voluit, unde Theodorum Patriarcham CP. Petri successorem hortatus est, ut Vitalianum pro tunc Papam in sacris Diptychis rescriberet, & pro more successorum suorum Epistolam Synodicam, suæ fidei confessionem continentem ad eumdem mitteret; sed noluit, & Macario Antiocheno Patriarchæ consociatus, Monothelismum acrius propugnavit; quocirca Imperator sextum Concilium generale convocari fategit. Hanc ob causam duas scripsit epistolas, alteram ad Donum summum Pontificem, qua illum deprecabatur ut Episcopos & Legatos cum literis ad Concilium mittere dignaretur:

alteram vero ad Theodorum nobilem Patritium & Italiæ Exarchum, qua illi præcipit, ut naves & omnia necessaria Episcopis Latinis ad Concilium generale profecturis suppeditaret. Mortuo Dono, Agatho Imperatoris accepit epistolam, qui Concilio statim Romæ ex omni ferme Occidente adunato, Monothelismum, & fautores proscripsit, & ex eodem Concilio deputatos Episcopos cum Legatis misit Constantinopolim cum duplici epistola, una ad Imperatorem, in qua illum obnixe deprecatur ut fidem catholicam totis viribus protegat; altera ad eumdem in qua fuse confutat Monothelismum.

Advenere Episcopi Latini Constantinopolim ann. 680. quo tempore Imperator epistolam misit ad Georgium Patriarcham Theodori successorem, qua illi præcipit, ut Macharium, ceterosque Orientis Præsules citius ad Concilium venire curet, qui omnes paruerunt. Anno igitur 680. in Palatio Imperatoris, quod vocatur Trullus, ipso Constante præsente, die 7. Novembris incepit Synodus, quæ post 18. actiones terminata est 16. Septembris anni 681. Est sexta œcumenica, & tertia Constantinopolitana. In ea approbatæ sunt Synodi tum a Sophronio, tum a Severino Papa, Joanne IV. Theodoro & Martino prius congregatæ. Ibi Monothelismus cum fautoribus iterum atque iterum & damnatus, & anathematizatus fuit. Absoluta Synodo, Imperator edictum dedit & promulgari voluit, quo omnibus Imperii sui subditis, Clericis quidem sub pœna executionis censurarum a Concilio contumacibus inflictarum, Laicis vero sub pœna exilii, tenere fidem & definitiones Synodi indixit. Patres Concilii scripserunt ad Agathonem enixe postulantes ut suum Synodo adderet calculum, quia vero, advenientibus Romam litteris, jam ultimum in Domino clauserat diem, Leo II. ejus successor acta Concilii confirmavit.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Monothelitæ propugnaverint errores, qui illis imputantur?

VASQUEZ in 3. p. divi Thomæ disput. 73. cap. 1. propugnat Monothelitas non negasse duplicem in Christo voluntatem & operationem, sed in eo solum errasse quod affectum divinæ tantum naturæ per exclusionem affectus rationalis & humani appetitus admitterent. Ex quo concludit unicam in Christo admisisse operationem theandricam: Relata enim ceterorum Theologorum sententia in primis divi Thomæ, qui omnes propugnant Monothelitas, unicam in Christo admisisse & voluntatem & operationem, & in hoc sitam fuisse eorum hæresim, statim subjungit: " Verum si attente legantur acta „ VI. Synodi, manifeste apparebit, alium „ longe diversum fuisse errorem horum „ Hæreticorum .... Existimo igitur hos „ Hæreticos per operationem intellexisse „ solum affectum voluntatis efficacem, „ a quo tamquam a primo motore pen„ dent membrorum motus, & actiones; „ per voluntatem autem intellexisse non „ facultatem appetitus rationalis, sed „ hunc motum, & affectum illius, quam „ quidem solum operationem vocabant. „ Contra quem sit

CONCLUSIO PRIMA.

Error palmaris Monothelismi non situs est in uno & simplici affectu divino in Christo ad operandum, ut posuit Vasquez.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Ex ipsa sectæ denominatione, quæ Monothelismus nuncupatur juxta Patres, Concilia & Theologos, unicam in Christo illi Heterodoxi admittebant voluntatem, quod quidem vox illa, *Monothelismus* designat.

Secunda: Graviter allucinatur Vasquez dicendo Monothelitas duas in Christo contra Eutychianos agnovisse naturas, adeoque non ita fuisse bardos, ut unicam in Christo operationem & voluntatem dicerent, cum ista fraude vellent securius exsuscitare Eutychianismum; constat enim ex auctoribus Monothelismum esse hæresis Eutychianæ ramusculum.

Tertia: Nedum omnibus Theologis & maxime D. Thomæ omnium facile Principi, sed & doctissimæ suæ Scholæ adversatur Vasquez, qui si in hoc & nonnullis aliis articulis audiatur, omnes fermo Hete-

Heterodoxi, potissimum recentiores, absque negotio, affingendo eis sensum benignum, ab errore vindicari poterunt.

Unum inter Doctores Societatis Jesu seligo Petavium, qui Lib. 1. de Incarnat. cap. 20. validissimis argumentis probat hæresim Monothelitarum in eo sitam esse, quod unicam in Christo admiserint operationem & voluntatem. Num. 1. sic loquitur: " Ut ex Eutychianorum, Severianorum, & ut universe loquar, Monophysitarum stirpe, velut propago quædam Monothelitarum secta pullulavit. " N. 3. probat ex ipsis Monothelitis suam propositionem: ' Pyrrhus item Sergi successor in disputatione, quam cum Maximo Monacho in Africa suscepit, aperte eamdem tuetur hæresim, *unam esse voluntatem affirmans divinitatis, humanitatisque Christi*. Ita unica voluntate tum ante susceptam carnem mundum ex nihilo procreare voluerit. " Quis autem cordatus dixerit Verbum per affectionem efficacem, & non per voluntatem creasse mundum. N. 6. demonstat ex dictis Pyrrhi Monothelitas unicam admisisse in Christo voluntatem, ne duæ voluntates contrariæ in eodem simul admitterentur. Igitur eodem modo sentiebant Monothelitæ, de veritate voluntatis bonæ, ac de veritate voluntatis contrariæ, quam dubio-procul ut veram voluntatem habebant.

Quarta ratio: Ex eodem Petavio Monothelitæ, & Concilia adversus eos adunata, voluntatem, sic intellexerunt: Igitur dum ista dixerunt Monothelitas proscribendo, causa fuit, quod unicam veram & operationem & voluntatem in Christo admitterent.

Quinta: Posita opinione Vasquezii, hæresis Monothelitarum erat imaginaria, quia ipso teste, manebant juxta Monothelitas duæ voluntates in Christo: Sed humana non operabatur, eo quod affectio efficax divinitatis prædominaretur, & ideo operationem Deo-virilem semper haberet.

CONCLUSIO SECUNDA.

Monothelismus nascens unicam solum dicebat in Christo operationem, eamque veram.

PROBATUR primo isto ratiocinio. Qui fuit error nascentis Monothelismi ex tribus recte colligitur. I. Ex disputatione Heraclii cum Paulo: II. Ex epistola seu responsione ejusdem Imperatoris ad Paulum Insulæ Cypri Archiepiscopum. III. Ex Capitulo septimo Concilii Alexandrini a Cyro celebrati: Atqui ex his constat Monothelitas primum unicam in Christo defendisse operationem: Ergo &c. Probatur minor quoad singulas partes.

Primo quidem: In congressu Heraclii cum Paulo difficultas erat de hoc dogmate, de quo Imperator Cyrum, & Cyrus Sergium interrogavit: Atqui de una tantum operatione Heraclius Cyrum, & Cyrus Sergium interrogaverat, ut patet ex epistola Sergii ad Honorium relata in sexta Synodo, act. 12. p. 62. in qua reddens rationem Imperatori quomodo se gesserit, respondendo ad Cyrum, ait: " Unde nos, quæ nostræ erant scientiæ, per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennæ Sanct. quondam Patriarchæ hujus a Deo conservandæ regiæ urbis, porrectum ab eo hic præsenti Vigilio sanctæ memoriæ Prædecessori Sanctitatis vestræ, habentem & diversa testimonia paterna de una operatione, & una voluntate Salvatoris nostri, Christi veri Dei nostri. Nihil tamen proprium penitus in hujusmodi nostris rescriptis promulgavimus. " Audis Sergium Monothelismi architectum unicam in Christo prædicare operationem, & suam hanc perversam opinionem protractis Patrum in sensus adulterinos textibus probare?

II. *Ortus* Monothelismi fuit epistola seu jussio Heraclii, mandantis ut Paulus circa dubium consuleretur: Atqui in ea fit solum mentio de una operatione, ut colligitur ex epistola Sergii ad Cyrum relata in Later. Synodo, Secret. 3. in qua sic habetur: " Asseruistis igitur in capitulis, quæ ad ipsos facta sunt confiteri...

„ Eumdem unum Christum operari Deo „ decibilia & humana una operatione : „ quia omnis divina & humana operatio „ ex uno eodemque incarnato Deo Ver- „ bo procedebat , secundum hunc pium „ intellectum & Leo sanctæ memoriæ „ Romanus Archiepiscopus sapuit & do- „ cuit , dicens operatur utraque natura „ cum alterius communione. „ Ergo &c.

III. *Monothelismi* exordium fuit definitio facta a Cyro in capitulo Concilii Alexandrini : Atqui illud capitulum loquitur solum de una operatione his verbis: *Si quis unum Dominum nostrum J.C. in duabus dicens videri naturis, non confitetur .... unum Christum & unum Filium, operantem Deo decibilia & humana una Dei & viri operatione secundum B. Dionysium . . . anathema sit* : Ergo &c.

Observes velim textum Dionysii corrumpi a Monothelitis ; sic enim habetur Epist. ad Gajum, quæ refertur in Concil. Later. Secretario III. p. 1085. col. 1. his verbis :*Deo homine facto, novam quamdam Dei virilem, id est theandricam, operationem nobis ostendens*. Et sic patet quomodo Cyrus fraudulenter citaverit Dionysium pro se.

Probatur II. ex Ecthesi, quæ refertur in Concilio Later. Secret. III. his verbis : " Servat quidem untraque natura pro- „ prietatem . . . omnem divinam & hu- „ manam operationem uni eidemque in- „ carnato Deo Verbo tribuimus... Simi- „ liter autem & duarum operationum „ vocem multos scandalizare utpote a „ nemine dictum sanctorum & præcipuo- „ rum Patrum , sed & sequi in eo ut „ duas confiteamur voluntates. . . . con- „ traria volentes introduci, quod impium „ est. . . unde sanctos Patres in omnibus „ & in hoc sequentes, unam voluntatem „ Domini nostri Jesu Christi , verissimi „ Dei confitemur, utpote in nullo tempore „ animati intellectualiter ejus corporis se- „ parat, & ex proprio impetu contrario „ motui unito ei Dei Verbi in una sub- „ stantia naturalem ejus producere mo- „ tionem, sed quando & qualem & quan- „ tam ipse Deus Verbum voluerat. „ Quibus verbis abjicit Imperator duas in Christo operationes. Sergius hanc approbat *Ecthesim*, sicut & Cyrus in epistola ad Sergium, ut legitur in Concilio Lateranensi, Secretario III. Primus quidem his verbis : *Ipsius & nos suscepimus & confirmavimus Ecthesim*. Alter vero sic : *Nos vestra participati doctrina , & hanc sine dubio sequentes amplectimur & conservamus*. Igitur initium Monothelismi ductum est ab una operatione.

Probatur III. ex Constantis *Typo* , qui habetur in Conc. Later. Secret. IV. p. 1095. col. 1. *Sancimus nobis subjectos qui consistunt in orthodoxa & immaculata nostra Christianorum fide, qui sunt Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ non habere licentiam invicem a præsenti de una voluntate , aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam*. In qua quidem constitutione Imperator unam dixit operationem.

Probatur denique ex actibus Concilii Lateranensis sub S. Martino, contra Monothelitas. Secretario III. refertur capitulum 7. Concilii Alexandrini sub Cyro, in quo una operatio proclamatur , & rejicitur, sicut & epistola Sergii ad Cyrum propter eamdem rationem. Secret. V. damnantur Sergius , Cyrus, Theodorus Pharanitanus, Paulus Patriarcha CP. Themestius , Severus , *Ecthesis* & *Typus* , propter idem motivum . Hoc etiam patet ex actibus sextæ Synodi generalis , quandoquidem Sess. 2. Macarius Patriarcha Antioc. defendit unicam in Christo operationem , & Sess. 8. propter hoc damnatur sententia interlocutoria & comminatoria, postea vero absolute Sess. 11. Ergo &c.

CONCLUSIO TERTIA.

Error Monothelismi in progressu fuit unicam quoque dicere in Christo voluntatem.

HÆC conclusio sequitur ex modo dictis , nam in *Ecthesi* fit mentio de unica voluntate : Hoc utique patet ex epistola Pauli ad Theodorum Papam pro confirmatione *Typi*, quæque habetur Secret. IV. Concilii Lataran. in qua quidem ille Patriarcha sic loquitur : Unam voluntatem „ Domini nostri Jesu Christi intelligimus, „ ne contrarietatem aut differentiam vo- „ luntatum uni eidemque personæ D. „ N. J. C. applicemus , aut ipsum se ex-

„ expugnantem dogmatizemus, aut duas „ voluntates introducamus. „

Probatur insuper hoc ratiocinio. Tale fuit dogma Monothelitarum in progressu, quale refertur in epistola Sergii ad Honorium Papam, & damnatur in sexta Synodo generali: Atqui ex utroque capite constat dogma fuisse de unica voluntate: Et probatur. Sergius in sua epistola post operationum unitatem, unicam insinuat voluntatem, his verbis: *Insuper & consequens est circa se invicem habentes, quod impium est*. II. Sexta Synodus expresse damnavit unitatem voluntatum contra Monothelitas. Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

Dices contra secundam conclusionem: Tale fuit dogma Monothelitarum, quale sonat nomen sectæ: Atqui nomen significat unam voluntatem. Igitur controversia non erat de operatione.

Respondeo distinguendo majorem: Tale fuit dogma pro tempore, quo nomen fuit impositum, concedo: pro quocumque ævo, nego. Petavius Lib. I. de Incarnat. cap. 20. dicit: quandoque duplex nomen eidem sectæ imponi pro diversitate temporum & dictorum. In principio illi Hæretici dicti sunt Monoergitæ, quando unicam prædicavere voluntatem.

Dices contra tertiam conclusionem: Monothelitæ duas in Christo admiserunt naturas: Igitur non est probabile unicam dixisse voluntatem. Confirmatur: Duos tantum voluntatis motus contrarios inficiati sunt: Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam. Et in hoc sunt Hæretici, quod contra principia Catholicæ Ecclesiæ locuti sint. Ad confirmationem distinguo. Initio Monothelitæ duos solum motus voluntatis contrarios rejiciebant, transeat; immo potius hæresim tacebant subtiliter, ut paulatim illam insinuarent: in decursu, nego. Aperte enim unicam dixerunt voluntatem. Quod autem fraudulenter loquerentur Monothelitæ patet ex Conc. Later. Secr. IV. Concilium enim objurgat Paulo quod auctor esset *Ecthesis*, & aperte approbasset *Typum*. p. 1096. ait: *Quoniam Paulus Constantinopolitanus Episcopus prius quidem scripto confirmans Ecthesim, nunc autem suadens Typum fieri*. Quibus verbis ostendit *Typum* eodem animo, eoque hæretico compositum fuisse cum *Ecthesi*. Deinde notat Monothelitas fraudulenter agere, auctoritates Patrum & summorum Pontificum in pravum detorquendo sensum. *Per hanc*, inquit, *allocutionem simpliciores dolose subripientes, persuadent malum uti bonum amplecti per Patrum & Synodorum suavem nominis appellationem*.

Instabis: Sergius in *Ecthesi*, & Paulus in *Typo* unicam in Christo voluntatem dicere expresse prohibuerunt: Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Initio sic loquebantur, & tamen unicam simulabant voluntatem, concedo: in progressu, nego. Posteriores enim Monothelitæ videntes suam hæresim jam viribus multis auctam, postea aperte eam promulgaverunt, & defenderunt, ut Macarius ejusque discipuli tempore sextæ Synodi. Qui quidem Macarius citatus in Synodo, ait, ut habetur Sess. 8. Etiamsi membratim scindar, numquam duas in Christo operationes dicam; eam autem hæresim omnibus defendit modis. Vel etiam error scatebat ab initio, ut colligitur ex Concil. Later. Secr. IV. quod quidem loquens de *Typo*, qui præ se ferebat sensum catholicum, subdit: *Sancta Synodus intentum quidem, ut dictum est, bonum existentem Typi laudamus, sed modum ab intentu dissonantem avertimur*.

Objicit Vasquez: Monothelitæ unicam personam contra Nestorianos, duas vero naturas contra Eutychianos admittebant. Igitur non est probabile unicam admisisse in Christo operationem & voluntatem, sin minus duas concedendo naturas, contraria fuissent locuti.

Respondeo ad argumentum Vasquezii negando consequentiam: non enim semel compertum est Hæreticos ex una parte devictos ad alteram deflexisse, ut Pelagio proscripto, Semipelagiani gratiæ necessitatem ad consummationem actus admisere, ita tamen ut natura ex viribus innatis bonum salutis incoharet: non absimili ratione, prostratis Monophysitis, Monothelitæ crediderunt Ecclesiæ anathemata declinare duas admittendo naturas, sed dixerunt unicam operationem & voluntatem. Quid mirum? in hoc etiam pro more Hæreticorum loquuti sunt. Quor-

sum enim si duæ remaneant in Christo naturæ, humana iners erit, & affectio divina prædominans divinas solum producet operationes, cum aliunde sit de fide Christum esuriisse, passum & mortuum esse, & quod ipse a Patre petierit, ut ab eo transiret calix, quæ & similia arguunt voluntatem humanam ut potentiam in his operantem. Ceterum affectio quæcumque sit, est quidem operandi motivum, sed non operandi principium, maxime in adversis, quæ anima excruciata sæpius sola fide innixa & sine gratiis sensibilibus æquo fert animo.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Error palmaris Monothelitarum fuit, unicam in Christo operationem & voluntatem agnoscere.

PRIMO: Id constat ex *Ecthesi* & *Typo*, quibus prohibetur duas in Christo operationes, alteram divinam, alteram vero humanam dicere.

Secundo: Hoc ipsum colligitur ex dialogo Pyrrhi cum S. Maximo, & ex Machario Patriarcha, qui de sua interrogatus fide in sexta Synodo, respondit: *Etiamsi membratim scindar, non dicam duas voluntates*.

Tertio: Sic propugnat S. Thomas, sic alii cum ipso communiter Theologi, in primis doctissimus Petavius.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

TAMETSI Monothelitæ duas admitterent in Christo naturas, non inde sequitur unam solum admisisse operationem & voluntatem, cum familiare fuerit Heterodoxis pro una parte damnatis, ad aliam deflectere, ut in substantia palmarem hæresim salvent, ut videre est in Semipelagianis & Novatoribus. Neque vero curant plurimum hæretici contraria loqui, cum ex professo a veritate secedant.

SECTIO TERTIA.

De fautoribus Monothelismi.

DUO ad hanc propositam quæstionem discutienda sunt, videlicet de Monothelitis in genere, tum & de eisdem in speciali.

PUNCTUM PRIMUM.

De Monothelismi fautoribus in genere.

MONOTHELITÆ in tres classes distribuuntur; nempe in eos qui consequenter tantum tales fuerunt: in eos qui directe, & in eos de quibus emersit dubium.

Multi sunt in prima classe, videlicet hi omnes Hæretici, ex quorum dogmate Monothelismus erui potuit. Tales sunt Ariani, Nestoriani, Eutychiani, Apollinaristæ & Severiani; illi enim omnes ea posuere fundamenta, ex quibus voluntatum unitas in Christo manifeste fluit.

In secunda classe numerantur Theodorus Episcopus Pharanitanus, Cyrus Patriarcha Alex. Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Patriarcha CP. Macarius Patriarcha Antiochenus, quorum scripta erronea referuntur & confutantur in sexta Synodo generali, præcipue vero capitulum VIII. Cyri Alex. Confirmatio *Ecthesis* & *Typi*.

In tertia classe hi sunt, de quibus dubitatur & vocantur hæsitantes.

PUNCTUM SECUNDUM.

An Honorius Papa adhæserit Monothelitis?

QUIDAM tenent Honorium fuisse Hæreticum Monothelitam. Sic censent odio magis in sanctam Sedem Romanam, quam veritate superati, & sunt Protestantes: quidam inter Fautores illum annumerant, in eo quod non satis, ut summum Pontificem decebat, Hæreticis restiterit. Sic Theologi quidam vel etiam Catholici opinantur, ita tamen quod errando non locutus sit in epistolis ex cathedra, ut propugnat Thomassinus Dissert. in VI. Synodum œcumenicam. Alii & probabilius contendunt eum fuisse ab omni & culpæ & censuræ labe immunem; cum quibus sit

CON-

CONCLUSIO.

Honorius Papa neque fuit Monothelita, neque Monothelismi fautor, neque etiam uti talis in sexta Synodo proscriptus.

SINGULÆ conclusionis partes probantur simul multis momentis.

§.

PRIMUM ARGUMENTUM

Ex textu & scopo epistolarum Honorii depromptum.

SI aliquid erroris aut docuisset aut seminasset inter scribendum Honorius summus Pontifex, maxime in suis ad Sergium Patriarcham CP. epistolis: Atqui ne minimus quidem nævus in eis apparet, quinimmo & ex scopo, & ex ipso textu in sensu obvio sumpto, ut propositiones sonant, contrarium Monothelitarum hæresim debellat ille venerabilis Pontifex: Igitur ab omni erroris labe jure merito & vendicatur, & ab omnibus vindicandus est.

Probatur minor: In primo scripto ait quidem abstinendum esse abunius vel duplicis operationis vocabulo, ne si una diceretur, Eutychianæ faveretur hæresi; e contra vera Nestorianæ, si duæ prædicarentur in Christo operationes; cujus œconomiæ non una est probatio: Primoquidem, quia Patres & Theologi præcise non attendunt ad voces, modo sensus servetur orthodoxus: deinde vero ista alia adducitur ratio, quia pro ista re Ecclesia a Christo ad Honorii usque tempora nec quicquam in Conciliis pro vocum usu aut definierat, aut determinaverat. Tertio unicam in eo sensu solummodo dicit in Christo voluntatem, quatenus voluntas Christi etiam inferior, non sicut nostra per peccatum originale depravata, adversus spiritum non recalcitraret: Sed Deo per omnia in Christo humana voluntas subjecta foret & obediens Deo; ipso dicente Domino Patri, Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Quarto denique, in secundo maxime rescripto ad sensum catholicum ita attendit, ut duas nominet operationes; & ne quis obstrepere audeat, addit: *Loco duarum operationum dicamus Christum divina & humana operari inconvertibiliter:* qua quidem voce *inconvertibiliter* prorsus exsufflat & explodit tum Eutychianismum, tum Monothelismum illius ramusculum; isto quippe termino naturas & operationes in Christo commisceri non patimur.

Jam audiamus loquentem & scribentem Honorium.

Primo: In priori ad Sergium rescripto act. 12. apud Binium pag. 64. habetur: *Nos enim in quo pervenimus oportet ambulare: Enim vero, duce Deo, pervenimus usque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Jesum Christum Mediatorem Dei & hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Dei naturaliter unita, eumdemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinitate.* Quibus sententiis Honorius non solum non favet Monothelitis, sed & funditus evertit Monothelismi systema, dum ait Christum operari humana singulariter, discrete & inconvertibiliter, adeoque ulla absque confusione tum voluntatis, tum operationis cum voluntate & operatione divina. Nec mirum; unicus erat Honorii scopus, videlicet impedire vocum novitates, ne inde exurgeret nova hæresis: quocirca nomina unius aut duplicis operationis reticeri æquum ducebat, ne si una diceretur Eutychianismus, aut si duplex Nestorianismus de integro restitueretur.

Secundo pergit ibidem SS. Pontifex, & ait: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Ecce unitas voluntatis per conformitatem, quam prædicat in Christo Honorius, de qua unitate voluntatis per conformitatem quam prædicat in Christo ille Papa, hanc egregiam affert rationem cur fuerit in Cristo, minime vero in nobis, quia caro in Christo fuerat a Verbo assumpta & non culpa, & ideo non sicut nostra vitiata. Hinc in nobis duplex voluntas extat, una justa, quæque obe-

obedit spiritui : altera vero mala quæ adversus eumdem recrudescit. Utramque explicat SS. ille Pontifex isto Romanorum 7. oraculo : *Mente se... legi Dei; carne autem, legi peccati*. Hi... dictis, subdit: *Non est itaque assumpta, sicut prafati sumus, a Salvatore vitiata natura qua repugnaret legi mentis ejus, sed venit quarere & salvare quod perierat*, id est, *vitiatam humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humana voluntatis*.

Eo loci Honorius clarissime sensum prodit catholicum : Enim vero duplicem in Christo & voluntatem, & operationem agnoscit, cum ut Deus simul & homo spectetur; unicam vero si consideretur ut homo, in quo sane discrepat a nobis, qui vitiatam unam, & rebellem legi Dei habemus voluntatem, rectam vero alteram per gratiæ opitulationem, quando illi assentimur ad bonum operandum, sed heu! ut plurimum resistimus, Christus vero etiam ut homo per omnia Deo obediens, nusquam resistebat, sed pro ut erat gratiæ impetus, illuc gradiebatur.

Tertio : In eadem epistola hæc habentur: " Litterarum ad eumdem Sophronium directarum suscipientes exemplar, „ & intuentes satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, „ laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus „ generare ... Non oportet ad dogmata „ hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicæ „ visæ sunt explanasse, ut unam vel duas „ energias aliquis præsumat Christi Dei „ prædicare, quas neque Evangelicæ vel „ Apostolicæ litteræ, neque Synodalis „ examinatio super his habita, visæ terminasse ... utrum autem propter opera „ divinitatis & humanitatis, an geminæ „ operationes debeant derivatæ dici vel „ intelligi, ad nos ita pervenire non debent, relinquentes ea Grammaticis, „ qui solent parvulis exquisita derivando „ nomina vendicare. Non enim unam „ operationem vel duas Dominum Jesum „ Christum, ejusque sanctum Spiritum sacris Litteris percepimus: Sed multiformiter cognovimus operatum .... Si „ enim divisiones operationum sunt multæ, & has omnes Deus in membris „ omnibus pleni corporis operatur, quanto magis Capiti nostro Christo Domino hæc possunt plenissime coaptari. „

Hanc sibi proponit Honorius objectionem: Cur duplex taceatur operatio? Cujus quidem rei tres aut quatuor pro hoc momento affert rationes. Prima, quia neque in sacris Litteris, neque in definitione Conciliorum, saltem in Christo operationes multiplices expresse habeantur. Secunda, vocum novitas quoddam parvulis & simplicibus afferrebat scandalum : Tertia, ex eo quod termini Grammaticos spectent, nec minimum apud Doctores facescant negotium, modo veritatem quoad substantiam & dicant, & explicent. Quarta, hæc ceteris adjungitur : Honorius utramque in Christo operationem clare admodum profitetur, dum Christum divina & humana inconfuse operari asserit.

Jam sequitur ista pro Honorii purgatione validissima argumentatio: Qui rejicit novitatem vocum unius vel duplicis in Christo operationis propter scandalum simplicium, admittendo realitatem duarum operationum, confitendo Christum perfectum Deum & hominem, immo probando duas in Christo existere operationes, sicut diversæ sunt & in Spiritu sancto per suam gratiam & potestatem; qui solum abjicit voces materialiter & grammaticaliter sumptas, attendit vero pro more Theologorum ad rerum veritatem, ille certe non fuit fautor Monothelismi, sed potius acerrimus fidei propugnator : Atqui talis extitit Honorius : Ergo &c. Major in qua est difficultas probatur ex Concilio Lateranensi sub sancto Martino Secret. IV. pag. 1095. ubi sic habetur : *Igitur nullo modo oportet contra eos, qui minime denegant pariter utrumque, id est, unam aut duas dicere in Christo Deo operationes & voluntates, sine discretione indignationem infligere : sed juste contra eos tantummodo hanc proferre, qui non confitentur, qua probabiles Ecclesia Patres profitentur : hoc est, duas ejusdem atque unius, sicuti, essentias unitas inconfuse & indivise, ita, & aquali numero voluntates & operationes. ... Propterea intentum quidem, ut dictum est, bonum existentem Typi laudamus, sed modum*

modum ab intentu dissonantem avertimur: Quibus quidem verbis Concilium non damnat *Typum*, præcise eo quod in eo taceant Monothelitæ nomen duarum operationum, sed quia silent malo fine, eo scilicet, ut propugnent in realitate unam in Christo operationem: Igitur Honorius non est damnandus, cum œconomiæ tantum causa a nomine unius aut duplicis operationis abstinuerit.

Honorius in sua epistola jam laudata est sui ipsius interpres pag. 65. apud Bin. " Oportet, *inquit*, sapere, vel spirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, ne aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur: aut certe, si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur. " Audis Honorium eo solum scopo a nomine unius, aut duplicis in Christo operationis abstinere, ut a Nestoriana simul & Eutychiana hæresi recedat.

Idem in secunda epistola apud Bin. pag. 71. suam catholicam iterum prodit mentem his verbis: " Auferentes ergo sicut diximus scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare, sed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis & carnis assumptæ, in una persona unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare, propria operantes. " Eo loci Honorius unam quidem operationem approbat in Christo ratione naturæ humanæ, sed non unam pro duplici natura prædicat, quandoquidem duas nominat operationes; subjungit vero loco duplicis operationis profitendum esse unum operantem divina & humana inconfuse & inconvertibiliter. Igitur toto cœlo a Monothelismo discedit.

Confirmatur: Qui in suis rescriptis, eodem modo ac Magnus Leo delineat Incarnationis Mysterium quoad Christi operationes, dubio-procul Monothelitis non patrocinatus est: Atqui Honorius eodem prorsus modo ac sanctus Leo Christi operationes delineavit; iste enim Epist. ad Flavianum pag. 943. sic loquitur: " Agit enim utraque forma, *scilicet Christi natura*, cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. "

§. II.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex Apologiis Honorii a Patribus & Doctoribus utriusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet & Latinæ celebratis.

Qui ab omni erroris nævo circa Christi operationes adversus æmulos a testibus omni exceptione majoribus vindicatur; profecto in suspicionem Monothelismi venire non debet: Atqui Honorius Papa ita purgatur: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Agmen ducet Joannes IV. summus Pontifex & Honorii successor: in apologia quam pro eo scripsit apud Athanasium in collectaneis, asserit Pirrhum Patriarcham CP. eum fuisse, qui dixit Honorium unam propugnasse in Christo operationem, eo nimirum scopo ut pro suis partibus tantum habens Pontificem, ipse anathema Ecclesiæ declinare valeret: sed subdit Joannes, Occidentales non modicum fuisse scandalizatos de hac calumnia, maxime vero cum Honorium ut sanctum haberent. Rursus in epistola ad Constantem Imperatorem liquido probat Honorium quidem unicam admisisse in Christo operationem, sed in Christo ut homine, quatenus Mediator hominum vitiatam non habuit.

Dices: Testimonium Joannis in ista causa non ponderat, cum defendendo Honorium summum Pontificem, sui quoque Pontificatus & Cathedræ causam in hoc propugnet.

Respondeo, cuilibet licitum esse innocentis partes suscipere: quinimmo, hoc ex ipso constat jure, quod potissimum conceditur tum Reipublicæ, tum Ecclesiæ Pro-

Proceribus. Ita glossa in caput *si venissent*, & Fagnanus in caput *nosti*, qui docent Papam posse esse Judicem in propria causa, sicut Imperator in causa fiscati ad sepisum spectantis, ut habetur ff. de iis quæ in Testamento delin. *Lege proxime*: Hoc ipsum innuit Clementina in Concilio Vienensi publicata: Idem docet Cardinalis Tuscus in practicis conclusionibus juris verbo *testis* conclusione 202. Suffragatur Macardus verbo *Papa*, conclusione 62.

Alter Honorii defensor est S. Maximus Abbas Græcus. In Apologia tanti Pontificis, dialogo cum Pyrrho Monothelitarum Antesignano, primum probat illi Vigilium ab omni errore immunem fuisse, quod ultro Pyrrhus confessus est: tum subdit Pyrrhus: *Sit ita de Vigilio, quid de Honorio respondendum habes?* Quia vero Pyrrhus propugnabat Honorium ejusdem esse secum sententiæ, & unam tantummodo admisisse in Christo voluntatem, respondet sanctus Maximus: *Quis erit interpres Honorii, quam qui ejus nomine scripsit epistolam ad Sergium?* Pyrrhus postulat quis illam composuerit? Respondet sanctus Abbas his verbis: *Ille idem ad Dominum Constantinum quondam Imperatorem scribens rursum ex persona sancti Papæ Joannis. Unam*, inquit, *voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus & humanitatis, sed solius humanitatis*.

Idem S. Maximus Epist. ad Marinum Presbyterum, quæ habetur in Collectaneis Anastasii pag. 33. probat epistolam Honorii ad Sergium ab interprete Græco fuisse defloratam, atque in ea Honorium, teste Joanne Abbate Scriba quem citat, nullo modo fecisse mentionem unius tantum in Christo voluntatis; asserit enim his verbis: " Licet hoc nunc sit fictum „ ab his qui hanc *epistolam*, in græcam vo„ cem interpretati sunt, verum nec quam„ libet exinanitionem, vel abolitionem „ Salvatoris voluntatis, sed ejus, quæ „ nostra est & reproba facta perfectam „ dejectionem & interremptionem, juxta „ quod & in invicem eorum quæ unius „ generis sunt, efficitur bellum. „

Duobus potissimum momentis sanctus Maximus ab omni hæreseos labe purgat Honorium: Primo quidem asserendo eum non unam pro divinitate & humanitate dixisse voluntatem & operationem, sed solum pro humanitate per exclusionem voluntatis vitiatæ, qualis est in nobis. Secundo, propugnat codicem latinum ab interprete Græco fuisse defloratum, ita ut Honorius nusquam dixerit unam in Christo tum voluntatem, tum operationem, quod quidem momentum probat auctoritate Anastasii Abbatis Græci, qui dum ab Oriente Romam venit, multas circa epistolas Honorii ad Sergium motas quæstiones apud Ecclesiæ Latinæ Prælatos, audivit: Tum subdit, Honorium ab omnibus ut Orthodoxum habitum fuisse: ex quo concludit S. Maximus Interpretem Græcum in pravum adduxisse sensum textum latinum epistolæ Honorii ad Sergium.

Denique S. Maximus Epist. ad Petrum illustrem, dicit esse risu dignam eam impudentiam Monothelitarum, qui ut defendant *Ecthesim*, sententiam Honorii ad suas partes audent detorquere: tum concludit Orientem & Occidentem admonitionibus, & ex 3. orationibus, immo & lacrymis tentasse Hæreticos ad meliorem frugem revocare. Demum inter fidei defensores primum recenset Honorium his verbis: " Quod & divinus Honorius, „ quod vero & post illum Severinus se„ nex, quod denique & is qui post hunc „ extitit sacer Joannes ... omisit quid„ quam supplicationi conveniens. „

Tertius testis, qui & Græcus, Stephanus Dorensis Episcopus accedit, quique tamquam Legatus & Orator Sophronii istius decreta adversus Monothelitas, Romam detulit tempore Honorii anno 635. secundum Theophanem, & decimo Honorii anno, ut scribit Anastasius: Stephanus inquam, ad annum 638. loquens de sua legatione ad Concilium Lateranense sub S. Martino dicit: " Deum ex„ citasse Prædecessores, Apostolicosque „ Præsules in commonitione, licet nullo „ modo Hæreticos flectere potuerint. „ Quibus quidem verbis docet Honorium unum ex istis Prædecessoribus omnia tentasse ad fidem conservandam. Ergo &c.

His omnibus adjungitur Anastasius Bibliothecarius, qui in sua ad Joannem Diaconum epistola, omni qua par est reverentia & justitia Honorii Papæ suscipit defensionem, quam quidem variis luculen-

culentiſſimiſque firmat rationibus. Enim vero aſſerit primoquidem Honorium ſufficienter a Joanne ſummo Pontifice fuiſſe purgatum: Secundo, non conſtare Honorium dictaſſe epiſtolam ad Sergium, ut illam interpretati ſunt Græci: Tertio, Concilium non potuiſſe damnare mortuum, quia nemo damnatur niſi ſit pertinax in errore, & defenderit adhuc vivens apertam hæreſim. Porro ante Honorium Eccleſia nihil quidquam determinaverat circa unam aut duplicem operationem Chriſti, unde Monothelisſmus tempore Honorii nondum ut hæreſis habebatur. Denique ſubjungit Concilium ſextum, in quo Honorius legitur proſcriptus, non cenſeri approbatum niſi pro undecim prioribus ſeſſionibus, in quibus nulla apparet tum Honorii, tum ejus epiſtolarum damnatio. Unde ſicut Gelaſius Papa tomo de anathematis vinculo ait, Concilium Chalcedonenſe non obligari niſi pro ſex primis actionibus, pari & ſimili ratione Anaſtaſius concludit ſextum non ponderare niſi pro undecim mox citatis, nuſquam vero pro ceteris in quibus Honorius legitur damnatus.

§. III.

TERTIUM ARGUMENTUM

Ex Conciliis depromitur.

VARIA a morte Honorii adunata ſunt adverſus Monothelitas Concilia uſque ad Sextum generale incluſive: Sed in his omnibus Sexto generali ne quidem excepto, non proſcribitur Honorius, immo altum eſt de eo inter damnatos ſilentium: Ergo &c. Probatur minor: Unum Romæ adunatum ſub Joanne IV. qui damnavit *Ecteſim*: alterum in eadem urbe congregatum eſt ſub Theodoro Papa, qui in hac Synodo proſcripſit omnes Monothelitas, ut Pyrrhum & Relapſum & Paulum, nihil vero de Honorio protulit: Tertium adhuc Romæ quod Lateranenſe vocatur ex univerſo pene Occidente ſub S. Martino I. qui fidem proprio conſignavit ſanguine, quique condemnavit *Typum* & *Ecteſim*, tum omnes Monothelitas Secretario V. in quo etiam damnati leguntur Sergius, Cyrus, Theodorus Pharanitanus, Temeſthius et Severus; ſed ubique altum eſt ſilentium de Honorio: Ergo etc.

Purgatio Honorii ex ipſa ſexta Synodo generali.

QUIDAM inter Theologos etiam Catholicos Honorium non quidem Hæreticum, ſed ut Monothelisſmi fautorem habent, ea potiſſimum ducti ratione, quod in Sexta Synodo generali proſcriptus legatur: Sed hæc ratio nulla eſt, quod quidem duobus validiſſimis probatur argumentis. I. Quamdiu Concilium fuit legitimum, nullo modo Honorius damnatur. II. Tametſi in quibuſdam ſeſſionibus inter Monothelitas damnatos annumeretur, hoc in actibus defloratis dumtaxat compertum habetur.

Honorius non damnatur quamdiu Concilium fuit legitimum.

SEXTA Synodus generalis fuit tantummodo legitima in undecim primis ſeſſionibus, in ceteris vero quæ uſque ad 18. protractæ ſunt, acephala: Sed Honorius in undecim prioribus ſeſſionibus, in quibus Patres adverſus Monothelitas judicio comparativo procedunt, nullo modo damnatur: Ergo &c. Probatur major in qua eſt difficultas, & hoc texendo actuum Concilii hiſtoriam.

Primo: Undecima ſeſſio terminata eſt anno Chriſti 681. 14. die Aprilis, in qua completum apparet Concilium; hac enim finita ſeſſione Joannes Epiſcopus Portuenſis Dominica die Paſchæ in Eccleſia ſanctæ Sophiæ, Miſſam publice latino celebravit idiomate coram Imperatore, & Patriarcha CP. in gratiarum actionem pro terminatione tanti negotii: ita Anaſtaſius in Agathone, Venerabilis Beda de ſex mundi ætatibus, & S. Antoninus Tomo 2. Chronologiæ, qui nullius alterius ſeſſionis recordantur: Porro neque Legati, neque ipſe Imperator in ulterioribus comparuere ſeſſionibus. Subdit vero venerabilis Beda Concilium finitum fuiſſe undecima ſeſſione, ut dictum eſt. Sed in his omnibus ſeſſionibus nulla fit mentio de Honorio, ut ab enumeratione partium conſtat: Ergo &c.

Secun-

Secundo: Hoc ipsum probatur discurrendo per singulas sessiones. In prima Macharius, lectis quibusdam textibus Concilii Ephesini a Stephano suo discipulo, concludit unicam esse in Christo voluntatem: sed illi resistunt summi Pontificis Legati, asserentes duplicem esse quod auctoritate B. Cyrilli Alex. probant. In secunda idem probatur ex epistola S. Leonis; negat vero Macharius id ex epistola sequi, & unicam in Christo semper defendit esse voluntatem. In sessione tertia, sermo Mennæ ad Vigilium, & duo libri Vigilii, unus ad Justinianum, alter ad Theodoram Imperatricem supposititii declarantur: Sessione quarta, referuntur duæ Agathonis epistolæ, altera directa ad Imperatorem, altera vero quæ tenet locum instructionis pro Legatis; in illa autem sic loquitur: *Quod ex vero luminis fonte, tamquam de radio vivifici fulgoris per Ministros beatos Petrum & Paulum Apostolorum Principes eorumque discipulos & Apostolicos successores gradatim usque ad nostram parvitatem Dei opitulatione servatum est*. Quam quidem epistolam Patres Synodici Sess. 17. unanimi voce & acclamatione approbarunt; verbis autem laudatis testatur Agatho omnes suos prædecessores, quorum unus erat Honorius, fuisse in fide puros, deinde vero omnes Monothelitas nulla facta mentione de Honorio refert & nominat, quos & proscribit.

Sessione 7. declarantur acta Concilii quinti deflorata, & cum Monothelitæ in suas partes traherent Vigilium, reclamantibus Legatis, silentium eis impositum est. Sess. 8. Macharius citat pro se Honorium, & quodammodo S. Leonem: Concilium ipsum irridet, & nullo modo audit accusationes adversus utrumque Pontificem, non sine amara calumnia factas; Macharium e contra ejusque discipulum Stephanum Monachum sententia interlocutoria proscribit. Sessione 9. releguntur actitata contra Macharium, & novis Scripturæ auctoritatibus illi probatur duplicem esse in Christo voluntatem. Sess. 10. confutatur idem Macharius auctoritate Patrum: in eadem sessione relecta sunt scripta Themestii, Antymi, Pauli, & epistola Theodori Constantinopolitani ad Paulum, nihil vero de Honorio habetur per judicium comparativum. Denique Sess. 11. Macharius citat pro se Honorium & sanctum Leonem, ad quod nihil respondet Concilium, bene tamen ad Themestium & Antymum, contra quos insurgit.

Profecto si in eadem damnatione fuisset Honorius, utique fuisset judicio comparativo damnatus, quod quidem non legitur factum in undecim prioribus sessionibus: neque vero probabile est tantum Pontificem proscriptum fuisse in subsequentibus, quas quidem adjungunt multi, cujus rei argumentum est irrefragabile, quod ipse Imperator finita undecima sessione dixit sese a Concilio recedere, eo quod præcipua capita eliquata fuisse constaret. Certe si causa Honorii actitanda & finienda superfuisset, aut dubie præcipua capita a prima usque ad undecimam sessionem examinata, & ad judicii trutinam discussa atque examinata fuisse, quis cordatus dicere auderet; maximum quippe momentum, nempe Honorii causa in statera judicii ponderanda permansisset: Ergo &c. Non abs re erit hic texere Imperatoris a Concilio discedentis verba: " Constantius piissimus Imperator dixit: " sufficientia sunt etiam, quæ hodierna " die sunt gesta. Quia vero in Christo " amabilis nostræ Reipublicæ causis occu- " pamur, jubemus... Patritios... univer- " sali vestro Concilio in reliquis conven- " tibus inveniri, postquam præsentis cau- " sæ plurima & præcipua capitula coram " nostra pietate jam peracta sunt. "

Eadem Honorii fidei puritas ex defloratione Concilii VI. vindicatur.

DATO & non concesso Concilium ad sessionem usque decimam octavam protractum & legitimum fuisse, luce tamen clarius apparet Honorium non fuisse in subsequentibus damnatum: Et probatur. Tametsi Sess. 13. ejus epistolæ legantur proscriptæ, ipse vero Sess. 17. cum ceteris Monothelitis anathemate percutiatur, hoc solum ex defloratione Concilii contigisse, non una evincit ratio.

Primo quidem inauditum est, summum Pontificem, præsentibus Legatis, sed tacentibus, & absque prævio examine epistolarum, quæ ex se præbent in sensu obvio sensum ita catholicum, ut vel ipse Heraclius Imperator in *Ecthesi*, quam in gra-

gratiam Monothelitarum publicavit, uno solum anno a morte Honorii elapso scilicet 638. nullam faciat Honorii mentionem, quod dubio-procul non omisisset, ut tanti Pontificis calculo suum muniret edictum, in quo prohibet sub magnis pœnis, ne aliquis duas in Christo operationes & voluntates prædicet.

Secundo: In eadem sessione testantur Patres Synodici se in omnibus regulam ab Agathone in sua ad Imperatorem epistola sequi; tum nominatis Monothelitis Concilium sic loquitur: *Quæ præsens sancta & universalis Synodus fideliter suscipiens, & expansis manibus amplectens, tam suggestionem quæ a sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiqua Romæ facta est ad Constantinum piissimum atque fidelissimum Imperatorem, qui nominatim abjecit eos qui docuerunt aut prædicarunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem & unam operationem in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi*. Jam quæstio mere facti evadit, num Agatho inter Monothelitas, quos in sua epistola stylo perstringit censorio, annumeret Honorium vel non; testantur quippe PP. Synodici, se ideo Monothelitas cum Honorio damnare, quia omnes nominatim ab Agathone proscripti leguntur: sed falsissimum est Agathonem proscribere Honorium in sua epistola: Igitur perinde falsum est a Concilio fuisse damnatum: quocirca patet Concilii defloratio.

Tertio: Idem momentum affulget specialiter ex Epistola Synodica Concilii ad Agathonem, ubi hæc habentur: " Interfecimus ex sententia per sacras vestras " Litteras de his prius lata, videlicet " Theodorum Episcopum Pharam, Sergium, Paulum, Pyrrhum & Petrum. " Etiam inter damnatos annumerant Honorium, sed ut jam dictum, Agatho in epistola supra laudata per sententiam latam non damnat Honorium. Igitur non nisi ex defloratione Concilii Honorius inter proscriptos Monothelitas damnatus recensetur.

Hujus veritatis aliud irrefragabile argumentum est, quod Theodorus a Sede CP. propter Monothelismum deturbatus, in quam quidem, absoluto Concilio, meliora simulans restitutus, inter damnatos tamen non annumeretur, ex quo Baronius ad annum 682. sic concludit: Habemus furem, qui sui nominis loco ipsum Honorii nomen suorum amicorum molitione substitui curavit: quorsum enim ille qui simul cum Machario, hortante Imperatore, ut scribunt Historiographi, fidei acquiescere noluit, qua potissimum de causa adunatum est sextum Concilium generale, non proscriptus fuisset? Quid plura pro isto adjiciam momento? Cum habeamus ipsum Theodorum confitentem reum, quippe qui, teste Baronio ibidem pag. 629. Imperatorem sic alloquatur: " Resipiscentes mirati sumus inter nos & " ante nos Honorium non numeratum, " .. si eximitur e numero damnatorum Ho- " norius, cur ergo cum prædecessoribus " meis perpetua infamiæ nota annume- " ror? " Audis Theodorum eo loci duo affirmare ut Imperatoris auctoritate e numero proscriptorum expungatur; videlicet seipsum cum aliis Monothelitis damnatum, minime vero Honorium, tametsi ejusdem esset cum illis sententiæ. Igitur ex Theodoro Honorius inter damnatos non adscriptus est, ipse vero e contra, & merito quidem cum catholice sicut Honorius de Christo non locutus fuisset.

Quarto: Ejusdem Concilii defloratio iterum atque iterum ulterioribus momentis clarissime demonstratur. Enim vero non in causa Honorii solum acta Concilii, sed & in aliis multis capitibus depravata fuerunt acta. In Symbolo edito in Concilio Romano sub S. Martino, & citato in epistola Synodica ad Agathonem directa a sexta Synodo, deest hæc clausula de Spiritu sancto: *Qui a Patre Filioque procedit*: quæ tamen fuit expressa in illo Lateranensi Concilio, ut liquet ex Concilio Angliæ sub Theodoro Canthuariensi, Agathone summo Pontifice: Ne miremini igitur si acta Concilii sexti generalis in causa Honorii deflorata propugnemus.

Juvat ad majorem deflorationis evidentiam Sessiones Concilii percurrere. In sessione quinta, sexta, septima & octava leguntur tantum adfuisse 36. circiter Episcopos. Anastasius in Agathone, Beda de sex mundi ætatibus, Theophanes in Chronographia ad annum 670. Paulus Diaconus & alii præter Legatos numerant ab initio Concilii 150. Episcopos.

Ite-

Iterum in octava lecta est Macharii Monothelitæ fidei professio, cui subscripserat Theodorus CP. Patriarcha, ut asserit Anastasius, item & subscripserat Sergius, teste Abbone Floriacensi, & tamen invenitur solum a Machario subsignata.

Celebriores Auctores Synodum finitam fuisse anno 27. Imperii Constantini, qui quidem annus in octo prioribus sessionibus semper refertur; acta vero Concilii in reliquis sessionibus 28. annum præ se ferunt.

Nulla fit mentio in Sess. 13. de *Ecthesi*, & *Typo*, epistolæ tamen Honorii quasi per execrationem combustæ leguntur; numquid parcerent Patres Constitutionibus totum Monothelismi venenum complectentibus, ut innocentem damnarent?

In Sessione 14. fit inspectio Codicum a Machario corruptorum, & tamen certum est hoc esse factum tantummodo Sess. 4. coram Imperatore. Sess. 18. refertur Imperatorem fuisse præsentem, nihilominus expresse habetur completa sessione undecima, abiisse.

Quid plura? Legatis Apostolicis inveniuntur ex improviso adjuncti alii Legati Apostolici & quidem Græci. Ecce verba: " Joannes misericordia Dei Episco-„ pus Thessalonicensis civitatis & Apo-„ stolicæ Sedis Romæ Legatus definiens „ subscripsi. Stephanus misericordia Dei „ Episcopus Corinthi & Legatus Sedis „ Romæ definiens subscripsi. Basilius mi-„ sericordia Dei Episcopus & Metropo-„ litanæ civitatis Gortinæ Insulæ Cretæ „ & Legatus totius Concilii & Catholi-„ licæ principalis Sedis antiquæ Romæ „ definiens subscripsi, „ Hactenus fictitii Legati: fuerunt enim solum tres, ut dictum est, illique Latini, quinimmo Constantinus Imperator in epistola ad Leonem II. Legatos Apostolicos tantum numerat Latinos, nempe Theodorum, Georgium, Presbyteros, & Joannem Diaconum, vices Agathonis agentes, ut refertur Sess. 1.

Dices: Si acta promiscue ita deflorata fuerunt, ad nihil valet Concilium: absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam, quandoquidem vel minimum pro fidei definitionibus, immo & pro Hæreticorum damnatione, si unum excipias Honorium non claudicat: quoad alia quæ mera complectuntur facta non ponderare, absque fidei Concilii dispendio propugnari potest, cum Ecclesia etiam in Concilio adunata in iis rebus non infallibilis sit; tum quia etiam non semel compertum habetur Historiographos in Chronologia sicut temporum sic & Conciliorum errare: at omnes pro dogmatibus a sexta Synodo definitis unius esse labii constat.

§. IV.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ex auctoribus coævis defenditur Honorius.

Ille non potest dici Monothelismi fautor, & uti talis in sexta Synodo damnatus, qui ab auctoribus ipsi coævis defenditur ut ab omni hæreseos labe immunis: Atqui res sic se habet: Ergo &c.

Probatio minoris ex Auctoribus Græcis.

Stephanus Dorensis, Palæstinæ Episcopus in Concilio Lateranensi sub S. Martino nominat omnes Monothelismi primarios defensores: sed nihil de Honorio: Ergo &c.

Item Monachi & Presbyteri Græci, qui eidem adsuere Concilio, ut habetur Secretario II. inter quos erat Joannes Abbas, Presbyter Monasterii sancti Sabæ, item & Theodorus Abbas, Presbyter Monasterii venerandæ Lauræ, aliique bene multi Abbates & Monachi num. 37. quorum alii erant ex Laura in Palæstina, alii ex Africæ Monasterio juxta Baronium ad annum 649. item quædam fidei dogmata de græco in latinum translata Tomo 7. Bibliot. Patrum, pag. 626. item S. Joannes Damascenus qui quadraginta solum elapsis a sexta Synodo annis, a Simone Mago ad sua usque tempora Hæreticorum texit historiam in primis Monothelismi originem & progressum refert: Sed in his omnibus altum est de Honorio silentium: Ergo &c.

Accedit pro fide Honorii omni exceptione major testis, scilicet Theophanes, qui floruit versus medium noni sæculi; quippe qui referat in sua Chronologia quibus

bus modis S. Maximus ex Africa Romam veniens suum acuerit zelum contra Monothelismum, cujus texit historiam ad annum 670. & quod actum est in sexta Synodo generali nominando eos qui in ea proscripti sunt: Sed non sine fundamento omisit Honorium.

Jam audiendus est Photius pro tanto momento fide dignissimus, quandoquidem summos Pontifices in ore habebat; hic tamen in libro de septem primis Synodis, loquendo de septima Monothelismi recenset Coriphæos, sed silet Honorium, quod dubio-procul non fecisset, si inter Monothelitas annumerandum esse compertum habuisset. Quid plura adjiciam? Paulus Diaconus in vita Constantini IV. sicut & Zonaras in vita ejusdem Imperatoris de Monothelitis nominatim sermonem instituunt, nec tamen quidquam reperies apud eos de Honorio: Ergo &c.

Probatio minoris ex Auctoribus Latinis.

Omnes fere Historiographi qui Monothelismi texuere historiam, ne minimum quidem verbum de Honorio proferunt: Ita Anastasius Bibliothecarius, Blondus lib. 9. Decadis primæ, Nauclerus, Sabellius, Platinus, Beda de sex mundi ætatibus, Humbertus Cardinalis, a Sylva Candida in dialogo cum Nicæta Abbate Vvespergensi, Abbo Bloyæcensis, Marchesius Congregationis Oratoriæ Presbyter, Bellarminus Lib. de SS. Pontifice, Binius in notis ad Conc. Rom. sub Agathone, tum ad Conc. VI. generale, & alii bene multi.

Demum accedit instantia Ecclesiæ Africanæ adversus Monothelitas. Primo quidem ad Theodorum Papam, deinde ad Constantinum Imperatorem, postea ad Patriarcham CP. ut habetur in Concilio Lateranensi sub sancto Martino Secretario II. Porro facta est a tribus Conciliis Africanis videlicet Numidiæ, Bisacæni, & Mauritaniæ: In his Patres Monothelitas suo perstringunt stylo consorio, sed nihil prorsus de Honorio, quem certe non omisissent, si illum agnovissent reum, maxime vero quod eo usque eorum devenerit zelus, ut vel ipsum monuerint Innocentium primum in suspicionem venire, quod Pelagio non nihil faveret, de quo momento se se purgare æquum duxit Magnus ille Pontifex.

§. V.

Quintum Argumentum, ex rationibus Theologicis.

ILLE fuit ab omni erroris nævo immunis, & a Concilio sexto indamnatus extitit, quem rationes omni exceptione majores talem fuisse perhibent: Atqui res sic se habet pro Honorio Papa. Ergo &c. Probatur minor omni rationum genere.

Rationes positivæ pro defensione Honorii.

PRIMA: Qui sensum prodit Catholicum in suis epistolis, non potuit damnari, & hoc constat ex Traditione; Ecclesia enim nihil nisi erroneum damnat, sin minus foret fallibilis & erraret; hinc Theodoretum & Ibam sensum Catholicum exhibentes suscepit in Concilio Chalcedonensi, Dionysium Alexandrinum de Sabellianismo accusatum se purgantem Dionysius Papa absolutum remisit, & sic de aliis bene multis exemplis: Atqui epistolæ Honorii, sensum obvium aperte Catholicum habent, cum testetur unam tantum dicere in Christo voluntatem per exclusionem vitiatæ; ex quo liquet manifeste supponere in Christo ut Deo voluntatem divinam, & ab eodem ut homine solum excludere duas, quales sunt in nobis, quarum, una teste Apostolo adversus spiritum rebellat, altera vero opposita obedit. Ergo &c.

Altera: Qui Catholicam fidem nedum profitetur, sed clare admodum excludit ex professo errores, dubio-procul nec erravit, nec propter errorem damnatus est: Atqui sic se gessit Honorius, asserendo primum realitatem dogmatis in sua prima epistola, deinde loquendo ut S. Leo, qui Act. 10. Concilii laudatur, quique nihil dicendo de una aut duplici operatione asserit Christum operari divina & humana: similiter & dixit Honorius: ait enim ne faveamus Nestorianis, abstineamus a nomine duarum operationum, utique & a vocabulo unius ne adhærere Eutychianis videamur: sed loco duarum operationum dicamus Christum operari divina & humana inconfuse, & inconvertibiliter, quibus duobus vocabulis om-

nem propellit Monothelismum, operationes & voluntates in Christo confundentem. Ergo &c.

Tertia: Qui habitus est ut Orthodoxus & fidei defensor, non potest haberi & damnari ut hæreticus, vel ut hæreticorum fautor: Atqui talis semper habitus est Honorius, & probatur. I. Ex Agathone qui in sua ad Concilium generale epistola ab universali Synodo approbata, testatur omnes prædecessores suos fuisse in fide puros. II. Ex toto Occidente, qui Honorium alicujus circa fidem nævi nusquam insimulavit. III. A Stephano Dorensi Episcopo, a Sophronio Romam pro negotio Monothelismi misso, qui retulit SS. Pontifices & ipsum Honorium Monothelismo restitisse. IV. Veluti Romæ sanctus & Monothelitarum adversarius celebratur; ibi enim videtur depicta ejus imago, abrasa vero et omissa illorum qui Monothelismum propugnarunt. Ergo etc.

Rationes in Jure fundata.

PRIMO: Jura non damnant propter silentium vocis, modo dogma in realitate defendatur: Sed ex Honorii epistolis liquet SS. illum Pontificem tenuisse realitatem duplicis in Christo operationis, immo et sufficienter suam expressisse fidem: Igitur citra jus non potuit damnari. Maior in qua est difficultas probatur. I. Ex Concilio I. Antiocheno, qui œconomiæ causa omisit Verbum consubstantiale pro Spiritu sancto, ne ex hoc inferrent Macedoniani unicam esse in Deo personam. II. Ex S. Athanasio, Hilario et Basilio, qui etiam post adoptionem *Consubstantialis* pro Filio Dei in Concilio I. Nicæno factam, permiserunt tamen *homoiousion*, modo citra varietatem sumeretur, et identitatem in natura Patris pro Verbo importaret. III. Ex Concilio Lateranensi sub S. Martino, qui Secr. 4. ait non esse damnandum eos ut Monothelitas, qui unam aut duas operationes non appellant, modo admittant realitatem & Patrum fidem teneant, ex quo concludit non damnare Typum præcise quod unicam prædicet operationem, sed intentum Typi, in eo quod Monothelitæ contradictoria loquerentur, & modo unam, modo etiam nullam operationem & voluntatem admitterent, ita ut solum Verbum cuncta operaretur, & suppleret vices intellectus & voluntatis.

Ecce verba apud Binium pag. 1005, " Igitur nullo modo oportet contra eos, „ qui minime denegant pariter utrumque, „ id est, unam aut duas dicere in Christo Deo operationes & voluntates, sine discretione indignationem infligere: „ Sed juste contra eos tantummodo hanc „ proferre, qui non confitentur; quæ „ probabiles Ecclesiæ Patres confitentur „ .... Propterea intentum quidem, ut „ dictum est, bonum existentem Typi „ laudamus: sed modum ab intentu dissonantem avertimur ... Aliquando quidem unam operationem, aliquando autem penitus non unam, iterum aliquando unam voluntatem, aliquando autem omnino, nec unam voluntatem „ *Monothelitæ*, in Christo Deo in aperto „ dogmatizantes ... Quoniam quod est „ Christus ut Deus, hoc est uterque naturaliter. „ Honorius non sic, utramque enim naturam in Christo, quod sibi proprium est, divina scilicet & humana operari propugnat.

Secunda: Juxta jura nullus Legatus citra commissionem aliquid definiri tolerare debet: sin minus factum irritum evadit. Sed Legati Agathonis Papæ nullam habebant commissionem aliquid contra Honorium proponendi, neque hoc poterant tolerare, cum in epistola commissionis nulla mentio fiat de isto momento; ut enim ait Binius in notis ad 11. Sess. commissio Legatorum erat intra certos terminos coarctata, & quæ tractanda erant de Monothelitis enumerat Agatho. Ergo &c.

Tertia: Ut definitio ex jure vim habeat, non debet esse contradictoria: Atqui in hypothesi, quod Patres Synodici damnassent Honorium, contra jus fecissent, & quidem contradictorie, quandoquidem Sess. 17. asserunt se damnare Pyrrhum, Sergium, Honorium, eo quod nominatim eos proscripserit Agatho, & quidem per sententiam prius ab ipso latam, ut habetur in epistola Synodica: Atqui tamen falsissimum est Agathonem inter Monothelitas Honorium annumerare, & uti talem damnare, cum potius dicat in

in sua epistola a toto Concilio suscepta, omnes prædecessores suos, usque ad se fuisse in fide puros. Ergo &c.

Rationes negativa.

PRIMA: Si Honorius fuit damnatus, sequitur totum Occidentem & Orientem cum illo errasse & favisse Monothelitis: absurdum consequens; ergo & Antecedens. Probatur sequela majoris. Primo, sequitur totum Occidentem errasse, cum siluerit errores suppositios Honorii, quem Episcopi de Monothelismo nusquam arguerunt, sed magnis semper Encomiis celebrarunt, & uti sanctum habuere. Secundo, sequitur & totum Orientem defecisse cum eo a fide, nedum Monothelitarum Proceres, sed & Catholici, cum vel ipse Sophronius in sua professione fidei, in qua a Christo nato ad suum usque ævum, enumerat hæreticos, ubi non silet Monothelitas, nullam faciat de Honorio mentionem, cum potius ad eum habuerit ad debellandum Cyrum, Sergium & alios recursum: neque vero S. Joannes Damascenus & Photius inter Hæreticos illum commemorant: Theodorus quidem CP. eum nominat, veluti suæ hæreseos socium, ut declinaret Ecclesiæ anathema, sed alloquendo Imperatorem ultro fatetur non fuisse cum aliis Monothelitis damnatum. Baronius ad ann. Chr. 682. pag. 629. edit. Colon. Agr. 1609. Theodorum sic perorantem introducit: " Quomodo existimas, Imperator, posteros fore passuros, præsertim vero „ Orientales, cum lecturi sunt in ipsis „ sextæ hujus Synodi actis Synodalibus, „ tot Constantinopolitanæ Ecclesiæ, nec „ non Alexandrinæ & Antiochenæ Patriarchas scientia sublimes viros, uno „ simul ictos anathematis fulmine cum „ dedecore jacere prostratos, totius orbis „ ignominiæ expositos, & ad omnem locum, quo ipsa Acta contigerit pervenire, veluti unico tractos ostentari damnatos. Honorium vero Romanum „ Pontificem prætermissum, quia nostris „ collega reperitur ejusdem esse assertus „ erroris. „ Hac de causa ut suæ consuleret famæ, acta Concilii defloravit, & loco sui nominis, apposuit inter damnatos Honorii nomen. Ergo &c.

Altera: Non potuit per sententiam latam, omissis juris solemnitatibus, damnari Honorius, cum hoc concessum sit vel ipsi Machario, qui in eodem Concilio sæpius auditus, a judicio comparativo cum suis scriptis proscriptus est; maxime quia mos jam jam inoleverat non damnare summos Pontifices eo ipso quo, vel per Legatos, vel per seipsos a criminibus imputatis se purgare volebant: sic Papa Symmachus in Concilio Romano coram Rege Theodorico a culpis illi impositis se vindicavit, & fides citra moram ejus dictis adhibita est. Sic Leo III. se purgavit præsente Carolo Magno, tum ipse, conclamante Rege, innocens habitus est: sed in Concilio sexto, nec a judicio comparativo discutiuntur Honorii epistolæ; silent Legati, qui prius in eodem Concilio vindicarant Vigilium mortuum de Monothelismo insimulatum, & ejus ad Mennam Patriarcham CP. confictæ declaratæ sunt epistolæ: Igitur falsissimum est Honorium fuisse damnatum.

Tertia: Non æquum est dicere Concilium generale errasse, cum supra ostenderimus Concilia Oecumenica esse in definiendo facto dogmatico infallibilia. Sed supposito quod epistolas Honorii damnaverit Synodus, erravit, ait Binius, cum illarum sensum non attigerit: & hoc ultro concedunt novatores, contendentes Ecclesiam non esse infallibilem circa facta dogmatica, ut a textibus propositionum Jansenii avertant anathemata. Ergo &c. Sic loquitur Binius in notis ad Concil. VI. gen. pagin. 97. col. 1. " Nisi „ concedatur, acta Synodalia in iis, quæ „ causam Honorii concernunt, corrupta „ & depravata fuisse, oporteat fateri „ universam Synodum sanctissimam in„ tollerabilis erroris, impudentiæ & in„ justitiæ notam indelebilem incurrisse. „ Intollerabilis error foret, si unam at„ que alteram epistolam Honorii, ducen„ ti octoginta novem Patres non intelle„ xissent, quave intentione ea scripta „ fuisset, ex circumstantiis temporis, lo„ ci ac personarum non advertissent, item „ quæ locorum dubiorum foret interpre„ tatio, ex vulgata illa & celebri dispu„ tatione Maximi cum Pyrrho habita, „ non audivissent. „

His amore veritatis ponderatis, variis variorum Ordinum percelebres in sacra Theologia Magistri, in primis doctissimus, ac illustrissimus Demegriny, omni scientiarum Græcarum, Hebraicarum, sacræ Theologiæ, & juris utriusque genere excultus, cujus virtutem & in fide defendenda zelum fama non capit, primum in Senatu Parisiensi Advocatus, tum factus religiosus Sancti Francisci Assisionis ex ordine RR. PP. Capucinorum ad Episcopatum Grassæ quondam assumptus, ad hanc, quam defendimus sententiam, propria perantiqua relicta, deflexerunt, quod idem speramus & expectamus a viris doctissimis, qui habent sapientiam sicut Angeli Dei, ad secernendum verum a falso; soli quippe ut plurimum juniores, qui vix pulvere Scholæ excusso, ex Cathedra seu pulpito sonantes, omne quod ingenii tenuitas non scrutatur, flocci faciunt. Absit tamen a verbo injuriæ, cum de quæstione in utramque partem in scholis disputetur; sed quæso amice, doctissime & cordate Lector; si quotidie in scientiarum Palæstra vindicatur Marcellus Ancyranus ab Arianismo, Joannes Antiochenus a Nestorianismo, a fortiori decet ex pietate & justitia zelatos catholicos Honorii partes suscipere, cum adsint infinita prope pro eo defendendo argumenta, ne hæreticorum phalanges, ex supposititio summi Pontificis errore, Ecclesiam Romanam dicteriis insectentur, & contumeliis, ut ejus in dogmate, declinent obedientiam, ut videre est in Centuriatoribus Megdeburgensibus, novissime in recentioribus Heterodoxis, qui in omnibus fere libellis citant confictum Honoris lapsum, ut isto ex palea leviori posito fundamento, quod Ecclesia universalis voluit, suscepit & statuit pro fidei conservatione contra Jansenismum exsufflent.

Fit satis objectionibus.

OBJICIES I. Qui unam tantum in Christo prædicat voluntatem & operationem, est Monothelita, namque Monothelismus initium duxit ab eo quod quidam a duplicis in Christo operationis vocabulo abstinerent: Atqui similiter Honorius in sua prima ad Sergium epistola abstinuit: quinimmo non dicendum esse duas in Christo operationes concessit: Igitur aut Monothelita, aut saltem Monothelismi fautor extitit.

Confirmatur: Ea potissimum ratione Sergius, tum *Ecthesis*, *Typus*, *Capitulum* 7. Concilii Alexandrini sub Cyro Patriarcha celebrati, proscripta sunt, quia duas in Christo operationes silerent. Ergo &c.

Respondeo I. Hæc & similia ad summum probare Honorium non satis strenue adversus Monothelitas egisse: sic propugnat Pater Thomassinus in notis ad sextam Synodam generalem; eo quippe loci nihil a summi Pontificis auctoritate in definiendis rebus fidei detractum propugnat, maxime propter duo. Primo quidem, ex eo quod epistola Honorii ad Sergium ex scriniis Ecclesiæ Constantinopolitanæ educta sit, ut legeretur in Concilio; ex quo liquet notam fuisse illi soli Ecclesiæ, adeoque non fuisse per modum constitutionis datam. Secundo, erat tunc temporis pro more positum, ut summi Pontifices non darent constitutionem dogmaticam, seu ad totam Ecclesiam, seu ad Concilium Oecumenicum directam, nisi ex prævia Concilii particularis adunatione; sic S. Martinus, & post ipsum Agatho Concilium Romæ primum congregarunt, tum adunata est sexta Synodus generalis pro solemniori Monothelismi damnatione: Igitur Honorius, inquit, Thomassinus, locutus est ut persona particularis ad Sergium scribendo, videlicet ut hæresim suboriendam compesceret: neque probari potest eum suam epistolam per modum constitutionis ad totam Ecclesiam direxisse.

Respondeo II. distinguendo majorem: Qui unicam dicit in Christo voluntatem & operationem, tam pro divinitate quam pro humanitate Monothelita est, concedo: qui unam solummodo pro humanitate proclamat, quatenus in ea non duæ sunt in Christo, sicut in nobis quarum altera est & vitiosa, & spiritui rebellis, altera sancta & Deo subjecta, nego. Et sic distincta minore nego consequentiam.

Ad confirmationem, nego paritatem. Et vero latum est discrimen inter Sergium & Honorium: iste enim animo Catholico unicam in Christo dicebat operationem; e contra vero Sergius, non quidem in suo

in suo ad Honorium rescripto, in quo saltem quoad terminos loquebatur catholice; hinc propter hoc neque a S. Martino, neque ab Agathone proscriptus est, sed potius propter suam ad Cyrum epistolam, simul & propter Ecthesim ab ipso compositam; in utroque enim instrumento operationem in voluntate humana, non nisi passivam agnoscit, activam vero tantum in Deitate; ait enim Sergius scribens ad Cyrum: Operatur quippe vere Deitas per corpus circa ipsamet omnium salutem, ut sit quidem carnis passio, Dei autem operatio. Igitur humanitas, juxta Sergii placitum, erat tantummodo operationis divinæ subjectum.

Eadem discrepantia intercedit inter *Typum*, *Ecthesim* & Honorii rescripta, quandoquidem animo hæretico in *Typo*, tum in *Ecthesi* duplicis operationis reticetur vocabulum. Ita colligitur ex Concilio Lateranensi Secretario 4. his verbis: " Præterea intentum, quidem ut dictum " est, bonum Typi existentem laudamus, " sed modum ab intentu dissonantem " avertimur. " Hoc ipsum etiam patet ex Epist. 2. sancti Martini ad Constantem Imperatorem, videlicet Sergium, Ecthesim, Paulum vero Typum, composuisse animo hæretico; sic enim habetur: " Ad correptionem, *inquit*, non vene" runt, sed in deterius progressi sunt. " Idem repetit in Epistola sua ad Ecclesiam Jerosolymæ & Antiochiæ. At vero Honorius sciens, quantum incendium paratum esset ex conflictu Sergii & Cyri cum Sophronio Patriarcha Jerosolymitano, maluit œconomiæ causa abstinere a duplicis in Christo operationis vocabulo. Hujusce œconomiæ, non unum est in historia Ecclesiastica exemplum. Primo quidem, in Concilio Chalcedonensi, quoad pacem componendam cum Theodoreto, & Iba, a damnatione trium capitulorum abstinuerit. Secundo, Leo IX. particulam illam de Spiritu sancto, *qui a Patre filioque procedit*, ad tempus voluit omitti, ne Græci offenderentur, tametsi jam jam tum in Hispania, tum in Gallia decantaretur inter sacra solemnia in Symbolo.

Demum citra dubium est capitulum VII. merito fuisse proscriptum, eo quod unicam annuntiaret in Christo operationem. Ratio est, quia animo utique hæretico fuerat conditum. Honorius tamen intactum illud reliquit, quippe qui errore detentus crederet Sergium, & Cyrum sicut in suis ad eum rescriptis testabantur, solum ad vitanda novitatis verborum scandala abstinuisse a nomine duplicis in Christo operationis.

Instabis: Atqui Honorius unicam dixit in Christo voluntatem pro humanitate, simul & divinitate. Ergo &c. Probatur subsumptum. In prima Epist. sic loquitur: " Siquidem scriptum est Joan. 8. " Non veni facere voluntatem meam, " sed ejus, qui misit me Patris: & Matth. " 26. Non quod ego volo, sed quod tu " vis, Pater; & alia ejusmodi non sunt " hæc diversæ voluntatis, sed dispensa" tionis humanitatis assumptæ. " Sed qui negat diversam in Christo voluntatem, unicam omnimode admittit. Ergo &c.

Confirmatur: Tota controversia mota inter Sergium, Cyrum, & inter Sophronium in eo potissimum sistebat, quod illi unicam in Christo dicerent tum operationem, tum voluntatem: sed sicut Sergius & Cyrus a duplicis operationis vocabulo abstinebant, sic quoque & abstinebat Honorius: Igitur in illorum concluditur damnatione.

Respondeo I. negando subsumptum. Ad probationem, dico epistolam Honorii fuisse defloratam ab interprete græco, qui posuit unicam operationem, quæ quidem vox non erat in textu primigenio.

Respondeo II. ut supra distinguendo subsumptum: Honorius unicam propugnavit operationem in humanitate, concedo: pro humanitate, simul & divinitate, nego. Hoc ipsum probant testimonia & Joannis & Matth. modo laudata. Et sic patet responsio ad probationem.

Ad confirmationem similiter distinguo minorem: Honorius œconomiæ causa abstinuit a duplicis operationis vocabulo, concedo: animo irreverenti & fidei adverso, sicut Sergius & Cyrus, nego.

Urgebis: Monothelitæ agnoscunt, primo quidem, Christum perfectum Deum, et perfectum hominem. Secundo, eumdem operari divina et humana: et quidem inconfuse atque inconvertibiliter; sic enim

enim loquitur Macharius in sexta Synodo actione 8. pag. 31. col. 1. " Confiteor Dominum Jesum Christum unum sanctissimæ Trinitatis esse, & post Incarnationem in duabus perfectis naturis inconfuse & indivise in una persona, & una subsistentia nusquam naturarum differentia perempta .... salvata potius proprietate utriusque naturæ ... Nec aliquid peccati dicimus eum assumpsisse. " Atqui tamen, non obstante ipsa fidei professione proscriptus est, eo quod duplicis operationis vocabulum reticeret: Igitur & Honorius eadem ratione habendus est ut Monothelita damnatus.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem: Ratio discriminis est, quod Macharius animo prorsus hæretico unicam in Christo prædicaverit operationem. Nam ibidem, sic loquitur Act. 8. " Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales, in Incarnationis dispensatione Domini nostri Iesu Christi, sed unam voluntatem, & Dei virilem operationem, " Deinde subjungit: " Nec si membratim incidar, et mittar in mare. "

Neque vero ceteri Monothelitæ in alio sensu unicam intelligebant in Christo operationem, cujus rei argumentum irrefragabile est, quod Imperator in *Ecthesi* sub gravissimis pœnis, duplicem in Christo operationem dicere prohiberet.

Ad id tandem quod in objectione dicitur, Macharium et Monothelitas prædicare proprietates in Christo manere inconfusas, distinguo: inconfusas cadente super naturas, concedo: super operationes, nego. Macharius suam ipse prodit mentem. Ibidem post verba in objectione laudata, subdit: " Confitemur unum Dominum nostrum Jesum Christum. Qui enim unam voluntatem habens, est ad susceptionem harum omnium passionum idoneus. " Hinc juxta eos divinitas sola operabatur.

Replicabis: Atqui Monothelitæ dixerunt utramque naturam in Christo operari divina & humana, & tamen proscripti sunt, eo quod modo unam prædicarent in Christo operationem & voluntatem, modo a duplicis operationis, aut etiam unius vocabulo abstinerent. Igitur Honorius in eadem causa damnationis est, cum similia legantur in ejus ad Sergium epistola. Probatur antecedens multis momentis ex Concilio Lateranensi sub S. Martino, Secretario. 4.

Primo: Sic legitur edit. Col. 1606. pag. 1091. " Igitur sicut prælectionem audivimus, *inquit Sanctus Martinus*, dilectissimi fratres, Cyrus quidem in suis capitulis definivit ita. Si quis non dicit unum eumdemque Christum operari Deo decibilia & humana per unam Dei virilem operationem, anathema sit. Sergius autem hujusmodi admittens, atque confirmans ejus confessionem, ad eumdem scribens, ait: hanc vestram Orthodoxam relegentes doctrinam & divinam suasionem sive omni Orthodoxia repletam, vestræ sanctitatis Domini collaudavi benignitatem ..... Asseruitis autem, bonum est enim, ut & ipsis sacris vestris vocibus, utamur unum eumdemque Christum operari Deo decibilia & humana per unam operationem. "

Secundo: Pergit ibidem S. Martinus: " In Ecthesim autem illorum apertius quid nunc dixerunt, evacuantes, & reproba, quæ ab ipsis firma pronuntiata sunt, dicentes, falsa autem quæ vera, & pia quæ impia, & minorata indiminuta .... Cum anathemate ab ipsis definita contra eos, qui ita habere hæc non profitentur; sequentes prorii anathematis per transgressionem condemnationem, de hoc in erroneis eorum dogmatibus ita dicunt, nullo modo concedentes, cuiquam ex omnibus unam aut duas dicere, vel docere operationes in divina Domini dispensatione. Ideoque sanctos Patres, per omnia & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi confitemur .... Ergo hanc Ecthesim, Sergius & Pyrrhus, per propria monumenta confirmantes, quatenus multo amplius dogmatum suorum vicissim ostendant, ubique omnibus destructionem ..... Confirmamus Ecthesim, quoniam in omnibus sequitur plenius & indiminute Doctrinam Sanctorum probabilium Patrum; si quis ergo a præsenti die temerator prohibitarum a fortissimo, & a Deo conservando Domino & magno Imperatore

" sive

„ sive congregata hac Sancta Synodo fa„ ctus, unam aut duas præsumpserit dog„ matizare, aut proferre in Christo Deo „ nostro operationes, hunc, si quidem E„ piscopus, aut Presbyter, vel Diaconus „ sive de sequentibus fuerit gradibus, ab „ omni suspendimus Ecclesiastico ministe„ rio vel officio. „ Tum Pyrrhum & Cyrum, eamdem Ecthesim approbantes induxit S. Martinus, qui in hoc toto textu loquitur in Concilio, eoque propter hos & similes errores perstringit.

Tertio: Paulus Episcopus ibidem pagin. 1094. ait: " Sed & omnes pietatis Do„ ctores & Prædicatores, hujusmodi u„ nius voluntatis mente detinentur. Quo„ rum, si opus est requisitione convenien„ te, et competenter relegimus testimo„ nia: quibus concordes et consonantes „ facti sunt piæ memoriæ Sergius et Ho„ norius. „

Respondeo negando consequentiam, et paritatem: in sensu enim prorsus a sensu Monothelitarum diverso Honorius unam dixit operationem; quandoquidem unam solum pro humanitate tantum, et non pro divinitate simul et humanitate effatus est, cum tacendo vocabulum unius, aut duplicis operationis ab hæresi Eutychiana et Nestoriana discedere voluerit, et in rei veritate duplicem agnoverit in Christo operationem; hinc Paulus in Typo laudans pro se Honorium, Synodus Lateranensis illum proscripsit, istum vero siluit: sicque duos habet pro se SS. ille Pontifex Patronos a Monothelitis factos, Martyres, scilicet sanctum Martinum, et Maximum Abbatem, illum in exilio jussu Constantis ærumnis mortuum, istum lingua, postea brachio abscissis propter fidem extinctum.

Jam ad singula gradum facimus. Monothelitæ asserunt Christum operari divina et humana per unicam operationem Verbi, concedo: per duplicem, alteram Verbi, alteram humanitatis, nego. " Asseruitis, *inquit Concilium*, bonum est „ enim, ut vestris sacris vocibus utamur, „ unum, eumdemque Christum operari „ Deo decibilia et humana per unam ope„ rationem. „

Ad aliam instantiam similiter distinguo: Monothelitæ, quandoque abstinuerunt a nomine unius, aut duplicis operationis, et ex hoc concludebant unicam esse in Christo voluntatem, & dejiciebant e gradu fidem profitentes, concedo: secus, nego. Sic habetur in Ecthesi supra: " Ideoque sanctos Patres, inquiunt, per „ omnia & in hoc sequentes, unam „ voluntatem Domini nostri Jesu Chri„ sti confitemur..... Si quis ergo a præ„ sente Die..... unam aut duas præsum„ pserit dogmatizare..... operationes, ab „ omni suspendimus Ecclesiastico ministe„ rio. „

Ad Tertium momentum, sic quoque distinguimus: Patres damnant eos qui tacent vocabula unius, aut alterius operationis, ut revera exsufflent a Christo omnem voluntatem, concedo: qui tacent vocabula solum, & retinent rem, nego. Solutio patet quoad utramque partem ex Concilio. Primo quidem, reprehendit Monothelitas, quod sileant vocabulum duplicis operationis, sed quare? Nisi ex eo quod tacendo vocem, voluntatem humanam e Christo prorsus eliminarent: " Propterea enim, *ajunt Patres Lateranen„ ses*, sicut audivimus, & manus nostræ „ palpaverunt de Verbo novitatis eorum, „ aliquando quidem unam operationem, „ aliquando autem penitus nec unam ope„ rationem: iterum aliquando unam vo„ luntatem, aliquando autem nec unam vo„ luntatem in Christo Deo in aperto dog„ matizantes, utpote eum sine operatio„ ne naturaliter existentem per utram„ que, ex quibus consistit naturis, & si„ ne voluntate. „

Quod autem Concilium Lateranense non damnet indiscriminatim omnes qui abstinent a vocabulo unius, aut duplicis voluntatis, audi quid ibidem dicat: " Igitur nullo modo oportet contra eos „ qui minime denegant pariter utrum„ que, id est, *Unam aut duas dicere in „ Christo Deo operationes & voluntates*; si„ ne discretione indignationem infligere, „ sed juste contra eos, tantummodo „ hanc proferre, qui non confitentur, „ quæ probabiles Ecclesiæ Patres confi„ tentur: hoc est, duas ejusdem sicuti „ essentias unitas inconfuse, & indivi„ se, & æquali numero voluntates & „ operationes. „ Igitur non Honorium utrumque admittentem, sed Monothelitas negantes suo perstringit stylo censo-

sorio sancta Synodus; quocirca utique dicit se laudare Typum in aliquo, scilicet in eo quod Imperator vellet pacem Ecclesiæ componere proponendo disputationes circa vocabula, sed reprobat, dum abstinendo a vocabulo unius, aut duplicis operationis, evacuatur in Christo voluntas humana.

Insistes: Honorius in primo ad Sergium rescripto Sess. 12. pagin. 64. ait: " Synodales apices super hoc examinantes, " neque auctoritates Canonicæ visæ sunt " explanasse, ut unam vel duas energias " aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neque Evangelicæ, vel Apostolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio super his habita, visæ sunt terminasse, nisi fortassis, sicut præfati sumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt condescendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad Ecclesiastica dogmata " trahi non debent. " Sed qui dicit duas in Christo operationes non pertinere ad dogmata, erronea loquitur & statuit, eo prorsus modo quo posuerunt Monothelitæ. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Honorius ait, duas in Christo operationes non pertinere ad dogmata, quoad voces & nomina, concedo: quoad realitatem, nego. Caput controversiæ, testante vel ipso Sergio in sua ad Honorium epistola, erat solum de vocum novitate, quæ exagitabat simplices, nec alio intelligebat modo summus Pontifex; hinc ad pacem componendam pronuntiavit Christum operari divina simul & humana in carne inconfuse, sicque retinendo dogma, dixit abstinendum esse a vocabulis quæ non spectabant dogma: quod autem loquatur tantum de vocibus patet, namque subdit, nullum Concilium ad hæc usque tempora definivisse, num una aut duplex operatio dicenda foret: " Non oportet ad " dogmata hæc Ecclesiastica retorquere " quæ neque Synodales apices super hoc " examinantes, neque auctoritates Canonicæ visæ sunt explanasse. " Neque " vero plus urget quum dicitur, eumdem Pontificem voluisse, ut abstineretur a nomine unius aut duplicis operationis, quandoquidem Concilium Lateranense Secretario 4. ait, neminem esse damnandum propter hoc, exceptis Monothelitis, qui ab hujusmodi vocibus abstinuerunt, ut humanam Christi voluntatem prorsus exploderent, ut ex textibus liquet.

Quid plura adjiciam pro defensione piissimi Papæ Honorii? Acta Concilii sexti Oecumenici fuisse deflorata a Monothelitis observat Binius in notis ad istud Concilium, quod vel a Georgio Patriarcha CP. in locum Theodori suffecto, factum est, cum antea Monothelismi fuisset insimulatus, namque Concilium sub ipso adunatum est, vel ab ipso Theodoro, qui restitutus est anno 681. quo terminata fuit Synodus.

Et vero Concilium cœpit mense Novemb. ann. 680. absolutum est ann. 681. mense Septemb. Theodorus, simulata pœnitentia reconciliatus est cum Imperatore, & Constantinopolim, vix finito Concilio appulit; tunc mortuo Georgio Patriarcha CP. ipse ibi iterum sedit; quo quidem tempore, ejus consilio & molitione Legatos Imperator anno ferme integro in aula retinuit, donec novus crearetur Pontifex, qui de actitatis non plene instructus, nullas adversus Græcos moveret Tragœdias, hinc illo procrastinationis intervallo, Theodorus falsavit acta Concilii, & suo loco posuit inter damnatos Honorium; sic respondet Baronius ad ann. Christi 682. pagin. 633. his verbis: " Quisnam præter ipsum *Theodorum* Imperatori potuit ingessisse, ut Legatos " Roma ad Synodum missos tandiu post " ipsam absolutam Constantinopoli detineret, donec novus Romæ Pontifex " crearetur, interim vero ea Synodalia " acta Constantinopoli dimoveri non sinerentur: & procurasse, ut tardius ordinaretur Romæ Pontifex, ne esset, " qui interea suis Molitionibus posset obsistere.... Magna fuit ista tentatio, ut " tunc in rebus summis Romana Ecclesia vexaretur, cum careret ipsa Pastore: quo, nemine contradicente, acta " Synodalia, salvo tamen fidei confirmato decreto quod convellere non liceret, pro arbitrio Theodori pœnitentiam " simulantis, hæretici bis impii, mutarentur. "

Rursus: Ibidem pagin. 630. " Tandem " voti compos factus *Theodorus*, in suum " arbitrium acceptis Synodalibus actis,

" ut

„ ut dictum est superius, vitiavit atque „ corrupit, suum nomen e numero subtrahens damnatorum, adjungens ei Honorium Romanum Pontificem, Prædecessores vero Patriarchas hæreticos „ Thomam, & alios collocans inter „ pios. „

Tum præoccupat objectionem seu replicam, & respondet: " Ista quidem cum „ audis, haud puto, prudens lector, di„ ces excogitatum a nobis esse figmen„ tum, sed firmissimum argumentum, si „ in memoriam revoces, quæ anno supe„ riori, cum de Honorio ipsoque Theo„ doro & aliis egimus, dicta sunt; si ita„ que veritatis adeo amator es, ut laten„ tem etiam studes eam consequi conje„ cturis, utique te eam nactum esse gau„ debis, cum istud ipsa acta Synodalia „ clament lugeantque sua vulnera, atque „ esse manu scorpii depravata pluribus „ additis, atque itidem pluribus mutila„ tis, non ab alio quam ab eo qui com„ prehensus est fur, pessimo Theodoro, „ deplorent. „

Quid plura? Sergius Act. XII. Conc. VI. laudat pro se S. Leonem apud Binium pag. 64. col. 1. qui de facto omittens vocabula duplicis operationis & voluntatis, ait: *Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium habet*. Ergo ne S. Leo abjectus ut Monothelita? Absit. Patres Concilii ubique potius Act. 1. & in aliis ejus utuntur auctoritate ad perstringendos hæreticos: Igitur neque damnandus Honorius, qui eodem modo cum S. Leone in suis epistolis locutus est.

Insistes: Monothelitæ eadem cum Honorio utebantur ratione ad reticendum duplicis in Christo operationis vocabulum, & tamen ulla absque mora proscripti sunt ut hæretici: Igitur & idem de Honorio dicendum est.

Respondeo distinguendo antecedens: Et pro more hæreticorum non sine dolo loquebantur catholice, concedo: citra dolum, nego. Non sic Honorius, ut jam jam dictum est, unde nego paritatem.

Opponer II. Ille censetur Monothelita, qui uti talis legitur proscriptus in sexta Synodo generali: Atqui res sic se habet: Igitur saltem ut Monothelismi fautor Honorius habendus est, alias Synodus etiam generalis fallibilis foret, quod dici non potest. Probatur minor. Sess. 13. Honorii epistolæ ut hæresim continentes comburuntur; Sess. vero 17. ipse cum ceteris Monothelitis anathemate percutitur. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo: Honorius legitur proscriptus ex defloratione Actuum Concilii, ut luce pomeridiana clarius ex probationibus constat, concedo: secus, nego antecedens, & consequentiam: neque vero probabilitate caret alia gravissimorum auctorum responsio, videlicet Synodum non nisi ad sessionem undecimam usque fuisse legitimam.

Replicabis: Atqui non claret Synodum fuisse defloratam. Ergo &c. Probatur subsumptum: si quæ ratio hoc ipsum probaret, maxime ex eo quod omissa judicii comparativi solemnitate Honorius damnatus sit: sed ea utique omissa celebriores Monothelitæ, nimirum Sergius, Pyrrhus, & alii, si Macharium excipias, non alio modo proscripti sunt, & tamen ab universali Ecclesia rite proscripti habentur: Igitur & a pari Honorius dici debet abjectus.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego paritatem: Ratio discriminis non una est. Ceteri Monothelitæ in Conciliis Romanis, maxime vero in Lateranensi ex prævio factorum examine jam jam damnati fuerant, quocirca non opus fuit ulteriori discussione in sexta Synodo, quæ solum iterato anathemate Monothelitas jam proscriptos damnavit; hinc causa solum Macharii præsentis, Themistii, Antymi, Theodori epistolæ ad Paulum, & ejusdem Pauli textus specialiter in hoc agitata Concilio, tandem finita fuit: Sed altum in Conciliis Romanis de Honorio silentium: quinimmo sicut Agatho, sic & S. Martinus contestati sunt omnes suos prædecessores fuisse ab omni Hæreseos nævo immunes. Immo in Concilio Lateranensi lecta est Pauli Monothelitæ ad Theodorum Papam epistola, in qua ut suos defendat errores, ait: " Si opus est requisitione „ proveniente, & competente relegi„ mus testimonia: quibus concordes & „ consonantes facti sunt piæ memoriæ „ Sergius & Honorius. „ Et tamen Paulum

lum & Sergium S. Martinus in Concilio Lateranensi damnavit, minime vero Honorium, quem sciebat fuisse Orthodoxum, & non sine fraude & calumnia a Paulo pro Monothelismo nominatum, ut ejus auctoritate Ecclesiæ anathemata declinaret. Altera ratio in probationibus jam laudata est, incredibile esse Legatos, ultra suam instructionem egisse, quod tamen fecissent, si damnationi Honorii, aut consensissent, aut ipsa facta tacuissent: & quod stupendum magis est, summum Pontificem alias de Ecclesia non semel bene meritum, omissa juris solemnitate indiscriminatim cum nefandis hæreticis eodem stylo anathemate fuisse perculsum.

Persistes: Tametsi Agatho in sua ad sextam Synodum epistola inter damnatos non appellet Honorium, non ideo iste Pontifex e numero damnatorum expungendus venit: Igitur ruit hæc palmaris deflorationis Concilii ratio, quod Honorius non legatur in epistola Agathonis proscriptus. Probatur antecedens: Agatho multos omittit Monothelitas, ut Themistium, Theodorum Constatinopolitanum, nec tamen a sententia ab ipso contra Monothelitas lata excluduntur. Igitur pari & consimili ratione ab ea non exclusit Honorium.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, nego paritatem propter multa: Primo quidem, Agatho expresse a damnationis sententia excludit Honorium, dum omnes suos Prædecessores in fide puros prædicat. Secundo, tametsi mortuos solum nominet Monothelitas, isti in Conciliis prioribus adhuc in terris superstites damnati fuerant, sed non Honorius: silet vero ceteros viventes ea ductus ratione, quod eorum causa ipsis præsentibus in sexta Synodo agitanda foret: sed nihil quicquam simile de Honorio reperies. Tertio demum testantur Patres Sess. 17. & in epist. Synodica ad summum Pontificem, se ideo damnasse Monothelitas, & cum eis Honorium, eo quod omnes prius nominatim, & per sententiam latam ab ipso fuissent damnati: ecce nominatur Honorius: ecce dicitur nominatim per Agathonem proscriptus: sed hoc est falsissimum: Igitur & falsum a Concilio fuisse damnatum.

Dices: Adversus alteram responsionem: Si Concilium finitum est actione 11. Pyrrhus, Sergius, & alii Monothelitæ frustra anathemate perculsi Sess. 17. legerentur: absurdum consequens, ergo & antecedens.

Respondeo negando sequelam propter duo. Primo quidem, jam jam damnati fuerant in Concilio Romano ab Agathone. Secundo, tametsi Legati in ultimis sessionibus non adfuissent, Concilium tamen quoad istud momentum potuit ab Ecclesia suscipi. Quid plura? non vindicamus Honorium ex illa potissimum secunda responsione, sed ex defloratione actuum & contradictionibus, quæ, sublata actuum Synodalium defloratione, in Concilio reperirentur: sed ex ejus epistolarum orthodoxia, sed ex textibus & Apologiis omni exceptione majoribus.

Persistes: Atqui citra fundamentum ista Concilii defloratio propugnatur. Ergo &c. Probatur subsumptum multis rationibus. Primo quidem, quinque exemplaria Concilii facta sunt præsentibus Legatis, unum scilicet pro summo Pontifice, cetera vero pro quatuor Patriarchis Orientis, & in his omnibus legitur Honorius cum Monothelitis damnatus. Secundo, Leo II. qui ex Græco Concilium latine reddidit, debuisset corrigere mendam, vel saltem ad marginem observationem apponere, dicendo acta fuisse deflorata in causa Honorii, si hoc esse falsum existimasset, quod tamen non fecit; quinimmo in sua ad Imperatorem epistola annumerat Honorium inter damnatos. Tertio, similiter & annumerat Concilium VII. Quarto, annumerat & Tharasius Patriarcha CP. his adjungitur liber diurnus Romanorum Pontificum: Idem referunt lectiones antiqui Breviarii Romani in Festo Leonis secundi, & ita habetur in vita illius Papæ in Pontificali Romano, ubi de vita SS. Pontificum. Demum Agatho Diaconus, qui notarii munere functus est in sexta Synodo generali, scribit Honorium damnatum: scribunt & alii multi auctores, ut venerabilis Beda Lib. de sex mundi ætatibus, Ado Viennensis, immo ipse Bellarminus Lib. 4. cap. 3. de summo Pontifice concedit Honorium de facto fuisse damnatum: sed addit, in hoc Concilium errasse in

in quæstione illius facti. Idem habetur in epistola Imperatoris. Ergo &c.

Respondeo I. Ad hæc & similia testimonia: Patres Concilii VII. generalis, aliosque supra laudatos errore facti fuisse detentos: nam ex defloratione primigenii Textus VI. Synodi absque negotio irrepsit in cetera exemplaria error: Porro Concilia in quæstione meri facti posse errare, nemo ambigit.

Respondeo II. negando subsumptum. Ad probationem dico; nulli mirum videri debere si Acta VI. Concilii fuerint deflorata, cum vel ipso Vigilio demorante Constantinopoli, Acta V. Synodi Œcumenici depravata fuerint, ut Patres VI. Synodi testantur. Quomodo vero hoc factum sit, nusquam detegit deflorator: nemo non novit constitutiones Apostolicas, & epistolas decretales summorum Pontificum ad Siricium usque non recipi; quis tamen novit a quo tot Acta fuerint intrusa? Baronius ad annum 682. & 683. contendit Theodorum propter Monothelismum a sede CP. deturbatum loco sui nominis, quod non sine stupore, inter damnatos non invenitur, maxime cum propter ejus & Macharii pertinaciam adunatum sit VI. Concilium, nomen Honorii suorum amicorum molitione apponi curasse. Unum certissimum est, Græcos in arte falsificandi admodum fuisse peritos. Hinc Magnus S. Leo Epist. sua 83. ad Palæstinum conqueritur de Græcis, quod suam ad Flavianum epistolam deflorassent. Sanctus quoque Gregorius Lib. 5. Epist. 14. ad Parcem, asserit Constantinopolitanos Chalcedonense Concilium adulterasse. Non omittendus Nicolaus I. qui scribens ad Michaelem Imperatorem, illum remittit ad epistolam Adriani primi: " Si tamen, *inquit*, non falsata mo-„ re Græcorum conservatur. „ Demum omnes norunt quibus fraudibus Photius pervenerit ad Patriarchatum Constantinopoleos, deinde vero quomodo illuserit Joann. VIII. summo Pontifici. Jam ad singula faciendum est satis. Sed quid immoror? Audis benevole lector Monothelitas in sexta Synodo de falsificatione Actuum non semel convictos fuisse.

Ad primum distinguo: Quinque exemplaria facta sunt, & molitione Theodori in ejus gratiam deflorata sunt, concedo: & non fuerunt deflorata, nego. Legati hoc ipsum non animadvertentes bona fide credentes genuinos esse codices, unum sic depravatum Romam detulerunt, maxime eo quod fortasse non satis callerent Græcam linguam.

Ad secundum distinguo: Et Oeconomiæ causa Leo non correxit mendam, concedo: non correxit eo quod Honorium crediderit vere damnatum, nego. Sic se gessit magnus ille Pontifex, ne sextæ Synodi auctoritas in dubium revocaretur; tum quia etiamsi Honorius, ut Doctor particularis errasset, & damnatus fuisset, fidei definitiones in periculum non veniebant.

Ad tertium dico, S. Leonis ad Imperatorem epistolam esse supposititiam: sic propugnant Binius in notis ad epistolam istam Tom. 16. Concil. edit. Reg. et quidem propter multa. Primo, inquit, illam scripsit sub finem mensis Maji indictionis primæ, pro responsione ad epistolam Imperatoris, quam asserit se recepisse mense Julii ejusdem indictionis, ex quo sequitur tribus fere mensibus prius respondisse quam Imperatoris accepisset litteras. Secundo, tunc temporis nondum erat inauguratus summus Pontifex, hoc quippe factum est tantum mense Augusti ejusdem indictionis. Tertio, Honorium in hæresi defunctum scribit, quem tamen Papam inter summos Pontifices de Ecclesia bene meritos Romæ sepultum referunt Historiographi; quinimmo ibi ejus imago in Ecclesia sanctæ Agnetis conspicitur, e contra vero, teste Anastasio, ceterorum Monothelitarum tabellæ expunctæ & ablatæ sunt. Quid plura commemorem? ejusdem sancti Leonis epistolas ad Episcopos Hispaniæ commentitias tenet utique Binius ibidem: sic etiam propugnat Baronius ad annum 682. et 683. quocirca propter contradictiones non ignoti nominis auctores asserunt epistolam S. Leonis ejusdem Theodori molitione fuisse defloratam.

Ad quartum et quintum, eadem est responsio ac ad secundum: ceterum Adrianus I. approbavit Concilium VII. generale solum pro cultu sanctarum imaginum, et pro fidei dogmatibus adversus Monothelitas: hæc enim duo tantum momenta

menta ibi tractari praeceperat: hinc in causa Honorii Concilium fuisse defloratum non obscure subindigitat Anastasius Bibliothecarius in praefatione illius Synodi ad Joannem 8. his verbis: " Sane „ notandum est quaedam & in hac Syn„ odo ex Apostolorum & sextae univer„ salis Synodi Canonibus & sententiis „ inveniri, quae penes nos interpretata „ nec habentur, nec admittuntur. „ Ex quo liquet Graecos multa ex industria, aut addidisse VII. Concilio, aut ab eodem detraxisse.

Dices: In versione septimae Synodi ab Anastasio facta, nomen Honorii inter damnatos conscriptum reperitur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Reperitur cum observatione mox laudata, quae sufficit ad Honorii purgationem, concedo: seclusa observatione, nego antecedens & consequentiam. Igitur Anastasius non putavit Honorium damnatum.

Ad septimum, praeter responsiones generales Marchesius Dissert. 4. cap. 7. dicit librum Diurnum in objectione laudatum nullius esse auctoritatis, propter varia contradictoria quae complectitur. Revera quidem citatus ab Ivone continet octo Concilia, sex vero tantum juxta recentiorum placita. II. In illo fit mentio de Canonibus sextae Synodi generalis a Gratiano citatis, & tamen Anastasius Bibl. in praefatione septimae Synodi, negat tales Canones in eo contentos recipi ab Ecclesia Romana, & hoc quia ibi Honorius legitur damnatus. Hinc & propositio R. P. Alexandri de damnatione Honorii damnata est, ut habetur in censura suorum librorum ad Synodum sextam.

Ad lectiones antiqui Breviarii Romani in Festo S. Leonis secundi, contendo ex codicibus defloratis excerptas fuisse, cujus rei argumentum est, quod in vetustis exemplaribus nomen Honorii non reperiatur, sed solum in recentioribus. Hanc diversitatem innuit Innocentius III. capite *cum Marta* in Officio S. Leonis; multae aliae mendae in eodem Breviario animadvertuntur. Verbi gratia legitur sanctum Marcellinum Papam Thus Idolis adolevisse, quod tamen negat S. Augustinus Lib. de unico Baptismo cap. 16.

Ad librum de vita SS. Pontificum idem respondemus; quod si compositus sit ab Anastasio Bibl. ex dictis patet, quam recta sit ejus circa Honorium intentio.

Ad Agathonem Diaconum, Marchesius Dissert. 2. cap. 16. contendit suspectam esse illius fidem, quippe qui adhaeserit Georgio Patriarchae CP. haeretico. Baronius observat Bedam non semel in Historia Ecclesiastica texenda errasse: instar omnium sit, quod Lib. 2. Historiae Anglorum honorifice de Honorio scribat, maxime in opere de sex mundi aetatibus. Igitur non sibi constat, si alibi dixerit contrarium. Et vero sanctus Joannes Damascenus illi coaevus inter Monothelitas non numerat Honorium. Si de Bellarmino agatur, certum est non satis accurate acta sexti Concilii discussisse.

Denique, propugnamus epistolam Constantini in objectione laudatam ab aemulis Honorii fuisse defloratam, quandoquidem in sua ad Leonem II. de omnibus SS. Pontificibus, nullius facta exceptione loquens, incontaminatam omnium praedicat fidem, his verbis: " Gloria „ Deo, qui gloriosa fecit, ac fidem apud „ vos integram conservavit; quomodo „ enim id facturus non erat in ea pe„ tra, super quam ipse Ecclesiam funda„ vit, ac praedixit numquam fore, ut „ portae inferi, hoc est haereticae insidiae „ adversus eam praevalerent. „

Repones: Actione 3. sextae Synodi generalis edit. Reg. p. 65. & 66. molitione Monothelitarum Vigilius citatur veluti cum illis eamdem tenens sententiam. Rursus Act. 8. pag. 31. editionis Coloniae anno 1606. Macharius pro se ipso adducit Honorium; sic enim loquitur: " De hoc enim & Confessionem fidei jam „ pridem exposuimus, & consentimus „ tam sanctis quinque Synodis, quam„ que Honorio a Deo erudito, Sergio & „ Paulo atque Petro, & reliquis, quo„ rum mentionem & in his quae Domi„ no porreximus testimoniis, fecimus, „ confitentes unam voluntatem substen„ tialem in uno Domino nostro Jesu Chri„ sto. „ Sed adversus primum momentum insurrexere Legati, probantes commentitium esse Sermonem Mennae ad Vigilium, ubi asserebat Vigilium unam dicere in Christo voluntatem, immo in illa

tertia

tertia actione pag. 11. tres quaterniones declarantur additi absque subnotatione numeri, quo expleto: " Constantinus „ piissimus Imperator dixit hujusmodi non „ relegatur sermo, postmodum enim ge- „ storum ejusdem sanctæ Synodi „ ordinabiliter relegatur. „ Deinde vero duo libri Vigilii, alter ad Justinianum Imperatorem, alter vero ad Theodoram Augustam, in quibus habetur una in Christo operatio, utique suppostitii declarantur pag. 65. edit. Reg. " Exurgen- „ tes iterum Legati Apostolicæ sedis... „ exclamaverunt dicentes ... non dixit „ Vigilius unam operationem: non sunt „ libelli Vigilii. Falsatus est hic liber, „ sicut exordia primi libri præsentis quin- „ tæ Synodi. „ Tum silentium impositum est Carthophilacio qui in medium afferebat codices, in quibus sanctus Leo, pro teste unius in Christo operationis laudabatur: Sed nemo partes Honorii defendendas suscipit, cum Macharius illum ut Monothelitam prædicat. Igitur vel ex ipsis prioribus sessionibus liquet Honorium fuisse Monothelismi fautorem.

Respondes distinguendo minorem quoad tertiam partem: Nullus partes Honorii in actione 8. defendendas suscepit œconomiæ causa, concedo: eo quod de facto adhæsisset Monothelismi erroribus, nego. Contrarium enim ejus prædicant rescripta. Non mirum si Legati insurrexerint pro defensione Vigilii, cum falso accusaretur adhæsisse tribus Capitulis. Demum nullam iidem Patres fidem adhibuerunt Machario, ipse enim proscriptus est, minime vero Honorius, quem Monothelitem dicebat, quod tamen Patres Sess. 9. & 10. proscribendo Macharium in eadem damnatione conclusissent, sed altum de hoc momento silentium, quod argumentum est irrevocabile Honorium non fuisse damnatum.

Nec mirum: quomodo Machario iterum atque iterum pro se appellanti Honorium fidem dedissent, qui prius act. VI. convictus fuerat pag. 26. testimonia Patrum deflorasse, quod vel ipse fatetur act. 8. pag. 33. his verbis? " Macharius „ sanctissimus Archiepiscopus dixit: ego „ testimonia quæ deflorавi, secundum „ proprium intentum deflorавi. „ Igitur non opus erat, ut adversus mendacem Honorius innocens, & absque causa de hæresi insimulatus defenderetur, cum jam plures habuerat Apologistas, tum in sessione 11. tum S.Maximum. Inter omnes insignem habet ipsum Sophronium, qui prior exagitavit Monothelitas, quippe qui pag. 57. omnes numeret Monothelitas, sicut & pag. 58. 59. & 60. sed vel minimum quidem de Honorio non dicit, immo ex relatione Stephani Dorensis Episcopi, ab ipso adversus Monothelitas Romam missi, illum habebat ut strenuum fidei defensorem.

Honorius sedit annos 12. menses 11. dies 17. mortuus est anno 638. imperii Heraclii 29. Severinus ei successit, qui & damnavit Ecthesim, propter quod afflictus parum vixit. Huic successit Joannes VI. qui in Concilio Romano Ecthesim majori solemnitate proscripsit: isti Theodorus I. qui Typum explosit: Theodoro sanctus Martinus, qui in Concilio Lateranensi omnes proscripsit Monothelitas: sancto Martino Eugenius I. Eugenio Vitalianus, Vitaliano Adeodatus. Adeodato Donus I. isti Agatho qui adunavit sextam Synodum generalem, in qua ab universali Ecclesia iterato anathemate Monothelitæ percussi sunt: Agathoni vero Leo II. qui istam confirmavit Synodum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Honorius Papa, ut fautor Monothelismi, non fuit damnatus.

PRIMO: Quia ejus epistolæ sensum exhibent Catholicum, & omnes Hæreticorum propositiones excludit.

Secundo: Inauditum est Ecclesiam aliquem damnare, cum fidem profitetur: hinc Honorium defendunt Joannes IV. S. Maximus, vel ipse Theodorus CP. Patriarcha apud Baronium ad ann. 682. fatetur Honorium non fuisse cum ceteris Monothelitis proscriptum.

Tertio: Defloratio sextæ Synodi a Theodoro, qui suo loco inter damnatos posuit Honorii nomen manifesta est, cum Patres Synodici Sess. 17. & in epistola Synodica testentur se profligere Sergium, Paulum, Monothelitas & Honorium, quia

quia prius per sententiam latam ab Agathone fuerant prius damnati: Sed falsissimum est Agathonem damnasse Honorium, cum in sua ad Concilium epistola testetur omnes prædecessores suos fuisse in fide puros. Ergo etc.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO : Tametsi Honorius dicat abstinendum esse a vocabulo unius vel duplicis operationis Christi, alio tamen dixit sensu Monothelitarum, qui sic locuti sunt, ut operationem et voluntatem humanam prorsus evacuarent, ut habetur in Concilio Lateranensi Secr. 4. quippe qui solum sic egerit ne simplices et indocti aliquod paterentur scandalum, si duæ dicerentur in Christo & operationes & voluntates, quod quidem novum non nihil apparebat, eo quod de istis vocibus nondum fuisset mota controversia; unam quidem dicebat in humanitate, sed non excludendo Divinam, ut Monothelitæ, qui de hoc non semel accusantur in Concilio Lateranensi sub S. Martino, Secr. 4.

Secundo: Nec quemquam movere debet, quod Honorius legatur inter Monothelitas proscriptus, cum falsitas ex duobus potissimum pateat. Primo quidem, damnatur ut hæreticus, & eodem styli tenore cum Monothelitis; nemo tamen præter Protestantes, sedis Apostolicæ æmulos, hac calumnia afficiet sanctum Pontificem, cum luce clarius appareat, ejus in utraque epistola dictationes esse Orthodoxas. Secundo, Patres Synodici testantur se, ideo damnare illum Papam, quia prius per sententiam latam ad Agathone damnatus fuerat, quod est splendidum mendacium; ubi enim Gentium reperies proscriptum ab Agathone, qui in sua ad VI. Synodum epistola asserit, omnes prædecessores suos fuisse in fide puros?

Tertio: Si qui auctores dicant Honorium fuisse anathemate animadversum, eos errore facti detentos, sic locutos fuisse ex probationibus, et dictis modo sequitur.

Num Verbum assumpserit totum hominem, excepta subsistentia humana, dicetur in Dissertatione sequenti.

SECTIO QUARTA.

Utrum sit unica in Christo voluntas & operatio?

CONCLUSIO NEGATIVA,

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA sic se habet: Ubi sunt diversæ naturæ, ibi sunt diversæ voluntates & operationes: Atqui in Christo sunt diversæ naturæ, juxta illud Joan. 14. 28. *Pater major me est*; hoc est, secundum naturam humanam, ut interpretantur Patres, et illud Philippensium 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; nimirum secundum naturam divinam. Ergo etc.

Secunda: De fide definitum est in Concilio Ephesino, Christum esse Deum et hominem: in sexto generali, in eodem Christo utriusque naturæ manere proprietates: Sed voluntas et operatio divina sunt proprietates Christi ut Dei, humana vero voluntas, et operatio proprietates Christi ut hominis: Igitur in Christo est duplex voluntas et duplex operatio: hoc ipsum de fide definitum est in Concilio Lateranensi sub sancto Martino, et in sexta Synodo Oecumenica.

Tertia: Verbum caro factum est: Sed Verbum in Christo, præter voluntatem et operationem divinam, alteram habebat, qua passiones humanas experiebatur, quod non una probat Scripturæ auctoritas; namque Matth. 26. ait Christus: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Ibidem cap. 8. miratus est fidem Centurionis. Et cap. 26. orat Patrem; tum Lucæ 22. 42. postulat ut calix ab eo transeat. Igitur in Christo erat anima, quippe quæ tristis fuerit: erat intellectus humanus, nam actus admirationis non nisi homini convenit: demum erat voluntas humana et ejus operatio, cum ex innata hominis inclinatione petierit, ut calix ab ipso transiret. Ergo etc.

Diluuntur objecta.

OBJICIUNT Monothelitæ: Dionysius epistola 4. ad Gajum de Christo, ait: " Unam

" Unam Dei virilem nobis operationem „ expressit. „ Secundo, Athanasius Lib. de salutari Christi adventu, sic loquitur: " Natus est Christus ex muliere sine vo„ luptatibus carnalibus, & sine humanis „ cogitationibus. „ Tertio, actiones sunt suppositorum: Sed unicum est in Christo suppositum. Ergo &c. Confirmatur, ex eo quod sit unica in Christo persona, est unica quoque & existentia & filiatio: Igitur & a pari unica operatio.

Respondeo, Monothelitas deflorasse Dionysii textum, ipseque Macharius confessus est adulterasse Patrum textus: namque in textu primigenio non *unicam*, sed *novam* operationem habetur: novam quidem, cum operatio etiam humana in Christo procederet a Persona divina, simul & a natura humana: & est illud novum, quod teste Propheta, Deus super terram fecit.

Ad secundum distinguo: Ex Athanasio Christus natus est sine voluntatibus carnalibus vitiatis, concedo; sine voluntatibus ut sic, & ab omni corruptionis fæce immunibus, nego. Solutio est Apostoli, qui in epistola ad Hebræos testatur Christum sæcluso peccato, per omnia nobis assimilatum.

Ad tertium distinguo minorem: In Christo est unicum suppositum, sed virtualiter duplex, quandoquidem subsistentiæ creatæ vices gerit, concedo: secus, nego minorem & consequentiam. Ad confirmationem, nego paritatem. Ratio discriminis est, quod existentia secundum S. Thomam sit realier idem cum persona; filiatio vero appellet formaliter supra personam: quocirca ubi est unum realiter suppositum, ibi quoque est una existentia et filiatio: Sed operatio appellat supra naturam, quæ quidem duplex secernitur in Christo: Igitur et operatio.

Instant: Est unicus Christus: Igitur et unica operatio.

Respondeo distinguendo consequens: Unica operatio pro voluntate humana, concedo: pro voluntate humana simul et divina, nego. Christus enim ut subsistens in natura divina divinam habet operationem: si vero spectetur reduplicative ut homo, alteram quoque habet, scilicet finitam et humanam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Duæ sunt in Christo operationes, & totidem voluntates.

PRIMO: Hoc ipsum innuunt sacræ Scripturæ. Philipp. 2. Christus dicitur exinanitus, et tamen Deus. Matth. 26. tristis usque ad mortem. At Joan. 10. probat miraculis, et ex sua missione suam divinitatem; quæ quidem diversa prædicata diversas in Christo arguunt naturas, et consequenter diversas voluntates et operationes; maxime cum Luc. 22. postulet a Patre, ut si fieri possit, transeat ab ipso dolorum calix.

Secundo: Christus juxta S. Athanasii Symbolum erat perfectus Deus, et perfectus homo: Sed utriusque naturæ perfectio exigit proprietates, utrique naturæ convenientes, qualis est operatio et voluntas. Ergo etc.

Tertio: Ita de fide definitum est in sexta Synodo generali, et contradicentes ut hæretici abjecti sunt. Ergo etc.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Incassum Monothelitæ objiciunt Dionysium dicentem unam in Christo operationem; non enim in textu habetur, *unum*, sed *novum*: hinc convicti sunt in multis deflorasse textus Patrum & Conciliorum, quod ultro Macharius habens denudatam conscientiam, non semel in ipsa Synodo sexta generali confessus est.

Secundo: Non diffitemur actiones esse suppositorum, sed licet unicum sit realiter in Christo, ipsum tamen est virtualiter duplex, quatenus naturam divinam & humanam terminat; hinc pro duabus naturis duplex operatio, duplexque voluntas in Christo agnoscenda est.

Tertio: Est quidem unicus Christus, sed Salvator est Deus simul & homo: Igitur in eo est & duplex operatio, & duplex voluntas.

DIS-

DISSERTATIO QUINTA, DE CAUSIS DOMINICÆ INCARNATIONIS.



TANTI Mysterii causæ quatuor vulgo distinguuntur : una scilicet efficiens, altera materialis, tertia formalis, quarta demum finalis. Prima producit effectum per virtutem a se emanantam. Secunda & tertia, eatenus dicuntur causæ, quatenus compositum ex eis veluti ex duabus partibus constat, & coalescit. Quarta, est ipsum agentis motivum, juxta illud tritum Philosophorum axioma : *Finis est principium in agibilibus*.

Certum est causam materialem & formalem proprie loquendo, non habere locum in Incarnatione, saltem respectu Dei; Verbum enim non habet rationem materiæ vel formæ, cum sit actus purissimus, unde quæstio procedit solum de causa efficiente & finali, seu motiva, quæ quidem fuit sola Dei bonitas, solusque ejus erga homines amor : Sed ingrati peccatores non sic ratiocinantur, juxta illud Malach. 2. *In quo*, inquiunt Deo, *dilexisti nos*? Sed contra Luc. 1. 78. dicitur de opere Incarnationis ejusque motivo : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*.

Dogma de motivo & causa Incarnationis, quatuor maxime momentis ostenditur & explicatur.

PRIMO, quia Deus Pater misit Filium suum, ut salvaret mundum.

Secundo, quia Filius venit, ut dissolveret opera diaboli, totum hominem assumpturus.

Tertio, quia Spiritus sanctus, tamquam Patris & Filii amor, fuit causa motiva adventus Christi, ita ut si Adam non peccasset, Christus non venisset.

Quarto, quia Deus voluit in hoc satisfacere desideriis Patrum antiquæ legis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum solus Deus sit causa efficiens Incarnationis?

DUPLEX est causa efficiens, physica una & principalis; instrumentalis vero altera. Principalis ea dicitur, quæ propria virtute effectum producit : instrumentalis vero, quæ aliena virtute; jam sit

CONCLUSIO.

Solus Deus est causa efficiens physica & principalis Incarnationis.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA : Ille solus est causa efficiens Dominicæ Incarnationis, ad quem solum pertinet dare & gratiam, & gloriam, & Filium suum : Atqui ad solum Patrem æternum hæc pertinent, juxta illud Psal. 83. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Et

Et illud Habacuc 3. 2. *Domine opus tuum ... vivifica illud, in medio annorum notum facies: cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Quæ verba Interpretes explicant de Incarnatione: Igitur solus Deus est causa efficiens Incarnationis, & Pater, Filius & Spiritus sanctus; opera enim quidem ad extra sunt toti SS. Trinitati communia: tribuitur tamen specialiter Patri, quia ad illum spectat mittere Filium, juxta illud ad Gal. 4. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

Altera: Ad Incarnationem operandam requiritur omnipotentia, ut habetur Luc. 2. *Fecit potentiam in brachio suo.* Sed omnipotentia soli Deo competit: Igitur & illi soli operari Incarnationem.

Tertia sic procedit: Requiritur virtus infinita ad uniendum Verbum cum humanitate, quia est infinita distantia vincenda inter utrumque extremum: Sed virtus infinita soli Deo competit: Igitur & illi soli unire Verbum cum humanitate.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Solus Deus est causa efficiens Incarnationis.

PRIMO, quia ad solum Deum spectat dare gratiam, juxta illud Psal. 83. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Hinc Incarnatio Habac. 3. dicitur opus Domini.

Secundo, Luc. 2. Tribuitur omnipotentiæ his verbis: *Fecit potentiam in brachio suo*: nec mirum, cum sit distantia infinita inter Deum & hominem; solus omnipotens potest assumere ad suam subsistentiam humanitatem.

Tertio, Incarnatio est totius gratiæ principium, & omne meritum antecedit: Igitur a solo Deo fieri potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Filius Dei assumpserit totum hominem?

HÆc quæstio manet ex parte soluta ex jam dictis: claritatis tamen causa breviter & compendiose impræsentiarum tractanda venit: in qua quidem & de persona assumente, & de natura assumptibili atque assumpta varia ad Mysterii elucidationem dicenda sunt.

Quæres I. Quomodo Verbum terminaverit humanitatem?

Multa in Deo sunt distinguenda, scilicet essentialia, ut natura, & subsistentia absoluta, quæ conveniunt Deo secundum se spectato; deinde vero attributa absoluta, qualis est bonitas, qualis sapientia; tum & relativa, videlicet paternitas, filiatio, spiratio activa & passiva: his subnotatis.

Respondeo, Verbum terminare immediate sanctam humanitatem per subsistentiam suam relativam. Ita Toletanum undecimum in confessione fidei, ubi hæc habentur: *Incarnationem quoque hujus Filii tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ.* Ratio est, quia si verbum terminaret humanitatem per subsistentiam absolutam, sequeretur, omnes sanctissimæ Trinitatis personas esse incarnatas, quod est hæreticum, quandoquidem subsistentia absoluta est illis omnibus communis, utpote quæ conveniat naturæ divinæ secundum se spectatæ; porro natura eadem est in tribus personis; immo aliæ personæ reduplicative ut personæ, non sunt incarnatæ etiam per concomitantiam: sic enim relative opponuntur Verbo, nam ut Filius Patris incarnatus & homo factus est.

Quæres II. Utrum Verbum suppleverit in humanitate existentiam?

Respondeo affirmative, juxta illud Sophronii Epistolæ lectæ in sexta Synodo generali & receptæ: *In illo itaque*, scilicet Verbo, *& non in semetipso, existentiam habuit unam*, humanitas: Ratio de hoc momento triplex affertur: I. quia existentia non distinguitur realiter a subsistentia secundum nostram Scholam Angelicam, nec consequenter a Verbo: II. quia si essent duæ existentiæ, altera divina & Verbi, & altera humana, sequeretur B. V. non esse matrem Dei: siquidem concursus ipsius passivus ultimate terminaretur per existentiam humanam, adeoque non per existentiam Verbi: dico ultimate; ut primum enim natura existentiam ha-

habet, est completa, nec aliud ultra exigit. III. Quia in hypothesi duo forent in Christo supposita, esset enim humanum, quandoquidem subsistentia et existentia realiter sunt unum et idem, et ipsum suppositum in abstracto consideratum: esset quoque divinum ut supponitur, nempe Verbum.

Quares ultimo, Utrum Verbum convenienter assumpserit carnem de stirpe Adam?

Respondeo I. Affirmative; decebat enim ut sapientia incarnata, inquit D. Thomas, hanc carnem assumeret, ut medelam ferret hostis unde læserat.

Respondeo II. Verbum assumpsisse et corpus et animam cum utriusque potentiis; quandoquidem assumpsit naturam humanam in specie completam et cum his quę necessariam connexionem habent sive cum corpore, sive cum anima: sic colligitur ex quinta Synodo generali col. 8. can. 5. his verbis: *Si quis non confitetur Dei Verbum, carni secundum subsistentiam unitum, & propter hoc unam ejus subsistentiam, seu unam personam, anathema sit.* Concinit Toletanum I. in confessione fidei, in qua sic loquuntur Patres: *Credimus Filium Dei ex utero Virginis assumpsisse hominem.*

Respondeo III. Verbum assumpsisse sanguinem, quia ad integritatem corporis pertinet. Ita definitur in Trident. Sess. 13. cap. 3. ubi definitur de fide sanguinem Christi vi verborum primario poni sub specie vini. Ratio est, quia sanguis constituit corpus, et ad ejus integritatem pertinet. Hoc ipsum non semel innuit Scriptura, quæ nostram redemptionem tribuit sanguini Christi, ea potissimum ratione, quod propter unionem ad Verbum sit valoris infiniti, ut declarat Clemens V. Extra. *unigenitus*: Nec mirum 1. Petri 1. habetur. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati.* Tum 1. Joan. 1. 8. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* Ex eodem sequitur principio Verbum assumpsisse ea omnia quæ pertinent ad integritatem tum animæ, tum corporis, quod non levius indicat Apostolus Col. 2. 9. *In ipso*, Christo, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Sic habetur in Concilio V. generali col. 7. can. 5.

Respondeo IV. Verbum in triduo mortis remansisse hypostatice unitum et corpori, & animæ, tametsi a corpore separatæ, juxta illud S. Joannis Damasceni tritum de Verbo incarnato effatum: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit.*

Synopsis de rerum assumptione.

PRIMO: Verbum assumpsit totum hominem, scilicet corpus & animam, si excipias subsistentiam humanam, quæ fuit impedita. Sic habetur in Concilio Toletano I. in confessione fidei. *Credimus Filium Dei ex utero Virginis assumpsisse hominem.* Idem repetit Toletanum XI. in confessione fidei.

Secundo: Verbum assumpsit sanguinem, quia est pars integralis corporis, immo ipsi specialiter tribuitur redemptio, & infinitus ad redimendum hominem valor, infinitumque meritum, juxta illud 1. Jo: 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.*

Tertio: Verbum in triduo mortis remansit hypostatice unitum corpori, & animæ tametsi separatæ, juxta illud Damasceni: *Quod semel assumpsit, numquam dimisit.*

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Filius Dei incarnatus fuisset, Adamo non peccante?

CERTUM est Filium Dei absolute potuisse si voluisset, incarnari, etiamsi Adam non peccasset; hoc enim nullam involvebat contradictionem, & a sua pendebat divina voluntate: Unde quæstio præsens est, an ex vi præsentis decreti Filius Dei incarnatus fuisset, Adamo non peccante? puta ad suorum attributorum manifestationem. Sic propugnant aliqui Theologi, in primis Scotus, sed contraria sententia est apud ceteros Theologos communis: eam ex professo defendit sanctus Thomas hic 3. p. q. 1. art. 3. cum quo sit

CON-

CONCLUSIO.

Si Adam non peccasset, Christus non venisset.

Probatio, ex Scriptura sacra.

Quæ ex voluntate Dei pendent, nobis per Scripturas innotescunt: Atqui Scriptura sacra pro motivo Incarnationis assignat remedium peccati: Igitur si Adam non peccasset, Verbum incarnatum non fuisset: Probatur minor Luc. 19. habetur: *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*. Igitur, inquit Augustinus explicans ista verba in libro de verbis Domini. " Si homo non peccasset, Filius hominis non venisset. " Tum glossa in 1. ad Timoth. cap. 1. super ista verba: *Christus venit in hunc mundum ut peccatores salvos faceret*: " Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa. " Quam quidem veritatem prædicat Ecclesia in Symbolo Nicæno: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: & incarnatus est*, &c.

II. *Scriptura sacra* excludit omne aliud motivum: Igitur si Adam non peccasset, Christus non venisset. Probatur Antecedens, Matth. 19. habetur: *Non opus est Medico bene habentibus, sed male habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores*: Ergo &c.

III. *Filius* Dei venit ut suam erga nos commendaret & charitatem & misericordiam in redemptione; sic enim habetur Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; non enim misit Deus Filium suum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Et Rom. 5. 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Atqui si Christus venisset etiam Adamo non peccante, non ita commendaretur ejus amor, non misericordia; quandoquidem non præcise ad remedium peccati venisset: Igitur dicendum est, si Adam non peccasset, Christus non venisset, quod subindigitatur, 1. Joan. 3. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*.

Probatio, ex Traditione Patrum.

Ex primo Sæculo: Martyres tum hujus sæculi, tum subsequentium sæculorum, hoc potissimum motivo sanguinem suum fuderunt, ut Christi erga nos charitatem illum redamando agnoscerent. Unde B. Andreas intuens crucem sibi paratam exclamasse dicitur: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti .... Suscipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit*. Simili prope amore Christi exæstuans clamabat Ignatius: *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur, desiderans ut Jesum Christum inveniam .... frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar*.

Ex secundo Sæculo, Irenæus Lib. 5. cap. 4. eamdem confirmat veritatem his verbis: " Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum fuisset. "

Ex tertio Sæculo, Tertullianus Lib. de carne Christi, cap. 14. " Eadem ergo, *inquit*, est & causa ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa. " Et lib. 5. contra Marcionem, cap. 14. p. 602. " Ob hoc igitur missum filium in similitudinem carnis peccati, *credimus*, ut peccati carnem simili substantia redimeret. "

Athanasius concinit Lib. de Incarnat. pag. 40. *Nostra*, inquit, *causa occasionem illi descendendi præbuit, & nostra transgressio Verbi divini humanitatem eliquit*.

Ex quarto Sæculo, sanctus Hilarius Lib. 9. de Trin. similia dicit. Item Basilius, Homil. 29. his verbis: " Filius Dei homo factus est propter Adam qui ceciderat. " Item Gregorius Nazian. Orat. 36. " Quænam, *ait*, humanæ propter nos susceptæ naturæ causa extitit, nempe ut nos omnes salutem adipisceremur. "

Ex quinto Sæculo, Ambrosius Lib. de Incarn. c. 6. astipulatur, dicens: *Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat redimeretur?* Idem dicit Chrysostomus in hæc verba, Matth. *Non veni salvare justos, sed peccatores*. Idem sanctus Augustinus Lib. 1. de peccatorum meri-

& remiss. cap. 26. 27. & 28. ubi ex professo adversus Pelagianos probat parvulos originis labe maculari, quia Scriptura dicit in hoc venisse Christum, ut dissolveret opera diaboli; porro nihil conclusisset, si Christus Adamo non peccante etiam venisset; nam respondissent Pelagiani: Christus non venit ad delendum peccatum originale, sed potius ad sua attributa manifestanda.

Ex sexto Sæculo, Fulgentius Lib. de Incarnat. cap. 7. idem dicit. Rursus Lib. 2. ad Trasimundum. Concinit ex 7. Sæculo Joan. Damascenus Lib. 3. cap. 12. Suffragantur subsequentium sæculorum Patres, in primis S. Bernardus Serm. in 4. feriam majoris hebdomadæ.

Probatio, ex rationibus Theologicis.

Prima ea est: Christus venit propter finem ad quem prædestinatus fuerat: sed prædestinatus est ut Medicus & Redemptor: Igitur venit solum ut passione sua redimeret mundum.

Altera: Decretum prædestinationis Christi attigit non solum substantiam adventus Verbi, sed & circumstantias, & quidem immutabiliter: Atqui si Christus ex vi ejusdem decreti, etiam Adamo non peccante, venisset, tale decretum foret mutabile, cum primario & principaliter solum ad redimendum hominem a Deo emanatum sit. Neque vero attigisset omnes mysterii circumstantias, sed tantum adventum ut sic; quandoquidem, quod Incarnatio facta fuisset vel ad redemptionem, vel tantum ad gloriæ manifestationem, Deo indifferens utique fuisset, quod certe repugnat efficacitati decreti: Ergo &c.

Tertia: Si vi præsentis decreti Verbum etiam, Adamo non peccante, incarnatum esset, positiones Scripturæ, quæ passim asserit Christum venisse ad redimendum hominem, forent falsæ: sed hoc non est admittendum: Ergo &c.

Solvuntur objectiones.

Objicies I. Incarnatio facta est ad manifestationem attributorum Dei, & ad bonum hominis; venit enim Christus ut Concionator, ut Pastor, ut Rex, ut Dux, & Magister, juxta illud Matth. 2. 10. *Unus est Magister vester*. Et Joan. 10. 19. *Ego sum Pastor bonus*. Et Psalm. 18. 6. *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo*. Ergo &c. Probatur consequentia. Causa non cessante, non cessat effectus: Sed causa adventus Incarnationis, etiam ex vi præsentis decreti est manifestatio attributorum, & officia laudata, quæ dubio-procul non dependent a peccato, & essent etiamsi Adam non peccasset: Igitur Christus venisset, tametsi Adam non peccasset.

Ad solutionem argumentorum notandum est, per ordinem ad nostrum concipiendi modum sic disponenda esse decretorum signa, non quod in Deo sint plures actus voluntatis sicut in nobis, sed quia diversa sunt objecta ab ipso volita. Primo igitur Deus se & omnia possibilia cognoscens, voluit suæ bonitatis diffusionem, & suorum attributorum manifestationem. Secundo ad talem finem, mundum hunc ex infinitis possibilibus elegit. Tertio, creaturam intellectualem, quæ est pars mundi nobilior, ad ordinem supernaturalem evehere decrevit. Quarto, inscrutabili judicio, illius lapsum permittere statuit. Quinto, peccato præviso mederi decrevit. Sexto, ad tale remedium Filium suum carnem assumere constituit. His suppositis & prælibatis,

Respondeo distinguendo Antecedens: Manifestatio attributorum & officia allata, ex vi præsentis decreti sunt motivum Incarnationis, ut ordinantur ad remedium peccati, concedo: secus, nego antecedens. Solutio est D. Thomæ hic art. 3. ad 1. ubi dicit alias causas Incarnationis præter remedium peccati esse ordinatas ad illud, & de facto mirum in modum relucent attributa in redemptione hominis, & officia Christi sunt propter nostram salutem, ut colligitur ex Scriptura. Sic v. g. Isaiæ 61. dicitur de Filio Dei: *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde*. Luc. 15. dicitur esse Pastor missus ad quærendam & salvandam ovem quæ perierat, scilicet hominem. Isaiæ 33. habetur: *Dominus Rex noster ipse salvabit nos*. Ad probationem distinguo majorem: causa eadem & decreta non cessante, non cessat effectus, concedo: causa diversa & non decreta, nego. Si-

Similiter distinguo minorem : manifestatio attributorum per Incarnationem adimplenda ad remedium peccati, est causa & motivum decreti, concedo: non adimplenda in remedium peccati, nego. Idem dicendum de ceteris officiis, unde nego consequentiam. Et de facto cum fuerit unicum decretum attingens & substantiam & circumstantias Incarnationis, officium Legislatoris & Magistri aliaque similia volita sunt & ordinata in remedium peccati.

Instabis : Motivum Incarnationis adimpletæ non fuit solum remedium peccati, sed instructio hominis, qui etiamsi fuisset sine macula peccati originalis, ea tamen indiguisset: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Antecedens : Est instructio facienda per Deum hominem ut Redemptorem, concedo : secus, nego. Quia igitur homo peccavit, ad corporalia & sensibilia se convertendo, conveniens erat ut Verbum fieret caro, & sensibile, ut facilius illum perduceret ad finem a quo ceciderat: sed si non peccasset, homo, inquit divus Thomas hic art. 3. ad 1. perfusus fuisset lumine divinæ sapientiæ, & justitiæ, tum & rectitudine ad omnia necessaria cognoscenda & agenda. Indiget igitur in hoc præsenti statu magistro sensibili ; unde S. Augustinus super illud Joan, *Verbum caro factum est*, dicit: *Caro te obcæcaverat, caro te sanat ; sed non in alio.*

Instabis : Manifestatio attributorum Dei est principale motivum Incarnationis etiam secundum se spectata: Ergo &c. Probatur Antecedens: motivum debet esse ejusdem ordinis cum agente : sed manifestatio attributorum Dei, & non remedium peccati, est motivum ejusdem ordinis cum Deo agente: Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem, concessa majori distinguo minorem : Remedium peccati non est motivum ejusdem ordinis cum agente secundum se spectatum, concedo : adæquate consideratum, & ut connotat modum quo fit, nego. Sic enim est manifestatio passiva attributorum Dei ; nam in modo suavi quo facta est curatio hominis, relucent omnia attributa, ut dictum est supra, ubi de convenientia; unde nego consequentiam. Enim vero manifestatio attributorum Dei ad extra formaliter sumpta dicit productionem alicujus creati, in quo mirum in modum emicant attributa.

Urgebis : Bonum infinitum est sui infinite diffusivum, & perfectissimo, quo potest, modo: Igitur etiamsi Adam non peccasset Verbum fuisset incarnatum. Probatur consequentia : Si Filius Dei non venisset, non se communicasset modo sibi convenienti: Igitur debuit incarnari etiamsi Adam non peccasset. Probatur Antec. in ordine naturæ & gratiæ dona solum creata dat Deus : sed alius modus nobilior fuisset possibilis, scilicet hypostaticus, in quo Deus dat divinitatem: Ergo &c.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationem nego Antecedens. Ad secundam probationem distinguo majorem : Deus dat dona creata et finita quoad substantiam, concedo : finita quoad modum productionis, nego. Et concessa minore, nego consequentiam ; nam D. Thomas hic art. 3. dicit infinitatem Dei sufficienter patere ex productione creaturarum, et licet alia communicatio nobilior fuisset possibilis, non tamen opus fuisset, ut Deus illam patraret ; quandoquidem opera ad extra sunt Deo libera, nec addunt aliquid gloriæ ejus essentiali.

Oppones II. Christus volitus est ante prævisionem peccati : Igitur independenter ab ejus remedio venisset : quod enim semel decretum est a Deo, fit. Probatur Antecedens. I. ad Colossenses dicitur : *Primogenitus ex mortuis ;* et apud Psalmistam : *Rex gloriæ, & hominum, & Angelorum*. Item Prov. 8. de Sapientia incarnata habetur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Ergo etc.

Respondeo negando Antecedens. Ad primam probationem distinguo : Christus est primogenitus omnis creaturæ prioritate dignitatis et honoris, concedo : prioritate prævisionis, nego. Propter unionem hypostaticam præcedit nobilitate omnem creaturam, etiam Angelicam : sed non prioritate prævisionis; quandoquidem volitus est ut Redemptor, adeoque ex prævisione peccati antecedente.

Instabis : Angeli habuerunt in sua creatione gratiam ex meritis Christi, sicut et Adam : Igitur Christus etiam ut Redemptor prævisus et volitus est ante eos. Probatur Antecedens : De Angelis qui-

dem, quia Christus implevit eorum ruinas per Electos suos; de primis vero parentibus quia gratiam innocentiæ amissam per peccatum recuperaverunt vi & efficacia ejus meritorum.

Respondeo negando Antecedens. Ad primam probationem distinguo : Angeli & Protoparentes innocentes habuerunt gratiam per Christum ut Deum, concedo : per Christum ut homo simul & Deus est, nego. Opera ad extra sunt toti Trinitati communia ; hinc Verbum ut Deus fuit causa gratiæ creaturæ Angelicæ, & humanæ innocentis, juxta illud Aug. Lib. 12. de civ. c. 9. *Erat condens naturam, & largiens gratiam* : quia tamen homines lapsi gratia Mediatoris reparantur, ut prædestinati impleant ruinas Hierarchiarum Angelicarum, hoc est, ut sedes apostasia dæmonum vacuas impleant, etiam ut Redemptor est causa alicujus gratiæ secundariæ Angelorum, scilicet gloriæ accidentalis, juxta illud Luc. 15. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. Et sic patet solutio ad aliam probationem; namque Protoparentes gratia Mediatoris, de qua non est hic difficultas, redempti & justificati sunt.

Instabis : Ex D. Augustino, Lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 21. Matrimonium in statu innocentiæ fuit Sacramentum, & signum conjunctionis Christi cum Ecclesia : Igitur primus homo habuit gratiam innocentiæ ex meritis Christi, adeoque Christus fuit prævisus ante Adamum ; unde D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. dicit mysterium Incarnationis fuisse Adamo revelatum : Igitur & ejus peccatum seu peccati redemptio, alias fuisset anxius, quandoquidem qui cognoscit effectum, desiderat cognoscere causam. Et in 3. q. 1. art. 3. fatetur opinionem contrariam esse probabilem, & solvit argumenta quæ illi opponimus.

Respondeo distinguendo Antecedens: Matrimonium Adami fuit Sacramentum, seu signum conjunctionis Christi cum Ecclesia ex vi præsentis decreti, quia præsciebat Deus Filium suum esse incarnandum, concedo : ex vi alterius decreti, subdistinguo: erat signum conjunctionis Christi in actu primo, concedo : formaliter & in actu secundo, nego. Sicut ergo iris ante diluvium in cœlo apparens, ordinante Deo, facta est signum pacis post diluvium inter Deum & homines, ita pariter conjunctio Adæ cum Eva ante peccatum præexistens, post lapsum facta est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia futura.

Ad alia dico, mysterium Incarnationis fuisse quidem Adam revelatum, minime vero ejus motivum principale, remedium scilicet peccati, sed tantum partiale & secundarium, nempe manifestatio attributorum, quod quidem ad tollendam anxietatem sufficiens erat.

Ceterum quando Patres dicunt Christum volitum esse ante Adam, loquuntur de ejus prædestinatione, quippe qui sit primus inter prædestinatos, sed non inde sequitur volitum fuisse & prævisum ut Redemptorem ante peccatum, cum prævisio Redemptoris supponat lapsum reparandum, unde non confundenda est prævisio simplex cum prædestinatione : Christus quidem fuit primus omnium prædestinatorum, sed non prævisus & mittendus ante peccati prævisionem. Si qui Patres nostræ adversantur sententiæ, non ideo abjicienda, quia multo plures sunt pro nobis. Ad auctoritatem D. Thomæ sequitur solum alteram opinionem esse probabilem: Sed germana sancti Doctoris probabilior est, & sententiæ Patrum maxime affinis, quo circa hic sistimus.

SYNOPSIS PROBATIONUM

Si Adam non peccasset, Christus non venisset.

PRIMO : Ubique hanc assertionem prodit Scriptura sacra, ut Luc. 19. dicens : *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*. Hinc glossa in ista Apostoli verba 1. Tim. 1. *Christus venit in mundum ut peccatores salvos faceret*, ait : " Tolle morbos, tolle vulnera, „ & nulla est medicinæ causa. „

Secundo : Concinunt Patres. Irenæus Lib. 5. cap. 4. Tertullianus Lib. de carne Christi cap. 14. et alii non aliam principalem causam adventus Christi motivam, quam peccati remedium assignant.

Tertio: Ratio suffragatur, quia Christus prædestinatus est formaliter ut Redemptor et Medicus : Sed Medicus supponit morbum : Igitur ex vi præsentis decreti,

creti, si Adam non peccasset, Filius Dei incarnatus non fuisset.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Verum est manifestationem attributorum fuisse motivum præsentis decreti, sed manifestationem in redemptione adimplendam.

Secundo: Bonum infinitum est quidem infinite sui diffusivum, sed juxta beneplacitum Dei, qui sibi sufficiens est: cum autem solum redemptionis motivo voluerit Filium suum dilectum incarnari, non alia adventus Christi præter hominis redemptionem quærenda est causa.

Tertio: Finis est quidem principium in agibilibus, & primus in intentione, ex quo sequitur manifestationem attributorum Dei in redemptione adimplendam, esse finem adventus Christi, nusquam vero Christum ante redemptionis prævisionem, fuisse prædestinatum. Posito vero primum redemptionis decreto, Christus est finis omnium, caput Ecclesiæ; & primus prædestinatorum, cui Deus cuncta subjecit, ipse vero cum suis electis alternata vice omnia Patri subjicit, quod Apostolus paucis, sed efficacissime demonstrat, dicens 1. Cor. 3. 23. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi.*

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Patres antiquæ Legis, & BB. Virgo meruerint Incarnationem?

MERITUM est opus bonum, habens de se æqualitatem & proportionem cum præmio, & movens aliquem ut remuneret laborem præstitum, unde dicitur meritum de condigno; si vero non habeat cum præmio æqualitatem, vocatur solummodo meritum de congruo, quia magis fundatur in amicitia & liberalitate quam in justitia; ut quum Dominus aliquod accipiens obsequium ab amico, illud præmiat dignitate, quæ centies laborem in valore superat. Porro plures requiruntur conditiones ad meritum hominis ad Deum. I. Ut opus sit liberum, cujus conditionis defectu Beati non merentur, quia amant Deum necessario. II. Ut procedat a gratia sanctificante: tum quia debet habere æqualitatem cum præmio: tum quia merens debet esse Deo gratus; utrumque autem confert gratia sanctificans. III. Ut homo sit viator, præmium enim non datur nisi certanti & vincenti. Denique ut sit pactum Dei de acceptando opere ad præmium; Deus enim utpote ab hominibus independens, non tenetur acceptare illorum opera ad præmium; præsertim vero, quia illi debentur pluribus aliis titulis, titulo scilicet creationis, titulo redemptionis & conservationis.

Suppono Christum non potuisse mereri neque de condigno, neque de congruo incarnationem suam, quia ante eam nondum erat in rerum natura; quæstio igitur est de Beatissima Virgine & SS. Patribus. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO PRIMA.

BB. Virgo & sancti Patres antiquæ legis Incarnationem non meruerunt de condigno.

PROBATUR I. ex Scriptura sacra: Ad Titum 3. Apostolus sic loquitur: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Igitur BB. Virgo & SS. Patres non meruerunt de condigno Incarnationem, alias non secundum misericordiam, sed secundum justitiam & debitum salvos nos fecisset Deus.

Probatur II. triplici ratione. Prima est, quia Incarnatio includit auctorem gratiæ, & transcendit omnem etiam gratiæ ordinem. Secunda, quia Incarnatio est principium totius gratiæ & meriti; a Christo enim omnia fluunt gratiæ dona. Porro effectus non potest promereri causam, alias foret ipsa causa prior, quod implicat. Tertia, quia opera Sanctorum non habebant æqualitatem cum præmio; quandoquidem Incarnatio includit gratiæ principium, scilicet Christum: Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

BB. Virgo & sancti Patres meruerunt de congruo Incarnationem.

PROBATUR ex Scriptura: Isaiæ 45. sic clamant Patres: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum*. Gen. 22. Deus dicit Abrahæ: *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedivisti voci meæ*. Hic promittitur Christus pro præmio obedientiæ. Hinc Christus promittitur utique David, cum dicitur quod filius ipsius, super sedem suam sessurus sit infidelitatis & pietatis ejus præmium. Sic enim habetur Ps. 131. 11. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*.

Probatur ratione, quam affert D. Thomas hic art. 11. BB. Virgo & SS. Patres desiderabant & petebant Incarnationem; cum autem Dei in mandatis adimplendis fecissent voluntatem, conveniens erat ut Deus dives in misericordiis, eorum, mittendo Filium, exaudiret vota. Audiendus est D. Thomas de utroque momento seu conclusione.

Sanctus Doctor hic q. 2. art. 11. primum probat Christum non potuisse Incarnationem promereri, quia: " Omnis operatio illius hominis subsecuta est unionem. " Non enim Christus ut purus homo, *inquit*, præextitit Incarnationi. Tum subdit: " Neque etiam opera alterius cujuscumque hominis potuerunt esse meritoria hujus unionis ex condigno. Primo quidem, quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quæ est virtutis præmium, & consistit in plena Dei fruitione. Unio autem Incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit unionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis, & ideo non potest cadere sub merito. Secundo, quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ: secundum illud Joan. 1. Gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Tertio, quia Incarnatio Christi est reformativa totius humanæ naturæ: Et ideo non cadit sub merito alicujus hominis singularis: quia bonum alicujus puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ. Ex congruo tamen meruerunt sancti Patres Incarnationem, desiderando & petendo: congruum enim erat ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant. "

Dices: Prima gratia ne quidem sub merito de congruo potest cadere, cum sit prima gratia: sed Incarnatio est prima gratia, immo totius gratiæ principium. Igitur SS. Patres illam etiam de congruo non meruerunt.

Respondeo distinguendo majorem: Prima gratia formalis non cadit sub merito etiam de congruo, concedo: prima efficiens, nego: & sic distincta minore, nego consequentiam. Gratia actualis præveniens est prima gratia, & non cadit sub merito, quia ipsa prærequiritur ut homo mereri incipiat. Prima vero efficiens est Deus, qui motus fide & votis SS. Patrum concessit eis Christum, qui totum mundum & a peccato & a morte æterna redimeret.

SYNOPSIS ARTICULI.

PRIMO: Nulla creatura quantumvis sancta, nequit de condigno Incarnationem promereri, quia vel ipsa Incarnatio est totius meriti principium.

Secundo: BB. Virgo & SS. Patres veteris legis eatenus Incarnationem de congruo meruerunt, quatenus conveniebat Deum audire preces & vota eorum qui ejus in mandatis fecerant voluntatem.

DISSERTATIO SEXTA,

DE DOTIBUS

QUIBUS CHRISTUS

UT HOMO CUMULATUS EST.



CERINTHUS, qui Christum purum hominem dixit, ab eo quoque eximias Redemptoris dotes abstulit, seu negavit: sed contra quod dicitur Joan. 1. de Christo: *Vidimus eum plenum gratia & veritatis.*

Dogma de excellentia Messiæ quatuor explicatur dotibus, quibus potissimum donatur Dominus Jesus.

PRIMO: Christus plenus fuit veritate & scientia.
Secundo: Plenus gratia.
Tertio: Plenus sanctitate & impeccabilis.
Quarto: Plenus merito.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Christus habuerit omnem scientiam?

MONOTHELITÆ contendentes unicum esse in Christo intellectum, unicamque voluntatem, & Verbum utriusque munus supplere in anima Christi, unicam consequenter agnoscebant in eodem Christo scientiam, nempe increatam. Inter Orthodoxos quidam tempore D. Bonaventuræ, ut ipse testatur, sicut & Capreolus Dist. 14. q. 1. art. 1. ponebant Christum usum fuisse solum scientia increata. Hugo Victorinus Tom. 3. tract. de scientia animæ Christi videtur in hanc inclinare sententiam, quæ tamen communiter rejicitur ut erronea. Unde fit

CONCLUSIO PRIMA.

Anima Christi non poterat etiam divinitus intelligere intellectione increata.

PROBATUR ex D. Thoma, qui hic dicit, intelligere divinum esse substantiam Dei: sed quod est de substantia Dei non potest convenire creaturæ. Igitur nec scientia increata sanctæ humanitati; sin minus anima Christi divinam comprehendisset essentiam, quandoquidem habuisset intellectionem infinitam. Sic loquitur sanctus Doctor hic q. 10. art. 1. in argumento, *sed contra*: " Augustinus dicit Libr. „ 83. qq. Quod se comprehendit, finitum „ est: sed essentia divina non est finita „ in comparatione ad animam Christi, „ cum in infinitum eam excedat. Ergo „ anima Christi non comprehendit Ver- „ bum. „

Confirmatur: Nulla causa ultra suam innatam virtutem agere potest: Sed anima Christi quantumvis gratiarum supellectili ornata habebat virtutem intelligendi solum finitam: Igitur non potuit intelligere intellectione increata, unde damnati sunt Monothelitæ in Concilio Lateranensi sub sancto Martino Secret. 4. eo quod propugnarent Verbum solum operari in Christo, ita ut suppleret in eo vices intellectus & voluntatis, ut ante eos expressius dixerant Ariani, & Apollinaristæ, ut docet

docet sanctus Thomas 4. contra Gentes cap. 32. & opusc. 2. capit. 205. Rursus in sexta Synodo generali, in qua prohibent Patres aliquid infinitum tribui sanctæ humanitati, sic loquuntur Sess. 17. in confessione fidei de duabus Christi naturis: *Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ, ut neque quod creatum est, in divinam educamus essentiam: neque quod eximium est divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus.*

CONCLUSIO SECUNDA.

Anima Christi omnis generis scientiam habuit.

PROBATUR hoc ratiocinio: Christus fuit plenus scientia, juxta illud Joann. 1. *Vidimus eum plenum gratia & veritatis.* Igitur habuit omnem scientiam, alias non fuisset veritatis plenus, cum aliquid defuisset.

Probatur II. ratione. Omnis perfectio possibilis tribuenda est animæ Christi: Sed intellectus ejus capax est cujuslibet scientiæ, immo perfectius est cognoscere v. gr. triangulum per Physicam & Mathematicam, quam illum demonstrare medio ex sola Physica mutuato: Igitur dicendum est animam Christi omnem habuisse scientiam, tum ordinis naturalis, tum ordinis supernaturalis, qualis Angelis & Beatis in regno cœlorum conceditur; quippe qui omnibus in cognitione in immensum præcelluerit, propter unionem hypostaticam, quod quidem nobis annuntiat Apostolus Col. 2. 3. his verbis: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

Divus Thomas hic qu. 11. art. 1. de hoc momento ait: " Conveniens fuit, ut „ anima Christi omnino esset perfecta per „ hoc, quod omnis ejus potentialitas sit „ reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut „ in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva. Una quidem per „ comparationem ad agens naturale, alia „ vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam „ reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: Et hæc consuevit vocari potentia „ obedientiæ in creatura. Utraque autem „ potentia animæ Christi fuit reducta in „ actum, secundum hanc scientiam divinitus inditam. Et ideo secundum eam „ anima Christi primo quidem cognovit „ quæcumque ab homine cognosci possunt „ per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt quæcumque pertinent ad „ scientias humanas. Secundo vero per „ hanc scientiam cognovit Christus omnia „ illa, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt: sive pertineant ad „ donum sapientiæ, sive ad donum prophetiæ, sive ad quodcumque donum „ Spiritus sancti. „

Probatur III. ab enumeratione partium seu scientiarum. Primo quidem, Christus ut homo habuit scientiam Beatorum. Sic probat S. Th. hic q. 9. art. 2. isto argumento: " Scientia Beatorum in Dei cognitione consistit: Sed ipse plene cognovit „ Deum, etiam secundum quod homo, „ secundum illud Joann. 8. *Scio eum, & „ sermonem ejus servo.* Ergo in Christo „ fuit scientia Beatorum. „

Secundo: Habuit scientiam infusam. Hoc ipsum probat sanctus Doctor ibidem art. 3. & sic argumentatur: " Dicitur Coloss. 2. quod in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. „ Rationem hanc ulteriorem affert, quia potentia animæ Christi, quæ est ad omne scibile, reducitur ad actum per species intelligibiles infusas. Hanc scientiam habuerunt Angeli in sui creatione; hanc Adamus, a fortiori debuit habere & Christus; cujus rei argumentum est, quod in Templo adhuc puer Doctores erudiret, tametsi non studuisset, quod quidem stupentes demirabantur Pharisæi & Scribæ: Igitur ejus scientia erat infusa: Eam vocat sanctus Thomas vespertinam, seu secundam: scientiam vero Beatorum matutinam, seu primam & præpollentiorem: " Et ideo, *ait sanctus Doctor*, sicut „ in Angelis, secundum eumdem Augustinum, ponitur duplex cognitio, una „ scilicet matutina, per quam cognoscunt „ res in Verbo: & alia vespertina per „ quam cognoscunt res in propria natura „ per species sibi inditas, ita præter scientiam divinam & increatam, est in „ Christo secundum ejus animam scientia „ bea-

„ beata qua cognoscit Verbum & res in „ Verbo: & scientia infusa sive indita, „ per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ „ menti proportionatas. „

Tertio: Christus dum erat viator habuit scientiam acquisitam, quam usu & contemplatione rerum comparavit, quod S. Thomas probat hic his verbis ibidem art. 4. Heb. 5. dicitur: " Cum esset Filius „ Dei didicit ex his, quæ passus est obedientiam, Gloss. id est, expertus est. „ Fuit ergo in Christo aliqua experimentalis scientia, quæ est scientia acquisita. „

Synopsis de scientia Christi.

PRIMO: Anima Christi omne scientiarum genus habuit, juxta illud Joan. 1. 15. *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.*

Secundo: Habuit scientiam Beatorum, quandoquidem ab initio conceptionis videbat intuitive Deum: sic enim habetur Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Tertio: Habuit scientiam infusam. Et vero omnia dona concessa sunt Christo, quibus creaturæ innocentes donatæ sunt: Porro Angelis Creator, rerum omnium scientiam contulit: Igitur a fortiori ista animæ Christi indita est. Præter scientiam beatam & infusam, naturalem pro more hominum acquisivit; & hoc ait D. Thomas rerum ipsarum experimento.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Gratia Christi.

QUÆRES I. Utrum gratia fuerit in anima Christi, & quotuplex?

Respondeo I. Christum ut hominem omnium gratiarum supellectili fuisse cumulatum, secundum illud D. Joan. effatum 1. 15. *Vidimus eum plenum gratiæ*: Et illud Luc. 1. 36. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Respondeo II. Triplicem esse in Christo gratiam, videlicet Substantialem, qua Deus est, ut habetur Joan. 1. *Verbum caro factum est*: Habitualem, qua sanctus est & Prædestinatorum primus, secundum illud Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini*; quod fit per gratiam habitualem, ait D. Thomas hic q. 7. art. 1. Capitalem, qua caput Ecclesiæ constitutus fuit, dicente Apostolo, Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.*

Quæres II. Num fuerint in Christo virtutes?

Respondeo affirmative, quia virtutes ad gratiam habitualem sequuntur, ut proprietates ad essentiam. Divus Thomas hic art. 2. hanc probat veritatem isto argumento: " Super illud Psal. 1. Sed in le„ ge Domini voluntas ejus, dicit Glossa. „ Hic ostenditur Christus plenus omni bo„ no: Sed bona qualitas mentis est vir„ tus. Ergo Christus fuit plenus omni „ virtute. „ Hinc Psal. 23. 10. dicitur *Dominus virtutum*: Et ideo ipse est Rex gloriæ. Non tamen in eo fuit fides, non spes, quippe quæ importent imperfectionem, nam prior est argumentum rerum non apparentium, ut dicitur Heb. 11. Christo autem nihil erat absconditum, secundum illud quod dicit ei Petrus Joan. ult. *Tu omnia nosti*. Posterior vero, quia est de non possessis; dictum est autem Christum ut hominem vel ab ipso conceptionis momento visione Dei fuisse donatum.

Quæres III. An Christus ut homo habuerit dona Spiritus sancti?

Respondeo affirmative, juxta illud Isaiæ 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini: Spiritus sapientiæ & intellectus, &c.* Rursus ibid. cap. 4. 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum*: " Glos. id est, septem dona „ Spiritus sancti Christum. „ Ait D. Thomas hic q. 7. art. 5. Subdit tamen S. Doctor art. 6. in sua conclusione: " Quam„ vis in Christo nullus fuerit culpæ & „ pœnæ timor; fuit tamen in illo præ „ ceteris hominibus timor quo divinam „ reverebatur majestatem. „

Quæres IV. Utrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ?

Respondeo affirmative, maxime duplicem ob rationem. Prima est D. Augustini dicentis Epist. ad Dardanum: " Sicut in „ capite sunt omnes sensus, ita in Chri„ sto fuerunt omnes gratiæ. „ Altera est S. Thomæ hic ibid. art. 7. qui ait Christum fuisse omnium Doctorem, idcirco cuncta myste-

mysteria per sapientiam, scientiam, prophetiam prænoscere debebat, tum eadem probare operatione mirabilium, gratia sanitatum, & miraculorum fulgore.

Quæres demum, Quorum sit caput Christus?

Respondeo I. Christum esse Caput Ecclesiæ: In capite, inquit D. Thomas hic q. 8. art. 1. tria considerantur, videlicet ordo, debet ceteris membris præeminere, ut videre est in corpore humano; perfectio, quia in capite vigent omnes sensus: demum virtus, quippe quod in cetera membra vitam & motum influat. Tum his prælibatis, sic concludit: " Hæc " autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim secundum propinquitatem ad Deum gratia ejus altior " est & prior, etsi non tempore: quia " omnes alii receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius: secundum " illud Rom. 8. Quos præscivit, hos & " prædestinavit conformes fieri imaginis " filii sui, ut sit ipse primogenitus in " multis fratribus. Secundo vero perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum: secundum illud Joan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Tertio, virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ: secundum illud Joan. 1. De " plenitudine ejus nos omnes accepimus. "

Respondeo II. Christum esse omnium hominum caput, quia pro omnibus mortuus est, & ejus gratia ad omnes & singulos sese extendit. S. Thomas hanc responsionis dat rationem hic q. 8. art. 3. his verbis: " Dicitur 1. Tim. Christus est Salvator omnium hominum, & maxime " Fidelium. Et 1. Joan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Salvare autem homines, & propitiationem esse pro peccatis eorum, " competit secundum quod est Caput. Ergo " Christus est caput omnium hominum. "

Respondeo III. Christum utique esse caput Angelorum, quippe qui sint de Ecclesia, serviant Christo ut ejus Ministri, & ab eo habeant consummationem gloriæ quantum ad gaudia accidentalia in eos redundantia, tum ex hominum gloria quos ad gloriam ope, consilio & protectione perducunt, tum ex impletione ruinarum quas apostasia dæmonum passi sunt. Sic docet ex professo S. Thomas ibid. art. 4. isto potissimum argumento: " Apostolus " dicit Coloss. 2. qui est caput omnis principatus & potestatis. Et eadem ratio " est de Angelis aliorum ordinum. Est " ergo Christus caput Angelorum. "

SYNOPSIS ARTICULI.

De Gratia Christi.

PRIMO: Triplicis generis gratia fuit in Christo; substantialis scilicet, habitualis & capitalis: per primam erat Deus: per secundam, Sanctus Sanctorum: per tertiam, Caput Ecclesiæ. Hoc ipsum innuit S. Joan. cap. 1. 11. his verbis: *Vidimus eum plenum gratia:* plenitudo autem nihil excipit: Idem dicendum de virtutibus, quia ad gratiam consequuntur, si fidem & spem excipias, quæ annexam eatenus imperfectionem habent, quatenus illa est de obscuris & non apparentibus, ista vero de non possessis.

Secundo: Christus habuit utique omnia Spiritus sancti dona, juxta illud Isa. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia & intellectus.* Ratio est: quo magis aliquid ad primum gratiæ principium accedit, eo magis participat de ejus plenitudine; Christus autem nedum approximabat, sed & hypostatice erat Deo unitus, quocirca a divinitate in humanitatem jugi & perpetuo fluxu omnium gratiarum imbres derivabantur.

Tertio: Christus est Caput omnium hominum, immo & Angelorum: hominum quidem, cum ejus gratia ad omnes & singulos defluat; Angelorum vero, quia est eorum gloriæ consummator.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Christus ut Viator fuerit impeccabilis?

NON sine horrore legitur in scriptis impii Calvini, Christum fuisse a Patre derelictum, & quasi in desperationem actum obiisse. Ad quam confutandam blasphemiam sit

CON-

CONCLUSIO.

Christus ne levissimum quidem contraxit peccatum, fuitque ab omni culpa tum originali tum actuali immunis, immo & impeccabilis fuit.

Probatio ex utroque Testamento.

I. ILLE non peccavit; nec peccare potuit, qui a Prophetis prædicitur tamquam homo Deus, & mirabilis, sicut Pater futuri sæculi, & Princeps pacis: cujus quæritur peccatum & non invenitur: cujus sancta humanitas in montibus sanctis fundata est: & tantummodo gloriosa de ea prædicantur: qui denique tamquam inferorum Dominator celebratur: Atqui hæc omnia de Christo oraculis Prophetarum prædicuntur: Ergo &c. Probatur minor Isaiæ 9. 6. habetur: *Parvulus enim natus est nobis..... & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Psal. 10. 15. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Rursus Ps. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, &c.* Denique Osee 13. *Morsus tuus ero, inferne.*

II. *Ille* ab omni peccato immunis, immo & impeccabilis extitit, qui in sanctitate & conceptus & natus est; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in eo: Atqui talis fuit Christus: Et probatur. Luc. 1. 35. habetur de eo: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Tum Heb. 7. 26. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Rursus 1. Joan. 3. 6. *Peccatum in eo non est.* Et vers. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Igitur Christus nec peccavit, nec potuit peccare, sin minus peccata quæ sunt opera diaboli solvere non valeret, cum ipse foret peccati servus.

Agmen ducet Tertullianus Lib. de carne Christi cap. 16. pag. 371. ubi sic loquitur: " Defendimus autem, non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis; non materiam, sed naturam; nec substantiam, sed culpam; secundum Apostoli auctoritatem, dicentis: Evacuavit peccatum in carne: ... Et sic in illa peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habebatur. "

Suffragatur Dionysius Alexandr. Epistol. Synodica ad Paulum Samosatenum, his verbis: " Nam nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterit a peccato immunis esse: nullus enim peccati est expers nisi solus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus sanctus. "

Sic & sanctus Athanasius Lib. de Incarnatione: " Erat, *inquit*, impossibile alio modo integritatem & impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse, qui peccati expertem justitiam in mundum evexit. "

Idem dicit Hilarius Lib. 10. de Trinitat. " Ita homo Christus Jesus, & in veritate Nativitatis est dum homo est; & non in proprietate peccati dum Christus est, nec in vitiosa infirmitate hominis quia Christus est. "

Sequitur sanctus Augustinus Libr. 2. de peccatorum meritis & remissionibus capit. 13. qui de Christo loquens, ait: " In cujus non tantum divinitate, sed neque in anima, neque in carne nullum potuit esse peccatum. "

Tum S. Fulgentius Lib. 3. ad Trasimundum cap. 38. " Propterea, *ait*, Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potuit. Homo ergo Christus quoniam habuit propria, portare dignatus est aliena. "

Probatio, ex rationibus Theologicis.

PRIMA sic proponitur: Qui carnem corruptam neque assumpsit, neque habuit, certe non peccavit, immo nec peccare potuit: Atqui Christus carnem vitiatam non assumpsit, quippe qui operatione Spiritus sancti conceptus sit, juxta illud Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* Ergo &c.

Secunda: Qui conceptus est in gratia & charitate, non fuit peccabilis: Atqui Christus Jesus in gratia & veritate formatus est; hinc Angelus subdit ibidem: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* In illo sensu S. Thomas

mas hic qu. 15. art. 1. in argumento *sed contra*, interpretatur sancti Archangeli effatum: Ergo &c.

Tertia: Non sine blasphemia peccatum refunderetur in Deum: Atqui si Christus peccato fuisset obnoxius, hoc ipsum, quod absit dicere, refunderetur in Deum: Primo quidem in Spiritum sanctum, cujus energia formatus est: deinde vero in Filium qui incarnatus est, quandoquidem actiones sunt suppositorum: Ergo &c.

Quarta: Implicat eum qui venit ad peccatum destruendum, subjici peccato, alias foret victor diaboli & non foret: foret, ut supponitur: non foret quia ipse ab inimico salutis vinceretur: Atqui Christus ad hunc venit finem ut mortis Chirographum deleret, inquit Apostolus, & rursus Joan. 1. epist. 1. capit. 3. his verbis: *In hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli*: Ergo &c.

Quinta: Qui in omnibus a Spiritu sancto movebatur, nec peccavit, nec peccare potuit: Atqui Christus in omnibus suis actionibus a Spiritu sancto movebatur, juxta illud Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, &c.* Porro ex S. Thoma donum Spiritus sancti est gratia specialis, qua anima facile & prompte movetur a Spiritu sancto in iis quæ Deum spectant: hinc & Magnus Gregorius Hom. 25. dicit Jesum ab ipso Spiritu sancto ductum fuisse in desertum ut tentaretur a diabolo, ut sua victoria nos ipsos ejusdem diaboli redderet triumphatores: Igitur non potuit peccare; maxime vero cum esset omni scientia & gratia refertus: peccatum autem obrepit in animam modo per ignorantiam, modo etiam per fragilitatem & defectu gratiæ efficacis, quæ nonnumquam & deest in pœnam prioris peccati sive originalis, sive etiam actualis. Istæ omnes rationes laudantur a D. Thoma hic q. 15. art. 1. & 2. ubi ex professo Domini probat impeccabilitatem.

Sexta demum sic se habet: Ille nec peccavit, nec potuit peccare, qui caruit omni prorsus concupiscentia, ex qua veluti ex mari redundante cuncta profluunt crimina: Atqui Christus sicut peccati fomitem, sic & carnis concupiscentiam, ne minimum quidem expertus est: Ergo &c. Probatur minor auctoritatibus omni exceptione majoribus.

Sanctus Augustinus Lib. 4. operis imperfecti numero 47. sic loquitur: " Quisquis „ credit carnem Christi contra spiritum „ concupisse, anathema sit. „

Concinit S. Hieronymus Comment. in cap. 26. Matth. expandens illa Evangelistæ de Christo verba, *Cœpit contristari & mœstus esse*, ait: " Ut veritatem probaret assum„ pti hominis, vere quidem contristatum „ esse, sed ne passio in illius animo do„ minaretur per propassionem cœpisse con„ tristari. Aliud est enim contristari, a„ liud incipere contristari. „

Mira de hoc momento dicit S. Leo Epistol. 23. his verbis: " Nativitas enim Do„ mini secundum carnem, quamvis ha„ beat quædam propria, quibus humanæ „ conditionis initiata transcendat, sive „ quod solus ab inviolata Virgine, sine „ concupiscentia est conceptus & natus:... „ Nihil carnis suæ habebat adversum, „ nec discordiæ desideriorum gignebant „ compugnantiam voluntatum. Sensus „ corporei vigebant sine lege peccati, & „ veritas affectionum sub moderamine „ deitatis & mentis, nec tentabatur ille„ cebris, nec cedebat injuriis. „

Doctor Angelicus hic qu. 15. art. 2. eamdem probat veritatem hoc argumento: " Dicitur Matth. 1. quod in ea natum „ est de Spiritu sancto; sed Spiritus san„ ctus excludit peccatum & inclinatio„ nem peccati, quæ importatur nomine „ fomitis; Ergo in Christo non fuit fo„ mes peccati. „

Quinta: Synodus generalis hoc de fide definit adversus Theodorum Mopsuestenum, his verbis: *Si quis defendit impium Mopsuestenum Theodorum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium a passionibus animæ & desideriis carnis molestias patientem, ... anathema sit.*

Fit satis objectionibus.

OBJICIUNT Heterodoxi: Roman. 5. Filii ex Adam procreati peccato inquinati sunt, aut saltem possunt maculari; sic enim legitur: *In quo omnes peccaverunt*. 2. ad Gal. 3. dicitur factus pro nobis peccatum. III. 2. ad Tim. 2. 5. scriptum est: *Non coronatur nisi legitime certaverit*. IV. Matth.

Matth. 4. *Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo*. Sed Christus ex Adam procreatus est: Igitur in eo peccavit: Sed pro nobis factus est peccatum; sed adversus insurgentes passiones dimicavit, cum de facto coronatus sit: Sed qui tentatur peccare potest: Igitur ex omnibus istis momentis Christus peccabilis fuit.

Respondeo argumentum nimis probare; inde enim sequeretur Christum de facto, quod absit dicere, peccasse; quod nullus tametsi impius saltem non sine horrenda blasphemia proferre audebit.

Respondeo II. ad 1. distinguendo: Filii ab Adam via ordinaria procreati, peccaverunt, concedo; via extraordinaria, nego. Christus Spiritus sancti operatione conceptus est; hinc eo loci non solum e numero prævaricatorum excipitur, verum etiam ut peccati triumphator exaltatur, his verbis: *Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*.

Ad secundum utique distinguimus: Christus factus est pro nobis peccatum, hoc est, pro peccato hostia, concedo: factus est peccatum formaliter, nego. Scriptura in priori intelligitur sensu; namque hostia pro peccatis oblata nonnumquam in Scriptura peccatum dicitur. Sic Oseæ 4. 8. habetur de Sacerdotibus antiquæ legis: *Peccata populi comedent*; id est, oblatas pro peccatorum expiatione victimas. Solutio est D. Petri qui Epist. 1. cap. 2. 22. de Christo ait: *Qui peccatum non fecit ... peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*.

Ad tertium, dicimus Christum debellasse mundum & Satanam, & omnium virtutum exercitatione promeruisse gloriam: immo & ipsum peccatum, quandoquidem illud sua morte delevit: Igitur non opus fuit ad merendum ut peccati passionibus subiiceretur, cum venisset eo solum scopo ut dissolveret opera diaboli.

Ad quartum distinguo: Christus tentatus est extrinsece & mere objective, concedo: intrinsece, nego. Aliquis, teste sancto Gregorio, Homil. 16. in Evangelia triplici modo tentari potest, nimirum suggestione, delectatione, & consensu: Christus ex eodem Patre non fuit tentatus in deserto aut delectatione, quippe quæ a concupiscentia mala procedat, aut consensu, cum sit ipsum peccatum, sed tantummodo suggestione, & per simplicem objecti propositionem, ut sua victoria victores evaderemus. Unde subdit: " Tentari ergo per suggestionem potuit: " Sed ejus mentem peccati delectatio " non momordit: Atque ideo omnis dia- " bolica illa tentatio foris, non intus fuit. " Quod quidem paucis sed efficacissimis verbis asserit Apostolus Hebr. 4. dicens Christum tentatum per omnia absque peccato.

Instans: Qui voluntati Patris adversari visus est, ille peccabilis censetur: Atqui Christus Matth. 26. 39. sic se gessit, dicens: *Transeat a me calix iste*: Ergo &c. Confirmatur ex Damasceno, qui Lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 15. propugnat appetuisse in Christo luctationem partis inferioris adversus superiorem, quando petiit ut calix ab illo transiret.

Respondeo negando minorem: Ad probationem distinguo: Christus Dominus petiit calicem pertransire ab eo, ut ostenderet atque probaret se esse verum hominem, concedo: ut resisteret Patri, nego. Natura a malo imminenti abhorret dupliciter: Primo quidem quatenus ex innato appetitu sui appetit conservationem, & sic voluntas ut natura fugit malum, & apprehensum ex impetu abhorret ut est naturæ destructio; deinde vero ut resistat superiori comminanti pœnam pro mandati transgressione, & tunc agit ut libera & peccati ipso facto fit rea. De fide est Christum non nisi priori modo expostulasse ut ab eo transiret calix, namque protinus subjunxit, Patrem alloquens: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*. Hoc unum contendit Damascenus.

Urgent: Qui baptizatur reus est peccati: Sed Christus, ut habetur Matth. 3. baptizatus est: Ergo &c.

Respondeo transeat major, & distinguo minorem: Christus baptizatus est Baptismo Joannis, concedo: Baptismo ad remissionem peccati, nego. Porro Baptismus Joannis non erat eo præcise institutus sine ut peccata remitteret, sed ut peccatores ad pœnitentiam in remissionem delictorum commoveret.

Respondeo II. aliter distinguendo: Christus baptizatus est a Joanne ut aquas sancti-

ctificaret, concedo: ut ipse sanctificaretur ab aquis, nego. Hoc ipsum testatur Joannes Matth. 3. 14. his verbis: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me*. Solutio est etiam D. Ambrosii.

Persistunt: Qui visus est veluti in desperationem actus, certe fuit peccabilis: Atqui, inquit impius Calvinus, res sic se habet, secundum illud Psalmi 21. *Deus Deus meus respice in me: Quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum .... Clamabo per diem, & non exaudies, &c.* Quæ quidem sententia juxta Patrum interpretationem in persona Christi dicta est, cum ipse pendens in cruce clamaverit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ergo &c.

Respondeo negando minorem, ut quid sicut dictu, ita & auditu horrendum. Ad probationem distinguo: Et sic locutus est Christus ut probaret se habere naturam humanam, quæ a sua dissolutione abhorret, concedo: ex passionis dominio, nego. Sic communiter verba laudata interpretantur Patres: in primis Epiphanius Hæresi 69. " Cuinam, *inquit*, igitur ex
„ persona divinitatis ipsius dici ista pot-
„ erant: *Deus meus*, *eus meus ut quid*
„ *deriliquisti me*? Restat igitur ut ex ejus
„ humanitatis persona, & affectu quodam
„ humano dictum illud videatur, ut In-
„ carnationem non specie dumtaxat ad-
„ umbratam, sed reipsa vereque admi-
„ stratam fuisse dicamus. „

Respondeo II. Eadem Christi verba distinguendo: Et hæc unum tantummodo subindigitant, scilicet Verbum tempore passionis miraculosam illam virtutem qua Christi corpus impassibile evasisset, in illud tunc non effudisse, concedo: & subnotant Christum a Deo derelictum, nego. Sicut igitur Christus virtute suæ personę quadraginta dierum spatio non esuriit, ejusdem energia poterat non pati; sed ut dispensationis locus præberetur, influxum continuit; sicque humanitas & vulneribus & doloribus commissa est: neque vero a fortiori dici potest tunc Verbum hominem assumptum dereliquisse: *Quod enim semel assumpsit*, inquit Joan. Damascenus, *numquam dimisit*. Quæ quidem sententia evasit inter Patres adagium.

Respondeo III. Iterum atque iterum distinguendo camdem probationem: Et Christus in Psalmo laudato loquitur in persona totius Ecclesiæ, & omnium peccatorum, quod vel ipsa ista verba, *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, indicant, concedo: in persona propria, nego. Isto modo interpretatur locum S. Thomas 3. p. q. 15. art. 1. ad 1. ubi sic solvit argumentum auctoritate sancti Joannis Damasceni Lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 25. postea vero suam responsionem istis concludit verbis: " Et secundum hoc
„ Christus ex persona membrorum suo-
„ rum loquens, dicit: *Verba delictorum*
„ *meorum*: non quod in ipso capite deli-
„ cta fuerint. „ Quod autem Christus quantum ad animam a Patre non fuerit derelictus: sed semper obediens pacifice remanserit, habetur Luc. 23. 46. *Clamans voce magna Jesus*, ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expiravit.*

Instant: Christus habuit passiones & naturam humanam ex nihilo productam, videlicet in Adam: Sed ex passionibus concluditur peccabilitas: eamdem quoque sanctus Augustinus & S. Thomas, immo & ipsum Angelorum peccatum inferunt ex eo, quod omnis natura creata de se tendat ad nihilum, adeoque & ad peccatum: Ergo &c. Confirmatur. Impeccabilitas est attributum Deo proprium: Ergo &c.

Respondeo distinguendo primam partem: Christus habuit passiones de se indifferentes, & quæ bono ex intentione dirigentis servire possunt, concedo: tales sunt mœstitia, timor, ira; namque dolere de offensa Dei, & adversus peccatores insurgere in vindictam, laudabile est: habuit corruptorias ex peccato profluentes, qualis est concupiscentia, nego: priores fuerunt in Christo, & a sancto Thoma non passiones, sed propassiones dicuntur, hoc est, proprie loquendo non sunt passiones.

Ad alteram objectionis partem similiter distinguo: Christus Jesus habuit naturam humanam ex nihilo formatam in Adamo, sed a Verbo assumptam, concedo: in se nude relictam, nego. Et sic patet discrimen inter Christum & Angelos: Isti enim quia non assumpti a Deo, peccare potuerunt, & de facto nonnulli prævaricati sunt.

Ad confirmationem etiam distinguo: Im-

Impeccabilitas essentialis est Deo propria, concedo: accidentalis, nego: Sicut igitur Verbum incarnatum tametsi secundum se immortale, voluit tamen in homine assumpto pati, & mori, quidni e converso suam potuerit communicare impeccabilitatem humanitati?

Reponunt: Apostoli in die Pentecostes gratia impeccabilitatis donati sunt, & tamen poterant peccare: Ergo a pari & humanitas Christi. Confirmatur: Si Christus ut homo non potuisset peccare, maxime ratione præsentiæ & motionis Verbi: Atqui hæc ratio nulla est: Et probatur. Deus est præsens omnibus justis, & eos ad operandum movet, juxta illud 1. Joan. 4. 8. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Tum in Actibus 17. 28. *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*: Atqui tamen, his non obstantibus, homo purus peccare potest: Igitur & assumptus.

Respondeo negando paritatem: Ratio discriminis ea est, quod Apostoli solum ab extrinseco, videlicet ex protectione Dei essent impeccabiles, in eis tamen fomes peccati tametsi ligatus, remanebat: At vero Christus viator impeccabilis erat ab intrinseco & ratione personæ; actiones autem sunt suppositorum. Sic patet solutio ad confirmationem. Et vero actiones in justis non sunt a Deo nisi ab universali motore, in Christo vero a persona Verbi ut a causa particulari: quocirca si homo assumptus potuisset peccare, Verbo, quod absit dicere, vitio versum fuisset.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus viator erat impeccabilis.

PRIMO: Ubique Scriptura Christi sanctitatem indefectibilem celebrat, ut Luc. 1. Joan. 1. cap. 3. in primis Hebr. 7. 26. ubi Christus dicitur sanctus, innocens segregatus a peccatoribus, excelsior cœlis factus.

Secundo: Idem ex Patribus constat. Dionysius Alexand. Epist. Synod. ad Paulum Samosatenum ait Christum esse impeccabilem propter unionem hypostaticam. Concinit Athanasius Lib. de Incar. Hilarius Lib. 10. de Trin. Augustinus Lib. 2. de pecc. meritis & remiss. Fulgentius Lib. 3. ad Trasimundum cap. 38. & alii omnes, ne uno quidem excepto.

Tertio: Ratio suffragatur. Actiones sunt suppositorum: Igitur Christus nec peccavit, nec peccare potuit, sin minus, quod absit vel cogitare, peccatum refunderetur in Deum.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Quandoque Christus in sacris Scripturis dicitur pro nobis factus peccatum, sed sensus est, quod hostia propeccatis nostris extiterit: nam de eo 1. Petri 2. 22. habetur: *Qui peccatum non fecit ... peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.*

Secundo: Christus quidem tentatus est, sed non intrinsece & a concupiscentia quæ ad peccatum originale consequitur, quæque nullo modo fuit in eo, sed objective & extrinsece, ut sua victoria nobis ad propulsandum inimicum arma præberet. Ita docet Gregorius Magnus Hom. in Evangelium.

Tertio: Falsissimum est, ut garrit & blasphemat Calvinus, Christum animam agentem in ara crucis a Patre derelictum quoad animam, ita ut cederet tormentis, cum immediate post dixerit, ut habetur Luc. 23. 46. *Clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit.* Sed solum voluit pati dolores acerbissimos, quos, ne quis putaret fictitis, pro more hominum nimis excruciatorum, non impatientiæ motu, sed amore erga Patrem & nos homines voluit ex conquestu probare quanta pro adimplendo de morte subeunda præcepto, & pro nostra salute pateretur, dicens Marc. 16. 34. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* hoc est, ut quid tanta me pati sinis.

ARTICULUS QUARTUS.

Num Christus fuerit liber in suis actionibus & potuerit mereri?

TRIPLEX in Christo Jesu actio distinguenda est: una mere divina, quæ Christo

sto convenit ratione personæ ut subsistit in natura divina: altera humana, quæ sit ex volitione & præconceptione finis: tertia demum hominis, quæ fit ex naturæ impetu, qualis est motus primo-primus. Rursus actio humana duplicis est generis; alia scilicet circa finem, alia vero circa media ad finem assequendum.

Caput controversiæ non movetur de actione mere divina, nec de actione hominis, neutra quippe electioni subjecta est: Neque vero etiam de actione humana circa finem, dum agitur de Christo: tametsi enim ceteri homines sint liberi etiam circa finem, quatenus illum vel in bono creato, vel in increato reponere queunt, non tamen homo assumptus qui ratione impeccabilitatis non alium etiam in individuo sibi præscribere poterat finem, quam ipsum Deum & ut amandum & ut glorificandum: sed de actione humana ratione sui & mediorum assumendorum ad finem: quibus suppositis, sit

CONCLUSIO PRIMA.

Christus fuit liber in actionibus suis, vel etiam in ipsa morte subeunda.

PROBATUR hoc efficaci argumento illud fidei dogma. Libertas actus, juxta S. Thomam, est vis electiva, ita ut actus sit in dominio agentis, & ex deliberatione & electione prævia illum possit vel ponere, vel etiam omittere: Atqui Christus viator sic fuit liber in suis respectivæ operationibus: Ergo &c. Probatur minor multis momentis.

Primo, ex Scriptura sacra.

ISAIÆ 7. de Christo dicitur: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Rursus ibidem cap. 35. *Oblatus est quia ipse voluit*.

Concinit novum Testamentum. Joannis 10. 17. Christus hæc effatur: *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Ipse vero rogatus a parentibus ut publice ad se manifestandum adiret templum, noluit cum tamen postea secreto illuc appulsus sit. Mitto alia innumera libertatis Christi exempla; maxime in passione, ubi quandoque Judici interroganti respondebat, quandoque etiam tacebat: Sed in his & similibus affulget indifferentia & electio actus: Igitur & libertas. Hoc ipsum de fide definitum est in sexta Synodo generali adversus Monothelitas, qui unicam in Christo admittendo operationem Theandricam ac divinam, exsufflabant humanam eamque liberam, propter quod proscripti sunt: Ergo &c.

Probatio, ex traditione Patrum.

PRIMUS nobis occurrit sanctus Cyprianus, qui Serm. de Passione Domini sic loquitur: " Voluntarie obedisti Patri, & „ non te ut patereris, cogit necessitas. „

Idem sentit sanctus Chrysostomus Hom. 28. in epistolam ad Hebræos, ubi exponens illa verba Apostoli: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, ait: " Hoc est, licebat „ ipsi nihil perpeti si voluisset, & po„ testatem habebat si voluisset, crucem „ adire. „ Tum Ambrosius Lib. 4. de fide cap. 5. eamdem propugnat sententiam his verbis: " Sicut potestati suæ esse si„ gnificat ponere animam & liberæ vo„ luntatis, ita etiam quod secundum man„ datum deposuit Patris, suæ ac paternæ „ voluntatis significat unitatem. „

Insignis est locus S. Hieronymi in caput 53. Isaiæ, ubi loquens de Christo, ait: " Non necessitate, sed voluntate crucem „ subiit. „

S. Augustinus Lib. 4. de SS. Trin. cap. 13. similia profert: " Neque enim, *inquit*, „ jure cujusquam potestatis exutus est „ carne, sed ipse se exuit. Nam qui pos„ set non mori si nollet, procul-dubio „ quia voluit, mortuus est. „ Idem sentiunt Theodoretus in cap. 12. Epist. ad Heb. Gregorius Magnus Lib. 24. Moralium cap. 2.

Tertio, ratione D. Thomæ, qui 3. p. quæst. 18. art. 4. primum distinguit ea quæ sunt ad finem, & alia quæ sunt media ad finem. Tum concludit Christum esse liberum, quia ex ratione circa media operans electione utitur, in qua potissimum affulget libertas indifferentiæ actus, quatenus unum medium, alio derelicto, potest assumere, & omnibus uno vel altero tem-

tempore ad nutum uti. " Electio autem „ est idem, quod voluntas ut ratio: & „ est proprius actus liberi arbitrii.... Et „ ideo cum in Christo ponatur voluntas „ ut ratio, necesse est etiam ponere ele- „ ctionem, & per consequens liberum ar- „ bitrium, cujus actus est electio. „

CONCLUSIO SECUNDA.

Christus dum erat viator, meruit.

Probatur multis momentis.

PRIMO: Ex Scriptura Isaiæ 53. de Christo dicitur: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum...... Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Rursus Hebr. 2. *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Et iterum Apocalyp. 5. 12. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & divinitatem, &c.* Ex his istud formatur argumentum. Mereri est aliquod, propter exantlatos labores obtinere præmium, & se se laurea aliqua dignum præbere: Atqui ex sacris Scripturis Christus Dominus, propter sua bona opera vidit semen longævum, ita exaltatus est, ut acceperit nomen quod est super omne nomen, omnibus se se præbuit honore dignum, maxime propter passionem & mortem quam subiit, ut ipse Luc. 24. discipulis Emmaus testatur, his verbis: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Ergo &c.

Secundo: Ex SS. Patribus, qui passim eamdem prædicant veritatem. Chrysostomus Homil. 7. in Epistol. ad Philipp. ait: " Extremam Christus præstitit obedien- „ tiam, propterea accepit & supremum „ honorem. „ Ambrosius in cap. 2. ejusdem Epistol. " Quid, *inquit*, & quantum „ humilitas hic ostenditur &c. „ Expressius August. Tract. 304. in Joan. ubi sic habet: " Humilitas charitatis est meritum, „ charitas humilitatis est præmium, sed „ hoc falsum est in forma servi. „ Quibus sententiis expenditur humilitatis corona. Eidem subscribunt veritati S. Cyrillus Libr. 3. Thesauri 2. S. Basilius Lib. 7. adversus Eunomium, & alii. Ergo &c.

Tertio, ex ratione: Meritum est jus ad Coronam fundatum in proportione operis liberi viatoris, cum præmio ex promissione præmiantis: Atqui omnes Christi actiones istud jus eminentissime habebant, & omnes conditiones ad merendum requisitæ in eo affulgent. Primoquidem, erat viator, & passibilis. Secundo, erat proportio mirabilis inter ejus actiones & præmia, cum & gratia, & veritate plenus esset, immo & ejus actus ab ipsa Verbi persona emanarent. Tertio, erat liber, ut modo probatum est: neque vero deerat ipsi præmiantis Patris promissio, juxta illud Isaiæ effatum: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Ergo &c.

Quantitas meritorum Christi.

CHRISTI meritum est infinitum, quandoquidem ejus actiones ex persona Verbi infinitum habebant valorem, juxta illud tritum juris axioma: *Honor est in honorante.* S. Thomas triplex in Christo distingit meritum, videlicet sufficientiæ, abundantiæ, & excellentiæ: sufficientiæ quidem in prima conclusum actione, quam ingrediens mundum elicuit; cum enim ille amoris actus infiniti esset valoris, ad reparandum mundum sufficiebat: abundantiæ in toto vitæ decursu, quatenus eumdem repetitis vicibus produxit: excellentiæ demum in morte, qua totam redemptionem voluit ultimo perficere, & cetera coronare opera, juxta illud Apostoli ad Hebr. 10. 14. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Hinc Clemens V. in Concilio Viennensi generali de satisfactione Christi, ait: *De cujus consumptione Thesauri non est timendum.*

Extensio meritorum Christi.

PRIMO: Christus non sibi meruit gratiam habitualem, charitatem, virtutes infusas, gloriam animæ: bene vero gloriam corporis, Resurrectionem, Ascensionem & nominis exaltationem.

Probatur prima pars, hoc ratiocinio: Quæ fluunt connaturaliter ab unione hypostatica non cadunt sub merito: Atqui gratia habitualis connaturaliter ab

unione hypostatica promanat, ut a primigenio totius sanctitatis fonte; virtutes vero ad gratiam habitualem consequuntur ut proprietates ad essentiam: Igitur laudata non cadunt sub merito, cum vel ipsam unionem hypostaticam non potuerit mereri Christus, quippe quæ sit totius meriti principium.

Probatur altera pars, discurrendo per singula. Quod enim Dominus gloriam corporis meruerit, habetur Luc. 24. his verbis: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. De Resurrectione Propheta Regius Psal. 3. in persona Christi loquens, ait: *Ego dormivi & soporatus sum, & exsurrexi quia Dominus suscepit me*. Quæ quidem verba exponens S. Augustinus, sic loquitur: " Justum erat " ut innocentem occisum, & cui tributa " sunt mala pro bonis, resuscitaret a " mortuis. "

De Ascensione, scriptum est Ephes. 4. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus: Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*. Qua interpretatione sententiæ Psalmi 67. Apostolus tribuit Christo Ascensionis triumphum, propter ejus humilitatis meritum.

De exaltatione nominis, idem hanc tribuit & passionis & humiliationis merito coronam, Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum*, inquit, *factus obediens usque ad mortem:.... Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*.

Ratio omnium hæc est: Decebat Christum omni titulorum genere gloriam corporis, & sui nominis exaltationem habere; videlicet & titulo hereditatis, quatenus Filius Dei est; & titulo electionis, dicente Apostolo Ephes. 1. 22. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*; nimirum Pater æternus; & titulo acquisitionis, juxta illud Osee 13. *Ero mors tua, o mors!* Hinc S. Fulgentius de Christo, ait: " Venit ut " triumpharet occisus. " Tum quia habere aliquid jure acquisitionis per modum præmii, summam arguit virtutem & perfectionem.

Secundo: Christus meruit nobis salutem, & gratias omnes ad eam conducentes, juxta illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Et istud Ephes. 1. *Benedictus Deus & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*. Hoc ipsum declarat sancta Synodus Tridentina Sess. 6. cap. 13. dicens, Christum influere in nos omnes vitæ spiritalis motus, eo prope modo quo caput jugiter vitæ naturalis motum influit in membra.

Tertio: Christus etiam Angelis beatis gloriam accidentalem promeruit. Revera quidem nomine gloriæ accidentalis intelligitur, quoddam gaudium gloriæ essentiali adventitium: Sed Angelis beatis ex meritis Christi hæc advenit Laureola, cum enim teste Apostolo omnes sint administratorii Spiritus in Ministerium missi propter eos, qui gratia Mediatoris opitulante, hereditatem capiunt salutis, dubio-procul in eorum gloriam cedit electorum glorificatio; hinc Luc. 15. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. Dixi gloriam accidentalem, & non essentialem; istam quippe cum gratia sanctificante, ex beneficio Creatoris habuerunt, quod non obscure subindigitat Augustinus in Enchyridio cap. 61. his verbis: " Proprio filio suo non " pepercit Deus, sed pro nobis omnibus " tradidit illum; non enim pro Angelis " mortuus est. "

Solvuntur objectiones adversus

Primam conclusionem militantes.

OBJICIES: Ad libertatem requiritur indifferentia, juxta illud Scripturæ effatum, Eccli. 31. 10. *Potuit transgredi, & non est transgressus*. Atqui ea libertate præditus non erat Christus. Et probatur: Qui est ad bonum necessario determinatus, non habet indifferentiam actus: Atqui Christus viator talis erat naturæ. Et probatur: Qui donatur visione beatifica est ad bonum faciendum necessario alligatus: Atqui Christus etiam in via visione beatifica donabatur. Ergo &c.

Respondeo distinguendo majorem: Requiritur ad libertatem indifferentia activa con-

contrarietatis, vel contradictionis, concedo: contrarietatis absolute, subdistinguo: in homine peccatore, concedo: in homine assumpto, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Indifferentia activa duplex distinguitur: altera circa bonum & malum, & contrarietatis vocatur, quandoquidem bonum & malum contrarie opponuntur: altera contradictionis, & se se exercet circa actum & non actum, quatenus voluntas ad nutum potest agere, vel non agere. Prior est in homine peccatore, posterior vero tantum fuit in Christo, & ad merendum, vel non merendum sufficit.

Ad primum probationem, distinguo utique majorem: Qui est ad bonum necessario determinatus, tam per modum contrarietatis, quam per modum contradictionis, non habet indifferentiam activam, concedo: qui solum sic se habet per modum contrarietatis, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Ultro fatemur Christum viatorem fuisse necessario determinatum ad bonum, quatenus peccare non poterat; erat tamen liber, ut actum bonum vel poneret, vel etiam omitteret.

Ad ulteriorem confirmationem, distinguo: Christus erat beatus quoad animam, concedo: quoad corpus, vel etiam quoad animam, ut per corpus operatur, nego. Erat igitur simul viator & comprehensor: beatus quidem juxta supremam mentis aciem, & sub isto respectu erat sicut ad bonum necessario determinatus, sic & in eodem confirmatus: at vero ut viator ejus anima dependenter a corpore agebat, sicque in agendo erat liberrima. Quod quidem probari potest isto ratiocinio: Deus est summum bonum in se; attamen diversimode allicit voluntatem: visum in se, allicit necessario, cognitum vero vel per fidem, vel per creaturas & scientiam infusam, quæ non nisi per media creata diligendum proponunt, attrahit libere. Igitur anima Christi scientia visionis directa Deum necessario amabat, directa vero per scientiam infusam eumdem libere diligebat. Nec mirum: idem Doctor potest aliquam cognoscere conclusionem dupliciter, videlicet per intelligentiam & per scientiam: intelligentia ductus, eam in principio absque discursu cognoscit, per scientiam autem non nisi inquirendo: potuit igitur anima Christi viatoris sub isto duplici spectata respectu amare Deum, modo necessario, modo etiam libere.

Instabis: Atqui Christus Deum amare libere nusquam poterat: Ergo &c. Probatur subsumptum: Libertas oritur ex triplici indifferentia; nimirum ex indifferentia objecti, quod non apparet omne & summum bonum: ex indifferentia intellectus, qui non judicat esse hic & nunc tale bonum amandum, adeoque necessario; ex indifferentia voluntatis, quatenus in sui actus prosecutione sequitur ductum rationis, & intellectus judicium: Sed Christus nullam ex his capitibus, circa Deum amandum habebat indifferentiam. Ergo &c. Probatur minor: Intellectus Christi proponebat semper Deum ut summum bonum, & hoc intuitive; non enim ejus anima utpote beata, a visione Dei usquam aut abstrahebat, aut abstrahere poterat, alias ipso facto beata esse cessasset. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Christus ex allatis capitibus non habebat indifferentiam activam ut comprehensor ad amandum Deum, concedo: ut viator, nego. Non enim aliter allicit objectum, quam sub ea ratione qua proponitur: videtur quidem per visionem beatificam in se, & sicuti est summum bonum; hinc & necessario voluntatem beatorum ad sui amorem trahit: At vero per scientiam infusam & creaturas, non nisi ex parte cognoscitur, quocirca libere amatur.

Ad probationem distinguo: Anima Christi reduplicative ut beata non abstrahebat a visione Dei, concedo: ut forma corporis, & omnium viatoris operationum causa, subdistinguo: non abstrahebat abstractione separationis & reali, concedo: abstractione objectiva, nego. Igitur juxta diversitatem objectorum allicientium erant quoque diversi actus in Christo.

Urgebis: Ex hoc sequeretur duplicem actum sibi oppositum, simul fuisse in uno & eodem Christo: nimirum amorem Dei necessarium, illumque perpetuum, quatenus anima Christi Deum intuitive semper videbat, adeoque & necessario semper amabat, deinde vero amo-

amorem liberum de eodem objecto : sed hoc ipsum implicat contradictionem. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem : Hoc implicat contradictionem in puro viatore, concedo : in eo qui est simul comprehensor & viator, nego. Purus viator non tanta donatur gratia, ut a Deo nusquam distrahatur, & simul in eodem instanti diversos scientiæ actus eliciat, bene tamen Christus qui erat viator simul & comprehensor. Sic Angelus Raphael, tametsi Deum semper intueretur, juxta illud Evangelii 18. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris*; attamen dirigebat libere in via Tobiam, illumque modo veluti humano alloquebatur : non implicat igitur comprehensores diversos in eodem tempore, circa diversa objecta actus elicere. nec consequenter Christum amorem beatificum necessarium, & alium liberum sæpissime elicuisse : maxime vero cum charitas viæ subordinetur charitati patriæ ; & idem objectum sub diversa formalitate attingat.

Insistes : Christus non habebat indifferentiam, vel in ipsis actibus, quos ut viator eliciebat. Ergo &c. Probatur antecedens: Idem fit judicium de omnibus, ac de morte subeunda : Atqui Christus erat necessario determinatus ad moriendum, propter præceptum Patris, quod transgredi non poterat, quandoquidem erat impeccabilis. Ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem, distinguo : Christus Dominus erat ad moriendum determinatus ex prævia, eaque voluntaria mortis acceptatione, concedo; ita De Lugo & communiter Theologi: & non prævia acceptatione, nego. Pater Æternus varia ad redimendum hominem Filio proposuit media, maxime vero mortem crucis, quam libere quidem propter suum eximium in nos amorem acceptavit, juxta illud Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*. Acceptationi vero accessit præceptum, ut Christus obedientiæ meritum haberet: quocirca mandatum non minuebat obedientiæ præmium : sed potius in immensum augebat, cum Dominus Jesus Patris voluntatem de nostra salute efficaciter operanda prævenire voluerit ; ut enim ait S. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 2. " Tanto " videtur obedientia perfectior, quanto " expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate inferioris intellecta. "

Repones: Christus non erat liber circa amoris Dei præceptum acceptandum, vel non acceptandum ; omnes quippe amare Deum tenentur : Sed neque erat liber ad amandum, vel non amandum, quandoquidem erat impeccabilis, & ideo illud transgredi non poterat. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem : Christus non erat liber circa Dei Patris amorem secundum suam substantiam spectatum, concedo : & hoc ipsum arguit ejus impeccabilitas : circa amorem in tali vel tali circumstantia apponendum, & tali vel tali modo producendum, nego. Præceptum amoris Dei nedum substantiam, sed & circumstantias actus respicit, quæ plurimæ sunt, puta amare Deum amore naturali, vel supernaturali: amare Deum ubique & semper: suum prodere amorem vel humilitate, vel mortificatione carnis, vel suffusis erga proximum beneficiis, &c. Porro præceptum amoris est affirmativum. unde non pro semper obligat, neque etiam pro omnibus in individuo circumstantiis. Jam vero certum est Christum fuisse liberrimum circa omnes tum loci, tum temporis, tum etiam modi circumstantias, quæ dubio-procul minus vel majus, juxta diversos amandi gradus arguunt meritum.

Persistes : Atqui Christus ne quidem quoad circumstantias, saltem aliquas erat liber ad amandum Deum. Ergo &c. Probatur subsumptum : Non poterat v. g. suam propter impeccabilitatem non servare Sabbatum, de cujus observatione erat expressum Dei mandatum. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Christus non poterat non servare Sabbati præceptum quoad substantiam, concedo : quoad modum, nego. Poterat enim hanc celebrare observantiam, vel pernoctando in oratione Dei, vel aliis, domi remanendo, tum pietatis, tum humilitatis actibus.

Replicabis: Inde sequitur Christum non fuisse liberum circa ipsam præcepti substantiam: absurdum consequens: Ergo & antecedens. Probatur sequela : Erat liber solummodo quoad circumstantias : Igi-

Igitur non circa substantiam, quandoquidem circumstantiæ abstrahi possunt a substantia præcepti.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem, distinguo: Christus erat liber quoad circumstantias amoris præcepto affixas, concedo: ab amore divulsas, nego. Præceptum adimplendum voluit Christus quibusdam indui circumstantiis ad ostensionem & suæ libertatis, & summi sui tum erga Patrem, tum erga nos hominès amoris, & ideo ejus amoris actus etiam præcepti substantiam attingebant. Tametsi enim circumstantiæ per rationem abstrahi possint a substantia præcepti, non tamen a parte rei, & secundum rei veritatem, eas a præcepto abstrahebat Christus. Finis quippe est motivum & principium in agibilibus, in quibus actus secundum principii, seu motivi realitatem mensurantur. Hoc totum illustrari potest duplici exemplo. Necessario, verbi gratia, subjicimur miseriis vitæ, & martyres trahebantur ad supplicium, qui tamen miserias propter Deum patiuntur, quique tyrannorum supplicia, propter fidem suscipiunt, profecto summum omnes habent meritum. Igitur & immensum habuit Christus Dominus, tametsi propter impeccabilitatem non potuerit non amare Deum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus viator, I. erat liber, II. meruit.

PRIMA pars patet, I. ex Scriptura: Vel ipse Christus Joann. 10. ait: *Ego pono animam meam .... Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso*. II. Ex SS. Patribus Ambrosius Libr. 4. de Fide cap. 5. interpretatur locum Scripturæ de libertate Christi. Hieronymus in cap. 53. Isaiæ ait de Christo: " Non necessitate, sed voluntate cru- „ cem subiit. „ III. Ex ratione D. Thomæ, qui 3. p. quæst. 14. art. 4. dicit Christum egisse per electionem sicut ceteri homines, qui ex duobus objectis propositis, uno relicto, aliud eligunt: ex quo concludit in illo fuisse liberum arbitrium.

Altera pars non minus claret, ipso Domino dicente Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* Tum Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum.... Propter quod & Deus exaltavit illum*. Quæ quidem sententiæ innuunt Christum morte sua meruisse sui nominis exaltationem, & nostram salutem. Nec mirum, aderant in ejus actionibus omnes conditiones ad meritum, cum esset viator, cum ejus opera haberent cum præmio proportionem, quippe quæ infinitum valorem præ se ferent, &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Tametsi Christus esset beatus, erat tamen simul & viator; hinc liber fuit dum agebat ex directione scientiæ infusæ vel acquisitæ, quæ proponit Deum amandum non in se visum, sed ut in creaturis affulget ejus bonitas, sub quo respectu non trahit necessario voluntatem ad sui amorem.

Secundo: Neque vero Christi impeccabilitas impediebat, quominus præceptum mortis libere adimpleret, quandoquidem nonnisi prævia ejus acceptatione mortuus est, secundum illud Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*.

Tertio: Esto quod Christus non posset non amare Deum, erat tamen liber circa circumstantias loci, temporis & modi ad præceptum amoris adimplendum, etiam quoad substantiam; licet enim circumstantiæ in abstracto & secundum se spectatæ, non sint de substantia actus, secus si in concreto considerentur. Quia actus, attentis omnibus elicitur; quocirca Christus, nedum quoad circumstantias actus amoris Dei eliciendi, sed & quoad substantiam ipsius actus fuit liber.

DISSERTATIO SEPTIMA DE SATISFACTIONE CHRISTI, ET OFFICIO MEDIATORIS.



ERACTIS quæstionibus quæ respiciunt, tum possibilitatem & convenientiam, tum substantiam & modum Incarnationis, tum etiam eximias Christi proprietates & prærogativas, ordo rerum postulat ut jam enucleemus, quid in particulari gesserit pro nobis Filius Dei Incarnatus, maxime vero quid pro nobis ad satisfaciendum Patri egerit.

Dictum est supra, hominem purum non potuisse adamussim pro peccato mortali satisfacere, quia puri hominis satisfactio nequit esse ex bonis propriis, & ex indebitis; quis enim sine gratia aliquid promereri potest? Jam vero Deus potest nostras exigere actiones titulo creationis, vel etiam conservationis: ex quo patet solum Christum posse rigorose satisfacere, quia cum sit Dei Filius ipsi per omnia æqualis, absque ullo peccato & debito potest solus ad apices juris satisfacere pro nobis. Ita Athanasius Orat. 4. contra Arianos & Libr. 3. adversus eosdem: Augustinus in Enchir. cap. 108. & Richardus a S. Victore lib. de Incarnat. capit. 8. Sed difficultas est utrum de facto vere & proprie pro nobis satisfecerit Patri.

Negant Sociniani, qui inter omnia absurda totis viribus inficiantur Christi satisfactionem, asserendo. I. Satisfactionem pro peccato esse inutilem; neque Deum esse contra naturam humanam licet corruptam adversum, sed sufficere homini ut quando peccat, fide convertatur ad Dominum; pœnas vero esse solum pro iis, qui obstinati in peccato moriuntur. II. Christum satisfecisse pro nobis solum metaphorice & improprie, in quantum quæ illi imposita erant pro nostra salute operanda adimplevit. III. In hoc tantum sensu Christum esse nostrum Salvatorem, quatenus ex decreto Dei exemplum virtutis nobis dedit, ut viam salutis, tum verbo, tum exemplo nobis aperiret. IV. Christum esse mortuum, non ut loco nostro substitueretur, sed pro bono & commodo dumtaxat nostro. Contrarium propugnat Ecclesia, quandoquidem per peccatum debitores sumus Justitiæ divinæ, iram Dei meremur, & rei sumus mortis & maledictionis æternæ. Primum patet Matth. 6. vers. 12. in quo peccatores dicuntur Deo debitores: secundum ex Rom. 5. 10. & 14. in quo peccatores prænuntiantur inimici Dei: tertium vero Marc. 3. 27. ubi peccatores dicuntur rei. Deus igitur se habet I. Ut creditor, cui multa debentur. II. Ut persona offensa quæ placanda est. III. Ut judex, qui pœnam infligit reis. Unde ad veram satisfactionem tria requiruntur, nimirum solutio debiti, iræ divinæ placatio, & reatus expiatio. Ex his sequitur genus humanum indiguisse sponsore, qui pro illo solveret debitum, quia solvere haud valebat. II. Mediatore, qui homines Deo reconciliaret. III. Sacerdote & victima, quæ nostri loco ad pœnas subeundus substitue-

stitueretur, ut peccata nostra expiaret. Sociniani evacuant & passionis meritum, & condignam, quam pro nobis Christus exhibuit Patri, satisfactionem; sed contra quod dicitur Isa. 53. 4. de Christo: *Vere languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portavit.*

Dogma vera & condigna Christi pro nobis satisfactionis quatuor probatur argumentis.

Primo, quia Christus satisfecit pro nobis ut Sponsor.

Secundo, quia Christus satisfecit ut Mediator, qui formam servi accepit, & semetipsum exinanivit.

Tertio, quia satisfecit ut Sacerdos, qui oravit pro nobis: erat & victima quæ oblata est pro nostra omnium salute.

Quarto, quia satisfecit ut prædestinatus Filius Dei in virtute, & ad apices juris.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Christus vere satisfecerit pro nobis ut Sponsor?

SATISFACTIO in genere est reparatio damni initi; & quia damnum duplex esse potest, aliud in bonis quod dicitur rapina, aliud in honore quod injuria nuncupatur; ita & duplex satisfactio, altera pro satisfactione bonorum dilapidatorum, & dicitur restitutio, quia debent restitui, vel in ære, vel in natura: altera pro reparatione injuriæ, & satisfactionis retinet nomen. De ista præsentiarum agimus, & duplex utique distinguitur, alia scilicet imperfecta, alia vero perfecta. Prima fit per condonationem extrinsecam, quando scilicet vel offensus suo cedit juri, vel non vult se habere ut offensum, sicut Pater qui ita filios amat, ut non reputet ad injuriam offensas sibi ab illis illatas. Secunda, fit per satisfactionem æquivalentem & per injuriæ perfectissimam reparationem, puta quando satisfit personæ læsæ per obsequium æquivalens. Sociniani ad spiritus erroris attendentes tenent Deum, neque contra peccatores irasci, neque rigorosam exigere ab ipsis pro delictis satisfactionem, sed sufficere ipsis ad veniam obtinendam, ut sola fide convertantur ad Dominum; unde non solum evacuant necessitatem bonorum operum, verum etiam illudunt Christi satisfactioni. Igitur ut illum digne comprobemus, duo potissimum oportet ostendere; scilicet Deum vere irasci contra peccatores, & determinatam habere voluntatem eos puniendi, nisi ad meliorem reversi frugem, ipsi satisfaciant: Tum Christum præ nimio erga nos amore satisfecisse pro hominibus ut vadem, & sponsorem, ut ex ejus satisfactione pondus & meritum haberet vel ipsa peccatoris pœnitentia.

SECTIO PRIMA.

Utrum Deus irascatur contra peccatores, & semper habuerit voluntatem puniendi delicta?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatio, ex veteri Testamento.

I. Ex libris Legalibus. Primo quidem Exod. 20. 5. habetur: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in Filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Ibidem cap. 44. 7. *Nullusque apud te per se innocens est*: Hebraice, *fontem impune non dimittes*. Levit. 26. *Sin autem nec... audieritis me... ego incedam adversus vos in furore contrario.* Adstipulatur illud Num. 14. 18. *Nullumque innoxium derelinquens.* Et illud Deuter. 32. 21. *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus..... Ignis succensus est in furore, & ardebit usque ad inferni novissima.* Ergo &c.

II. Ex libris Sapientialibus Sap. 3. 16. sic scribitur: *Filii autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum.* Similia leguntur in Proverbiis, & etiam in Libr. Ecclesiastici. Ergo constat Deum vere irasci contra peccatores.

III. Ex libris Prophetalibus. Psal. 5. habetur: *Non Deus volens iniquitatem tu es; neque habitabit juxta te malignus, neque*

ferint-

permanebunt injusti ante oculos tuos : odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium : virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. His sententiis affines sunt istæ, quæ Prov. 3. 2. leguntur : *Abominatio Domini est omnis illu or*. Et cap. 6. 16. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus*. Tum Psal. 93. 1. *Deus ultionum Dominus, libere egit*. Concinit Jeremias cap. 51. 56. his verbis : *Fortis ultor Dominus reddens retributionem*. Et Ezech. cap. 5. 13. *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis*. His adde illud Nahum oraculum cap. 1. *Deus æmulator, & ulciscens Dominus, & habens furorem*. Igitur constat terribiliter Deum irasci contra peccatores, & pro delictis exigere satisfactionem, sive voluntariam, sive, quod horrendum est, coactam & æternam.

Probatio, ex novo Testamento.

I. Ex Evangelistis. Matth. 3. 7. sic loquitur Joannes Baptista peccatoribus : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Ibidem cap. 16. habetur : *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : & tunc reddet unicuique secundum opera ejus*. Celeberrimus est locus cap. 21. in quo scriptum est: *Agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt*. Quid autem facit Dominus vineæ ? fine mora pronunciat sententiam : *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis*. Qua quidem sententia patet Deum omnem semper expectare hominem ad pœnitentiam : sed graviter punire impœnitentes. Similia dicunt alii Evangelistæ, nempe Deum irasci contra peccatorem, & exigere pro ejus delicto satisfactionem, quam quidem non potest reddere per æquivalentia obsequia, ut probatum est initio Tractatus, ex quo manet contra Socinianos necessariam esse Christi satisfactionem.

II. Ex epistolis. Rom. 2. 1. sic scribit Apostolus : *Inexcusabilis es o homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas ... Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ ; & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus*. Egregie confirmat istam veritatem S. Jacobus cap. 5. 1. his verbis : *Agite nunc divites, plorate ululantes ... Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus, epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis*. Ergo &c.

Suffragatur S. Petrus, & stupenda de hoc momento dicit in secunda epistola cap. 2. 2. ubi : *Multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur : & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur : quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari ... Exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens .... Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos*. Rursus ibid. cap. 3. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient : elementa vero calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus*. Quibus verbis docet quinam sint modi proprii ad vitandam irati Dei erga peccatores vindictam. Idem confirmat Joannes ep. 1. cap. 5. 18. dicens : *Est peccatum ad mortem*. Et Judas Apostolus, his verbis vers. 6. *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum ... Vinculis æternis sub caligine reservavit .... Væ illis quia in via Cain abierunt*, loquitur de peccatoribus, *& errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt*. Vers. 15 ... *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum*. Ergo &c.

III. *Ex* Apocalypsi, cap. 7. 3. describitur pœna infligenda peccatoribus, his ver-

verbis: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*. Cap. 8. referuntur diversæ plagæ adversus peccatores. Cap. 9. tertia pars hominum, propter peccata destruitur. Cap. 13. 15. sic habetur: *Datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ: & faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur*. Et postea cap. 15. 3. refertur punitio eorum qui adoraverunt bestiam, his verbis: *Unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis, septem phialas aureas, plenas iracundiæ viventis in sæcula sæculorum*. Igitur Deus vere irascitur contra peccatores.

Probatio, ex Comminationibus.

GENESEOS 2. 17. habetur: *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Quo quidem præcepto prohibebatur primis parentibus sub pœna corporis & animæ ne ederent de ligno vitæ. Ezechielis 18. 24. hæc lex comminationis fertur: *Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Terribilis est comminatio Christi adversus Jerusalem peccatricem, Matth. 23. 37. his verbis: *Jerusalem, Jerusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios suos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. His adde illud Apocal. 2. 4. *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti, memor esto itaque unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*. Ergo &c.

Probatio, ex legibus vindictæ & satisfactionis.

LEVIT. 4. 1. habetur: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit: si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino*. Cap. 5. describitur satisfactio, quam debet ille, qui veritatem silentio tenuit captivam. Cap. 6. notatur hostia pro peccato in genere. Cap. 7. describitur ritus oblationis hostiæ pro delicto. Idem habetur cap. 20. Ergo &c.

In novo Testamento Matth. 3. Joannes Bapt. præscribit pœnitentiam ad satisfactionem pro peccatis dandam, his verbis: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. Christus vero Luc. 13. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*.

Probatio, ex sententiis latis contra peccatores.

PRIMA, & omnium terribilissima est ea, quæ lata fuit contra Adam & totum genus humanum propter ejus inobedientiam Gen. 3. *Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo... In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris*.

Secunda in Cain, quæ habetur cap. 4. 11. Gen. his verbis: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem patris tui de manu tua*.

Tertia est Nabuchodonosor; Daniel. enim 4. 30. sic habetur: *Eadem hora sermo conceptus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum est*. Quæ quidem sententia confundit Socinianos, qui absque ullo fundamento asserunt, Deum non punire nisi morientes obstinatos in peccatis, quandoquidem Nabuchodonosor a Deo flagellatus resipuit, & ut colligitur ex eadem Scriptura fidelis defunctus est.

Quarta, & inter ceteras terribilissima, est sententia Balthassar, quæ ibidem habetur cap. 5. 25. his verbis: MANE, THECEL, PHARES... *Eadem nocte interfectus est Balthassar Rex Chaldæus*. Mitto alias, quæ possunt legi passim in Scripturis sanctis.

Pro-

Probatio, ex factis vindictæ Dei peccatores punientis.

PRIMUM est diluvium ad puniendos homines carnales, ut legitur Gen. 7. Tum Exod. 15. Pharaon cum exercitu suo subvertitur in mari rubro, propter indurationem, & erga Israelitas crudelitatem. Num. 3. 4. Nadab & Abiu, filii Aaron igne miraculoso devorantur, eo quod igne alieno, Thus Domino adolevissent. Lib. 1. in Reg. cap. 15. 23. Saul projicitur a Domino propter inobedientiam; sic enim legitur: *Pro eo ergo quod abjecisti Sermonem Domini, abjecit te Dominus*. Sap. 5. fuse describuntur pœnæ impiis & peccatoribus destinatæ, & paratæ. Prophetæ multas referunt Dei vindictas erga populum Israeliticum propter ejus peccata, ut Isaiæ 5. 5. his verbis: *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem*. Et Osee 4. 2. *Maledictum, & mendacium & homicidium, & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra*. Eædem punitiones leguntur Jonæ 3. 9. in quo hæc leguntur de pœnitentia Ninivitarum: *Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus: & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?* Sic loquitur Rex Ninivitarum, qui imposuerat jejunium tam animalibus quam hominibus ad placandum Deum. Igitur contradicunt Prophetis Sociniani, dum asserere non erubescunt Deum non irasci adversus peccatores; ipsos vero sola fide, omissis bonis operibus, Deo reconciliari: e contra conclamat Antiochus a Deo percussus plaga insanabili Lib. 2. Machab. cap. 9. 12. *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. Sed ecce cœli responsum durum: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*. His adde illa superbi divitis verba Luc. 16. 24. *Crucior in hac flamma*; & alias plagas peccatorum, de quibus multus est sermo in Apocalypsi.

Probatio, ex Conciliis & Patribus.

ECCLESIA primis Sæculis imponebat pœnitentiam publicam pro gravioribus peccatis, ut ex Canonibus pœnitentialibus liquet: hoc ipsum habetur & statuitur in Concilio Carthaginensi ann. 398. celebrato Can. 2. ex Toletano IV. Can. 29. ex Bituricensi, Rothomagensi, Tridentino, talem exigentibus pœnitentiam si peccata sint publica & scandalosa.

Tertullianus Lib. de Pœnitentia cap 7. scribit, *ex omologesim* antiquitus fuisse in in usu.

Ambrosius Lib. 3. de Interpellatione cap. 8. pag. 1176. de hoc momento sic loquitur: " Ecce, quomodo dejiciuntur „ impii dum allevantur. Querela eorum „ excluditur, pœna acervatur. Cœlestibus enim beneficiis invitati, deserere „ non debuerunt vitæ, securitatis & „ prosperitatis datorem, cui magis debuerant obtemperare. Sed sicut justitia Dei magna, ita etiam severa vindicta. „ Audis sanctum Doctorem clare astruere supplicii æternitatem?

S. Hieronymus, Lib. 1. super Lament. Jerem. cap. 1. eidem veritati suffragatur, his verbis: " Districtus Judex facinus quod per pœnitentiam non corrigitur, inultum esse nequaquam patitur. „

Chrysostomus, Homil. 7. de diversis in Matth. sic loquitur: " Invitus Deus in „ reos vindicat, etiamsi ejus indulgentiam miserentis contemnat. „

S. Augustinus, ad articulos falsos sibi impositos, responsione 16. egregie eamdem confirmat veritatem, & sic habet: " Qui spreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem. „ Idem confirmat Lib. 2. de libero arbitrio cap. 1.

Adstipulantur eidem veritati Gregorius Magnus Lib. 16. cap. 23. Bernardus pag. 310. D. Bonaventura Serm. 2. Dominicæ 19. post Pentecostem, D. Thomas & ceteri tum Patres, tum Theologi. Quibus omnibus momentis liquet Deum irasci contra peccatores, satisfactionem exigere in hac vita per opera pœnalia. Igitur ruit systema Socinianorum, maxime quia purus homo nequit pro peccato satisfacere, sicut Deus exigit: adeoque requiritur Christi satisfactio; sic definit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 7. *Hujus, ait, justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei & Christi... Meritoria autem*

autem dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, qui cum essemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.

Probatio, ex ratione.

PRIMA sic exponitur: Ille irascitur contra peccatores, & rigorosam ab eis exigit satisfactionem, qui est bonus, sanctus & justus: Atqui sic est Deus. Ergo &c. Probatur major, in qua posset esse difficultas. Primo quidem, propium est summæ bonitatis propellere malum sibi oppositum; proprium sanctitatis infinitæ, ab omni vitio abhorrere: justitiæ vero perfectæ punire nocentes, ne facilitas veniæ fit incentivum novæ injuriæ. Hinc in Apocalyp. habetur: *Quantum glorificatus est, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*. Igitur quia Deus bonus, quia sanctus & justus est, irascitur contra peccatores, & exigit ab eis satisfactionem.

Altera: Ipsa conscientia dictat Deum irasci contra peccatum, illudque punire: immo ipsa aculeis suis mordaciter stimulando & pungendo punit peccatorem ad vindicandum Deum: unde Isaiæ habetur: *Vermis eorum non extinguetur*; Nisi pœnitentiam agant & satisfaciant. Ergo &c.

Tertia: Christus satisfecit pro nobis, ut fusius dicetur infra; & Hebr. cap. 9. 10. ex professo probat Apostolus Sacerdotium Christi, ejusque sacrificium substitui veteris legis sacrificiis, eo quod propter insufficientiam, non placarent Deum. Hinc Rom. 3. 25. dixerat de Christo: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ad ostensionem .... Justitia ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus*, id est, *ut justitia ejus omnibus innotescat*. Ergo &c.

Solvuntur objectiones Socinianorum.

OBJICIUNT: Gen. 4. Cain se credit a Deo per omnia maledictum; sic enim habetur: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear: ecce ejicis me hodie a facie terra .... Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*; & tamen subjungitur: *Dixitque ei Dominus: nequaquam hoc ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*. Ergo, inquiunt, Deus non irascitur contra peccatores.

Respondeo distinguendo consequens: Non irascitur Deus cito citius tradendo peccatores in mortem, sed expectat benignus & misericors ut ad ipsum revertantur per pœnitentiam & satisfactionem, concedo: secus, nego. Cain maledictus a Deo credebat se brevi ab aliquo interfectum iri, quam quidem cogitationem ad ipso avertit Dominus, qui multos dies illi ex misericordia concessit ut ageret de scelere pœnitentiam: sed nullo modo nec ipsum nec alios peccatores a satisfactione debita eximit.

Instant: Deus promittit peccatoribus veniam & pœnarum relaxationem, Jerem. 8. 18. & Ezech. 18. 21. Igitur inutilis est satisfactio, saltem Christi.

Respondeo distinguendo: Promittit Deus indulgentiam per opera pœnitentiæ pœnalia, concedo: sic enim habetur Ezech. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam: vita vivet & non morietur*. Secus, nego. Ceterum si scrutari Scripturas velimus, perfecto videbimus unum esse Christum, qui pro nobis digne satisfacere & potuerit, & de facto fecerit.

Urgent: Apostolus Col. 1. 24. *Adimpleo ea quæ de sunt passionum Christi in carne mea*. Igitur Christus non vere satisfecit; alias nihil deesset ipsius pro nobis satisfactioni.

Respondeo distinguendo: Apostolus ait, adimpleo quoad applicationem, concedo: quoad sufficientiam, nego. Christi satisfactionem S. Paulus non solum ut sufficientem habet, sed & superabundantem, juxta illud ejus effatum Rom. 5. 15. *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Verum Christi merita debemus nobis applicare ipsius sequendo vestigia, & patiendo, & pœnitentiam agendo, & sic solummodo Apostolus vult Christi passionem adimpleri.

Inst.

Instituunt: Deus Deuter. 27. 26. maledictionis solum pœnam comminatur adversus eos qui legem Mosaicam non servaverint; sic enim habetur: *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit*. Igitur pœna non extenditur pro aliis peccatis: & cum lex Mosaica abrogata sit, frustra dicitur Christum satisfecisse pro nobis.

Respondeo distinguendo: Et maledictio infligitur pro omnibus peccatis, concedo: secus, nego. Nam ipse Apostolus ad Gal. 3. 13. sic loquitur: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: maledictus qui pendet in ligno; ut in gentibus benedictio Abraha fieret in Christo Jesu*. Quibus verbis maledictionem seu pœnam quam Christus pertulit, etiam ad Gentiles qui peccaverant, extendit Apostolus, ut demonstret pro omnibus mortuum. Et vero Deuter. 27. maledictus ille dicitur, qui infregit legem non Moysis præcise, sed Dei qui erat ipsius auctor.

Reponunt: Comminationes in Scripturis sacris adversus peccatores intentatæ non sunt cum juramento, sed conditionatæ: Igitur si peccator resipiscat, non indiget ulteriori Christi satisfactione, qui quidem passus est, sed ad exemplum.

Respondeo distinguendo antecedens: Comminationes sunt conditionatæ, & conditiones sunt adimplendæ per satisfactionem pœnalem ipsius peccatoris qui propria satisfactione debet sibi applicare Christi satisfactionem, concedo: secus, nego. Ultro concedimus Christum passum fuisse, ut omnium virtutum & maxime patientiæ nobis relinqueret exemplum, sed primario & principaliter ut justitiæ Patris faceret satis.

Replicant: Sola pœnarum æternitas est argumentum iracundiæ Dei; ubi enim non est, ibi misericordia reperitur: Sed vel ipsæ damnatorum pœnæ non sunt æternæ. Et probatur: Suscipiunt magis & minus, juxta illud Matth. 23. 11. *Propter hoc amplius accipietis judicium*. Rursus Psal. 139. 11. de eisdem legitur: *In miseriis non subsistent*. Et alibi dicuntur perire: si pereunt, jam non sunt, & consequenter non cruciantur.

Respondeo negando minorem. Ad primam probationem, distinguo: Pœnæ damnatorum suscipiunt magis & minus quoad intensionem, concedo: fortior enim instat cruciatio pro his qui graviora peccata commisere: quoad durationem, nego. Omnium certe supplicium æternum erit, ut non semel asserit Scriptura sacra. Ad alias auctoritates dico, unum innuere, videlicet reprobos vita æterna excidere; hinc in interitum abeunt, nec vivi vita gratiæ in miseriis subsistent: & dubio-procul non annihilabuntur, sed vivent semper morituri, hoc est, semper & sine fine cruciaturi, ut habetur Isa. 34. 10. *In sempiternum ascendet fumus ejus*. Rursus cap. 66. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

Fit satis objectionibus, ex auctoritate Patrum depromptis contra æternitatem pœnarum.

OBJICIUNT: Argumentum maximum ire Dei contra peccatores est æternitas pœnarum: sed non constat Patres in ea fuisse sententia, quod pœnas damnatorum crediderint æternas. Et probatur. P. Garnerius inter opera Marii mercatoris pag. 114. edidit libellum, qui sic inscribitur: *Incipit fides Rufini*. In eo autem damnat eos qui dicunt diabolo & dæmonibus, & impiis, hoc est, Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibusque hæreticis, exceptis Christianis, qui rectam fidem sequuntur, & peccatores sunt, aliquando parcendum, & pœnas eorum non esse perpetuas. Igitur his temporibus quidam propugnabant Christianos, tametsi peccatores modo fidem servarent, pœnis æternis non addici.

Respondeo I. Opinionem illorum, si qui fuerint talia rimantes, esse erroneam, adeoque prorsus abjiciendam.

Respondeo II. negando minorem. Ad probationem, distinguo consequens: Exceptis Christianis qui pœnitentiam egerint, pœnas luent æternas, & dæmones, & Pagani, concedo: sin minus, nego. Hoc astruit Rufinus discrimen, quod dæmones, Pagani, Hæretici & Schismatici omnes pœnis æternis donentur, sed non omnes Christiani, cum non pauci agant pœnitentiam. Quod autem aliter non senserit Rufinus, liquet ex Apologia quam ad Anastasium Papam direxit, ubi ex pro-

professo pœnas æternas pro reprobis prædicat, his verbis: " De quo illud sentimus quod scriptum est in Evangelio, quia & ipse diabolus, & omnes " Angeli ejus cum his qui opera ejus " faciunt, id est, qui criminantur fratres, cum ipso pariter æterni ignis " hereditatem patientur, *Vel ut legit Hieronimus* hereditatem potientur. "

Instant: S. Gregorius Nyss. Lib. de anima, & resurrectione paulo ante medium, explicans illa Apostol Philipp. 2. verba: *In nomine Jesu &c.* innuit quemdam esse locum citra infernum in quo quidem peccatores, & dæmones erunt: " Id illo sermone significantem quod vitiositate longis sæculorum anfractibus, " & circuitionibus aliquando abolita atque extincta, nihil præter bonum relinquetur. Sed etiam dæmones concorditer dominationem Christi confitebuntur. " Tum explanans ista ejusdem Apost. verba 1. Cor. 15. *Deus erit omnia in omnibus*. ait: " Si quis vitiositatem etiam & nequitiam esse posuerit, " quomodo servabitur ea sententia qua " dicitur, quod in omnibus Deus sit? " Illius enim, videlicet vitiositatis, nequitiæque exemptio atque subtractio " imperfectam, ac non plenam efficit " omnium comprehensionem, "

Respondeo I. Hæc, & similia unum tantum probare, videlicet pœnas habere diversos gradus in reprobis, juxta diversos peccatorum Myriades, & status.

Non desunt, qui affirment verba laudata ex Origenis dogmatibus pravis, & libris deprompta, & malevolis quibusdam inserta fuisse in operibus S. Gregorii, cum S. Germanus Patriarcha CP. in libro qui inscribitur, *Retribuens & legitimus*, ut refert Photius in sua Bibliotheca codice 233. asserat sancti Gregorii Nysseni opera esse a nævis Origenis immunia.

Respondeo II. distinguendo: Et Gregorius, si allata dixit, unum tantum intendit, scilicet peccata non nisi, juxta gradus in inferno puniri, & quamdam veluti requiem reprobos habere, quatenus pœnam entitative, & in se infinitam, quam tamen merentur, non experiuntur, concedo: & ab eis eliminat pœnam æternam, nego. Namque in Psalmum sextum expresse eam agnoscit, his verbis: " Idcirco quasi in oculis habens terribilia supplicia, gehennam illam, & tenebrosum ignem, & conscientiæ vermem, numquam & morientem.... Non enim amplius erit in " morte qui morbum ex vitiositate, at" que nequitia sibi contractum per re" cordationem Dei curare possit, quo" niam in terra quidem confessio vires " habet, in inferno autem non itidem. " Sic locutus obscurus clariori explanatur.

Hinc quum Lib. de anima, & Resurrectione, ait: " Quod vitiositate aliquan" do abolita, atque extincta nihil præ" ter bonum relinquetur. " vult solum in inferno neminem propria voluntate, & libere amplius peccare, & bonum naturæ, seu ipsam naturam absque peccato voluntario, seu vitiositate remanere. In hoc sensu quodam modo purgatur vitiositas, quatenus in termino non adest potentia peccandi, bene vero patiendi.

Urgent: S. Greg. Naz. Orat. 39. in sancta Lumina comminatur Novatianis supplicia post mortem, sed per Baptismum ignis purganda, adeoque æterna inficiatur supplicia: " In altero ævo, " *inquit*, igne fortasse baptizabuntur qui " postremus est Baptismus, nec solum " acerbior, sed diuturnior, qui crassam " materiam instar fœni depascitur, vi" tiique omnis levitatem absumit. " Tum Orat. 40. sic loquitur: " Ille om" nibus his formidabilior, qui cum in" somni illo verme conjunctus, nec um" quam extinguitur. Verum in scelera" torum hominum pœnam perennis est, " & sempiternus; hi enim omnes eam " vim habent ut perdant, ac deleant, " nisi tamen hoc quoque loco quispiam " ignem mitius, atque ut Deo vindice " dignum est, intelligendum putet. " Quibus verbis videtur dubitare de æternitate pœnarum.

Respondeo, S. Gregorium in loco mox laudato pronuntiare ignem esse sempiternum, quod quidem rursus asserit Orat. 15. his verbis pag. 230. de hominibus damnatis loquens: " Hos autem simul " cum aliis, vel potius ante alia istud " excruciabit, quod a Deo projecti sint, " atque injustam in conscientia sempiter" næ ignominiæ notam gerant, " Cum igitur

igitur nihil in votis habeat ille Pater nisi homines a peccato deterrere, dubio procul de igne æterno loquitur in locis pro objectione allatis: ignis quidem a crassa materia purgat, quatenus crassos humores corruptionis, & interitus principia absumit, sed damnatum conservando cruciat.

Reponunt: S. Basilius Comment. in cap. 4. Isaiæ explicans illa Prophetæ verba: *Abluet Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion*; videtur propugnare pœnam non fore æternam in quibusdam reprobis, sed ab ea tandem aliquado purgandos esse: " Qui vero, *inquit*, post acceptam Dei „ notitiam consulto, ac studio se ipsos „ reddunt obnoxios sanguini, utique tales „ opus est purgari per ignem. „ Ergo &c.

Respondeo, S. Doctorem nullo modo eo loci pœnas æternas abjudicare reprobis, sed loqui de justis, qui antequam e vita migrent, purgantur pœnis, & flagellis salutaribus. Sic intelligit Augustinus Isaiæ locum Lib. 20. de civit. Dei cap. 25. his verbis: " Dicit tale aliquid & „ Isaias, Lavabit Dominus sordes ... Nisi „ forte sic eos dicendum est emundari a „ sordibus & eliquari quodam modo, „ cum ab eis mali per pœnale judicium „ separantur, ut illorum segregatio, at„ que damnatio purgatio sit istorum, „ quia sine talium de cetero permixtio„ ne victuri sunt. „

Quod autem Basilius in eo prorsus sensu locutus sit, ex eo potissimum liquet, quod æternitatem pœnarum clare astruat in Psalmum 33. " Subinde, *inquit de reprobis*, conspicient baratrum in imum „ patens ... Postremo omnium durissi„ mam pœnam, probrum illud, & ve„ recundiam sempiternam. „

Contra: S. Ambrosius agnoscit pœnam æternam pro dæmonibus, sed non pro hominibus: namque in Psalmum 118. Sermone 20. num. 22. ait: " Diabolus „ enim, & ministri ejus cum hominibus „ non flagellabuntur .... Differtur dia„ boli judicium, ut sit semper in pœnis „ reus: semper improbitatis suæ innexus „ catenis, conscientiæ suæ in perpetuum „ sustineat ipse judicium. Ideo dives ille „ in Evangelio, licet peccator, pœnali„ bus urgetur ærumnis, ut citius possit „ evadere. „

Respondeo I. S. Ambrosium clare admodum pœnæ æternæ astruisse veritatem; ibidem enim num. 24. ait: " Christus „ suos castigat quos diligit, alienos tam„ quam generali damnatione impietatis „ adstrictos, pœnæ donat æternæ. „ Idem fuso calamo docet Lib. de lapsu Virginis consecratæ cap. 8. num. 32. 34. 36. & 38.

Respondeo II. distinguendo: Et eo loci S. Doctor hoc statuit discrimen hominem inter, & dæmones, quod isti pœnis æternis jam jam sint addicti, illi vero pœnitentia eas non semel evitent, immo & multi solummodo in Purgatorio a peccatorum reliquiis purgantur, concedo: & negat pœnas æternas pro impœnitentibus, nego. S. Ambrosius suam ipse prodit mentem explicans illa Psalmistæ verba: *Judica judicium meum, & libera me: propter Verbum tuum vivifica me*. " Domi„ nus ait per Ezechielem ad Angelos qui „ ministri sunt ultionum, A sanctis meis „ incipite; non vult Dominus commune „ sanctis cum diaboli sociis consortium „ esse judicii: Diabolus enim & ministri „ ejus cum hominibus non flagellabuntur; „ separata est pœna ubi distat & culpa. „ Et paulo ante: " Is qui apud Deum „ justus est, habet aliam causam judicii „ non timendi, quia apud misericordem „ judicem sibi causa est, apud Redem„ ptorem suum vult cito, & sperat ab„ solvi. „ Neque vero exemplum divitis allatum aliquam facessit difficultatem; ista quippe parabola Pater ille unum tantummodo intendit probare, nimirum futuras esse in altera vita pro peccatis pœnas peculiares.

Discutitur mens S. Hieronymi.

S. Hieronymus pœnas pro peccatis æternas prorsus abnuere videtur. Ergo &c. Probatur antecedens: S. Doctor Dial. adversus Pelagianos, ubi personam Attici Catholici, Pelagianus vero Critobuli sustinent, impugnat istum, qui variis Scripturæ auctoritatibus pœnas æternas esse docebat; sic enim eo loci loquitur: " Dicis enim, Scriptum est in 103. Psal„ mo: *Deficiant peccatores a terra, & iniqui ita ut non sint*. Et in Isaia, „ *Comburentur iniqui, & peccatores simul*, „ &

„ *& qui relinquunt Deum consummabuntur.*
„ Et non intelligis comminationem Dei
„ interdum sonare clementiam; non e-
„ nim dicit æternis ignibus exurendos,
„ sed a terra deficere, & iniquos esse
„ cessare; aliud enim est ipsos a peccato
„ & iniquitate desistere, & aliud ipsos
„ perire in perpetuum, & æternis igni-
„ bus concremari. Denique Esaias, de
„ quo ponis testimonium: *Comburentur pec-*
„ *catores, & iniqui simul*, non addidit in
„ æternum, *& qui relinquunt eum con-*
„ *summabuntur*. Proprie hoc de hæreti-
„ cis loquitur, qui rectum fidei trami-
„ tem relinquentes consummabuntur, si
„ noluerint ad Dominum reverti, quem
„ dereliquerunt." Ibi Hieronymus Scri-
pturas quibus utimur ad probandam pœ-
narum æternitatem, in alio prorsus sen-
su detorquet. Ergo &c.

Respondeo I. Opponendo Hieronymum
Hieronymo; explicans enim illa verba
Isa. 5. *Dilatavit infernus animam suam*; de
reprobis ita loquitur: " Detrahentur in
„ gehennam, ibique æternis cruciatibus
„ deputati, potentiam, & superbiam
„ miseria cernent, & humilitate mutari.„
Idem expresse in caput 3. Jonæ, & 25.
Matth.

Respondeo II. negando antecedens. Ad
probationem, distinguo: S. Hieronymus
abnuit pœnas æternas in sensu opposito
Critobuli, qui indiscriminatim eas assi-
gnabat sicut pro impœnitentibus, sic &
pro pœnitentibus, immo & sicut pro iis
qui non nisi peccatorum venialium rei
erant, & pro justis qui solum habebant
aliquid expiandum in Purgatorio, conce-
do: hanc enim propositionem nimis uni-
versalem, scilicet peccatores esse punien-
dos pœna æterna debellat: & loquitur
in sensu opposito Catholicis, qui propu-
gnant pœnas æternas pro iis qui in pec-
cato mortali moriuntur, nego. Namque
ibidem agnoscit iniquos & impios cum
hereticis pœnas criminum luere æternas:
qui autem moritur in peccato mortali,
impius censendus est. Patres Diospolita-
ni, ut docet S. Augustinus Lib. de gestis
Pelagii cap. 3. damnant propositionem
Critobuli, de quo momento sic scribit
Augustinus: " Recitatum est quod in
libro suo Pelagius posuit: *In die judi-*
„ *cii iniquis, & peccatoribus non esse par-*
„ *cendum, sed æternis eos ignibus exuren-*
„ *dos*. Quod ideo fratres moverat, ut
„ objiciendum putarentur, quod ita di-
„ ctum est, tamquam omnes peccatores
„ æterno essent supplicio puniendi, non
„ eis exceptis, qui fundamentum habent
„ Christum."

Quod autem S. Hieronymus abjiciat lo-
ca Scripturæ, quibus probatur pœnarum,
æternitas nihil vetat, cum solum ea ne-
get in eo sensu explicanda universim, &
de peccatoribus viæ, qui spem habent,
& de reprobis in termino qui non ha-
bent, vel etiam de iis qui solum habent
venialia expianda, ut volebat Pelagius:
" Quamvis, *inquit*, Augustinus ibidem,
„ superædificent ligna, num stipulam, de
„ quibus dicit Apostolus: si cujus opus
„ exustum fuerit, detrimentum patietur,
„ ipse autem salvus erit, sic tamen qua-
„ si per ignem. Sed cum respondisset Pe-
„ lagius &c."

Demum, quum ait Hieronymus suppli-
cium æternum intelligi de hæreticis, so-
lum secernit peccatores qui pœnitendi vo-
luntatem habent, ab eis qui propter per-
tinaciam sunt in malo confirmati: quo-
circa Pelagium redarguit, quod temere
cum impiis hæreticis jungat peccatores
pœnitentes qui salvantur: " Cujus est,
„ *inquit*, temeritatis iniquos, & peccato-
„ res impiis jungere."

Insistes: Hieronymus in eodem Dialo-
go, sic loquitur: " Neque peccatores in
„ Concilio justorum resurgent; aliud enim
„ est gloriam perdere resurgendi; aliud
„ perire perpetuo." Audis S. Doctorem
peccatoribus abjudicare quidem resurre-
ctionis gloriam, ab eis tamen eliminare
supplicium. Confirmatur: Ibidem hæc
profert: " Sine lege impius est, qui in
„ æternum peribit, in lege peccator cre-
„ dens in Deum qui per legem judicabi-
„ tur, & non peribit." Igitur pœnæ
æternæ sunt solummodo pro impiis ex
Hieronymo; hinc ibidem in eo suam ab
Origine distinguit sententiam, quod iste
negaret, & dæmones, & impios in æ-
ternum perituros.

Respondeo, ad primum, S. Hieronymum
indigitare tantummodo non eamdem fu-
turam esse pro peccatoribus justificatis
resurrectionis gloriam: namque, ut
ait Apostolus, sicut stella discrepat
in cla-

in claritate a stella, sic in gloria resurrectionis justi inter se discrepabunt.

Ad secundum distinguo: In lege peccator aliquis credens non peribit, nempe si agat pœnitentiam, concedo: omnis vel ipse impœnitens, nego. Excipit solum a pœnis æternis Hieronymus, omnes universim peccatores pœnitentes: sed non negat aliquos in æternum perire, cum verbis expressis dicat impios pœnas æternas luere, sicque falsissimum est suam ab Origenis erroribus sententiam non sufficienter secernere, cum iste sic allucinatus sit, ut posuerit pœnas & omnium hominum, & etiam dæmonum tandem aliquando desituras; e contra vero Hieronymus.

Opponunt quædam alia ejusdem S. Doctoris loca ex commentariis excerpta. Primo quidem, Lib. 4. in Isaiam cap. 14. ait: " Omnes animæ apud inferos aliquam requiem accipient. " Secundo, explicans postremum ejusdem Prophetæ versiculum, ait: " Qui volunt supplicia " aliquando finiri ... his utuntur testimoniis &c. " Quos quidem non confutat, sed subdit: " Nos Dei solius debemus scientiæ derelinquere, cujus " non solum misericordia, sed & tormenta in pondere sunt. " Tertio, in cap. 1. Nahum hæc habet: " Si nobis " videtur crudelis *Deus*, rigidus & cruentus, quod in diluvio genus delevit " humanum, super Sodomam, & Gomorrham ignem, & sulfurem pluit... " ergo puniti sunt, postea non punientur. " Quarto, in cap. 1. epist. ad Ephesios loquens indiscriminatim de omnibus peccatoribus, dicit: " Omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus " Christus in gloria est Dei Patris, cum " ei fuerint universa subjecta, alios voluntate, alios necessitate subjiciendo. " Ex quo inferebat Ruffinus, qui in ore habebat Hieronymum, existimasse sanctum Doctorem omnes damnatos expletis aliquibus annorum sæculis, gloriam tandem consecuturos æternam.

Respondeo, ad hæc omnia ut supra: jam ad singula propero. In primo loco Hieronymus, non loquitur in propria sententia: " Alii vero, *inquit*, locum istum " sic interpretantur, omnes animæ apud " inferos &c. " In secundo non confutat aliorum sententiam, quia non erat sui præsentis instituti, sed relinquit scientiæ Dei cuncta secernere. In tertio, loco non negat impios pœnis æternis addici, sed vult tantum non puniri in inferno pro peccatis, de quibus Deus sumpsit in via vindictam; adeoque eum mitius agere pro istis in æternum puniendis. Denique mala est Rufini consequentia & illatio propter duo. Primo quidem, ex eo quod Hieronymus dicat quosdam necessitate subjici Christo, scilicet damnatos, quibus ex justitia eos in æternum puniendo dominatur. Secundo, S. Doctor propellit calumniam Apol. 1. contra Rufinum cap. 4. ubi profitetur hæc sua non esse propria verba, sed alterius quem in illo commentario differentem inducit: " Ego, *inquit*, in commentariis " ad Ephesios sic Origenem, & Didymum, & Apollinarium secutus sum, " qui certe contraria inter se habent " dogmata, ut fidei meæ non amitterem " veritatem. "

Pro Coronide observes velim duo. Primo quidem, quando Patres dicunt animas requiem habere in inferno, ut Chrysologus Serm. 123. loquuntur de animabus justorum in Lymbis, vel Purgatorio detentis, quæ spem habent. Secundo, historiis non esse credendum, etiam ab aliquibus sanctis Doctoribus allatis, referentibus aliquos damnatos, ut Trajanum, ex inferno miseratione divina excerptos, ut bene notat Melchior Cano Lib. 11. de locis Theologicis cap. 2. non nisi enim dogmata credere debemus.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Deus irascitur contra Peccatores.

PRIMO: hoc annuntiant passim Scripturæ sacræ. Sap. 3. exterminabuntur peccatores. Ezech. 5. indignatio Dei super eos requiescet. Apoc. 18. *Quantum glorificavit se*, peccator, *& in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Secundo: Hoc utique subindigitant Canones pœnitentiales, quibus pœnitentia publica & laboriosa injungitur pro peccatis enormibus, quam si subire recusant impii, ejiciuntur ab Ecclesia, & nisi resi-

resipiscant, excommunicati moriuntur. Concinunt Patres: Ambrosius Lib. 3. de interpellatione cap. 8. Hieronymus Lib. 1. super Lament. Jerem. Chysostomus Homil. 7. de diversis in Matth.

Tertio: Ratio suffragatur. Ille irascitur adversus peccatores, qui vindictam gravissimam sumit de peccatis: Atqui res sic se habet; namque diluvio Deus punivit homines carnales, obduratum Pharaonem in aquas immersit, Datam, Core & Abiron sacrilegos igni tradidit, &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Cainus tametsi a Deo dejectus se credat, & pro semper maledictum, attamen Deus contrarium asserit, prohibens ne quis illi noceat. Ergo ne non irascitur contra peccatorem Deus? Absit. Quod autem indulgentiam concedere velit, est, ut detur pœnitentiæ locus.

Secundo: Neque vero negamus pœnas quas comminatur infligere peccatoribus Deus, quandoque non esse æternas, sed modo agant pœnitentiam: sin minus, ibunt, ut legitur in Evangelio, in supplicium æternum.

Tertio: Pereunt quidem reprobi, quatenus excidunt a vita æterna; sed non annihilantur, juxta illud Isa. 66. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Christus se exhibuerit pro nobis vadem & Sponsorem?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

PROBATUR isto ratiocinio. Ille pro nobis sponsorem & vadem se exhibuit, qui factus est pro peccatis nostris victima, & debitum nostrum proprio & pretioso cruore solvit: Atqui Christus præ nimio erga nos amore hoc fecit. Igitur sponsor noster extitit. Probatur minor multis momentis.

Probatio, ex veteri Testamenti.

I. Ex libris Legalibus. Christus Dominus ubique in sacrificiis cruentis tamquam redemptionis auctor, & totius legis consummator repræsentabatur: maxime quando Sacerdos magnus aspergebat populum, tabernaculum, & librum legis sanguine vitulæ. Ita explicat Sanctus Paulus Epist. ad Hebr. cap. 7. Sic interpretatur D. Thomas Lib. 4. in idem caput. Igitur concludendum est cum Apostolo & D. Thoma Christum spopondisse & satisfecisse justitiæ Patris.

II. *Ex* libris Sapientalibus. Psalm. 21. Passio Christi & ejus pro nobis satisfactio describitur. Tum Sapient. 2. 17. legitur de ejusdem satisfactione quam exibuit pro nobis ut sponsor. *Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sint illi, & sciemus quæ erunt novissima illius .... probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum*. Sed Christus mori voluit ut solveret nostrum debitum: Ergo &c.

III. *Ex* libris Prophetalibus. Instar omnium sit Isaias, qui cap. 53. totum hoc misericordiæ momentum definit, & præmaturo gladio confodit Socinianos; de Christo, vers. 4. habetur: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Græce: *Et ipse peccata nostra fert & pro nobis affligitur*. Prosequitur Isaias ibidem: *Et putavimus eum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*. Hebraice: *Castigatio pacis nostræ super eum, & livor ejus sanitas nobis fuit*. Vers. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Hebraice: *Conjecit in illum iniquitates omnium nostrum*. Vers. 7. *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum*. V. 8. *Propter scelus populi mei percussi eum*. V. 9. *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus*. Vers. 10. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*. Hebraice: *Si posuerit seipsum sacrificium pro delicto, anima ejus videbit semen et aut prolongabit dies*.

Pro satisfactione requiritur, I. Ut qui satisfacit pœnas alteri debitas ferat. II. Ut eas patiatur non propter sua, sed propter alterius peccata: III. Ut ejusmodi pœnæ sponsori imponantur a persona

læsa: IV. Ut ab ipso sponsore acceptentur & suscipiantur: V. Ut delicta, data satisfactione, deleantur; Denique ut reconciliatio & salus inde consequantur: Sed illæ omnes conditiones ex locis Isaiæ adimpletæ sunt in Christo: Igitur ex illo Propheta Christus se exhibuit vadem & sponsorem, & vere satisfecit pro nobis.

Probatio, ex novo Testamento.

PRIMO QUIDEM 2. Cor. cap. 5. 21. sic loquitur Apostolus de Christo: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Sed Christus non fecit peccatum committendo, verum potius se pro nobis substituendo vadem, & pœnam peccati in se suscipiendo, quod innuunt ista verba: *Ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*; id est, ut nos essemus justi coram Deo per Christum: Igitur spopondit pro nobis solvendo debitum, ut nos Deo Patri reconciliaret.

Secundo: Gal. 3. 13. Apostolus eamdem confirmat veritatem, immo & clare explicat his verbis: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: Sed intelligit per maledictum fieri, pati pro nobis & solvere debitum nostrum, juxta illa verba sequentia: *Quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno: ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu*. Qua quidem sententia Doctor Gentium docet Christum passum non solum pro Judæis, sed & pro Gentilibus, & solvisse omnium & singulorum debitum. Unde ad Coloss. 2. 13. & 14. ait: *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestra, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestate, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*: Igitur Christus non delevit peccata nostra, solum exemplum virtutum nobis præbendo, sive etiam obtinendo a Patre ut prosit nobis fides, sicut somniant Sociniani, sed delevit affigendo chrirographum cruci, id est, vere pro nobis patiendo; sua enim passione expoliavit, teste Apostolo, principes tenebrarum qui vinctum tenebant hominem morti obstrictum.

Tertio: 1. ad Tim. 2. 6. 8. eodem modo, immo & clarius se explicat S. Paulus circa idem momentum. *Unus enim*, inquit, *Dominus, unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis*. Igitur loco nostro se substituit ad satisfaciendum Patri tamquam sponsor. Ita expresse idem Apostolus ad Hebr. 7. 23. his verbis: *In tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus ... semper vivens ad interpellandum pro nobis*,

Quarto: Percelebris est sententia Principis Apostolorum: nam Epist. 1. cap. 2. 23. hortatur Christianos, ut exemplo Christi qui acerbissima pro nobis tulit cum magna patientia, ita & nos æquo & libenti animo adversa sustineamus. *Qui cum* inquit, *malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitia vivamus, cujus livore sanati estis*. Igitur ex D. Petro vere Christus passus est pro nobis tamquam fide jussor, & sic explicat locum Isaiæ supra relatum; ita ut non remaneant in ore Socinianorum redargutiones. Quod & confirmat sanctus Joannes Evangelista 1. Epist. cap. 2. 2. his verbis de Christo: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed & etiam pro totius mundi*.

Probatio, ex Patribus.

ILLE loco nostro se substituit ut Patri æterno satisfaceret, qui de facto eo venit fine, ut solveret pro nobis pretium; Atqui Christus venit in mundum eo potissimum fine, ut debita nostra solveret; Ergo &c. Probatur minor ex sententiis Patrum.

Basilius in Psalm. 48. pag. 380. explicans illa verba: *Frater non redimit, redimet homo*, ait: *Ne igitur fratrem quæras, qui redimat, sed eum qui naturam tuam superat: neque merum hominem; sed hominem Deum Jesum Christum: qui & solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis*.

Ambrosius adstipulatur; interpretans eum-

eumdem Psalmistæ locum, ait: *Ipse est solus qui redimet hominem, vincens pietate Germanos, quia pro alienis sanguinem suum fudit*. Eodem modo explicat Prophetam Augustinus, & Paulinus in Epist. 4. ad Severum: Igitur falsum est quod dicunt Sociniani, nempe Christum pro nobis non satisfecisse, & fidem peccatoris sufficere ad reconciliationem.

S. Athanasius totam istam definit quæstionem Lib. de Incarnat. pag. 42. his verbis de Christo: "Qui cum Verbum „ sit Patris, & supra omnes, ex consequenti solus instaurare poterat universa, „ & pro omnibus pati. „ Igitur vere passus est pro nobis tamquam fidejussor solvendo nostrum debitum. Ita concludit Magnus Leo, Serm. 2. "Ipsum, *inquit*, „ effectum misericordiæ suæ, quam re„ stitutioni impendebat humanæ, sola „ exequi poterat virtute deitatis, ut „ creaturam ad imaginem Dei conditam „ a jugo diræ dominationis erueret. „

Ex his omnibus sequitur istud a conglobatis argumentum: Ille vere se constituit pro nobis vadem, qui in hoc venit ut dissolveret opera diaboli, ut esset & propitiatio, & pretium pro nobis, ut satisfaceret Patri ad apices juris; denique ut peccata nostra deleret suscipiendo pœnam. Atqui & ex Scriptura, & ex SS. Patribus, ea de causa Filius Dei incarnatus est & venit in mundum: Igitur vere satisfecit pro nobis ut sponsor.

Fit satis objectionibus Socinianorum.

OBJICIUNT I. Locus Isaiæ non probat Christum passum fuisse pro hominibus; nam verbum hebraicum ambiguum est, nec significat tulisse languores, sed abstulisse peccata, quæ duo diversa sunt: enim vero Deus Pater aufert peccata hominum condonando, sed non patiendo: Ergo &c.

Respondeo I. ad istud & alia Socinianorum argumenta, hæc non haberi in editione Vulgatæ, quam Ecclesia declaravit authenticam, unde perperam ut mos Hæreticorum est, Scripturam in sinistros detorquent sensus, modo ad codices Hebraicos, modo etiam ad Græcos confugiendo.

Respondeo distinguendo: Christus abstulit peccata suscipiendo pœnam pro illis debitam, concedo: secus, nego. Hæc verba Isaiæ subsequentia sufficienter declarant, quum dicit de Christo: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra... livore ejus sanati sumus*. Et ut interpretatur B. Petrus; *Peccata nostra*, ait, *ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui vivamus, cujus livore sanati estis*.

Ad exemplum nego paritatem. Enim vero Pater æternus neque incarnatus est, neque pro nobis passus: unde est causa justificationis nostræ solum efficiens physica, & ut gratiam infundens, Christus vero meritoria.

Instant: Christus passus est propter delicta nostra, ea scilicet patienter dissimulando, ut nos ad pœnitentiam expectet, ita pariter Deus Exodi 32. 6. illa pati dicitur: ait enim Moyses. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multa miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata*. Igitur similiter Christus abstulit peccata, videlicet ea dissimulando, tum & viam pœnitentiæ documentis patientiæ operando.

Respondeo negando paritatem: Christus enim nedum virtutum exemplo, sed & solvendo debitum delevit peccatum. Quis autem dixerit Patrem sic peccata delere, cum sit & fuerit & erit semper impassibilis?

Insistunt: Quando dicitur Christum nostros pertulisse languores, sensus est ipsum sanasse infirmos: Ita interpretatur Isaiam Matthæus, cap. 8. 16. his verbis: *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo: & omnes male habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portavit*. Igitur sensus Isaiæ ex Matthæo est, Christum quidem portasse languores nostros sanando peccatores, minime vero patiendo, sicut Medicus dicitur eos portare non quidem patiendo, sed curando ægritudines.

Respondeo distinguendo: Sensus est inadequatus, concedo: adæquatus, nego. Duo prædixit Isaias de Christo, nempe ipsum suscepturum infirmitates sanando, quod quidem beneficium fuit executioni mandatum, quatenus pertransivit be-

nefaciendo: alterum vero, eumdem suscepturum pœnas primario & principaliter ad satisfaciendum pro nobis, juxta illud ejusdem Prophetæ: *Vulneratus est propter iniquitates nostras*. Quis, inquam, dicet Medicum sanare vulnus sibi ipsi per punctionem & dilacerationem infligendo? Igitur hoc intelligi debet de eo qui se loco prævaricatoris substituit ad satisfaciendum.

Reponunt: Verba S. Pauli ex Epistol. 2. ad Cor. non significant Christum factum esse pro nobis peccatum seu hostiam pro peccatis, luendo pro nobis pœnas, sed quod peccator ipse habitus sit a Judæis, juxta illud Marc. 15. 28. *Et cum iniquis reputatus est*. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens, quandoquidem Scripturæ dicunt Christum affixisse peccata nostra ligno crucis, id est, ut explicat Isaias: *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*; hoc est, pœnas nostrarum iniquitatum. Ex quo patet ab ipso Patre traditum morti; unde distinguo: verba Evangelii; *& cum iniquis reputatus est*, id est, a Judæis habitus est per contumeliam ut verus peccator, concedo: id est, pœnas peccatorum nostrorum non pertulit, nego. In eodem sensu dicitur factus maledictum. Duo igitur distinguenda sunt, nempe quod Christus cum sceleratis reputatus sit propter suum erga nos amorem, quantum ad perpessionem dolorum: alio modo a Judæis, quantum ad calumniam, in eo quod illum reputaverint ut seductorem & Dei inimicum.

Replicant: Verbum *sponsor*, in Epist. ad Hebr. positum, significat solum Christum novum fœdus iniisse pro nobis cum Patre. Ita interpretatur Div. Thomas in capit. 7. ad Hebr. lect. 4. his verbis: " Et „ ideo oportuit, ut superveniret alius „ Sacerdos, qui esset sponsor, id est, „ promissor melioris Testamenti, & melioris pacti, quia de bonis spiritualibus „ & stabilibus. Et hic est Jesus. Jerem. 31. 32. *Feriam domui Israel & domui Juda fœdus novum*.

Respondeo distinguendo: Verba S. Pauli significat novum fœdus ineundum per sanguinis effusionem & rigorosam satisfactionem, concedo: secus nego. Apostolus est sui ipsius interpres capit. 9. *Ideo*, inquit, *novi Testamenti Mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento repromissionem accipiant qui vocati sunt hæreditatis æternæ*. Divus Thomas ibidem eodem modo se explicat his verbis: " Non enim obtulit pro peccatis suis, „ *Christus*, sed tantum pro nostris. „ Isaiæ 4. *Vulneratus est propter iniquitates nostras*.

Reponunt: Hebr. 9. 27. habetur: *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic & Christus oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: Secundo, sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem*: Igitur solum dabit Christus salutem in secundo adventu; adeoque non vere salutem operatus est patiendo pro nobis.

Respondeo distinguendo consequens: Christus in secundo adventu dabit salutem consummatam animæ & corpori, non amplius patiendo, sed tamquam justus præmiator unicuique quod suum erit retribuendo, concedo: non operatus est salutem ut sic, quando oblatus est pro nobis, nego. Apostolus ibidem v. 14. est sui ipsius interpres, his verbis: *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*.

Persistunt: Verba sancti Petri secundum Græcum significant Christum non tulisse, sed delevisse peccata: Igitur non potest ex hoc inferri Christum passum fuisse pro nobis in semeipso.

Respondeo, Vulgatam dicere Christum pertulisse peccata nostra in corpore suo super lignum. Unde distinguo: secundum versionem Græcam delevit luendo pœnas pro nobis, concedo: nam etiam ex illa Versione ejus livore sanati sumus; secus, nego. Nec potest alius assignari legitimus sensus, quandoquidem S. Petrus ipse explicat & interpretatur Isaiam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus se pro nobis sponsorem satisfaciendo exhibuit.

PRIMO: Hoc ipsum colligitur ex veteri Testamento, maxime cum Sacerdos magnus aspergeret sanguine vitulæ populum in signum redemptionis Christi san-

sanguinis effusione faciendæ: hinc Isa. 53. 4. habetur: *Livore ejus sanati sumus*: quam quidem sententiam S. Petrus Epist. 1. cap. 2. explicat vel iisdem terminis de redemptione per Christum: Igitur Christus se exhibuit pro nobis vadem & sponsorem, quippe qui pro nobis solverit debitum.

Secundo: Sic docent Patres; in primis Basilius in Psal. 48. pag. 380. Ambrosius in eumdem Psalmum. Sed inter omnes Athanasius Lib. de Incarn. pag. 42.

Tertio: Ratio suffragatur: officium Mediatoris est solvere pretium, quod debitor reddere non potest: Sed Christus sic pro nobis debita solvit: juxta illud 1. Cor. 6. 20. *Empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore vestro*. Ergo &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Incassum in adulterinos sensus Sociniani Scripturam sacram detorquent. Quis enim cordatus dixerit languores nostros non alio modo tulisse quam condonando peccata, sicut Pater nobis remittit? numquid Pater ea abstulit patiendo, sicut Christus qui moriendo meruit nobis vitam æternam?

Secundo: Neque magis proficiunt dicendo Christum nostros portasse languores sanando infirmos; namque multo plura fecit, cum & ipsam animam sua passione a morte æterna & a peccatis liberaverit.

Tertio demum: Christus factus est pro nobis peccatum, non dubio-procul peccando; sed peccata abstergendo: quia vero morte sua nos cum Deo reconciliavit; in hoc sensu fœdus cum Patre pro nobis iniit, juxta illud Isa. 53. 5. *Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Christus satisfecerit pro nobis ut Mediator?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatur rationibus Theologicis.

PRÆNOTANDUM est Mediatorem sumi multipliciter, I. Pro unione duarum naturarum in una persona quæ est veluti medium quo Filius Dei ima summis univit. Ita passim Patres. II. Pro arbitro qui discernit & judicat causam partium. In hoc sensu Ambrosius in cap. 2. 1. ad Timot. Christum vocat Mediatorem. III. Referendo pacta & conditiones partium: sic Internuntii dici possunt Mediatores, & in eodem sensu Moyses Deuteronomii 5. vocatur sequester inter Deum & populum, quod quidem beneficium præstantiori modo Christo convenit, nam Malach. 3. & Hebræorum 12. dicitur Mediator novi Testamenti. IV. Orando & supplicando pro una parte apud alteram; sic 1. Joannis 2. Christus dicitur Advocatus noster. V. Denique solvendo & satisfaciendo uni parti pro altera. Christus est Mediator omnibus his modis, sed caput controversiæ procedit de quinto modo contra Socinianos, qui eo dumtaxat sensu vocant Christum Mediatorem, quia oravit & adhuc interpellat pro nobis apud Patrem. Alii adhuc errores circa idem momentum circumferuntur. Franciscus Scantarus tenet in libro de Trinitate & Mediatore contra Tigurinos, & alibi, Christum esse Mediatorem solum ratione humanitatis. Osiander e contra esse solum ratione divinitatis, quæ quidem opinio etiam propugnatur a Calvino: nam in epist. ad Polonos in publico colloquio ita scribi jussit: Et Pontifex & Sacerdos divina natura, sacrificium vero humanum. Quibus verbis contendit Christum esse Mediatorem non præcise ut hominem, sed specialiter ut Deum. Jam veniamus ad probationem.

Prima ratio: Ille pro nobis satisfecit ut Mediator, qui Deum iratum contra nos placavit, & solvit debitum se dando pro

nobis in piaculum : Atqui hæc omnia præstitit Christus : Igitur vere satisfecit ut Mediator . Major patet , nam ex Apostolo Ephes. 2. cap. 3. *Eramus natura filii iræ* . Et ad Galat. 3. 10. *Quicumque ex operibus legis sunt , sub maledicto sunt* . Deus autem ab omni tempore voluit pro peccatis satisfactionem ; unde Levit. 5. 6. habetur : *Orabitque pro ea Sacerdos & pro peccato ejus*: Hebraice & græce : *Propitium Deum faciet Sacerdos pro peccato ejus*, nempe per sacrificium quod pro peccatis offerebatur, ut ibidem refertur , unde Psal. 77. 83. legitur : *Ipse autem est misericors & propitius fiet peccatis eorum* ; quæ quidem verba designant veram indignationem Dei contra peccatores ; & ideo placari debuit Dominus per satisfactionem . Probatur minor : Rom. 3. 24. habetur : *Justificati gratis per gratiam ipsius , per redemptionem quæ est in Christo Jesu , quem proposuit Deus propitiationem* : Græce, Victimam ad placandum Deum : Et 1. Joannis 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris , non pro nostris autem tantum , sed etiam pro totius mundi*: Ergo &c.

Secunda : Ille satisfecit vere pro nobis ut Mediator, qui morte sua nos Deo Patri reconciliavit: Atqui Christus morte sua nos Deo Patri reconcilivit , juxta illud Rom. 5. 10. *Cum inimici essemus , reconciliati sumus per mortem Filii ejus*. Rursus Eph. 2. 13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos , qui aliquando eratis longe , facti estis prope in sanguine Christi . Ipse enim est pax nostra , qui fecit utraque unum & medium parietem maceriæ solvens , inimicitias in carne sua* . Tum ad Coloss. 1. 19. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare , & per eum reconciliare omnia in ipsum , pacificans per sanguinem Crucis ejus , sive quæ in terris , sive quæ in cœlis sunt . Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis : nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem , exhibere vos sanctos & immaculatos* : Ergo &c.

Tertia : Ille vere satisfecit pro nobis ut Mediator , qui non solum pro nobis deprecatus est , verum etiam dedit pretium redemptionis nostræ : Atqui Christus ita se gessit pro nobis , juxta illud 1. ad Tim. 5.2. 5. *Unus enim Deus , unus & Mediator Dei & hominum , homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem*. Græce , *Redemptionis pretium semetipsum* . Et istud Hebr. 9. 15. *Ideo novi Testamenti Mediator est , ut morte intercedente in earum prævaricationum , quæ erant sub priori Testamento , repromissionem accipiant qui vocati sunt sanctæ hereditatis* . Tum cap. 12. 24. Paulus ait : *Mediatorem Jesum , & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel*. Eo loci alludit ad sanguinem victimarum , quo aspergebatur populus Judaicus ad emundationem macularum legalium, ut legitur Exodi 29. v.26. Ergo &c. Et subdit efficacius loqui quam vel ipsius Abel sanguinem , qui fuit ejus pretiosi sanguinis effundendi typus.

Concinunt Patres Græci & Latini .

Duo simul ex Patribus utriusque Ecclesiæ colligere est ; scilicet & Christum esse hominum Mediatorem , & esse per satisfactionem pro nobis .

Patres Græci .

Primus est Athanasius , qui in libro de natura humana suscepta sic loquitur : " Verus Deus est Filius , & antequam „ homo fieret , & postquam factus est „ Mediator Dei & hominum homo Je„ sus Christus unitus Patri secundum „ spiritum , nobis vero secundum car„ nem : Atque ita Mediatoris partibus „ functus est inter Deum & homines , „ qui non solum homo est , sed etiam „ Deus . " Idem dicit Basilius Libro 4. contra Eunomium .

Epiphanius sic scribit in Anchorato, nu" mero 44. Vides quemadmodum ipsum „ hominem esse declarat , non tamen nu„ dum ac simplicem . Nam quando Dei „ & hominum Mediator dicitur , ideo „ dicitur , quia inter utramque partem „ Mediator est apud Patrem suum . „ Similia dicit Chrysostomus in primam ad Timotheum : Cyrillus Alexand. in Joannem, pag. 102.

Theodoretus clare explicat mysterium ; explanans enim illa Pauli verba : *Unus Deus & unus Mediator Dei & hominum Christus Jesus , qui seipsum dedit redemptionem pro omnibus* ; ait : " Sed & ipsum „ quoque nomen Mediatoris , divinita„ tis,

„ tis, ibi & humanitatis exprimendæ „ vim habet; non enim tamquam Deus solum existens Mediator est dictus. „ Nam quomodo Mediatoris inter nos & „ Deum partes impleret, nihil habens „ nostrum? Verum quoniam Deus est, „ potest conjunctus esse, eadem cum illo „ potestate præditus; & ut homo est, „ nobis consociatur, siquidem servi formam suscepit ex nobis: Ergo &c.

Ex Patribus illis Filius Dei formam servi accepit ut munia impleret Mediatoris: Sed ex Apostolo formam servi accepit ut se pro nobis exinaniret; & ex Patribus in aliis locis citatis, ut pro nobis patiendo satisfaceret: Igitur fuit Mediator satisfaciendo.

Patres Latini.

TERTULLIANUS Lib. de resurrectione carnis, capit. 51. pag. 419. sic loquitur de Christo: " Hic sequester Dei atque ho„ minum appellatus, ex utriusque partis „ deposito commisso sibi, carnis quoque „ depositum servat in semetipso, arrha„ bonem summæ totius. Quemadmodum „ enim nobis arrhabonem spiritus reli„ quit, ita & a nobis arrhabonem carnis „ accepit, vexit in cœlum pignus totius „ summæ illuc quoque redigendæ. „ Ex eodem sæculo tertio Cyprianus, Libr. 2. testimoniorum adversus Judæos: Novatianus, Libr. de Trin. capit. 14. Lactantius, Lib. 4. cap. 25. eamdem confirmat veritatem, sicut & ex quarto sæculo Hilarius sub initium libri noni de Trinitate.

S. Augustinus fuse tractat & probat hanc veritatem variis in locis, nempe Lib. 10. Confess. cap. 43. Epist. 59. ad Paulinum, præcipue vero Libr. 10. de civit. Dei, capit. 20. his verbis: " Unde verus ille „ Mediator, in quantum formam servi „ accipiens, Mediator effectus est Dei & „ hominum, cum in forma Dei sacrifi„ cium cum Patre sumat, cum quo unus „ est Deus, tamen in forma servi maluit „ esse. „ Idem passim docet Fulgentius in operibus ad Trasimundum; item sanctus Leo & alii.

Ex Patribus Latinis, Christus extitit Mediator inter Deum & homines, & quidem seipsum offerendo in sacrificium ad satisfaciendum pro eis. Igitur vere fuit Mediator satisfaciendo.

CONCLUSIO SECUNDA.

Christus est Mediator, non solum ut homo, ut posuit Scantarus, neque formaliter ut Deus, ut posuit Calvinus cum suis: Sed ut Persona divina ut subsistens in natura humana. Ita Patres modo citati.

Probatur prima pars, I. ex Scriptura; namque Actuum 20. 28. Christus dicitur Deus, & Ecclesiam acquisivisse sanguine proprio. 1. Cor. 2. 8. Dominus gloriæ dicitur crucifixus. Tum ad Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit:* Igitur persona ut humiliata in natura humana munere Mediatoris fungebatur. Secundo, ex Augustino in Enchir. capit. 108. & præcipue in homilia de ovibus, capit. 12. his verbis: " Non Mediator homo præter deitatem: „ non Mediator Deus præter humanita„ tem. Ecce Mediator: divinitas sine „ humanitate non est mediatrix. „ Tum S. Leo Serm. 1. pagin. 39. de Nativ. Domini: " Nisi enim esset Deus verus, non „ adferret remedium: nisi esset homo ve„ rus, non præberet exemplum. „ III. Christus ut homo non satisfaceret infinite; neque adæquate: Igitur non est Mediator solum ut homo: tum quia si hoc foret, adventus Christi non fuisset necessarius, quandoquidem purus homo gratiis ornatus potuisset satisfacere, quod est contra Patres.

Probatur secunda pars: I. ex Scriptura, 1. ad Tim. 2. 5. habetur: *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Addit Apostolus *homo*, ut ostenderet Christum esse Mediatorem non formaliter ut Deum, sed ut Deum subsistentem in natura humana. Ita Augustinus jam citatus. Rursus, in Ps. 29. II. ex sexta Synodo contra Monothelitas damnatos eo quod dicerent unam in Christo operationem a duabus naturis promanantem, & quidem formaliter a divina: unde ponere Christum esse Mediatorem formaliter ut Deum, est collimare cum Monothelitis. III. ratione sancti Cyrilli, qui in Apol. pro decimo contra Nestorium anathematismo, ait Christum esse Mediatorem simul & Pontificem, qui

& ora-

& oravit pro hominibus, & pro nobis seipsum obtulit in pretium: " Quando „ autem factus est homo *Filius Dei*, vo„ catus est & Pontifex, non quod majo„ ri Deo offerret sacrificium, sed sibi ipsi „ & Patri fidei nostræ confessionem pro„ curatorem.... Itaque inde ipsum sacri„ ficantem secundum humanitatem, con„ fidentem autem *in cælis*, ut Deum. „ Sed Christus oravit formaliter ut homo, & ut sic oblatus est: Igitur & Mediator fuit Filius Dei solum ut subsistens in natura humana.

Probatur tertia pars: Filius Dei est Mediator formaliter ut Christus: Sed est formaliter Christus ut Deus incarnatus & subsistens in natura humana. Ergo &c.

Solvuntur objectiones Socinianorum contra primam conclusionem.

OBJICIUNT, & dicunt, Deum non esse contra genus humanum iratum; licet homines peccando fiant inimici. Igitur Christus non reconciliavit homines pro eis satisfaciendo.

Probatur Ant. I. Non Christus, sed Deus ipse reconciliavit sibi homines, juxta illud Rom. 8. 32. *Proprio Filio suo non pepercit* Deus, *sed pro nobis omnibus tradidit illum*. II. idem habetur 2. Cor. 5. 9. & vers. 19. legitur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*: Igitur non exegit satisfactionem, cum reconciliaverit solum non reputando peccata. III. Nusquam legitur in Scripturis Deum reconciliari nobis, sed nos reconciliare. IV. Quando Ephes. 2. 13. & Coloss. 1. 2. sermo habetur de mutuis inimicitiis, non loquitur Apostolus de inimicitia quæ intercedat inter Deum & homines, sed de Judæis & Gentilibus, inter quos erat pro vocatione ad fidem lucta.

Respondeo negando antecedens: nam Ephes. 2. vers. 3. habetur: *Eramus natura filii iræ*, & hoc momentum sufficienter probatum manet ex primo articulo.

Ad primam probationem distinguo: Deus reconciliavit homines mittendo Filium ad placandam suam justitiam, concedo: secus, nego. Ubique enim habetur Deum esse contra homines iratum; & 2. Cor. 5. vers. 18. & 19. mentio fit de duplici reconciliatione, altera Dei, qui se convertit ad hominem; altera hominis, qui vicissim se convertit ad Deum. Unde Zach. 1. Deus sic alloquitur peccatores: *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos*. Ad secundam probationem distinguo: Deus reconciliavit homines non imputando peccata, quia Christus deleverat in cruce chirographum mortis, concedo: ea relaxando per puram condonationem extrinsecam, nego. Patet enim ex dictis, & patebit ex dicendis Christum vere satisfecisse pro nobis. Ad tertiam probationem patet utique solutio ex dictis. Ad quartam distinguo: erat lucta inter Judæos & Gentiles, & etiam inter homines peccatores & Deum, concedo: secus, nego. Hoc quidem sufficienter denotant textus allati de ira Dei.

Reponunt: Christus non factus est pro nobis propitiatio satisfaciendo, sed viam salutis ostendendo, & hoc propter benevolentiam, ut declararet se esse apud Patrem nostrum protectorem, quo modo arcæ opertorium dicitur propitiatorium Exod. 25. 22. Ergo &c.

Respondeo negando Antecedens propter rationes supra allatas. Ad probationem distinguo: Opertorium dicebatur propitiatorium, quia ibi Deus reddebat oracula pacis & reconciliationis post oblationem victimarum, quæ prope fiebat ad expianda peccata, concedo: & hæc immolatio erat typus Christi immolandi pro nobis, unde hoc facit contra Socinianos; secus, nego.

Replicant: Moyses ad Gal. 3. 15. dicitur Mediator, & tamen non satisfecit pro nobis: Igitur nec Christus, maxime quia Jerem. 31. vers. 24. dicitur: *Et annuntiabitur fœdus novum, & misericordia*.

Respondeo distinguendo: Moyses dicitur Mediator improprie, id est, internuntius Dei manifestans ejus voluntates, concedo: ceteri Prophetæ in isto sensu erant Mediatores: proprie, nego; nam, teste Apostolo: *Unus Mediator Dei & hominum Christus Jesus*; & hoc sanguinis effusione, ut habetur Hebr. 9. Opus autem redemptionis dicitur misericordiæ & justitiæ simul prodigium & miraculum; misericordiæ quidem, quia Deus Pater ex mise-

misericordia misit Filium suum; justitiæ vero quatenus Filius vere satisfecit.

Proponuntur objectiones Scantari.

OBJICIT: Rom. 5. 15. habetur: *Si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et 1. Cor. 15. 21. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Igitur Christus solum ut homo est Mediator.

Respondeo distinguendo: Christus ut homo Deus, est Mediator, concedo: ut purus homo, nego. Nam Mediator est Christus; Christus autem subsistit subsistentia Verbi: quia vero actiones specificantur a principio immediato, nempe a natura humana, ideo Apostolus dicit; *Per hominem resurrectio mortuorum.*

Instat: In epistola Agathonis, quæ lecta est in Synodo VI. generali, Act. 4. opus redemptionis non naturale, sed personale dicitur. Igitur Christus est Mediator solum ut homo.

Respondeo: Opus redemptionis dicitur personale in sensu opposito Monothelitarum, qui contendebant unicam esse in Christo operationem pro duabus naturis immediate a persona promanantem, concedo; secus, nego. Agatho vult solum actiones specificari a naturis, & multiplicari secundum naturarum multiplicationem; ex quo concludit duas esse in Christo operationes, quia opus non dicitur personale, sed naturale, eo quod denominetur a natura. Unde licet sint in Deo tres personæ, est tamen una operatio essentialis, quia est unica natura; in Christo non sic: tot sunt operationes, quot naturæ. Hinc opus redemptionis est naturale simul & personale; naturale quidem quatenus natura humana unita est Filio Dei, personale vero quia unio facta est in persona, quocirca operatio Christi ut hominis procedebat ab homine simul & a Deo; ab homine eo quod humanitas esset principium ejus immediatum; a Verbo etiam quia natura humana operans subsistebat subsistentia divina.

Urget: Nemo potest esse Mediator respectu sui ipsius: Sed si Christus est Mediator ut Deus, cum sit unus cum Patre & Spiritu sancto, erit Mediator respectu sui ipsius, quod est absurdum: Igitur solum ut homo est Mediator. Sic asserit Magister Sentent. in 3. dist. 19. dicens Christum Mediatorem dici secundum humanitatem, non secundum divinitatem.

Respondeo distinguendo minorem: Si Christus est Mediator ut subsistens in natura divina, erit respectu sui ipsius Mediator, concedo: si solum ut subsistens in natura humana, nego. Est autem Mediator solum ut Filius Dei incarnatus. Ad Magistrum distinguo: Christus non est Mediator secundum divinitatem formaliter & immediate, concedo: suppositaliter, & mediate, in quantum Filius Dei sustentat naturam humanam, a qua procedunt immediate actiones Mediatoris, nego. Ita explicantur S. Bonaventura, & quidam alii Scholastici.

Insistit: Christus eatenus est Mediator, quatenus seipsum exinanivit, & formam servi accepit: Sed Christus non est servus secundum divinitatem: Igitur nec Mediator.

Respondeo distinguendo minorem: Christus non est servus servitute morali & vitiosa, concedo: naturali, subdistinguo; ratione sui, concedo: ratione humanitatis assumptæ, nego. Triplex servitus distinguitur; altera moralis, altera politica seu legalis; altera vero naturalis: Prima est vitiosa & a peccato, juxta illud 2. Petri 2. 19. *Cum ipsi servi sint corruptionis: a quo enim quis superatus est, hujus & servus est*: Secunda ea est quæ contrahitur secundum dispositionem juris, quo unus fit servus alterius, puta bello, emptione, vel etiam ex nativitate a mancipio. Tertia fundatur in dependentia secundum esse & conservari ab aliquo, cui consequenter debetur honor & obsequium. Prima & secunda dicunt extraneitatem & privationem juris ad hereditatem: & nulla ex istis in Christo fuit, ut definivit Adrianus, & Concilium Francofurtense contra Felicem & Elipandum, qui dicebant Christum esse Filium Dei adoptivum & extraneum, & in isto sensu multi Patres negant in Christo servitutem. Tertia vero fuit in Christo, ratione humanitatis, juxta illud Isa. 4. *Ecce servus meus suscipiam eum.* Et illud ad Philip. 2. 7. *Formam servi accipiens.* Ita Athanasius Serm. 3. contra Aria-

Arianos, & Augustinus Epist. ubi de Christo si loquitur: " In qua infirmitate " humanitatis non solum subditum, sed " etiam servum evidentissime confitemur: " Ratio D. Thomæ est, quia Christus ut homo dependet a Deo in esse & conservari; igitur Patri debet famulari, immo ipse dicit se venisse ut ipsius faceret voluntatem: Igitur Christus non est servus secundum divinitatem, bene vero secundum humanitatem, tametsi subsistentia Verbi subsistentem, quia servitus non appellat supra personam, sed supra naturam.

Respondetur Calvini objectionibus.

OBJICIT: Christus est Mediator formaliter ut Deus: Ergo &c. Probatur Antec. Joan. 8. habetur: *Ego ponam animam meam*. Et 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Rursus Hebr. 4. *Habemus Pontificem qui penetravit cœlos*. Et cap. 7. dicitur Pontifex sine Patre: Sed ad solum Deum pertinet ponere animam, id est, illam a corpore solvere quando vult: ad ipsum solum utique spectat penetrare cœlos, & esse in terris sine Patre: Igitur Christus reduplicative ut Deus est Mediator.

Respondeo negando Antecedens. Ad primam probationem distinguo: Ad solum Deum pertinet disponere de vita, penetrare cœlos, & operari miracula, tamquam ad causam principalem efficientem, concedo: ad causam instrumentalem physicam, & principalem meritoriam, nego. Tria sunt in Christo distinguenda, & exponuntur a Sophronio in oratione sua quæ legitur in sexta Synodo generali act. 11. I. videlicet creare; II. miracula patrare, deinde orare, comedere, & similia quæ naturæ humanæ conveniunt. Prima operatio convenit Christo reduplicative ut Deo; secunda quoque tamquam causæ principali physicæ: Attamen & Christo ut homini, in quantum humanitas erat instrumentum motum a divinitate ad operationes miraculosas, quas utique poterat promereri Christus: sic oratione præmissa, meruit resurrectionem Lazari. Ceteræ vero actiones erant quidem radicaliter a supposito divino, sed formaliter & immediate ab humanitate.

Jam patet solutio ad omnia. Ad primum quidem, pertinebat ad Christum ut hominem ponere animam suam, & penetrare cœlos ut ad causam divinitatis instrumentalem physicam, & ut principalem meritoriam: reconciliare vero formaliter ut Mediatorem, nam satisfecit ut homo Deus, seu ut Filius Dei incarnatus. Unde bene dicit Apostolus 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo*, id est, sustentabat humanitatem, *mundum reconcilians sibi*. Igitur reduplicative ut Deus non erat Mediator, sed ut subsistens in natura humana, cujus supplebat subsistentiam. Hanc solutionem innuit Augustinus, tractatu 47. pag. 143. in Joan. maxime quoad primum, his verbis: " Cum caro animam " posuit, Christus animam posuit: & cum " caro ut resurgeret, animam sumpsit, " Christus animam sumpsit: Nec potestate carnis hoc factum est: sed ejus qui " & animam & carnem, ubi hæc adimplerentur, assumpsit. *Hoc*, inquit, *mandatum accepi a Patre meo*. " Ad ult. vero dico Christum fuisse quidem sine Patre in tempore, sed non sine matre; unde erat & verus Deus, & verus homo.

Instat: S. Augustinus in Enchir. sic loquitur: *Nam neque liberaremur per unum Mediatorem & Dei & hominum, nisi esset & Deus*: Igitur Christus fuit Mediator reduplicative ut Deus.

Respondeo distinguendo consequens ut supra: Christus est Mediator ut Deus, quatenus subsistens in natura humana, concedo: in divina, nego. Augustinus est sui ipsius interpres, Lib. 9. de civit. Dei cap. 15. pag. 542. " Nec tamen ob " hoc Mediator est, quia Verbum, ma" xime quippe immortale & maxime " beatum Verbum longe est a mortalibus " miseriis, sed Mediator per quod homo. "

Insistit: Actiones Christi dicuntur a Patribus Theandricæ: Igitur Christus est Mediator reduplicative ut Deus.

Respondeo distinguendo: Actiones Christi dicuntur Theandricæ, quia a Verbo simul & a natura humana procedebant, concedo: quia a solo Verbo profluxerunt, nego: cum actiones sint etiam suppositorum, sufficit actiones procedere a natura humana hypostatice Verbo divino unita.

Reponit: Multi Patres dicunt Christum fuisse Mediatorem Angelorum & hominum a mundo condito; unde ad Coloss. 1. dicitur,

citur, *Primogenitus omnis creaturæ*: sed, inquit Calvinus, Christus tunc non erat homo: Igitur est Mediator solum ut Deus.

Respondeo I. hanc opinionem sapere Arianismum. Arius enim dicebat Verbum esse creaturam ante ceteras creaturas conditam, ut earum caput. Unde Calvinus lib. 2. instit. cap. 12. §. 4. ait: de Christo: *Fateor in primo creationis ordine, & integro naturæ statu perfectum Angelis & hominibus fuisse caput. Qua ratione dicitur a Paulo: Primogenitus omnis creaturæ.*

Respondeo II. distinguendo: Christus erat ab initio caput Angelorum suo imperio subjiciendorum, concedo; ut Mediator, pro quorum salute mortuus sit, nego. Namque Angeli ut primum creati sunt, elegerunt alii bonum, & subjici Verbo incarnando; alii vero malum, superbiendo: Et citra moram illi in vitam æternam; isti vero, qui in veritate non steterunt, in ignem æternum abierunt: Quia tamen Christus Hierarchiarum ruinas prædestinatione & glorificatione Sanctorum implevit, secundum quid & lato modo potest dici etiam Mediator Angelorum, proprie vero omnium caput, quatenus illos subjecit Pater æternus Christo, ut illi famularentur, & ut Regi suo inservirent, juxta illud Apostoli Hebr. 1. 6. *Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus satisfecit pro nobis ut Mediator.

PRIMO: Sic habetur Rom. 3. 24. his verbis: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Expressius 1. ad Tim. 2. 5. *Unus enim Deus, unus est Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.*

Secundo: Concinunt Patres: Athanasius in toto libro de natura suscepta, Epiphanius in Anchorato n. 44. Augustinus Libr. 10. Conf. cap. 43. Rursus Lib. 10. de civit. cap. 20.

Tertio: Ratio de hoc momento non una est. I. Quia Christus Deum contra nos iratum placavit, ut habetur 1. Joan. 2. 2. II. Nos cum Deo Patre reconciliavit, juxta illud Ephes. 2. 13. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.* III. Quia satisfecit non pro se, quippe qui esset impeccabilis, sed pro nobis, 1. ad Tim. 2.

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Ultro fatemur Deum esse qui reconciliat, sed ut causam efficientem principalem gratiæ; tum & per Christum, qui est causa instrumentalis physica, & meritoria primaria.

Secundo: Christus viam quidem salutis suarum virtutum exemplo aperuit, sed magis vi & energia sacrificii sui cruenti, solvendo in ara crucis debitum nostrum.

Tertio: Quia vero satisfecit ut Verbum incarnatum, idcirco neque ut Deus solum, neque ut homo tantum, sed ut Filius Dei subsistens in natura humana quam sustentabat, fuit noster Mediator.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Christus satisfecerit pro nobis ut Sacerdos?

SOCINIANI sex absurda ponunt, I. Sacerdotes fuisse institutos solum ut essent Dei apud homines interpretes, & pro iisdem deprecarentur Dominum, II. Christum non fuisse veteris legis sacrificiis prænuntiatum. III. Nec fuisse Sacerdotem, nisi ex quo in cœlum ascendit. IV. Eumdem peccata nostra solum improprie expiasse. V. Nec mortuum pro nobis. VI. Nec dedisse pro peccatis nostris pretium, quæ omnia fidei catholicæ sunt opposita.

Suppono contra eos, Sacerdotes ea potissimum intentione institutos fuisse, ut sacrificia pro expiatione peccatorum offerrent: Ita expresse habetur Levit. 1. 2. his verbis: *Loquere filiis Israel, & dices ad eos: homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus...... si holocaustum fuerit ejus oblatio ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium Tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum: ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens, immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus.* Tum Hebr. 5. 1. legitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assum-*

assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Igitur Sacerdotes instituti sunt ad sacrificium offerendum pro peccatis, & quidem primario, secundario vero ut annuntient populis Dei voluntates & justificationes: nam in hoc differunt a Prophetis, quod isti essent solum Dei internuntii & legis Prædicatores: alii vero non solum nuntii, sed & Sacrificatores. Punctum igitur controversiæ ad duo præcipue capita reducitur, nempe ut ostendatur Socinianis Christum verum fuisse in terris Sacerdotem: Deinde vero se obtulisse tamquam victimam in odorem suavitatis Deo pro peccatis nostris. Unde fit

SECTIO PRIMA.

Utrum Christus fuerit verus in terris Sacerdos constitutus?

CONCLUSIO AFFIRMATIVA.

Probatio, ex Figuris.

ILLE fuit vere Sacerdos in terris constitutus, quem talem denuntiabant figuræ, & quas implevit. Atqui figuræ veteris Testamenti innuebant Christum Sacerdotem in terris, & in ipso adimpletæ sunt: Igitur vere fuit in terris Sacerdos, & manet talis in cœlis in æternum. Probatur minor multis momentis.

Prima figura est Melchisedech, juxta illud Psal. 109. 5. de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: Sed Melchisedech fuit Sacerdos in terris; & ideo Sacerdos quia obtulit panem & vinum. Sic habetur Gen. cap. 14. *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi*. Christus hanc adimplevit figuram instituendo sacram Eucharistiam in pane & vino. Ergo &c.

Secunda figura exprimitur in Sacerdotibus veteris Legis, maxime in Aaron, ut habetur Exodi 28. & 29. ubi refertur ejus consecratio. Et in toto libro Levitico, sicut & Hebr. 7. 9. ubi legitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, &c.* Fuit autem Aaron constitutus Sacerdos antequam ingrederetur in Sancta Sanctorum: Igitur & Christus antequam ascenderet in cœlos, nam est perfecta relatio Christi ad Aaron, & hoc ex professo explanat Apostolus in epistola ad Hebr. Unde cap. 7. 26. sic loquitur de Christo: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel seipsum offerendo*. Quibus verbis Apostolus denunciat oblationem Christi subrogatam fuisse antiquæ legis oblationibus: Ergo &c.

Tertia figura est complexa, & varia Legis Mosaicæ sacrificia, quæ Christum præfigurabant, continet: Ejusmodi victimas offerebant homines de suis bonis ut se reos agnoscerent; & loco peccatoris subrogabatur victima immolanda, ut pœnam sustineret pro peccatis debitam: unde & offerens victimam manus super hostiam ponebat, ut habetur Levit. 1. jam citato, & cap. 4. vers. 4. & 15. Quo quidem ritu declarabat peccator sua peccata in victimam veluti transferri, quatenus pro peccatis commissis immolabatur: deinde confitebatur delicta, ut habetur cap. 16. 20. his verbis: *Postquam emundaverit Sanctuarium & Tabernaculum & Altare, tunc offerat hircum viventem: & posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates Israel, & universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in Tabernaculum testimonii... Rogabit tam pro se quam pro populo: & adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare*. Imprecatio autem in capita victimarum significabat pœnam peccati in victimam translatam. Dicitur autem pro peccatis, ut ostendatur victimas tunc fuisse oblatas non solum ad emundationem carnis, sed & spiritus, quandoquidem ex institutione Dei illa sacrificia pro peccatis expiandis offerebantur.

Porro sacrificia veteris legis quandoque fiebant extra castra, & publice: quandoque intra Sanctuarium & privatim: quædam solum semel in anno: quædam vero erant quotidiana & privata, ut propitiatoria & quæ ex agnis fiebant, ut habetur Levit. cap. 4. 34. capit. 2. 6. capit. 14. 2. &

2. & 12. Item quædam offerebantur pro levioribus peccatis, ut habetur Levit. 4. 4. de peccatis ignorantiæ: quædam etiam pro gravioribus, pro dissimulatione v. g. alienæ blasphemiæ, ut habetur Levit. 5. 1. Pro juramento in alterius damnum emisso, ut legitur ibidem cap. 6. 2. Pro stupro & adulterio, ut ibidem legitur cap. 19. 21. unde maxime allucinantur Sociniani dicendo, victimas non fuisse loco peccatorum substitutas, sed oblatas fuisse tantum pro levioribus culpis: Atqui ejusmodi figuræ Christum adumbrabant, juxta illud Hebr. 10. 4. *Finis legis Christus*. Et ibibem 8. 5. *Legis sacrificia* vocantur umbræ futurorum. Item agniculi oblati in sacrificiis privatis præfigurabant Christum, qua de causa vocatur in Evangelio Agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Denique sacrificium publicum extra castra factum Christus adimplevit in cruce; passus est enim, inquiunt Patres, extra urbem, ut homines intelligerent pro singulis hominibus mortuum & sacrificatum.

Probatio ex sententiis B. Pauli.

IDEM probatur ex sententiis S. Pauli, quibus ostendit Christum fuisse & Sacerdotem institutum, & munere functum fuisse in terris. Cap. 1. ad Hebr. vers. 3. sic loquitur de Christo: *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens*. Tum cap. 9. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Quæ quidem verba tot jaculis confodiunt Socinianos. Nam Apost. dicit Christum vere immolatum pro peccato. Cap. vero 10. Christum sic loquentem ad Patrem inducit v. 8. & 9. *Oblationes & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam .... Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera : ei ... una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos*. Denique ibidem, cap. 1. designat institutionem Sacerdotii Christi vers. 9. his verbis: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis*. Quibus verbis ostendit Christum fuisse unctum Sacerdotem ceteris Sacerdotibus præcellentem. Athanasius Orat. 3. contra Arianos ait Filium Dei fuisse factum Sacerdotem cum induit carnem, quam ceteri Græci vocant ejus Sacerdotii habitum, quia in ea oblatus est pro nobis: unde quando quidam Patres Latini dicunt Christum fuisse Sacerdotem quum baptizatus est in Jordane, loquuntur de primo Sacerdotii munere seu exercitio.

Probatio, ex rationibus Theologicis.

ILLE fuit vere Sacerdos, qui obtulit sacrificium & oblationem Deo vero tum in gratiarum actionem, tum in recognitionem supremi dominii, tum ad expianda peccata nostra, tum denique ad gratias nobis a Patre obtinendas: Atqui sacrificium quod Christus in ara crucis obtulit continet virtutem omnium veteris legis sacrificiorum, quæ propter ista quatuor offerebantur, immo in immensum superavit: Et probatur. Sacrificium crucis erat infiniti valoris: Igitur est simul & Eucharisticum, & holocaustum, & propiatiatorium & impetratorium, adeoque non solum adæquans omnia veteris legis sacrificia, verum etiam longe superans, ut enarrat Apostolus Epist. ad Hebr.

Confirmatur ex variis sacrificii Christi eximiis dotibus.

Prima antecellit omnem dignitatem & potestatem etiam Angelicam, quandoquidem, inquit divus Thomas hic q. 22. art. 1. Angeli fuerunt Ministri Sacerdotii ejus, secundum illud Matth. 4. 11. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei*. Ratio est, quia est Filius dilectus in quo Pater complacet, & ipse orans apud Patrem pro exsuscitatione Lazari, dicit illi: *Scio quia me audis semper*.

Secunda: Christus simul est Legislator & Sacerdos, quod non habebant Sacerdotes legis antiquæ, juxta illud Exodi 29. 9 ad Moysen: *Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium Tabernaculi testimonii .... Impones eis mitras: eruntque Sacerdotes mihi*. De Christo autem habetur Isaiæ 33. 22. *Dominus enim Judex noster, Legifer no-*

noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos.

Tertia: Christus fuit simul Sacerdos & hostia, secundum illud ad Ephes. 5. 2. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*: Hostia quidem pacifica pro nostra salute, juxta illud Hebr. 5. 9. *Christus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeterna*. Hostia vero pro peccato, ut habetur Rom. 4. 25. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*. Hostia denique holocausti, in quo victima penitus destruebatur & comburebatur in recognitionem supremi Dei dominii, juxta illud Hebr. 10. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*. Et illud Ephes. 2. 4. *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos, in Christo, cujus gratia estis salvati.*

Quarta: Dat sanctitatem internam, sacrificium vero legis dabat solum ex se emundationem carnis, id est, sanctitatem externam, juxta illud Hebr. 9. 13. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & sanguis vitula aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

Quinta: Christus quodammodo incepit Sacerdotii exercitium primo conceptionis momento, ut legitur Hebr. 10. 5. *Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Sexta: Sacerdotium Christi est aeternum, ut habetur Psalmi 102. v. 5. *Tu es Sacerdos in aeternum*: Non quidem quoad exercitium, quandoquidem cessabit in fine mundi: Sed quoad potestatem, & imaginem, quia secundum multos sacra Eucharistia remanebit in aeternum in coelis.

Septima denique: Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech propter relationes ad ipsum: Et vero Melchisedech erat Rex simul & Sacerdos, ita & Christus, juxta illud Psal. 2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion .... Postula a me: & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.* Rursus Matth. 27. 11. Christus interrogatus a Pilato: *Tu es Rex Judaeorum? Dicit illi Jesus: tu dicis.* Melchisedech Hebr. 7. dicitur sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, id est, haec omnia tametsi vera non referuntur de illo; Christus autem aeternus, vere non habet Patrem in tempore, sicut nec matrem in aeternitate, nec etiam successorem in Sacerdotio, ut habuit Aaron; unde Joannes cap. 1. 33. *Hic est, qui baptizat*, id est, Christus ut summus Sacerdos baptizat per Sacerdotes, &c. Melchisedech obtulit panem & vinum, sic Christus in Eucharistia, quae est verum sacrificium, ut suo fuse probavimus loco. Sic propugnant Patres: Irenaeus Lib. 4. cap. 32. Chrysostomus in Psal. 95. Arnobius in Psal. 110. Hieronymus in idem Psal. Augustinus in Psal. 33. Paschasius Radbertus Epist. ad Frudegardum, &c. Melchisedech erat Sacerdos universalis, non vero unius gentis ut Aaron, unde Tabernaculo & Templo ad sacrificandum non egebat, sic nec Christus; quippe qui habeat pro ara omnem mundum, unde extra castra & urbem oblatus & crucifixus est, ut appareret, inquit D. Thomas, ejus oblationem esse pro omnibus hominibus & offerendam ubique, juxta illud Malach. 10. 11. ***Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus**: Et in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo **oblatio munda**.*

Solvuntur objecta Socinianorum.

OBJICIUNT I. Sacrificia veteris Legis non praeludebant Christum: Igitur nihil concluditur ex sacrificiis veteris Legis pro vera Christi satisfactione. Probatur Antecedens. I. Ex Apostolo ad Hebr. sacrificia veteris Legis erant vacua & egena elementa. II. Erant solum ad emundationem carnis, juxta illud Hebr. 10. 4. *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*. III. Non placebant Deo, ut ibidem dicitur v. 6. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt*. IV. Sacrificia dumtaxat publica erant ad aliquam satisfactionem, & hoc pro peccatis tantum levioribus, v. g. ignorantiae, uti

uti legitur Levit. 4. 2. & 5. pro peccatis ex silentio, &c.

Respondeo negando Antecedens; contrarium enim patet ex probationibus, unde ad primam confirmationem distinguo: Sacrificia veteris legis ex se erant vacua & tantum ad emundationem carnis, concedo: & hoc designant verba Apostoli laudata, ex opere operantis & ex institutione Dei, nego: qui enim illa offerebant movebantur ad fidem in Christum profitendam, & dilectione operante ac concurrente mundabant animam: & sic patet solutio ad tertiam probationem. Ad quartam negamus sola sacrificia publica fuisse propitiatoria, fuerunt certe & privata, quæ quidem quandoque pro peccatis omnium offerebantur, secundum illud Levit. 4. & 14. *Si omnis turba Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra Mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum*. Falsum est utique, ut probavimus supra, sacrificia fuisse solum oblata pro peccatis levioribus, cum in eodem libro assignentur pro furto, pro adulterio, & aliis gravissimis peccatis. Ceterum quando dicitur, holocautomata Deo non placuisse, distinguo; propter malam offerentium dispositionem, vel etiam propter contritionis & fidei defectum, quia ex se non habebant virtutem sanctificandi, concedo: id est, nullo modo erant propitiatoria, nego. Ceterum non est de ratione figuræ virtutem & energiam veritatis exhibere, sed solum subindigitare: Igitur ex eo quod veteris legis sacrificia essent vacua & egena elementa, sequitur solum prænuntiasse veritatem, sed non exhibuisse.

Instant: Nulla est relatio inter sacrificium tum publicum, tum privatum veteris legis cum Christo: Ergo &c. Probatur Anteced. Quæ conventio inter animalia immolata & Christum? II. Victimæ, ipsis invitis, offerebantur & mactabantur: Christus autem oblatus est quia ipse voluit: III. Sacrificium ipsum publicum hirci non erat cruentum, quandoquidem hircus liber dimittebatur in desertum: Ergo &c.

Respondeo negando Anteced. Ad probationem distinguo: Non est proportio entitativa, concedo: habitudinis, subdistinguo: si victimæ in se considerentur, concedo: si vero spectentur ut mactatæ ex ordinatione Dei, nego. Voluit igitur Deus ostendere hominibus & misericordiam parcendo peccatoribus qui sunt filii mortis; & justitiam ordinando ut victimæ eodem loco morerentur, ut intelligerent homines moriendum esse vitiis, & Christum in futurum immolandum esse pro eis.

Ad secundum distinguo: Et voluntate aliena mactabantur victimæ, ut intelligerent homines summum Dei Patris erga nos amorem, qui ita nos dilexit, ut proprio Filio non pepercerit, ut inquit Apostolus, concedo: & hoc carebat mysterio, nego. Christus igitur & voluntate Patris, & sua oblatus est pro nobis.

Ad tertium distinguo: Et alter hircus immolabatur pro peccatis populi, concedo: secus, nego. Duo hirci offerebantur, unus mactabatur, juxta illud Levit. 16. 15. *Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, infert sanguinem ejus intra velum, &c.* Alter vero post oblationem & confessionem omnium iniquitatum filiorum Israel, & omnes maledictiones in ipsum propulsas, ut habetur Levit. 21. emittebatur in desertum, ut significaretur Filiorum Dei libertatem dandam esse per Christum in ara crucis moriturum.

Opponunt II. Christus non erat de tribu Levi: Igitur non erat Sacerdos: II. Si fuerit Sacerdos, maxime in ingressu in mundum, juxta illud Heb. 10. 5. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio ... ut faciam, Deus, voluntatem tuam*: Atqui tunc fuit Sacerdos improprie & fundendo preces, sicut & dicitur esse in cœlis ubi pro nobis interpellat; nam Act. 13. 33. habetur Christum vocatum fuisse Filium Dei solum post resurrectionem, his verbis: *Quoniam Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum*: Sicut & in Psal. 2. scriptum est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Factus est autem Sacerdos quando Pater hæc dixit Filio, Hebræorum 5. 5. *Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: Sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. III. Antequam fieret Pontifex debuit tentari per omnia: Igitur solum post passionem & in cœlis factus est Sacerdos, unde in eadem epistola dicitur Pontifex: *Excelsior cœlis factus*, Re-

Respondeo distinguendo consequens: Christus non erat Sacerdos jure communi sicut filii Levi, sed extraordinario, & per potestatem excellentiæ, concedo: Pater quippe illum unxit oleo lætitiæ præ participibus suis, ut dicit Apostolus Hebr. 1. secus, nego.

Ad alias probationes dictum est, munus Sacerdotis esse multiplex, nempe orare & offerre victimas: Christus autem incepit Sacerdotii munus obire in introitu suo in mundum: Prosecutus est per vitam, in qua quidem tentatus per omnia fuit, quatenus, excepto peccato, subjectus fuit miseriis nostris: consummavit vero sacrificium in ara crucis, juxta illud Apostoli Hebr. 10. 14. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Denique in cœlis etiam perseverat quoad aliquid, scilicet interpellando pro nobis. Denique falsum est Christum factum fuisse Pontificem post resurrectionem, cum jam talis esset a conceptionis momento; sed tunc clarificatus est per gloriam consummatam, & iterum clarificabitur in judicio universali: Et vero si attendatur ad illam sententiam: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; proprio telo confodiuntur Sociniani: quandoquidem in transfiguratione Pater æternus dixit Christo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus viator erat Sacerdos.

PRIMO: Hoc annuntiant figuræ V. T. maxime Melchisedech, qui fuit Rex Salem simul & Sacerdos: scriptum est enim Psal. 109. 5. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod quidem Apost. Heb. 7. interpretatur de Christo, dicens 1. *Melchisedech ... assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in æternum.* Ibidem v. 26. comparat Paulus Christum cum Sacerdotibus veteris Legis, qui Deo offerebant hostias, sæpius quidem pro se & pro populo; Christus e contra solum pro nobis. Sic loquitur de eo v. 27. *Hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.*

Secundo: Quia Christus ipse fuit victima in ara crucis pro peccatis nostris immolata, ut Evangelistæ, & Patres passim dicunt.

Tertio: Sicut victimæ in veteri lege ad emundationem carnis offerebantur, sic & Christus multo efficacius peregit; oblatus est enim pro nostra salute & sanctificatione, ut habetur Heb. 9. 13. *Si enim sanguis hircorum ... inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi ... emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.*

SYNOPSIS OBJECTIONUM, ET SOLUTIONUM.

PRIMO: Tametsi Sacrificia & Sacramenta veteris legis essent vacua & egena elementa, non inde sequitur non prænuntiasse Christum, cum non sit de ratione figuræ virtutem & energiam veritatis exhibere, sed solum indigitare.

Secundo: Non est relatio inter victimas legis secundum se spectatas & Christum; bene tamen ut ordinatione Dei immolatas ejus majestati, sic enim erant Christi immolandi imagines.

Tertio: Ex eo quod Christus non fuerit de Tribu Levi, sequitur solum non fuisse Sacerdotem ordinarium de vice Aaron, bene vero extraordinarium secundum ordinem Melchisedech.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Christus seipsum obtulerit in ara Crucis pro peccatis nostris?

CONCLUSIO.

Christus mortuus est pro singulis hominibus, & se obtulit tamquam victimam justitiæ Patris pro totius mundi delictis.

Probatur rationibus Theologicis.

PRIMA: Ille se obtulit tamquam victimam Patri æterno, qui ea tantum intentione mortis supplicium subiit, ut nostra abstergeret peccata: Atqui Christus ita mortuus est: Ergo &c. Probatur minor. Hebr. 1. 7. 3. habetur: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Tum cap. 7. 26. & 27. *Talis enim*

enim decebat ut nobis esset Pontifex sanctus... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo: Igitur Christus non pro seipso ut definivit Ephesinum, sed pro nobis se obtulit in ara crucis.

Secunda: Ille se substituit nostro loco in ara crucis pro peccatis nostris expiandis, qui eo fine mortuus est ut nos Deo reconciliaret: Atqui Christus sic oblatus est, secundum illud Roman. 5. 7. *Vix enim pro justo quis moritur.... commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est*. Rursus 1. Petri 3. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo*. Ergo &c.

Tertia: Ille se obtulit tamquam victimam pro nobis, qui solvit pretium debitum pro peccatis nostris: Atqui ita egit Christus: Ergo &c. Probatur minor. Matth. 20. habetur: *Filius Dei non venit ministrari, sed ministrare & dare animam suam pro multis*: græce, id est, *redemptionis pretium pro multis*. Et 1. Cor. 6. 20. *Empti enim estis pretio magno*. Rursus 1. Joan. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*.

Quarta sic procedit: Ille pro nobis & pretium & satisfactionem dedit, qui a Patre æterno traditus est morti propter hanc erga nos charitatem, qui ipse mortis præcepto liberrime obedivit propter idem amoris motivum, qui dicitur Agnus Dei tollens peccata mundi & propitiatio pro peccatis nostris: Atqui ex Scriptura omnia sic peracta sunt: Et probatur: Rom. 8. 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Rursus Isaiæ 53. 7. *Oblatus est quia ipse voluit*. Et Joann. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*.

Quinta: Si eo dumtaxat motivo Christus satisfecit ut annuntiaret nobis Dei placationem sicut fabulantur Sociniani, nihil egit supra Prophetas ejusdem Dei apud homines internuncios; si solum ut declararet peccata nostra remissa, nihil fecit quod & veteris legis Sacerdotes non fecerint; si tantummodo ut daret & humilitatis, & patientiæ documenta, hoc & Martyres peregerunt, unde ipsius passio parum utilis foret: Si denique mortuus est ut Pater nobis relaxaret delicta, & gratiam apud eum inveniremus, non opus fuisset illum mori, quandoquidem & hoc munus per cetera vitæ suæ opera implevit, unde ipsius mors nulla donaretur super ceteras vitæ actiones prærogativa, quod est contra Apostolum dicentem Heb. 10. 14. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*.

Sexta: Posito Socinianorum systemate, subvertitur genuinus & Scripturarum, & Patrum sensus, ita ut videantur potius inducere in errorem, quam in veritatis agnitionem conducere, quandoquidem dum dicunt Christum mortuum tamquam victimam pro nobis, hoc secundum eos intelligi debet improprie; contrarium tamen docent Justinus Dial. cum Triph. Origenes Lib. 1. contra Celsum pag. 26. Gregorius Naz. Orat. 25. Chrysostomus Homil. 26. in Epist. ad Rom. Hieronymus Epist. 83. Augustinus, ut ex professo ostendimus ubi de quinta propositione Jansenii sancto Doctori prorsus adversa: Eo quoque loci nubem testium attulimus ad probandum eam esse Ecclesiæ doctrinam, Christum pro singulis hominibus mortuum fuisse: Ergo &c.

Solvuntur objectiones Socinianorum.

OBJICIUNT I. Numeror. 21. 8. & Psal. 50. 9. secundum textum Hebræum, Deus ipse dicitur expiare hominum delicta, quod certe sensum habet metaphoricum; quis enim dicet Regem offensum expiare injuriam sibi irrogatam? Igitur a pari, quum Christus dicitur propitiatio pro peccatis nostris, hoc intelligi debet solum improprie: Tum quia verbum expiare apud Judæos ex prima origine sua significat *tegere*: tum quia etiam Levit. 5. 4. & 8. cap. 16. 13. & 14. usurpatur declarative, unde expiare peccata, idem ast ac declarare remissa.

Respondeo distinguendo: Deus dicitur expiare peccata in diverso sensu a Christo, concedo: eodem, & satisfactione, nego. Verbum *expiare*, multiplicem habet sensum: quandoque significat admittere

 expia-

expiationem: quandoque declarare peccatum esse expiatum: quandoque etiam designat sacrificium oblatum pro expiatione. Deus igitur expiat peccata acceptando satisfactionem; Sacerdos veteris Legis, offerendo sacrificium, & declarando legales maculas abstersas esse; Christus vero, & seipsum offerendo tamquam victimam pro peccatis nostris, & annunciando pacem initam inter homines & Deum, & delendo chirographum mortis.

Ad 2. patet solutio. Ceterum Sacerdotes veteris legis Christum præsigurabant: Igitur ut veritas figuræ correspondere, Christus non in sensu figurativo, sed proprio debuit offerre sacrificium pro peccatis nostris abluendis.

Instant: Victimæ legales dicuntur expiasse peccata, & tamen non satisfaciebant, ut habetur Hebr. 10. 6. Igitur a simili, licet Christus se obtulerit ut victimam, solum improprie satisfecit.

Respondeo distinguendo: Victimæ legales non satisfaciebant pro peccatis, concedo: pro maculis exterioribus & legalibus, nego. Sicut igitur abstergebant maculas exteriores, ita Christus ab eis prælusus non solum texuit, sed vere abluit maculas interiores: & ideo Apostolus ibidem dicit Christum venisse, & mortuum fuisse ut suppleret defectus victimarum antiquarum. Dictum est autem sanguinem victimarum substitutum fuisse loco pœnæ, quam homo peccando incurrebat, Igitur Christus moriendo pro peccatis nostris, languores nostros, teste Isaia, ipse tulit.

Insistunt: Atqui Christus nostro loco non se substituit proprie, sed solum improprie: Ergo &c. Probant Anteced. 1. Joan. 3. 16. legitur de Christo: *Ille animam suam pro nobis posuit: Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Coloss. 1. 24. sanctus Paulus ait: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus*. Sed nullus dicitur substitui loco fratris aut Ecclesiæ, quando suam ponit animam pro aliis: Igitur idem dicendum est de Christo.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem distinguo: Et hoc debet intelligi per distributionem accommodam, concedo: secus, nego. Martyres mortui sunt ut nobis relinquerent patientiæ documenta, & unusquisque mori debet potius quam scandalo occidere animas fratrum: Christus vero utique passus est ad virtutis exemplum; & in hoc stat comparatio ex SS. Joanne & Paulo deducta: Sed insuper ut sponsor & Redemptor dedit animam suam seu vitam pro peccatis abluendis. Primum ex illo 2. Cor. 1. 6. *Sive tribulamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum quas & nos patimur*: Secundum vero ex isto oraculo Joannis Baptistæ de Christo loquentis Joann. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Præterea multi ex nimia charitate etiam venumdari & incarcerari voluerunt pro aliis, ut legitur de B. Paulino, qui se substituit loco filii viduæ captivi, ut illum matri redderet. Igitur falsum est vocem *substituere* loco fratrum, non significare pro iis pati & satisfacere.

Urgent: Eodem sensu Christus dicitur mortuus pro nobis, ac dicitur pro peccatis nostris vita functus; nam Rom. 4. 25. legitur: *Pro peccatis nostris mortuus*: Sed non ita mortuus est pro peccatis nostris, ut loco iniquitatum nostrarum substitutus sit; hoc enim implicat: Igitur nec moriendo substitutus est loco nostri.

Respondeo negando paritatem; nam sensus est diversus quando agitur de rebus & de personis. Amicus dicitur substitui loco personæ amici sui captivi propter delictum, sed non loco delicti, bene vero pœnam luere delicti; idem dicendum de Christo.

Opponunt II. Eodem modo Christus vocatur Redemptor ac Deus: Atqui Deus, Exodi 15. 13. dicitur redemisse populum suum, his verbis: *Populo quem redemisti*; & hoc quidem improprie; Rex enim offensus non dicitur satisfacere semetipsi: Item Act. 7. 35. Moyses appellatur Redemptor Israel, sed utique improprie: Igitur, inquiunt Sociniani, eodem sensu Christus Redemptor hominum appellatur.

Respondeo negando consequentiam & paritatem. Enim vero redimere multiplicem habet sensum: quandoque significat debitorem cedere juri suo & relaxare debitum: quandoque dicit redimere a captivitate temporali in nomine Dei & virtute prodigiorum: quandoque etiam redimere sol-

solvendo debitum & pœnas subeundo pro peccatis. In primo sensu Deus dicitur redemisse populum suum: in secundo sensu idem dicitur de Moyse; in tertio vero de Christo.

Instant: Si satisfactio foret reddenda pro peccatis, sequeretur solvendam esse diabolo qui tenebat hominem captivum, nam debitum solvitur Tyranno: sed absurdum consequens; Ergo & Antecedens.

Respondeo distinguendo sequelam: Si Tyrannus sit Rex & Princeps, cui omnes subdi debeant, concedo: si sit solum tortor & justitiæ executor, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Justitia Dei tenebat hominem captivum in vindictam; Dominus enim est qui hanc tulit sententiam: *In quacumque die comederis, morte morieris*; diabolus vero constitutus est justitiæ executor: Igitur debitum solvendum erat Deo, non diabolo.

Objiciunt III. Eodem modo homo redemptus est, quo fuit venundatus: Atqui homo gratis venundatus est, & gratis utique redemptus: Igitur Christus non est proprie loquendo Redemptor, quia satisfactio quæ datur gratis, non est rigorosa & ad justitiæ apices. Probatur minor: Isaiæ 52. 3. habetur: *dicit Dominus, gratis venundati estis & sine argento redimemini*. Tum Rom. 3. num. 4. *Justificati gratis*. Ibidem Rom. 5. 10. Christus dicitur nos salvasse in vita sua; sic enim legitur: *Salvi erimus in vita ipsius*. Igitur mors Christi non fuit vere satisfactoria.

Respondeo distinguendo minorem: Et comparatio est quoad aliquid, concedo: quoad omnia, nego. Sensus est, redemptionem esse gratuitam quoad primam causam & motivum primarium, nam propter suam erga nos charitatem, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis misit Filium suum tradendum pro nobis, inquit Apostolus, ipse vero filius semetipsum obtulit ex mera misericordia victimam pro peccatis nostris; verum quoad causam proximam, satisfactio fuit ex justitia rigorosa, quandoquidem totum solvit Christus debitum; ita Augustinus in Psal. 95. " Tenebantur homi-„ nes, *inquit*, captivi sub diabolo, & dę-„ monibus serviebant, sed redempti sunt „ a captivitate; vendere enim se potue-„ runt, sed redimere se non valuerunt. „ Ad primam probationem liquet, Isaiam loqui de captivitate temporali Israelitarum, a qua, miserente Deo, soluti sunt. Ad secundam probationem, distinguo: Justificamur gratis ex parte nostri, quia gratia est gratuita, nec eam promereri potest peccator, concedo: ex parte Christi, nego. Dicitur enim 1. Cor. 6. 20. *Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Ad tertiam probationem, distinguo: Salvi facti sumus in vita Christi, id est, per actiones ejus vitæ, & præterea per mortem ejus quæ ipsius consummavit omne meritum, concedo: secus, nego. Nam ibidem immediate antea habetur: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius*.

Replicant: Ergo Redemptio nullo modo fuit gratuita. Probatur sequela: Quando datur rigorosa satisfactio, nulla est misericordia: sed in hypothesi Deus exigit rigorosam satisfactionem. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem, distinguo: Si satisfactio exigatur ab ipso reo tantum, concedo: si ab alio eoque innocente, nego. Deus exigit satisfactionem & ab homine reo, & a filio suo: a primo, ex justitia: a secundo vero ex charitate & misericordia; & sic distincta minore, nego consequentiam.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus seipsum in ara Crucis pro salute singulorum hominum obtulit.

PRIMO: Quia eo solum fine oblatus est, ut nostra deleret peccata, ut habetur Hebr. 1. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis*. Ibid. cap. 5. 9. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis*.

Secundo: Quia pretio sanguinis sui pretiosi nos redemit, juxta illud 1. Cor. 6. 20. *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*.

Tertio: Quia vel ipse Pater proprium Fi-

Filium propter nos morti addixit, ut ait Apostolus Rom. 8. 32. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET EXPLICATIONUM.

PRIMO: Deus quidem utique nostra expiat peccata condonando, & ea delendo; Christus insuper, ordinante & exigente justitia Patris, pro eis satisfaciendo.

Tertio: De ratione & officio Redemptoris non est, loco peccatorum substitui iniquitates committendo; hoc enim implicat: sed pro peccatoribus solvere debitum, quod quidem Christus abundanter, immo & superabundanter pro nobis fecit.

Tertio: Tametsi homo gratis venundatus sit, quatenus libere & proprio nutu peccavit; non tamen sine satisfactione reddenda, propter Majestatem læsam redimendus erat.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Christus satisfecerit ad apices juris, & tamquam Filius Dei incarnatus?

CERTUM est satisfactionem Christi suum haurire valorem a persona divina eaque incarnata, unde duo nobis incumbunt probanda, ut ostendamus eam ad apices juris & in valore infinitam, nempe satisfacientem esse prædestinatum ut Filium Dei & Redemptorem ad satisfaciendum pro nobis: deinde ejusdem satisfactionem induere omnes conditiones requisitas ad rigorosam satisfactionem, unde sit

SECTIO PRIMA.

Utrum Christus prædestinatus sit Filius Dei, & ut Salvator ad satisfaciendum pro nobis?

PRÆDESTINATIO duo dicit, alterum ex parte intellectus divini, alterum ex parte voluntatis. Primo modo considerata est præordinatio alicujus ad certum finem. Secundo vero modo est volitio efficax per media infallibilia ad talem finem; his prælibatis sit

CONCLUSIO PRIMA.

Christus prædestinatus est a Patre Filius Dei.

PROBATUR I. ex Scriptura Rom. 1. 4. habetur: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis.* Unde August. Lib. de prædest. SS. cap. 15. sic loquitur: " Prædestinatus est Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset in virtute Filius Dei. " Ergo &c.

Probatur ratione, quam D. Thomas hic affert q. 24. art. 1. ad 2. Nihil est in tempore, quod non sit determinatum in æternitate, quia Deus est prima causa rerum omnium: Sed in tempore factum est per gratiam unionis ut homo esset Deus. Igitur Christus prædestinatus est Filius Dei; nam Christus non est ab æterno, quandoquidem unio facta est in tempore, solum reduplicative ut Verbum est ab æterno. Terminus prædestinationis Christi totalis & primarius est, ut sit Filius Dei in concreto, id est, Deus ab æterno decrevit, ut Verbum humanitati uniretur. Revera quidem, nam id primario intendit Deus velut ceterorum fontem & radicem: Terminus vero secundarius prædestinationis Christi est omnium gratiarum & donorum supellex, quia prædestinatus est ad magnam gloriam, ita ut nedum pro humanitate omnibus gloriæ gradibus donaretur, sed ut ab ipso gloria in ceteros electos defflueret.

CONCLUSIO SECUNDA.

Christus prædestinatus est ut Redemptor ad satisfaciendum pro nobis.

PROBATUR hoc unico, sed valido ratiocinio. Ex dictis Christus venit peccatores salvos facere: venit ut sponsor & Sacerdos qui pro nobis semetipsum offerret tamquam victimam in odorem suavitatis: Igitur venit, & prædestinatus est ut Redemptor ad satisfaciendum pro nobis; nam

nam prædestinatio ex S. Augustino Lib. de prædest. SS. cap. 1. est præparatio mediorum infallibilium ad finem intentum assequendum: liquet autem ex Scripturis Christum venisse ad hominem morte sua redimendum, immo & ad solvendum pro nobis debitum. Ergo &c.

Solvuntur objectiones, contra primam conclusionem.

OBJICIES: Prædestinatio est ad aliquem effectum temporalem: Sed Christus ut Filius Dei est ab æterno: Igitur non prædestinatus est ut Filius Dei. Confirmatur: Non prædestinatus est ut Deus; sed neque est prædestinatus ut purus homo; natura enim humana non est persona, utpote carens propria subsistentia, unde dici nequit filia: Igitur nullo modo prædestinatus est.

Respondeo distinguendo minorem: Filius Dei est ab æterno ut subsistens in natura divina, concedo: ut subsistens in natura humana, nego. Unde non Verbum prædestinatum est, sed Christus, id est, Filius Dei ut subsistens in natura humana.

Ad confirmationem, distinguo: Christus non prædestinatus est neque ut Deus, neque ut homo divise, concedo: conjunctive, nego. Christus enim est utrumque simul; Deus ab æterno illum voluit in tempore incarnari, & ista ordinatio vocatur Christi prædestinatio.

Instabis: Prædestinatio est maxima gratia: sed gratia non datur Christo ratione personæ, seu ipsi personæ: Igitur non prædestinatus est ut Filius Dei. Confirmatur: Filius Dei, utpote Deus, nequit esse subjectum prædestinationis, id est, recipere gratiam. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Gratia non datur Christo ratione personæ in se solitarie spectatæ, concedo: sub isto quippe respectu est Verbum ut subsistens in natura divina: non datur ratione personæ ut incarnatæ, & reduplicative ut subsistens est in natura humana, nego. Præ oculis semper habendum est Christum esse Deum, simul & hominem: Deum qui unitus est humanitati in tempore, hominem qui subsistit subsistentia Verbi. Cum igitur ista unio sit gratia substantialis concessa homini, & ad eam sequantur omnes gratiæ, omnia dona, & gloria quibus Christus ut caput super ipsos Angelos exaltatur, recte dicitur Christus prædestinatus ut Filius Dei & Redemptor. Unde ad confirmationem, distinguo: Filius Dei secundum se, & in abstracto non est subjectum prædestinationis, concedo: in concreto, & ut subsistens in natura humana, nego. Namque actiones & passiones sunt suppositorum: quia vero ab æterno Deus decrevit filium suum uniri in tempore sanctæ humanitati, & hominem assumptum omni gratia & gloria donari, ut ceteri de plenitudine ejus accipiant, hoc sufficit ad prædestinationem Christi.

Urgebis: Ex hoc sequitur Filium Dei prædestinatum esse ratione naturæ humanæ. Igitur non prædestinatus est ut Filius Dei. Probatur sequela. Filius Dei non recipit gratiam prædestinationis secundum se, sed ratione naturæ humanæ. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad probationem, distinguo: Filius Dei non recipit gratiam ratione sui, sed ratione naturæ humanæ assumptæ, concedo; secus, nego. Recipit quidem prædestinationis gratiam ratione humanæ naturæ, non quidem in se relictæ sed ut subsistentia Verbi subsistentis. Solutio est D. Thomæ, qui tantum mysterium Comm. in cap. 1. epist. ad Rom. Lect. 3. clare explicat expandens ista Apostoli de Christo verba: *Qui prædestinatus Filius Dei in virtute*. "Prædestinatio, *inquit*, potest attribui „ personæ Christi, secundum quod subsi- „ stit in humana natura, licet non attri- „ buatur ei, prout subsistit in divina, „ unde & Apostolus prius Filium Dei in- „ carnatum esse præmiserat, & postea „ prædestinationem ei attribuit, ut intel- „ ligatur prædestinatus esse, secundum „ quod factus est ex semine David secun- „ dum carnem."

Insistes: Terminus non debet includi in prædestinatione; si enim Petrus verb. grat. haberet gratiam & gloriam, non diceretur præordinari ad gratiam & gloriam: sed filiatio divina est connaturaliter inclusa in ipso filio Dei incarnato. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Filiatio divina est inclusa in Filio Dei secun-

dum se spectato, concedo: in concreto, & ut subsistit in natura humana, subdistinguo: & hoc habet ex prædestinatione & ordinatione Dei, concedo; secus, nego. Hoc enim factum est in tempore, quando Verbum unitum est humanitati: id est, Christus in tempore habuit esse Filius Dei, quando scilicet conceptus est operatione Spiritus sancti, natus est ex BB. Maria Virgine.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Christus prædestinatus est ut Filius Dei & Salvator.

PRIMO: Hanc veritatem nobis annunciat Apostolus Rom. 1. 4. *Qui prædestinatus Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis.*

Secundo: Sic propugnat S. Augustinus Lib. de Prædestin. SS. cap. 15. sic D. Thomas in cap. 1. epist. ad Rom. lect. 3. uterque docet personam Verbi incarnati prædestinatam fuisse ut subsistentem in natura humana, ut esset Filius Dei in virtute, hoc est, ut homo virtute & efficacia subsistentiæ Verbi esset Deus.

Tertio: Ratio suffragatur: cum enim nihil contingat in tempore, quod non fuerit decretum in æternitate, eo ipso quo Deus voluit ab æterno Filium suum uniri in tempore sanctæ humanitati, Christus prædestinatus est ut Filius Dei, cum ista eminens prædestinatio nihil aliud importet quam unionem hypostaticam adimplendam, ad quam omnium gratiarum cumulus sequeretur, cujus terminus est Christus ut Redemptor, juxta illud 1. Joan. 3. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

SYNOPSIS DIFFICULTATUM, ET RESPONSIONUM.

PRIMO: Tametsi Filius Dei sit ab æterno, non tamen ab æterno unitus est sanctæ humanitati: ratione igitur unionis temporalis recte dicitur prædestinatus ut incarnatus.

Secundo: Eodem innixi fundamento dicimus Christum in tempore maximam habere gratiam, videlicet substantialem ratione unionis, tum sanctificantem, & capitalem ad primam consequentem.

Tertio: Neque tamen inde sequitur naturam humanam solam fuisse prædestinatam; terminus enim prædestinationis istius adæquatus est Christus, sicut verus Deus, sic & simul verus homo.

SECTIO SECUNDA.

Utrum satisfactio Christi fuerit abundans & ad apices juris?

Conclusio prima.

Satisfactio Christi fuit abundans, immo & superabundans: duæ sunt in hac conclusione partes. Prima quidem satisfactionem Christi abundantem dicit. Secunda vero etiam superabundantem.

Probatur, prima pars multipliciter.

PRIMO ex Scripturis: Psal. 12. 97. habetur: *Et copiosa apud eum redemptio.* Rursus Rom. 3. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Rursus Coloss. 2. 14. *Delens quod adversus nos erat Chirographum decreti.* Sed copiosa redemptio Deum infinite honorat; sed propitiatio pro peccatis est pro debitis perfecta solutio; sed quod delet Chirographum decreti est satisfactio omnibus numeris absoluta, sin minus non deleret decretum mortis: Igitur satisfactio Christi fuit rigorosa, immo & superabundans.

Secundo: Ex SS. Doctoribus. Sanctus Augustinus Libr. 13. de Trinit. capit. 14. loquens de Christi satisfactione, ait superefluentem fuisse pag. 162. col. 2. "Cum „ per remissionem peccatorum, *ait*, erui„ mur a diaboli potestate, hoc ad id per„ tinet, quod a Christo justitia diabolus „ vincitur: non potentia..... In hac re„ demptione tamquam pretium pro nobis „ datus est sanguis Christi, quo accepto, „ diabolus non ditatus est, sed ligatus. „ Idem astruunt SS. Anselmus Libr. 2. *Cur Deus.* S. Thomas hic quæst. 88. art. 2. Ergo &c.

Tertio ratione: Illa satisfactio est abundans, quæ reddit quod peccato ablatum est, & hoc per æquivalens obsequium: Atqui talis fuit satisfactio Christi. Ergo &c.

go &c. Probatur minor : Primo quidem, reddit Deo quod per peccatum ablatum fuerat, videlicet rationem finis ultimi, a quo primus homo peccando recesserat; vix enim conceptus est Dominus, quod per amorem, & ut victimam ad Patrem se se converterit, juxta illud Hebr. 10. 6. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* II. Satisfactio Christi fuit per æquivalens obsequium quatenus persona satisfaciens Deo æqualis erat, juxta illud Philip. 2. 7. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Quod ultra probatur duplici ratione, quia videlicet actiones sunt suppositorum; honor autem est in honorante, hoc est, satisfactionis dignitas & pretium ab ipsa personæ satisfacientis dignitate desumitur. Ergo &c.

Probatur secunda pars, etiam multis momentis.

PRIMO QUIDEM, ex Scriptura sacra: Rom. 5. legitur: *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et iterum. II. *Ubi autem abundavit delictum super abundavit gratia.*

Secundo ex SS. Doctoribus: S. Chrysostomus Hom. 18. in epist. ad Rom. explicans verba Apostoli, ait: " Multo „ enim plura quam debebamus Christus „ pro nobis solvit, tantoque plura quan- „ to guttulam exiguam Pelagus excedit in „ immensum. „ Et ante ipsum S. Cyprianus Serm. de ratione Circumcisionis idem docuerat, unde Concilium Triburiense cap. 19. statuit plus vini, quam aquæ in calicem infundendum esse, ut significetur valorem meritorum sanguinis Christi, nostrorum peccatorum proterviam per aquam designatam, longe excedere.

Succinit Cyrillus Jerosolymitanus Cath. 13. tum S. Augustinus Serm. 114. de temp. his verbis: " Indubitanter credamus quod „ totum mundum redemit, qui plus de- „ dit quam totus mundus valeret. „ His accedit S. Leo qui Serm. 12. de Pass. ait: " Validius factum fuisse donum liberta- „ tis, quam debitum servitutis. „

Tertio ratione: Satisfactio quæ in merito excedit, & in quantitate ipsam offensæ quantitatem, nedum abundans, sed & superabundans dicenda est: Atqui talis fuit Christi satisfactio. Et probatur: Offensa est moralis dumtaxat a Deo optimo recessus, in satisfactione vero Christi est hominis Dei ad Deum Patrem per modum victimæ conversio, ex quo patet plus honoris in hac satisfactione contineri, quam dedecoris erat in peccato. Quid plura? Nedum accessus moralis ad Deum inest Christo satisfacienti, sed & physicus, quatenus Christi solutio in ipsa Verbi unione hypostatica fundatur. Ergo &c.

CONCLUSIO SECUNDA.

Satisfactio Christi fuit valoris infiniti.

INFINITUM duplex secernendum est; aliud physicum, aliud morale. Physicum illud est, quod alicui competit ex natura sua, & soli Deo convenit, qui quidem ex natura sua est infinitus & in entitate, & in bonitate, & in sapientia aliisque perfectionibus: morale vero illud est, quod ex dignitate super aliquam actionem reflexa desumitur, & relativum vocatur, eo quod actioni physicæ non competat ex proprietate naturæ, sed per ordinem ad aliud habetur, & hoc secundum judicium viri prudentis. Actiones Christi ut hominis esse physice finitas nemo non novit, cum sub isto respectu sit creatura; sed caput controversiæ procedit de ejusdem actionibus in esse morali sumptis; valor quippe est quid morale, & in isto sensu asserimus actiones Christi, etiam ut hominis infinitum valorem haurire a Supposito divino.

Probatur hoc ratiocinio. Illæ actiones sunt meriti infiniti in esse morali, quæ pro primo principio habent Suppositum divinum: namque honor est in persona honorante, eo quod actiones sint suppositorum, hoc est, & a supposito profluunt, & ab ejus dignitate hauriunt valorem. Et vero dignitas suppositi per quamdam refulgentiam, seu reflexionem super actiones effunditur: Atqui actiones Christi habent pro primo principio ipsam Verbi divini personam, juxta illud

lud Philipp. 2. 7. Filio Dei; *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Rursus de eodem Filio Dei Isa. 53. 7. *Oblatus est quia ipse voluit*. Igitur actiones Christi, seu satisfactio fuit infiniti valoris: hoc ipsum astruit Clemens V. extravaganti *Unigenitus de pœnitentiis & remiss.* ubi ait, vel unam Christi sanguinis guttam ad generis humani Redemptionem sufficientem fuisse; hinc & subdit non esse timendum de consumptione tanti thesauri, videlicet de Christi meritis.

CONCLUSIO TERTIA.

Satisfactio Christi fuit ad apices juris & fundata in justitia commutativa.

Probatur isto unico, sed efficaci argumento. Illa satisfactio est rigorosa, & ad apices juris quæ omnes ad hoc habet conditiones: Atqui Christi satisfactio omnes habet conditiones, ut sit ad apices juris. Ergo &c. Probatur minor: Quatuor requiruntur ad hoc momentum conditiones. Prima, ut satisfactio sit ad alterum. Secunda, ut non sit fundata in gratia offensi, seu creditoris, quocirca ille cui remittitur gratis debitum, non dicitur satisfacere. Tertia, ut fiat ex bonis debitoris, unde qui solveret debitum pecunia excerpta ex thesauris creditoris, illi non satisfaceret. Quarta, ut id quod solvitur non sit ex aliis titulis debitum: hinc qui debet Petro centum nummos titulo furti, & titulo census annui, dando solummodo centum, non satisfacit. Quintam addo, videlicet ut creditor teneatur ex debito justitiæ commutativæ satisfactionem oblatam acceptare, & aliam ex jure nequeat exigere: Atqui satisfactio Christi illas omnes habet conditiones. Et probatur: Primo quidem est ad alterum, nam in Christo duæ sunt naturæ, quod sufficit ad diversa fundanda jura. Secundo, non est fundata in gratia creditoris; licet enim unio Verbi sit a Deo, quia tamen Christus propriis viribus, proprioque conatu isto ineffabili usus est talento, propria habuit merita; hinc & suis sumptibus nostra solvit debita. Tertio, non est ex bonis creditoris; licet enim Deus habeat dominium universale super omnia, non tamen particulare, quippe qui hominem reliquerit in manu consilii sui. Quarto, neque ejusdem satisfactio Christi multis debetur titulis, tum quia involvit Suppositum divinum, quod est independens, tum quia Christus erat innocens, segregatus a peccatoribus, & ut ait Apostolus, excelsior cœlis factus. Quid plura adjiciam? Deus tenebatur acceptare Christi satisfactionem, quandoquidem consenserat Filium suum pro nobis peccatoribus & incarnari, & mori; Christus vero secundum suppositum erat Patri æqualis, idcirco ad æqualitatem pro injuria ab homine irrogata satisfecit, namque persona satisfaciens tanta est in dignitate, quanta est persona offensa, adeoque satisfactio in rigorosa justitia, eaque commutativa, qua per æquale obsequium redditur quod ablatum est, & ad apices juris extitit.

Diluuntur objecta contra primam Conclusionem.

Objicies: Satisfactio insufficiens profecto non est superabundans: Atqui satisfactio Christi videtur insufficiens. Et probatur: Satisfactio cui aliquid deest insufficiens ab omnibus creditur: Atqui aliquid deest satisfactioni Christi, juxta illud Coloss. 1. 24. *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea*. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem, distinguo: Aliquid deest satisfactioni Christi ex parte nostri, concedo: ex parte ipsius satisfactionis, nego. Non nihil quidem deest ex parte nostri, videlicet applicatio quæ fit propria nostra passione & contritione & pœnitentia, & hoc unum innuit Apostolus. Et vero satisfactio Christi de se est abundans, immo & superabundans, quippe quæ non solum Deo restituat ablatum, sed & reddat peræquale obsequium; persona quidem divina læsa fuit, ita quoque & persona divina facit satis.

Instabis: Atqui satisfactio Christi non videtur esse peræquale obsequium. Ergo &c. Probatur subsumptum. Ad hoc requireretur ut persona divina in se & pateretur & humiliaretur: sed id fieri non potest. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, distinguo: Requireretur ut per-

persona divina satisfaciens pateretur in se reduplicative ut incarnata, & ratione humanitatis assumptæ, concedo: ut pateretur in se in abstracto considerata, hoc est, secundum se ipsam sumptam, nego. Persona Verbi ut subsistens in natura divina non poterat pati, sed solum ut incarnata ratione naturæ humanæ quam sustentabat, & in isto sensu Filius Dei passus est, non quidem passive & ut dolorum subjectum, sed active, Verbo virtutis suæ portando & sustentando humanitatem ut pateretur, quod annuntiat Apostolus Philipp. 2. ubi de Filio Dei, ait: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

Urgebis: Ut satisfactio Christi abundans, immo & superabundans esset, requireretur ut Christus pœnam passus fuisset infinitam; namque æternam homo peccando promeruerat, pœna autem æterna, nonnisi pœna æquali redimitur: Sed pœna quam Christus expertus est, tum in vitæ decursu, tum in passione non erat infinita. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Requiritur ut Christus pœnam infinitam in valore expertus fuisset, concedo: infinitam in se, & physice, nego. Et sic distincta minore, nego consequentiam. Pœna quam pro nobis subiit Christus erat quidem physice infinita, namque homo infinitæ pœnæ non est capax, sed in genere moris & meriti erat infinita, ut supra ostensum est, unde in præmio pœnam æternam per peccatum inductam in immensum excedit. Ceterum reprobi pœnam, non nisi duratione infinitam patiuntur.

Insistes: Satisfactio quæ exigit creditoris acceptationem, non est rigorosa: Atqui accedere debuit acceptatio Patris æterni satisfactioni Christi, immo & de facto accessit, cum ipse, teste Apostolo, sic dilexerit mundum, ut filium suum pro nobis tradiderit. Ergo &c.

Respondeo distinguendo minorem: Accessit acceptatio Patris ex amore, concedo: defectu sufficientiæ satisfactionis, nego. Multa ad solutionis elucidationem sunt distinguenda. I. Restitutio, satisfactio, & ipsa pretii solvendi acceptatio. Quando restituitur ablatum, nihil ultra exigit restitutionis ratio: satisfactio autem non est sicut lex restitutionis, sed exigit ut fiat reparatio damni per æquale obsequium, quod quidem locum habet pro satisfactione injuriæ: hinc demum acceptatio duplex secernitur, una quando vel ipse reus satisfacit ex debito: altera cum persona digna & innocens, & quidem æqualis cum offenso dignitatis vult ex misericordia pro prævaricatore solvere. His jactis fundamentis, si Rex alteri regi pro injuria ipsi a se irrogata se humiliat, nihil aliud requiritur, plene satisfacit: si reus sit inferioris dignitatis, requiritur acceptatio Regiæ Majestatis læsæ; sin minus, satisfactio plebei non erit ad apices juris, propter inter offendentem & offensum distantiam. Si vero persona innocens dignissima velit ex misericordia pro servo reo satisfacere, jam satisfactio est rigorosa & ad apices juris; quia tamen est innocens & persona aliena, exigitur aliqua creditoris acceptatio, non defectu ponderis satisfactionis, sed eo quod satisfaciens non fuit reus & offendens. Talis fuit satisfactio Christi, cui accessit acceptatio Patris, sed eo ipso quo consensit filium pro nobis mori, non potuit ejus abjicere satisfactionem, quippe quæ esset a persona in dignitate & natura æquali, adeoque ad apices juris: sed non sic ratiocinandum de satisfactione quæ ab homine puro præstaretur: ad eam enim requireretur acceptatio Dei, quæ ejus suppleret insufficientiam; hinc nusquam foret ad apices juris, quia non posset esse per æquale obsequium, cum creatura quantumvis justa, a Deo infinite distet.

Repones: Ut satisfactio Christi sit superabundans duo potissimum necessaria sunt, videlicet ut tantum placeat Deo quantum displicet peccatum; deinde vero ut tanta sit in quantitate tum extensiva, tum intensiva, quanta fuit utraque peccati in malitia quantitas: sed neutrum apparet. Ergo &c. Probatur minor: Primo quidem, satisfactio Christi tantum placere Deo non videtur, quantum displicet peccatum, namque peccatum Dei offendit bonitatem, quæ magis illi placet, quam Christi satisfactio, quatenus est nedum moraliter, sed & physice divina; satisfactio vero Christi, non nisi moraliter infinita est. Secundo, peccatum, non solum est in malitia & injuria infinitum, sed habet etiam ex circumstantiis quamdam infi-

infinitatem, quatenus homo peccat anima, peccat corpore, peccat sensibus, peccat ubique & suum vellet in æternum, si fieri posset, protrahere peccatum; satisfactio vero Christi, non nisi intensive infinitatem habet, quinimmo ipsa moralis satisfactionum Christi infinitas peccati in offendendo infinitatem non excedit, quandoquidem uno infinito non datur aliud majus, alias non foret infinitum. Demum homines ab initio mundi peccaverunt, quotidie peccant, ad consummationem usque sæculi peccabunt, Christus vero est unicus homo qui satisfecit: Igitur multitudo peccatorum superat satisfactionem.

Respondeo negando minorem. Ad probationem primæ partis, nego satisfactionem Christi non tam placere Deo, quam illi displicet peccatum, quandoquidem peccatum non est offensa physice infinita, sed tantum moraliter; bonitas vero satisfactionis fundatur in unione morali, simul & physica Verbi cum humanitate, ex quo fluit valor infinitus excedens peccati infinitatem, tum quia, cum persona satisfaciens sit ipse Dei Filius, in immensum excedit ejus satisfactio peccati malitiam.

Jam vero pro responsione ad secundam partem, multa habemus subnotanda.

Primo quidem, peccatum non est infinitæ malitiæ active sumptum, sed tantummodo passive, quatenus offensa censetur esse in offenso, quocirca ex dignitate divinæ Majestatis læsæ, resultat offensam esse moraliter infinitam.

Secundo, peccatum non esse infinitum penes circumstantias, quandoquidem conatus peccatoris in creaturam finitus est, & physice & moraliter, ex quo sequitur offensam haurire infinitatem moralem solummodo ex læsione divinæ Majestatis, in qua eatenus recipitur, quatenus ab ea læditur. Addo conatum peccatoris in creaturam esse admodum finitum, tum intensive, tum extensive. Sed res non sic se habet de satisfactione Christi. Et vero fundatur in unione morali & physica Verbi divini cum sancta humanitate, sicut dictum est: tum infinitas satisfactionis Christi a Verbo profluit, & active & passive simul; active quidem, quatenus actiones sunt suppositorum; passive vero, quatenus dignitas Verbi super actiones a natura humana elicitas reflectitur.

Tertio, hujusmodi Verbi influxus non solum in subsistentiam actionum refluit, verum etiam & super circumstantias, ex quo fit actiones Christi esse infiniti valoris quoad substantiam, simul & quoad circumstantias.

Quarto, fortior fuit conatus & personæ incarnatæ & naturæ assumptæ in Christo erga Patris amorem & in ejus actiones, quibus talem ubique prodebat amorem, quam conatus hominis peccantis erga bonum creatum, juxta illud S. Thomæ principium, quanto magis aliquid appropinquat ad primum principium, tanto major est conatus in finem; hinc stellæ viciniores Soli, etiam lucidiores evadunt. Porro humana in Christo natura erat ipsi Deo hypostatice conjuncta; quid dico conjuncta, ipsum Verbum erat primum amoris Christi erga Patrem principium. Denique extensio peccati primi hominis mensuratur juxta omnium hominum numerum, quatenus eorum voluntas erat moraliter in voluntate Adami capitis conclusa; sed & eorumdem hominum voluntas in Christi voluntate perfectius concludebatur, unde & pro omnibus Christus satisfecit retractando peccata, omnes in odorem suavitatis offerendo Patri, ex quo sequitur satisfactionem ejus majorem fuisse in quantitate, tum intensiva, tum extensiva quantitate omnium peccatorum: sicut enim omnia entia lucida simul sumpta non possunt ad quantitatem solis usque pertingere, quia est primum in genere lucidi, similiter sicut omnia flumina omnesque fontes ad quantitatem maris non accedunt, ita nec quantitas tum intensiva, tum extensiva actuum humanorum malorum ad quantitatem actionum Christi meritoriarum ascendere valet; quandoquidem conatus actionis Christi, est conatus amoris sanctissimi erga Patrem Verbi incarnati Solis justitiæ propter hypostasim, ex quo concludit Apostolus Rom. 5. 15. satisfactionem Christi esse copiosissimam, his verbis: *Non sicut delictum ita & donum: si enim unius delicto mortui sunt multi, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*,

davit. Ex quo etiam principio Angelicus Doctor infert primam actionem Christi habuisse meritum ad redimendos homines sufficiens.

Ad id vero quod dictum est in instantia, non dari uno infinito alterum majus, distinguo: Non datur infinito physico aliud majus, concedo: infinito morali, nego. Infinitum duplex est, aliud physicum, quod est tale ex sua natura & conditione, aliud vero morale quod est tale per relationem ad aliud. Primo quidem, non datur majus, namque non suscipit magis & minus, utpote infinitum absolutum; bene vero alterum, quo quidem crescit juxta majores vel minores gradus, atque conatus ad illud a quo suam haurit infinitatem. Hoc potest illustrari exemplo actionum Christi. Dictum est ejus omnes supernaturales actiones meriti fuisse infiniti, propter suppositum divinum, cujus dignitas & influxus super eos reflectebantur, quia tamen Christus modo majorem, modo minorem amoris actum elicere poterat, eumdemque in majoribus vel minoribus circumstantiis prodere amorem, certe juxta majorem vel minorem actus quantitatem, erat quoque majus vel minus meritum intensive, & extensive, in se tamen semper infiniti valoris; & ea ex illo pondere omnia exhausit & extinxit demerita.

Ad ultimam instantiam dico, peccata numerice & materialiter superare satisfactionem Christi, cum omnes homines multo plures actus habeant, quam unus homo, sed non formaliter & in valore, quia merita Christi præponderant omnium hominum demeritis.

Replicabis: Si satisfactio Christi abundans fuisset, citra dubium quod ablatum est per peccatum, restituisset: Atqui Christi satisfactio non restituit omne, quod per peccatum ablatum fuit. Et probatur: Primo quidem, innocentia per peccatum Adami ablata non restituitur: sed neque miseriæ per peccatum inductæ ablatæ sunt, cum & usque ad agonem, teste Concilio Tridentino, perseverent. Ergo &c.

Respondeo negando minorem: Id enim quod principaliter ablatum esse censetur, est Dei honor, qui quidem adamussim restitutus est per Christi Redemptionem, quatenus Christus satisfecit plene & superabundanter pro injuria divinæ irrogata Majestati. Ad primam probationem, distinguo: Innocentia originalis per Christi satisfactionem non restituitur radicaliter, concedo: formaliter, nego. Non restituitur radicaliter, quatenus humana natura per peccatum sauciata, manet, & in radice vitiata; quod enim semel fœdatum est, non potest fieri quin defloratum & corruptum fuerit: verum si innocentia spectetur formaliter, hoc est, pro virtute ad bonum, & pro efficatia gratiæ, restituitur etiam superabundanter, quatenus homines gratia Christi roborati, ita sunt in bono determinati, ut non solum possint in bono perdurare, sed etiam in eo ad finem usque, etiam sæviente mundo, terrente dæmone, blandiente concupiscentia, ut sæpius perseverent, ita S. August. Lib. de corrept. & gr. cap. 12. num. 34. & 35. ubi his irrefragabilibus rationibus probat gratiam Christi in efficacia gratiam Adami innocentis longe superare. Ad secundam probationem, distinguo: miseriæ perseverant ad exercitium & meritum, concedo: ad supplicium, nego. Sic passim respondet S. August. dicens tantam esse Christi meritorum efficaciam, ut ipsa mala cedant in bonum electorum, juxta illud Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*. Et 2. Cor. 4. 17. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ ... æternum gloriæ pondus operatur*.

Proponuntur objectiones, contra secundam Conclusionem.

OPPONES: S. Thomas nonnumquam comparat satisfactionem Christi, cum BB. Virginis Maternitate: sed Maternitas BB. Virginis habet infinitatem in dignitate tantummodo secundum quid: igitur & satisfactio Christi.

Respondeo distinguendo: S. Thomas comparat Christi satisfactionem BB. Virginis Maternitati, quoad aliquid, concedo: quoad omnia, nego. In actu satisfactionis Christi, vel amoris erga Patrem, vel obedientiæ, pro ejus mandato, duo ponderanda sunt & consideranda. Primo quidem, actus in esse physico, ut est quid a potentia vitali promanans; deinde vero

vero idem actus in esse morali, & hoc quidem dupliciter, videlicet active, & ut est in objectum regulis morum consonum tendentia, deinde vero passive, ut a persona divina habet & pondus, & dignitatem: priori modo spectatus est quid finitum, & sic consideratus non habet nisi infinitatem secundum quid, & objectivam; sed si passive respiciatur, habet infinitatem simpliciter moralem propter dignitatem personæ satisfacientis, ut ex probationibus liquet: Porro S. Thomas loquitur de moralitate satisfactionis Christi, quæ petitur ex tendentia ab objectum regulis morum consonum; sed non de moralitate, quæ ex dignitate personæ satisfacientis desumitur.

Instabis: Actiones hominis, quantumvis supernaturales non habent meritum nisi finitum: sed actiones Christi ab homine procedebant. Ergo &c.

Respondeo distinguendo: Actiones hominis puri, quantumvis supernaturales non habent meritum nisi finitum, concedo: hominis Dei, nego. Actiones Christi tametsi humanæ a Verbo supplente vices subsistentiæ creatæ promanabant, juxta illud axioma: *Actiones sunt suppositorum*. Ex hoc autem infinitum hauriebant valorem.

Instabis: Actio specificatur a principio immediato, & ab illo speciem habet & essentiam: sed principium immediatum actionum Christi, erat natura humana, erat gratia, erat & charitas, quæ omnia sunt quid finitum: Igitur actiones Christi, erant finiti valoris.

Respondeo distinguendo minorem: Natura humana, gratia & charitas erant principium physicum immediatum actionum Christi, concedo: morale, subdistinguo: principium inadæquatum, concedo: adæquatum, nego. Principium actionum Christi triplex est: alterum physicum, & est natura humana: alterum morale, & istud duplex, unum activum, alterum vero passivum; illud tribuitur gratiæ & charitati; istud vero est dignitas personæ divinæ, ut reflexa super actiones: quia vero secundum axioma juris, *honor est in honorante*, hoc est valor actionis desumitur a personæ dignitate, quæ se habet veluti forma informans, seu potius reflexa super Christi operationes, ex hoc purissimo & indeficiente fonte satisfactio infinitum hauriebat valorem.

Urgebis: Tametsi Verbum sit in se infinitum, unitur tamen finito modo naturæ humanæ: Igitur valor satisfactionis Christi, erat finitus etiam in genere moris. Tum quia actio humanitatis, non poterat esse alicujus infiniti subjectum, quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur, unde cum natura humana sit finita, actus ejus non nisi formæ finitæ est capax.

Respondeo distinguendo: Verbum unitur humanitati finito modo physice, concedo: unitur finito modo moraliter, nego. Hoc & probat istud tritum axioma, *honor est in honorante*, hoc est, valor satisfactionis a dignitate personæ satisfacientis, ut non semel dictum est, desumitur: unde & nego consequentiam.

Ad confirmationem, etiam distinguo: Actio humana non est objectum alicujus infiniti physici & absoluti, concedo: alicujus infiniti moralis & relativi, nego. Duplex igitur secernendum est infinitum, unum scilicet physicum & absolutum, quod est tale ex natura sua, aliud morale & relativum quod desumitur per ordinem ad aliud: citra dubium est actionem humanam non esse subjectum capax infiniti physici, bene tamen infiniti moralis & relativi; ad hoc enim sufficit ut relationem ad infinitum habere queat. Porro nullus cordatus negaverit actiones Christi habuisse relationem ad Verbum divinum, cujus dignitas infinita super eas effundebatur & reflectebatur, & ex hoc, ait Ifambertus, infinitum hauriunt valorem.

Insistes: Essentia divina quamvis in se infinita, quia tamen beatis finito modo unitur Sanctis, non nisi finite ab eis concipitur & attingitur. Unde visio est finita & moraliter, & physice: Igitur & a simili, quoniam Verbum unitur finito modo sanctæ humanitati, actiones Christi finitæ esse debent, & physice & moraliter etiam in valore.

Respondeo negando paritatem: tum quia essentia divina se habet solum ut causa generalis & universalis respectu visionis beatificæ, Verbum vero se habet, ut causa particularis & specificativa respectu actionum Christi; tum quia visio datur ad men-

mensuram luminis gloriæ, quod in se finitum est, & Deus non nisi objective se habet ad visionem; valor vero datur juxta personæ satisfacientis dignitatem, quę infinita est. Ceterum visio sumitur quasi mere physice, & ut est actus vitalis a potentia vitali promanans, quæ cum sit in se finita, finitus quoque est & ejus actus, scilicet visio: sed agitur de re morali, nimirum de valore actus, qui est quid morale relativum, quod suum desumit pondus & pretium a Filio Dei, qui est persona in Majestate infinita.

Contra: Valor non desumitur ex dignitate personæ satisfacientis. Ergo &c. Probatur subsumptum: Justus qui habet gratiam ut octo, dignior est illo, qui eam habet solum ut duo: Atqui tamen si secundus producat actum amoris ut sex, majus præmium habebit a Deo quam primus qui actum charitatis solum ut quatuor eliceret. Ergo &c.

Respondeo negando subsumptum. Ad probationem, nego paritatem: quia Verbum non se habet mere concomitanter, & ut causa universalis ad actiones Christi, sed ut causa particularis; immo quasi formalis moralis. Enim vero persona Verbi quadrupliciter se habet ad Christi actiones. Primo quidem, ut causa efficiens particularis. Secundo, ut earum terminus quo subsistentiam accipiunt. Tertio, ut objectum, quatenus Verbum semetipsum exinanivit formam servi accipiens: denique ipsius Verbi dignitas se habet veluti per modum formæ moralis informantis Christi actiones, easque significantis, & ex hac potissimum circumstantia satisfactio Christi infinitum haurit valorem.

Ad exemplum de gratia laudatum, nego paritatem: latum enim est discrimen inter actiones Christi, & actiones duorum justorum diversimode ad actus se habentium: namque meritum justi ex conatu actuali in Deum desumitur; unde tametsi unus non habet charitatem habitualem in eodem gradu cum altero, habet tamen majorem actualem, adeoque majus & præstantius meritum. At vero persona Verbi secundum dignitatem, se habet ut veluti forma infinite significans humanas Christi actiones, quocirca eodem modo sunt infinitæ, si infinitas abstrahatur a circumstantiis, & in se spectetur.

Repones: Si valor actionum Christi sit infinitus, multa inde sequentur absurda. Primo quidem, sequitur Christum per primum actum amoris, quem in istanti conceptionis elicuit, redemisse homines. Secundo, non esse majorem valorem in pluribus actionibus, quam in una, quia supra infinitum, non datur aliquid majus. Tertio, satisfactiones hominum esse inutiles, namque infinito nihil additur. Ergo &c.

Respondeo negando sequelam. Ad primam probationem, distinguo: Sequitur Christum per primam actionem redemisse mundum quoad sufficientiam, concedo: quoad consummationem & applicationem, nego. Voluit enim Redemptor noster merita sua & applicari, & consummari per mortem suam, dicente Paulo Hebr. de Christo, 10. 14. *Una enim oblatione in sempiternum consummavit sanctificatos.*

Ad secundam probationem similiter distinguo: Valor formalis & personalis non erit major valore omnium actionum, concedo: non erit major extensive, nego. Crescit enim ex circumstantiis & multiplicatione actuum; hinc dari potest infinitum majus, altero infinito extensive in ordine morali, quia illud desumitur per ordinem ad illud, quæ quidem tendentia in objectum divinum modo minor, modo etiam major est tum intensive, tum extensive juxta majorem vel minorem actuum multiplicationem, sicut & secundum majorem vel minorem charitatis conatum in Deum.

Ad tertiam probationem distinguo: Et Christus satisfecit unam apponendo conditionem, videlicet ut suorum meritorum valor, per actus bonos a nobis elicitos nobis applicaretur, concedo: & hanc exclusit conditionem, nego. Primum patet, cum ipse Christus nos adhortetur ut sua adimpleamus præcepta; cum beatus Petrus dicat vocationem & electionem nostram ad gloriam bonis operibus esse stabiliendam; cum S. Paulus de se loquens, Colloss. 1. 24. hæc pronunciet: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Rursus Rom. 8. 17. *Si tamen compatimur ut & conglorificemur.*

Persistes: Valor est aliquid factum & creatum

creatum in tempore : Igitur est quid finitum. Confirmatur : Est quid tantummodo rationis & ab acceptatione Dei dependens. Ergo &c.

Respondeo distinguendo : Valor est quid finitum si spectetur relative ad humanitatem & ipsam charitatem, concedo : tendentia quippe voluntatis in Deum est quid finitum : si consideretur relative ad dignitatem personæ, nego. Sub hoc quippe respectu, est ipsa Verbi divini infinita Majestas, quæ reflectitur super actiones Christi, quocirca sub hac consideratione, valor non est quid creatum in actione creata receptum, sed ipsa divina Majestas in iisdem refulgens actionibus, & ideo Christi actio valorem haurit infinitum per relationem ad hypostasim divinam : Porro relatio secundum esse *ad* non importat subjectum & receptionem, sed solummodo secundum esse *in*; valor tamen Christi infinitus inesse actionibus dicitur, quatenus Verbum super eas reflectitur. Denique tametsi valor ille etiam subjectetur & recipiatur in actionibus secundum judicium viri prudentis, non inde sequitur actiones esse subjectum infiniti ut sic, sed tantummodo infiniti moralis & relativi : & ad hoc ut ista donentur dote, sufficit ut relatio ad Verbum sit intrinseca Christi actionibus.

Ad confirmationem, nego valorem esse quid rationis, namque fundatur in actione reali ; unde tametsi ab acceptatione Dei dependeat, non sequitur esse quid meræ rationis, cum illa acceptatio supponat actiones atque labores Christi, & fiat per judicium viri prudentis, qui æqua lance cuncta ponderans, statuit & definit actiones Christi esse valoris infiniti.

Dices : Resuscitatio Lazari fuit una de Christi actionibus : Atqui tamen non fuit infiniti valoris, quandoquidem actio miraculosa tribuitur principaliter Deo. Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad probationem distinguo : Actio Christi miraculosa passive sumpta non fuit meritoria, concedo : active considerata, nego. Resuscitatio Lazari duplici modo potest spectari, videlicet passive, seu objective, & ut miraculum est ; deinde vero active, & ex parte dispositionum ad miraculum : priori modo & reduplicative ut est miraculum, certe sub meritum non cadit, namque sub isto respectu a Deo solo ut a causa principali, seu a Verbo ut subsistente in natura divina profluit : E contra vero si consideretur ex parte motivi & dispositionum, quæ ad tantum miraculum adhibitæ sunt; Christus enim pro hoc momento oravit Patrem, & illud ex charitate fecit; actio autem quæ a charitate imperatur, est meritoria.

Fit satis objectionibus contra tertiam Conclusionem.

OBJICIUNT : Illa satisfactio non est ad apices juris, cui desunt ad rigorosam justitiam conditiones : Atqui satisfactioni Christi desunt ad justitiam rigorosam requisitæ conditiones : Ergo &c. Probatur minor : Prima quidem conditio est: ut satisfactio fit ad alterum: Sed ista conditio citra dubium defuit Christi satisfactioni : Et probatur. Illa satisfactio a divina procedebat persona, a qua nequidem abstrahi licitum erat : Ergo &c. Secunda est quod satisfactio non fit fundata in bonis creditoris : Sed & hæc conditio non reperitur in satisfactione Christi, quod sic probatur ; Deus habet dominium super omnes Christi actiones ; quinimmo Christus totus Dei est, & ab eo dependet, juxta illud 1. Cor. 3. 31. *Omnia enim vestra sunt* : *vos autem Christi, Christus autem Dei*... Ergo &c. Tertia exigit ut quod redditur debitori, aliis non debeatur titulis : Sed nemo non videt & capit actiones Christi tum obedientiæ, tum humilitatis & adorationis Deo Patri debitas fuisse, & titulo gratitudinis propter beneficia quæ sancta humanitas ab eo receperat ; & titulo dependentiæ, cum cuncta debeant cedere in gloriam Dei : Ergo &c.

Respondeo negando minorem. Ad primum distinguo : Actiones Christi meritoriæ, a divina procedebant persona ut subsistente in natura humana, concedo : ut subsistente in natura divina, nego. Dictum est supra Verbum incarnatum esse quasi virtualiter duplex, videlicet, juxta

juxta quod subsistit in natura divina & in humana, quæ quidem distinctio virtualis sufficit ad fundandum jus quod Christus Dominus ut homo in suas habebat actiones: Igitur cum essent sub eodem dominio diversæ prorsus naturæ, quæ diversas habebant operationes, satisfactionem Christi fuisse ad alterum luce clarius apparet.

Ad secundum nego similiter minorem. Ad probationem distinguo: Deus habebat dominium universale super omnes Christi actiones, concedo: particulare, subdistinguo: & isti cedit juri in gratiam hominis, concedo: secus, nego. Certum est cuncta bona a Deo ut primigenio fonte promanare, juxta illud S. Jacobi 1. 17. *Omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*; sed ita bonus & misericors est Deus, ut suo cedat juri particulari in gratiam hominis, ut ipse iis utatur, & illum glorificet, eique famuletur: Potuit igitur omnibus refertus gratiis & beneficiis Dei, his uti & ad gloriam Patris & ad gloriam propriam, & ad salutem hominum operandam. Nec mirum, qui talentis a Domino acceptis propriam addit industriam propriumque laborem, citra dubium multum habet meritum, sicque Christi satisfactio infinitum habuit ad nostra Patri solvenda debita. Ad probationem distinguo: Cuncta Christi opera erant Patri variis titulis debita, & istos omnes exhausit Christus, habuitque ejus labor ultra hæc omnia ut satisfaceret pro nobis, concedo, & non habuit, nego. Ultro fatemur Christum suas obtulisse actiones Patri in recognitionem beneficiorum ab ipso acceptorum: Sed cum quælibet ejus actio infiniti esset valoris, de facto omnibus satisfecit debitis; quod & mirum in modum explicant Patres, dum asserunt sacrificium Christi cruentum fuisse simul Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, & Impetratorium, hoc est, pro recognitione Dei oblatum, pro gratiarum actione, pro peccatis abluendis, & pro gratiis ultra terminum & fine fine obtinendis.

Instabis: Non datur justitia commutativa filii ad Patrem, neque etiam hominis ad Deum: Sed Christus erat Filius Dei sicut & homo: Igitur ejus satisfactio non erat ad apices juris, quod quidem fundatur in justitia commutativa.

Respondeo distinguendo primam partem majoris: Non datur justitia commutativa Filii nondum emancipati ad Patrem, concedo: Filii emancipati, nego. Porro Christus Dominus erat Filius Dei, sed emancipatus, & sui prorsus juris, quippe qui esset per omnia Patri coæqualis, juxta illud Philipp. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*. Hoc est, tametsi Filius Dei in Incarnatione sese exinanierit, sui tamen mansit juris, & consubstantialis; & sic distincta minore, nego consequentiam.

Ad alteram partem ejusdem majoris respondeo etiam distinguendo: Non datur justitia commutativa puri hominis ad Deum, concedo; namque est Deo in omnibus inferior: non datur in homine assumpto, nego. Non semel dictum est Christum secundum personam esse Deum.

SYNOPSIS PROBATIONUM.

Satisfactio Christi fuit ad apices juris.

PRIMO, sic habetur Psal 129. 7. his verbis: *Et copiosa apud eum redemptio*. Tum Rom. 5. 15. ubi habetur gratiam superabundasse ubi delictum regnaverat. Sic etiam definivit Clemens V. extrav. *Unigenitus* de pœn. & remiss.

Secundo: Concinunt Patres, in primis. S. Augustinus Lib. 13. de Trin. cap. 14. & Serm. 114. de temp. S. Leo Serm. 12. de Dom. passione. Greg. Magnus Lib. 7. Moral. cap. 2. Bernardus Homil. de duob. disc. Emaus, S. Thomas & alii.

Tertio: Ratio suffragatur, quia actiones Christi erant valoris infiniti, utpote Theandricæ: &c.

SYNOPSIS DIFFICULTATUM ET RESPONSIONUM.

Primo : Ex eo quod Apostolus dicat se adimplere in carne sua quæ desunt passionum Christi, non inde sequitur passionem Christi fuisse ad satisfaciendum insufficientem, sed solum nostram requiri cooperationem ut merita Christi nobis applicentur.

Secundo : Actus amoris, & ceterarum virtutum a Christo eliciti, erant quidem finiti physice quipe qui ab homine promanarent ; sed moraliter infiniti propter suppositum divinum, cujus dignitas refluebat in actiones quæ sunt suppositorum.

Tertio : Tametsi Christus esset Deus, erat tamen & homo ; hinc satisfactio erat ad alterum, quandoquidem procedebat a Verbo, ut subsistente in natura humana.

Si quid erroris, tametsi involuntarie, in istis de fide, spe & charitate, de regulis fidei, & de Dominica Incarnatione aliisque Theologicis Tractatibus irrepserit, hoc ipsum toto mentis affectu retracto, & uti non scriptum habeo. Cuncta quoque, ea, qua par est reverentia, sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ judicio, omni seclusa mentis restrictione, committo & subjicio.

Anathematismi Beati Cyrilli Alexandrini, a Concilio Ephesino, Chalcedonensi, & quinto generali suscepti fidem Dominicæ Incarnationis complectentes.

Anathematismus Primus.

Si quis non confitetur, Emmanuelem verum Deum esse, adeoque sanctam Virginem, quæ incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem genuit, Deiparam esse, anathema sit.

II.

Si quis Dei Patris Verbum carni, secundum hypostasin unitum : Aut unum rursum una cum sua carne Christum esse (eumdem nimirum Deum simul & hominem) inficiatus fuerit, anathema sit.

III.

Si quis post naturarum unionem, subsistentias in uno Christo dividit (unicuique nimirum suam propriam assignans) naturasque ea tantum copula connectit, quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem, non ea autem coitione, quæ fit secundum physicam unitionem, anathema sit.

IV.

Si quis voces illas, quæ in Evangelicis & Apostolicis Litteris passim occurrunt ; aut, quæ de Christo a Sanctis, vel ab ipso quoque Christo de seipso dicuntur, duabus personis, aut hypostasibus assignat : Et alias quidem homini, tamquam personæ a Dei Patris Verbo sejunctæ accommodat ; alias vero tamquam in solum Deum convenientes, soli Deo Verbo adaptat, anathema sit.

V. Si

V.

Si quis dicere audet, Christum hominem tantum Deiferum, non verum quoque Deum, unicumque ac naturalem Dei Filium esse; quatenus nimirum Dei Verbum caro factum, perinde ac unus ex nobis carni & sanguini communicavit, anathema sit.

VI.

Si quis Verbum, quod ex Deo Patre procedit, Christi Deum, vel Dominum esse dixerit: Et non potius Deum simul & hominem illud confessus fuerit, pro ut caro, secundum Scripturas, factum est, anathema sit.

VII.

Si quis Jesum tamquam purum hominem per Dei Verbum factum; Unigenitique gloria per illud ipsum Verbum, veluti per alterum a se diversum redimitum dixerit, anathema sit.

VIII.

Si quis dicere audet, assumptum hominem, una cum Dei Verbo, tamquam alterum cum altero, vel alterum in altero adorandum, & glorificandum, & Deum appellandum esse; neque una adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem, quatenus Verbum caro factum est, destinat, anathema sit.

IX.

Si quis unum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, per Spiritum sanctum, tamquam per virtutem a sua alienam, glorificatum; aut vim & energiam ab eodem accepisse, qua immundos spiritus profligaret, aliaque inter homines miracula patraret, dixerit; neque illum ipsum Spiritum, per quem divina signa edebat, illius proprium extitisse professus fuerit, anathema sit.

X.

Confessionis nostræ Pontificem & Apostolum factum esse Christum, Scriptura docet: *Obtulit enim semetipsum pro nobis Deo & Patri in odorem suavitatis.* Si quis igitur non ipsum Dei Patris Verbum, cum caro, & homo nobis similis factum est, Pontificem & Apostolum nostrum effectum dixerit; sed alterum quempiam diversum ab ipso, puta hominem qualemcumque ex muliere natum: aut si quis Christum non pro nobis tantum, sed pro seipso quoque sacrificium obtulisse dixerit (nulla enim oblatione egebat, qui peccatum nullum norat) anathema sit.

XI.

Si quis Domini carnem vivificam, ipsiusque Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam esse negaverit; dixerit autem alterius cujuspiam esse a Verbo quidem distincti, ipsi nihilominus Verbo secundum divinitatis communicationem uniti: Si quis, inquam, dixerit Domini carnem non esse vivificam, eo quod propria est Verbi, quod omnia vivificare potest; sed hominis divinam tantum inhabitationem sortiti, anathema sit.

XII.

Si quis inficiatur, Dei Verbum carne passum, & crucifixum esse, mortemque carne gustasse; nec non primogenitum ex mortuis, factum esse; quatenus nimirum ut Deus vita, & vivificans est, anathema sit.

SERIES ET INITIUM
Regnorum, Regum & Ducum a Creatione mundi usque ad Romanos inclusive, de quibus fit mentio in Scriptura Sacra.

DE PAGANIS.

REGES ASSYRIORUM. Quadraginta.

Regnare cœperunt an. 1879.
Belus vel Nembroth.
Ninus.
Semiramis ...
Xerxes, &c
Sardanapalus ultimus, cujus Imperium ablatum est ab Arbace tunc pro Assyriis Medorum Gubernatore, qui fundavit Monarchiam Medorum ex civitatibus & Provinciis Assyriorum.

REGES MEDORUM, Novem.

Regnare cœperunt an. 3178.
Arbace.
Mandauces.
Sosarme.
Articas.
Arbianes.
Arsaces.
Artynes
Artibaras.
Astyages. *Mortuus est anno* 3460.

Imperium Medorum divisum fuit prima vice per Gubernatores ab ipsis constitutos in Niniven qui Reges se proclamare fecerunt. Vocantur in Scriptura sacra Reges Assyriorum, quia regnabant in parte Regis Assyriorum antiquorum, & sunt.

REGES NINIVEN. Quinque.

Regnare cœperunt an. 3265.
Phul.
Theglatphalasard.
Salmanasard.
Sennacherib.
Asarhadon. *Mortuus an.* 3325.

Secunda vicessitum est Imperium Medorum a Babylonicis, qui rebellantes contra Medos, Ducem quemdam Medorum nomine Nabonassar, qui & Gubernator Babylonis, constituerunt Regem, & sic ex Imperio Medorum triplex apparuit Monarchia: una Medorum: secunda Regum Niniven: tertia Regum Babyloniorum seu Chaldæorum.

REGES BABYLONICI, SEU CHALDÆI. Septem.

Regnare cœperunt an. 3306.
Nabonassar.
Merodach.
Ben-Merodach.
Nabuchodonosor I.
Nabuchodonosor II. qui & Magnus.
Evilmerodach.
Balthassar.

Nabuchodonosor II. qui & Magnus, tres pueros in fornacem misit, eo quod nollent adorare suam imaginem. Vidit in somnio statuam ex diversis metallis quæ significabant diversa Imperia. Vidit & arborem extendentem ramos & folia undique, sub quo habitabant peccora, quæ designabant quod propter superbiam ad ordinem bestiarum septem annis detruderetur. Postea agnovit Deum; vixitque

quę uno anno. Multi SS. PP. credunt falsum, quia non legitur quod quidquam mali postea fecerit.

Capta Babylone a Dario qui in Scriptura dicitur de semine Medorum, quorum erat Rex, & avunculus Cyri, cessavit regnum Chaldæorum in Baltassar, & datum est Medis & Persis, ut ipsius fert sententia a Daniele explicata. Medis, inquam, quia Darius cum exercitu Medorum obsidebat Babylonem: & Persis, quia Cyrus Rex Persarum cum suis obsidebat utique junctus suo avunculo Babylonem. Mortuo igitur Dario Cyrus junxit suo Imperio primo Imperium Medorum, quia fuit heres sui avunculi, sive jure, sive vi, nihil refert. Secundo, regnum Niniven & ejus Reges qui a Medis subjugati fuerant an. mundi 3325. Tertio, Imperium Chaldæorum seu Babylonicum; hinc propter immensum civitatum Provinciarumque numerum & regionum vastitatem dicitur Libr. 1. Esdræ, quod omnia regna terræ dedisset Deus Cyro, id est, multa.

REGES PERSARUM.
Duodecim.

Regnare cœperunt an. 3495.
Cyrus.
Cambyses.
Smerdis Magnus.
Darius Hystaspes: hic creditur Assuerus.
Xerxes.
Artaxerxes Longimanus, &c.

Ultimus fuit Darius Cademan Arsam filius, qui victus ab Alexandro, ipsi reliquit Imperium. Mortuus est anno circiter 3668.

REGES GRÆCORUM.

Alexander Magnus, qui & Macedo, fundavit Imperium Græcorum. Per totum orbem annos sex, & propter multitudinem victoriarum dicitur Libr. 1. Machab. cap. 1. quod siluerit terra in conspectu ejus.

Ipso mortuo, propinquiores amici dividunt sibi regnum, & sic duo principaliter fundata sunt regna, scilicet regnum Ægypti ubi regnavit Ptolemæus Lagi filius, & regnum Syriæ, ubi Seleucus qui & Nicanor imperavit. Iste autem regnavit super Syros & Babylonem, quod evenit ann. mundi 3681, secundum plures.

REGES ÆGYPTI.

Ptolemæus Lagi filius.
Ptolemæus Philadelphus. Hic versionem LXX. fieri curavit: habebat Bibliothecam 200000. volumina continentem.
Ptol. Evergetes.
Ptol. Philopator.
Ptol. Epiphanes.
Ptol. Philometor.
Ptol. Evergetes II.
Ptol. Soter.
Ptol. Alexander.
Ptol. Cleopatræ filius.
Ptol. Dionysius.
Cleopatra.

REGES SYRIÆ ET ASIÆ.

Seleucus qui & Nicanor.
Antiochus Soter.
Antiochus Teos.
Seleucus Gallinicus.
Ceraunos.
Regnare cœperunt an. 3800.
Antiochus Magnus.
Seleucus qui & Philopator.
Anthiscus Epiphanes illustris.
Anthiscus Eupator.
Demetrius Soter.
Alexander.
Demetrius.
Antiochus Sedetes.
Demetrius II.
Antiochus Crisphus.
Antiochus Ciscænus.
Philippus.

IMPERATORES ROMANI.

Regnare cœperunt an. 1914.
Julius Cæsar.
Octavius Augustus.
Tiberius.
Caligula.
Claudius.
Nero.
Galba.

Otho.

Otho.
Vitellius.
Vespasianus.
Titus.
Domitianus, &c.

De Judæis.

Judices.

Judicare cœperunt an. 2551. Josue.
Othoniel.
Aod.
Debora.
Gedeon.
Abimelech.
Thosa.
Sair.
Jephte.
Abesan.
Aialon.
Abdon.
Mortuus 2009. Heli.
Samuel.

Reges Juda.

Viginti-duo.

Saul.
David.
Salomon.
Roboam. Hic divisum est regnum: remansit sola Tribus Benjamin cum Juda, & retinuit nomen regni Judæ. Decem Tribus abiere cum Jeroboam qui regnavit in Samaria. Dictum est regnum Israel a majori numero populorum, qui sic nominati sunt a Jacob, cujus nomen Israel.
Abia.
Asa.
Josaphat.
Ochozias.
Athalia.
Joas.
Amasias.
Ozias.
Joathan.
Achaz.
Ezechias.
Manasses.
Amon.
Josias.
Joachaz.
Joachim.
Jechonias aliter Joachin.
Sedecias.

Reges Israel.

Decem & novem.

Jeroboam.
Nadab.
Baasa.
Ela.
Zambri.
Amri.
Achab.
Ochozias.
Joram.
Jehu.
Joachas.
Joas istius filius.
Jeroboam II.
Zacharias.
Sellum.
Manahen.
Phaceja.
Phacee.
Osea.

Anno nono Oseæ Salmanazar post tres annos obsidionis cœpit Samariam, duxit decem Tribus captivas in suam terram ubi perierunt, & de suis misit in terram Israel qui dicti Samaritani. Regnum Israel hic finivit, duravitque 254. a divisione Judæ.

Duces.

Gubernare cœpere an. mundi 1468. Salathiel.
Zorobabel, &c.
Joannes Hircan, vel Hircanus successit officio summi Pontificis & Ducis, quod Simon Machabæus ipsius pater habebat: post hunc Ducem fuerunt novi Reges qui sibi imposuere diademata, quique coronam patrum suorum itcrata

rata vice post tam longam captivitatem ceperunt.

Quinque numerantur.

Aristobulus.
Alexander Jannæus patri successit.
Hircan seu Hircanus natu primus patri Alexandro successit, & summæ Sacrificaturæ.
Aristobulus natu minor suum fratrem Hircanum ejecit, & Judææ Dominus mansit usque ad victoriam quam Pompejus ibi reportavit. Ab hoc tempore Romani disposuerunt de corona & dignitatibus Judææ.
Hircanus postea fuit in pristinum gradum per Romanos restitutus, sed propter suam crudelitatem Pompejus noluit ut diadema & coronam portaret. In ipso finivit sceptrum Juda, quia post ipsum regnavit Herodes alienigena.

REGES ALIENIGENÆ.

Herodes Rex Ascalonita.
Archelaus Dux.
Herodes Tetrarcha, postea Rex.
Agrippa.
Agrippa II. Rex.
Postea vastatio & desolatio per Titum.

Finis Tomi Quinti.



